SC.21.Pl.6.

3
31
11
343 1501

Digitized by Google

Digitized by Google

CONTINUATIO
PRÆLECTIONUM
THEOLOGICARUM
HONORATI
TOURNELY,
Sive Tractatus de Univerſa
THEOLOGIA MORALI,
TOMI SEXTI
PARS SECUNDA
Continens cum reliquis de Pœnitentia,
TRACTATUS

I. De Purgatorio. | III. De Jubilæo.
II. De Indulgentiis. | IV. De Unctione-Extrema.

Collegit & digeſſit Petrus Collet, *Presbyter Congregationis Miſſionis, Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.*

VENETIIS,
Apud Nicolaum Pezzana.

MDCCLVII.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM, ET ARTICULORUM.

CAPUT VII. *De forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu de abſolutione*, pag. 1
ARTICULUS I. *In quo ſita ſit Sacramenti Pœnitentiæ forma*, ibid.
ARTICULUS II. *De ſenſu & virtute abſolutionis*, 21
CONCLUSIO I. Senſus ordinariæ formæ non is eſt: *Remitto tibi pœnam peccatis debitam*, 22
CONCLUSIO II. Forma abſolutionis in ſenſu literali hanc habet ſignificationem: *Ego remitto tibi offenſam divinam*: hanc vero in ſenſu ſacramentali: *Confero tibi gratiam, quantum de ſe eſt remiſſivam peccati*, ibid.
ARTICULUS III. *Solvuntur variæ quæſtiones circa præſentem materiam*, 23
CAPUT VIII. *De miniſtro Pœnitentiæ*, 27
ARTICULUS I. *An ſolus Sacerdos ſit Miniſter Pœnitentiæ*, 27
CONCLUSIO: Solis Sacerdotibus, ſive Epiſcopi ſint, ſive non competit abſolvendi facultas, non autem Laicis vel Diaconis, *ibid.*
ARTICULUS II. *An abſolvendi poteſtas Præsbyteris omnibus vi ordinis ſui competat*, 39
CONCLUSIO: Non ſufficit Sacerdoti poteſtas Ordinis, ut valide abſolvat, ſed neceſſario requiritur poteſtas Juriſdictionis, *ibid.*
ARTICULUS III. *Quis idonea ad abſolvendum Juriſdictione præditus cenſeatur*; 44
§. I. *De Juriſdictione ordinaria*, ibid.
§. II. *De Juriſdictione delegata*, 47
ARTICULUS IV. *De caſibus reſervatis*, 62
SECTIO I. *An & qui poſſint caſus aliquos ſibi reſervare*, ibid.
CONCLUSIO I. Eſt in Eccleſia poteſtas certos caſus reſervandi, *ibid.*
CONCLUSIO II. Caſuum reſervandorum poteſtas competit Roman. Pontifici, Epiſcopis, Religionum Superioribus, & iis qui Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent; 64
SECTIO II. *Quod peccati genus reſervari ſoleat*; 65
SECTIO III. *De caſibus Papæ reſervatis*, 72
SECTIO IV. *Expenduntur caſus Epiſcopis reſervati*, 75
SECTIO V. *De caſibus apud Regulares reſervari conſuetis*, 122
SECTIO VI. *Quinam a reſervatis abſolvere poſſunt. Ubi præcipue de Confeſſariis ſæcularibus*; 125
CONCLUSIO: A reſervatis abſolvere poteſt virtute ordinaria &c. 126
SECTIO VII. *De poteſtate Regularium quantum ad Caſus reſervatos*, 144
SECTIO VIII. *De Juriſdictione in articulo mortis*, 155
CONCLUSIO. Quilibet ſacerdos, etiam ab Eccleſia nominatim præciſus, degradatus, ſciſmaticuſve vel hæreticus, quemlibet Pœnitentem a quovis peccato abſolvere poteſt in articulo mortis, ibid.
ARTICULUS V. *De dotibus Miniſtri Pœnitentiæ*, 160
SECTIO I. *Quibus concedenda ſit, neganda vel differenda abſolutio*; ibid.
§. I. *An & quibus propter ignorantiam differri debeat abſolutio*, 161
CONCLUSIO I. Neganda eſt vel differenda abſolutio iis qui præcipua fidei chriſtianæ myſteria Deique & Eccleſiæ præcepta ignorant; aut ab iis quorum curam gerunt, puta filiis vel domeſticis, ignorari patiuntur, *ibid.*
CONCLUSIO II. Iis etiam neganda eſt abſolutio, qui neceſſaria ad officium ſuum vel profeſſionem ignorant; niſi aut officio cedere parati ſint, aut eam qua indigent ſcientiam quam primum comparare & interim ab officio abſtinere, 165
§. II. *An & quibus differri debeat Abſolutio propter occaſionem peccati*; 168
CONCLUSIO I. Non poteſt moraliter loquendo abſolvi qui in occaſione proxima ſimul & præſenti ſponte & volens permanet. Neque etiam qui ab occaſione abſente recedere non vult, etiamſi hanc inquirat ſub prætextu boni ſpiritualis, ſive ſui ſive proximi, *ibid.*
CONCLUSIO II. Si occaſio graviter peccandi proxima ſit præſens, nec phyſice aut

Digitized by Google

moraliter dimitti poſſit., Pœnitens abſolvi non debet donec eam quibuſcumque poterit mediis, e proxima remotam fecerit, 173
§. III. *An & quibus differenda ſit abſolutio propter habitum peccati*, 174
CONCLUSIO I. Pœnitens ignotus, cum grave quid confitetur, interrogari debet num illud ex habitu committat, & interrogatus reſpondere tenetur, 175
CONCLUSIO II. Regulariter abſolvi non debet qui mortaliter peccandi conſuetudinem habet, donec idonea emendationis indicia præſtiterit, 176
§. IV. *An & quibus ob relapſum differenda ſit abſolutio*, 191
CONCLUSIO I. Homini ex guſtu & propenſione in idem ſcelus relapſo abſolutio hic & nunc communiter negari debet, *ibid.*
CONCLUSIO II. Homini, qui in peccatum ſine affectu, & occaſioni quaſi nolens cedendo, relapſus eſt, quandoque impendi poteſt abſolutio, 192
§. V. *An & quibus differenda ſit abſolutio propter defectum propoſiti*, 193
CONCLUSIO. Ob boni propoſiti defectum neganda eſt abſolutio &c. *ibid.*
§. VI. *De Defectibus a Confeſſario commiſſis*, 194
§. VII. *An & quando adigendus ſit Pœnitens ad generalem exomologeſim*, 201
ARTICULUS VI. *An Sacerdos curam animarum non habens audire confeſſiones teneatur*, 207
CAPUT IX. *De Sigillo Confeſſionis*, 211
SECTIO I. *Quo jure & qualiter teneatur Confeſſarius ad ſigillum*, ibid.
CONCLUSIO I. *Confeſſarius ad ſigillum tenetur jure naturali, divino & Eccleſiaſtico*, ibid.
CONCLUSIO II. *Lex ſigilli in quacumque materia obligat ſub mortali*, 214
CONCLUSIO III. *Lex ſigilli non minus Confeſſarium ligat quoad mortuos, quam quoad viventes*, 217
SECTIO II. *An ex omni Confeſſione oriatur vinculum ſigilli*, 218
CONCLUSIO. *Obligatio ſigilli oritur ex omni & ſola confeſſione Sacramentali facta apud Sacerdotem verum vel exiſtimatum, animo obtinendæ aliquando abſolutionis. Poteſt tamen ex confeſſione etiam non Sacramentali naſci quædam ſecreti naturalis obligatio, vel alia æquivalens*, ibid.
SECTIO III. *An ſolus Sacerdos ſigilli lege teneatur*, 221
CONCLUSIO. *Sacerdos primario quidem tenetur lege ſigilli; & eadem ſecundario tenentur alii plures*, ibid.
SECTIO IV. *Quotuplici modo violetur ſigillum*, 230
SECTIO V. *An Sacerdos ſcientia per confeſſionem habita uti poſſit*, 235
§. I. *An confeſſione uti liceat ad avertendum damnum, &c.* 236
CONCLUSIO I. *Nec verbo, nec facto, nec nutu licet in ullo caſu, quantumvis Eccleſiæ vel Reipublicæ damnoſo confeſſionem revelare*, ibid.
CONCLUSIO II. *Ne ad ſervandam quidem vitam licet uti confeſſionis notitia*, 239
§. II. *An confeſſionis ſcientia uti liceat in exteriori regimine*, 242
CONCLUSIO. *Nullatenus eo in caſu uti licet ſcientia confeſſionis*, ibid.
§. III. *An eadem ſcientia uti licitum ſit ad correctionem alterius*, 245
SECTIO VI. *De pœnis Confeſſarii ſigillum violantis*, 253
CAPUT X. *De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ*, 255
APPENDIX I. *De ſollicitantibus in Tribunali*, 256
APPENDIX II. *De Purgatorio*, 270
CAPUT I. *De nominibus & eſſentia Purgatorii*, ibid.
CAPUT II. *De exiſtentia Purgatorii*, 271
CONCLUSIO. *Exiſtit Purgatorium*, 273
Solvuntur objectiones, 290
Græci a Latinis an diſcrepent quoad Purgatorii fidem, 297
Diſſertatio Dogmatica de divina utriuſque Machabæorum Libri auctoritate, 305
CONCLUSIO. *Machabæorum Libri vere ſunt Canonici*, ibid.
CAPUT III. *De circumſtantiis Purgatorii*, 317
ARTICULUS I. *De perſonis quibus convenit Purgatorium*, ibid.
CONCLUSIO. *Purgatorium neque iis qui plene juſti, neque iis qui in peccato lethali; ſed iis ſolum qui in ſtatu gratiæ, at divinæ juſtitiæ nonnihil obnoxii decedunt, conſtitutum eſt*, ibid.
ARTICULUS II. *An animæ purgantes mereri poſſint, vel demereri*, 320

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO *Purgantes anima nec merentur, nec demerentur,* ibid.
ARTICULUS III. *An anima purgantes certa ſint de ſaluto ſua,* 326
CONCLUSIO. *Anima purgantes de ſalute ſua omnino certa ſunt,* ibid
ARTICULUS IV. *De loco Purgatorii,* 330.
CONCLUSIO I. *Locus damnatorum eſt inferior & ſubterraneus,* ibid.
CONCLUSIO II. *Limbus Patrum antiquorum fuit etiam ſub terra,* 331
CONCLUSIO III. *Limbus puerorum & ipſe ſubterrancus eſt,* 334
CONCLUSIO IV. *Eſt etiam ſub terra locus Purgatorii,* ibid.
Diſſertatio I. De apparitione Samuelis, 337
CONCLUSIO. *Etſi damnari non debet opinio qua dæmonem ſub phantaſmate Samuelis apparuiſſe ſuſpicatur, longe tamen probabilior eſt ſententia quæ Samuelem ipſum apparuiſſe contendit,* 338
Diſſertatio II. De Prædicatione Chriſti in inferis, 342
CONCLUSIO. *Chriſtus ad inferos deſcendit, ibique fauſtum liberationis ſuæ nuntium iis prædicavit,* qui *non ſemper, ſed* aliquando increduli fuerant in diebus Noe; *adeoque irruentibus undique aquis peccata ſua deteſtati erant, eaque quoad culpam ſaltem aqua diluvio eluerant,* 343
ARTICULUS V. *De diuturnitate pœnarum Purgatorii,* 344
ARTICULUS VI. *De qualitate pœnarum Purgatorii,* 346
CONCLUSIO I. *Probabilius eſt ignem Purgatorii eſſe corporeum,* ibid.
CONCLUSIO II. *Incertum eſt an in Purgatorio torqueantur anima a dæmonibus,* 347
ARTICULUS VII. *De gravitate pœnarum Purgatorii,* 348
CONCLUSIO I. *Pœna damni non eſt in Purgatorio omnium maxima quantum ad acerbitatem,* ibid.
CONCLUSIO II. *Graviſſima Purgatorii pœna indubie gravior eſt graviſſima quacumque hujus vitæ pœna. Dantur tamen in Purgatorio pœnæ graviſſimis hujus vitæ pœnis leviores,* ibid.
CAPUT IV. *De officio militantis Eccleſiæ erga Eccleſiam patientem,* 350
CONCLUSIO. *Viventes patientem Eccleſiam multis titulis adjuvare tenentur,* ibid.
CAPUT V. *De modo adjuvandi animas defunctorum,* 352
ARTICULUS I. *An, & quibus defunctis proſint Eccleſiæ ſuffragia,* 353
CONCLUSIO *Suffragia vivorum proſunt defunctis ad remiſſionem pœnæ; non tamen eodem modo proſunt, neque proſunt omnibus,* ibid.
ARTICULUS II. *De conditionibus ad valorem ſuffragiorum requiſitis,* 361
APPENDIX III. De Indulgentiis, 364
CAPUT I. *De nomine & eſſentia Indulgentiarum,* ibid.
CAPUT II. *De effectibus Indulgentiarum,* 374
CONCLUSIO I. *Indulgentia per ſe non confert remiſſionem culpæ mortalis, imo nec venialis,* 375
CONCLUSIO II. *Indulgentia pœnam canonicam remittendo, conſequenter vere & coram Deo remittit pœnam Purgatorii; quo autem in gradu, & qua menſura, ſoli Deo notum eſt,* 377
CONCLUSIO III. *Indulgentia viventibus applicantur per modum ſolutionis ſimul & abſolutionis judiciariæ; defunctis autem per modum meræ ſolutionis, ſive per modum ſuffragii,* 378
CONCLUSIO IV. *Indulgentia nec eximunt, nec quemquam eximere poſſunt a laborioſis pœnitentiæ operibus, quæ ad obtinendam cum Deo reconciliationem aliquando prærequiruntur,* 382
CONCLUSIO V. *Indulgentia nunquam eximit a tota pœnitentia per Confeſſarium injuncta. An a parte ejus pœnali eximat, controvertitur. Curandum in praxi ut hæc tota impleatur,* 383.
CAPUT III. *An poſſit Eccleſia Indulgentias diſpenſare,* 389
CONCLUSIO I. *Eccleſia recepit a Chriſto poteſtatem Indulgentias conferendi,* 390
CONCLUSIO II. *Potentia largiendi Indulgentias non eſt Ordinis, nec Ordinem prærequirit, ſed eſt juriſdictionis,* 401
CONCLUSIO III. *Poteſtas concedendi Indulgentias tantum reſidet in primis Eccleſiæ Paſtoribus, Epiſcopis nimirum, ac præſertim S. Pontifice, qui multo plus hac in parte poteſt quam Epiſcopi,* 402
Diſſertatio De Indulgentia a S. Bernardo Cruce-ſignatis denuntiata, 409
CONCLUSIO. *Indulgentiarum dogma vel ex una S. Bernardi,* Cruciatam, *ut ajunt, denuntiantis prædicatione ſolide probatur,* 410

CAPUT IV. *De Theſauro Indulgentiarum fonte*, 413
CONCLUSIO I *Theſaurus Eccleſiæ primario coaleſcit ex infinitis ac ſuperabundantibus Chriſti meritis atque ſatisfactionibus*, 414
CONCLUSIO II. *Coaleſcit etiam theſaurus Eccleſiæ ex ſupereffluentibus Sanctorum omnium meritis atque ſatisfactionibus*, 415
CONCLUSIO III. *Satisfactiones Sanctorum ad Indulgentias concurrunt, non modo per viam impetrationis, ſed & per modum veræ ſolutionis*, 421
CAPUT V. *De Indulgentiarum validitate & uſu*, 424
ARTICULUS I. *De requiſitis ad valorem Indulgentiæ*, ibid.
CONCLUSIO I. *Ut Indulgentia valide concedatur, requiritur cauſa aliqua*, ibid.
CONCLUSIO II. *Ut valeat Indulgentia, requiritur non ſolum auctoritas ex parte dantis, ſed & cauſa legitima, ſeu Indulgentiæ gradui proportionata*, 425
ARTICULUS II. *De conditionibus ad Indulgentiæ conſecutionem neceſſariis*, 434
CONCLUSIO I. *Ad Indulgentiam lucrandam requiritur ſtatus gratiæ*, 435
CONCLUSIO II. *Ut quis Indulgentiam conſequatur, neceſſe non eſt ut omnia ad eamdem præſcripta exequatur in ſtatu gratiæ, niſi id Pontificio Diplomate expreſſum ſit: ſufficit ergo & requiritur 1. ut omnia impleat animo vere pœnitenti; 2. ut ſit in ſtatu gratiæ cum ultimum opus implet. Plenius tamen Indulgentiam lucrantur, qui vel in ſtatu gratiæ, vel ex vehementiori pœnitentia ſpiritu omnia præcepta exequuntur*, 436
CONCLUSIO II. *Ad Indulgentiam* contritis & confeſſis *propoſitam non requiritur confeſſio Sacramentalis iis qui nullam peccati mortalis conſcientiam gerunt, niſi expreſſe requiratur ut pars operis injuncti*, 441
CONCLUSIO IV. *Opus ad Indulgentiam requiſitum non poteſt per alium poni; nec prodeſt niſi integre poſitum*, 442
CAPUT VI. *De Indulgentiarum ſubjecto*, 445
CONCLUSIO I. *Indulgentiæ ipſis etiam mortuis proſunt, ſi in forma dicatur ipſas etiam defunctis applicari poſſe*, 446
CONCLUSIO II. *Indulgentiæ non proſunt defunctis per modum abſolutionis & judicii, ſed per modum ſuffragii*, 447
CONCLUSIO III. *Indulgentiæ defunctis veriſimiliter proſunt, non ſolum libera Dei miſericordia, proinde ex congruo; ſed ex quadam Dei juſtitia, proinde ex condigno, (niſi aliud exigat ratio divinæ juſtitiæ,)* 448
CONCLUSIO IV. *Ut Indulgentiæ defunctis proſint, variæ requiruntur conditiones*, 450
CAPUT VII. *De Altaribus Privilegiatis*, 453
CAPUT VIII. *Solvuntur variæ quæſtiones de Indulgentiis*, 459
CAPUT IX. *De Indulgentiarum abuſu*, 471
APPENDIX IV. *de Jubilæo*, 472
CAPUT I. *De nomine, eſſentia, & diviſione Jubilæi*, ibid.
CAPUT II. *De his qui Jubilæi lucrandi capaces ſunt*, 476
CAPUT III. *De operibus ad lucrandum Jubilæum requiſitis*, 483
ARTICULUS I. *De Confeſſione*, 485
ARTICULUS II. *De Communione*, 489
ARTICULUS III. *De viſitatione Eccleſiarum, & oratione in iis facienda*, 490
ARTICULUS IV. *De Eleemoſyna*, 493
ARTICULUS V. *De Jejunio*, 497
CAPUT IV. *De Privilegiis Jubilæi*, 499
ARTICULUS I. *De facultate eligendi Confeſſarium*, 500
ARTICULUS II. *De poteſtate Confeſſarii quantum ad cenſuras & caſus reſervatos*, 507
ARTICULUS III. *De poteſtate Confeſſarii quantum ad commutationem votorum*, 518
CAPUT V. *De ſuſpenſione Indulgentiarum*, &c. 527
TRACTATUS de Extrema Unctione, 533
CAPUT I. *De nomine, eſſentia, & dignitate Extremæ Unctionis*, ibid.
CONCLUSIO *Unctio Extrema verum eſt novæ Legis Sacramentum*, 536
Diſſertatio de auctoritate Epiſtolæ Sancti Jacobi, 549
CONCLUSIO *Epiſtola Divi Jacobi vere eſt Canonica*, ibid.
CAPUT II. *De Auctore & Miniſtro Extr. Unctionis*, 552
ARTICULUS I. *De Inſtitutione Extr. Unctionis*, ibid.
CONCLUSIO I. *Chriſtus non mediate per Apoſtolos, ſed immediate per ſe ipſum Extr. Unctionem inſtituit*, 553

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II. *Extr. Unctio non instituta eſt, cum Marci 6. acceperunt Apoſtoli poteſtatem ungendi & ſanandi infirmos; nec poſt Chriſti Aſcenſionem, ſed medio Reſurrectionem inter & Aſcenſionem tempore,* ibid.
ARTICULUS II. *De Miniſtro Extr. Unctionis,* 554
CONCLUSIO I. *Solus Sacerdos Miniſter eſt Extr. Unctionis,* ibid.
CONCLUSIO II. *Poteſt Sacerdos omnis, etiam cenſura percuſſus, Extr. Unctionem valide adminiſtrare; licite vero non poteſt niſi Parochus, aut alter de ejus licentia,* 556
CONCLUSIO III. *Ad validam hujus Sacramenti adminiſtrationem ſufficit unus Sacerdos. Valet tamen rite collatum a pluribus; & ii aliquando neceſſarii ſunt ex Lege Eccleſiaſtica,* 557
CONCLUSIO IV. *Eſt etiam Epiſcopus Miniſter hujus Sacramenti,* 561
CAPUT III. *De materia Extremæ Unctionis,* 567
ARTICULUS I. *De materia remota Extremæ Unctionis,* ibid.
CONCLUSIO I. *Materia Extremæ Unctionis eſt oleum ex olivis expreſſum; illudque ſimplex, non ex balſamo aliiſve aromatibus compoſitum,* ibid.
CONCLUSIO II. *Oleum iſtud debet eſſe benedictum ab Epiſcopo, ſaltem mediate. An autem benedictio hæc ſit de neceſſitate Sacramenti, ambigitur inter Theologos. Probabilius quod non,* 568
ARTICULUS II. *De materia proxima Extremæ Unctionis,* 574
CONCLUSIO I. *Non eſt neceſſum ad eſſentiam Sacramenti hujus, ut unctio una vel multiplex fiat per modum crucis,* ibid.
CONCLUSIO II. *Ad Sacramenti hujus valorem non requiritur unctio multiplex; hæc tamen ex Eccleſiæ præcepto pro tempore & loco adhibenda eſt,* 575
CAPUT IV. *De forma Extremæ Unctionis,* 580
CONCLUSIO I. *Sua eſt indubie forma Sacramento Extr. Unctionis,* 581
CONCLUSIO II. *Secura eſt, & alia quæcumque convenientior forma deprecatoria,* ibid.
CAPUT V. *De ſubjecto Extr. Unctionis,* 588
CONCLUSIO I. *Solis infirmis danda eſt Unctio Extrema,* ibid.
CONCLUSIO II. *Non iis ſolum qui jamjam morituri ſunt impendenda eſt Unctio Extrema; ſed & his etiam quorum ægritudo mortem, licet incerto, præſagit. Illis autem qui levi morbo tenentur, non eſt danda, ſaltem juxta Eccleſiæ Latinæ diſciplinam,* 591
CONCLUSIO III. *Non omnibus etiam periculoſe infirmis, aut mortis proximæ periculum ſubeuntibus, danda eſt Unctio Extrema,* 593
CONCLUSIO IV. *Extremæ Unctionis receptio quandoque ſacri Viatici receptionem ſubſecuta eſt, quandoque præceſſit. Circa ordinem utriuſque ſtandum eſt diſciplinæ locorum,* 596
CAPUT VI. *De proprietatibus Extremæ Unctionis,* 597
CONCLUSIO I. *Extrema Unctio non eſt per ſe neceſſaria neceſſitate medii; eſt tamen neceſſaria neceſſitate præcepti, tum divini, tum & Eccleſiaſtici,* ibid.
CONCLUSIO II. *Extrema Unctio pluries conferri valet. Quin & olim in eodem morbo iterabatur; quod hodie fieri prohibitum eſt, niſi ægritudo phyſice vel moraliter diverſa ſit,* 6 1
CONCLUSIO III. *Ad Extremam Unctionem requiruntur animæ & corporis diſpoſitiones, vel remotæ, vel proximæ,* 603
CAPUT VII. *De effectibus & cæremoniis Extr. Unctionis,* 604
ARTICULUS I. *De effectibus Extr. Unctionis,* ibid.
CONCLUSIO I. *Extr. Unctio per ſe & primario ad alleviandum hominem, & aliqua ſaltem ejus peccata dimittenda a Chriſto inſtituta eſt,* 605
CONCLUSIO II. *Extr. Unctio peccata venialia per ſe & primario remittit,* 605
CONCLUSIO III. *Unctio Extrema etiam mortalia peccata dimittit, non tamen eo modo quo Pœnitentia,* 608
CONCLUSIO IV. *Extrema Unctio per ſe & primario peccatorum reliquias abſtergit, & animam alleviat,* 612
CONCLUSIO V. *Valet etiam Extrema Unctio ad reſtituendam corporis ſanitatem, idque ex opere operato; attamen ſub conditione, ſi animæ ſaluti expedierit,* 616
ARTICULUS II. *De Cæremoniis Unctionis infirmorum,* 619

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Fr. Gio: Paulo Zapparella Inquiſitor General del Santo Officio di Venezia, nel Libro intitolato *Prælectionum Theologicarum Honorati Tournely Continuatio, ſive Tractatus de Univerſa Theologia Morali, Tomi VI. Pars Secunda, continens cum reliquis de Pœnitentia, Tractatus de Purgatorio, de Indulgentiis, de Jubilæo, de Extr. Unctione*, non v' eſſer cos' alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Niccolò Pezzana, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 21. Giugno 1757.

{ *Barbon Moroſini Cav. Proc. Refor.*

{ *Alviſe Mocenigo 4. Cav. Proc. Refor.*

Regiſtrato in Libro a Carte 10. al Num. 83.

Giacomo Zuccato Segr.

Adi 5. Luglio 1757.

Regiſtrato in Libro del Magiſtrato Eccellentiſs. de' Signori Eſſecutori contro la Beſtemia.

Dioniſio Querini Segr.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE PŒNITENTIA.
PARS SECUNDA.

CAPUT SEPTIMUM.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu de Abſolutione.

DUO potiſsimum quæruntur in præſens, 1. quæ ſit forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu in quo ſita abſolutionis eſsentia. 2. Quis ejus ſit ſenſus, quæ proinde efficacia. 3. Quod ſit ejus ſubjectum, ſeu quibus vel concedi hodie debeat abſolutio, vel olim conceſsa aut denegata fuerit. Poſtremam hanc quæſtionem omittam in præſens, quia ex parte tractatam ſupra, & infra pertractandam: At in locum ejus varias expendam difficultates, quæ præſentis ſunt inſtituti.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo ſita ſit Sacramenti Pœnitentiæ forma.

CONSTAT Pœnitentiæ ut & aliorum Sacramentorum formam conſiſtere in verbis quibus dimittuntur peccata. 1

Conſtat rurſus verba hæc hodie ſaltem in Eccleſia Occidentali eſse iſta: *Ego te abſolvo a peccatis tuis*, &c. Ita nempe decernit, tum Eugenius in Decreto, tum & Tridentinum Seſs. 14. Cap. 3. ubi *docet ſancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis ipſius ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe:* Ego te abſolvo, &c. *quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt* 2

neceſſariæ. Et vero, ut bene poſt S. Thomam, 3. part. q. 84. artic. 3. Catechiſmus Romanus hic §. 19. Sacramenti novæ Legis forma id ſignificare debet quod in Sacramento efficitur, ut in Baptiſmate *Ego te baptizo*, internam ablutionem. Atqui hæc verba, *Ego te abſolvo*, id ſignificant quod in Pœnitentiæ Sacramento efficitur, videlicet remiſsionem peccatorum, quæ ſunt vincula quibus ligantur animæ, ſecundum id Prov. 5. 22. *Funibus peccatorum conſtringitur* impius.

3 Conſtat 3. verba hæc, *Abſolvo te*, aut æquivalentia, ſola ad formæ hujus eſſentiam pertinere, quamvis ſingula ex Eccleſiæ mandato recitari debeant. Ratio eſt, quia duo hæc verba actionem Miniſtri & Sacramenti effectum ſatis exprimunt. Et vero ſi quid inſuper requireretur, vel vocula *Ego*, vel *a peccatis tuis*, vel demum illud, *In nomine Patris, & Filii*, &c. Atqui nec requiritur primum, quod ſatis in verbo *Abſolvo* includitur; nec ſecundum, quia licet vox *abſolvo*, tam in cenſuras & pœnas cadere poſsit, quam in peccata, planum eſt illam ex prævia peccatorum accuſatione determinari ad peccatorum remiſſionem: quemadmodum iſtud Baptiſmalis formæ, *Ego te baptizo*, licet de ſe corporis ablutionem ſignificare poſsit; tamen ex inſtitutione Chriſti & circumſtantiis ſolam animæ ablutionem ſignificat. Atqui hinc Rituales quidam Libri, & inter eos Cameracenſis an. 1622. expreſſe ſtatuit verba hæc *a peccatis*, non eſſe de neceſsitate Sacramenti. Demum neceſsaria non eſt SS. Trinitatis invocatio per has voces, *In nomine Patris*, &c. licet eadem in Baptiſmo neceſſaria ſit: Tum quia præcepit Baptiſmum in Trinitatis nomine conferri, nullibi præcepit ut idem fieret in abſolutione peccatorum: Tum quia diſtincta trium perſonarum appellatio, neque ex effectu hujus Sacramenti, qui ſine illa ſatis intelligitur, neque ex Eccleſiæ ſenſu judicatur eſse eſsentialis: Tum demum quia ideo Baptiſmus, diſtinctam ſacræ Triadis mentionem exigit, quia Trinitas primarium eſt objectum Religionis, cujus Baptiſmus ſolemnis eſt profeſsio: id autem Pœnitentiæ non competit.

4 Objiciuntur quædam, & 1. quod abſolutio, ut pote judicialis actus, eo modo dari debeat, quo in judiciis Forenſibus. In his porro fit expreſsa mentio criminis Reo impacti, 2. quod Eugenius in Decreto voces *a peccatis tuis* indicet, dum ait formam Pœnitentiæ eſse iſtud, *Abſolvo te*, &c. quod & facit Tridentinum, 3. non dictum a Chriſto, *Quorum remiſeritis*, ſed *Quorum remiſeritis peccata*, 4. alioqui valituram hanc abſolutionis ſpeciem: *Abſolvo te a peccatis fratris tui*: quia cum in his *Abſolvo te*, tota habeatur forma Sacramenti, nihil nocerent cetera, 5. quod nemo Sacerdos urgente etiam Pœnitentium numero ſolis his vocibus, *Abſolvo te*, uti auſit: unde conſtat eas juxta univerſam praxim haberi pro eſsentialibus. Sed hæc aſsenſum non cogunt.

5 Non 1. 1. quia in humanis judiciis omnia ſigillatim delicta exprimuntur, quod tamen in Pœnitentiæ foro nuſquam factum eſt, 2. quia per ſe valeret hæc ſæcularis Magiſtratus ſententia, *Abſolvo te*, vel *condemno te ad mortem*: eique ceremonia mera, non ſubſtantiale quid deeſset, niſi aliud cautum ſit arbitraria Lege. Unde nego maj. & min. ad ſenſum objectionis.

6 Non 2. neque enim quidquid refert Eugenius eſsentiale eſt: cum referat pronomen *Ego*, pro Pœnitentia, & particulam *enim* in formæ Eucha-

Euchariſtiæ. Hæc ergo retulit, quia ex Eccleſiæ mandato proferri debeant.

Non 3. 1. quia Chriſtus etiam dixit: *Quæcumque ſolveritis*, ubi nulla 7
eſt diſtincta peccati mentio. 2. quia vox *abſolvo* ſatis in ipſo Sacramenti uſu determinatur per peccata confeſſa: ſecus in Sacramenti inſtitutione.

Non 4. quia voces *Abſolvo te*, tunc duntaxat Sacramentum perficiant, 8
cum nihil additur, per quod a nativa ſua ſignificatione excidant. Ab ea autem excidunt in allato caſu, ubi ex prævia Miniſtri intentione ad impoſſibile quid determinantur. Pari de cauſa Tom. 4. p. 153. hanc rejecimus conſecrationis formam, *Hoc eſt corpus meum aereum*.

Non 5. nemo enim in forma Euchariſtiæ vocem ullam prætermittere 9
auſit; nec tamen ſingulæ habentur pro eſſentialibus. Valeret utique, ait Lugo Diſp. 13. n. 33. forma hæc in Ordinatione: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*: nec tamen auſit Epiſcopus ſequentia ſubticere, *tam pro vivis, quam pro defunctis*.

Quale vero admittat peccatum, qui pœnitentiali formæ quidpiam de- 10
merit, diſputatur. Cenſent plerique omiſſionem ſeu vocis *Ego*, ſeu verborum, *In nomine Patris*, ſublatis ſcandalo vel contemptu, noxam eſſe tantum venialem; ſecus ſi omittatur, *a peccatis*; quia licet veri admodum ſimile ſit, non tamen certo conſtat, verba hæc non eſſe eſſentialia. Unde impenſa ſine iiſdem abſolutio, ſub conditione iteranda foret.

His ergo præſuppoſitis quæritur an abſolutionis forma vel deprecativa eſſe debeat, ut *Abſolve quæſo, Domine;* vel indicativa ſeu abſoluta, ut *Abſolvo te*. Non quæritur an imperativa eſſe poſſit, ut *Abſolvatur*; quia modus ille, cum de Sacramentorum Miniſtris agitur, ad deprecativum reducitur: neque enim, ait Tournelyus, homines Deo imperant.

Hæc que juris quæſtio pendet plurimum ab hac facti quæſtione, an olim Eccleſia vel Latina, vel Orientalis formam deprecativam adhibuerit. Si enim ita eſt, conſtabit formam abſolutam ex inſtitutione Chriſti non requiri. Abſit enim ut directa a Spiritu Sancto Eccleſia formam prorſus eſſentialem vel ignoraverit, vel abjecerit.

Hic porro ut in difficilibus ſcinduntur Theologi. Alii nimirum cenſent formam deprecativam apud Latinos ad duodecimum uſque ſeculum viguiſſe; ſemperque & etiamnum apud Græcos. Ita Morinus Lib. 8. Cap. 8. 9. 10. 11. & 12. & hanc opinionem ſponte ſequuntur recentiores; quos inter Tournelyus pag. 70. Alii ex adverſo pugnant, Thomiſtæ præſertim, a quibus tamen, nec ſolus recedit Auctor Operis de re ſacramentaria Lib. 6. pag. 166. Ut ad verum, ſi potis eſt, deveniamus, excutienda ſunt utriuſque partis momenta. Itaque

Pugnant Morini ſequaces, 1. ex Patribus. Ambroſius Lib. 3. de Spir. S. 11
Cap. 18. n. 137. *Homines*, inquit, *in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhi-* T. 2. p.
bent, non jus alicujus poteſtatis exercent. Neque enim in ſuo, ſed in Patris & Filii & 693. F.
Spiritus ſancti nomine peccata dimittant. ISTI ROGANT, *divinitas donat*. Atqui forma in qua rogat Miniſter deprecativa eſt, non abſoluta, quę certe non rogat.

Hieronymus in Pſal. 28. *Vox Domini*, inquit, *in unoquoque noſtrum flam-* 12
mam libidinis per confeſſionem & gratiam Spiritus Sancti intercedit, id eſt, Tom. 2.
per orationem Sacerdotis facit ceſſare. Utique autem forma in *oratione Sa-* App. pag.
cerdotis conſiſtens deprecativa eſt. 190.

Auguſtinus Serm. 99. alias Hom. 23. inter 50. Cap. 8. *Futuri erant* 13

homi-

T.5.pag. 524. *homines, qui ſuperbe dicerent, Ego peccata dimitto, ego juſtifico*, &c. Hos autem, qui Donatiſtæ erant, increpat S. Doctor exemplo Chriſti ipſius; qui non dixerit in prima perſona, *Ego remitto tibi peccata, ſed in tertia: Remittuntur ei peccata*. Atqui, ait Jueninus pag. 716. corruiſſet illud S. Doctoris argumentum, ſi Eccleſia Africana tunc indicativam formam inter abſolvendum in prima perſona adhibuiſſet: nec minus ejus praxim, quam Donatiſtarum morem ex Chriſti exemplo redarguiſſet Auguſtinus.

14 Idem Lib. 3. de Bapt. Cap. 7. *Manus impoſitio*, ſupra Pœnitentes fieri ſoli-
T.9.pag. 117. ta, *non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt. Quid enim aliud, niſi oratio ſupra hominem*.

15 S. Leo Epiſt. 82. alias 91. *Multum utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur*. De his plura apud Morinum.

16 Pugnant 2. quia quæſtio facti non ſcholaſticis rationibus, ſed veteribus monumentis definiri debet. Atqui ne unum quidem profertur monumentum ſeculo decimo tertio antiquius, quod formæ abſolutæ meminerit: ſed quæcumque eduntur, formam deprecativam continent. Hinc
Tom.20. p. 443. col. 1. qui tantam opinioni contrariæ vim tribuit S. Thomas Opuſculo ſuo 22. ad id adverſarii ſui: *Vix anni triginta elapſi ſunt, cum omnes ſola forma deprecatoria uterentur*: id unum reſpondet, *eum de omnibus teſtimonium perhibere non poſſe, qui omnes non vidit: ſed certum eſſe quoniam ſunt mille ducenti anni & amplius, quod dictum eſt Petro: Quodcumque ſolveris*, &c. Quaſi, vere hinc ſequatur Veteres non feciſſe, id quod feciſſe probantur?

Idem S. Doctor objectis ſibi auctoritatibus utriuſque Guillelmi, Ultiſſiodorenſis & Pariſienſis, & Hugonis Cardinalis, nonnihil preſſus, reponit Cap. 2. ſibi de eorum ſententia non conſtare; *ſed & ſi*, inquit, *ita ſenſerunt, numquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis, Quodcumque ſolveris*, &c. *Numquid etiamſi nunc viverent, præjudicare poſſent communi ſententiæ Magiſtrorum Pariſiis Regentium, qui* decernunt *abſque his verbis*, Ego te abſolvo, *abſolutionem non eſſe per ſolam deprecativam orationem*. Quæ S. Doctoris ratio ad ſummum probat Guillelmum & alios male ſenſiſſe, non autem eos idem cum S. Thoma ſenſiſſe. Quanquam nec opinionem ſuam totius Pariſienſis Facultatis eſſe dicit Angelicus; ſed quod hinc multum diſcrepat, *communem Magiſtrorum*, non omnium, ſed *Regentium*.

17 Et vero Guillelmus Pariſienſis qui an. circiter 1230. ſcribebat, Cap. 9. de Sacram. Pœnit. hæc ait: *Neque more Judicum forinſecorum pronuntiat Confeſſor, Abſolvimus te, non condemnamus, ſed magis orationem facit ſuper eum ut Deus abſolutionem & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat*.

18 Fatetur tamen Morinus Cap. 9. n. 25. uſitatam fuiſſe ſub id tempus a nonnullis formulam abſolutam. Id enim demonſtrant pauca hæc Alenſis 4. part. Summæ memb. 2. art. 2. ubi exempli cauſa formam utramque proponit his verbis: *Sed ſi contra objiciatur, quia abſolutio Sacerdotis, quæ fit expreſſione talium verborum, Ego abſolvo te*, vel, *Dominus abſolvat te, magis exprimit abſolutionem a peccato, quam confeſſio Pœnitentis*, &c.

19 Exinde ſenſim invaluit formæ indicativæ uſus, quæ jam D. Thomæ
Obiit an. 1325. ævo communis adeo erat, ut ei *aliquem contrariari non parvæ præſumptionis* eſſe videretur ſancto Doctori. Atque hinc teſte Franciſco Mayronis in 4.
* Provence. diſt. 14. q. 1. cum in Provincia *quidam hac uterentur formula, *Abſolvo te*

Deus

Deus Pater, *Deus Filius*, &c. ea *improbata fuit* Subdit tamen Theologus
iſte videri, quod *non eſſet inconveniens in confeſſione totaliter abſolvere. Quia
tamen*, inquit, *ſacramentalia ſunt ſtricti juris, ideo non debent immutari.*

Neque tamen ab extremo uno in aliud ſtatim rapti ſunt Theologi. 20
Indicativæ enim formæ deprecativam junxerunt, ut probat citato capite
Morinus, tum ex Alenſi & D. Bonaventura; tum & ex ipſo illo Scriptore
quem ſibi confutandum propoſuerat S. Thomas. Refert enim Cap. 3. S. Do-
ctor, quod *niteretur ille quamdam fingere abſolutionem, quæ eſt oratio abſo-
lutionem Dei impetrans, cui addebat indicativa iſta verba: Ego te abſolvo.*
Et hæc de Latina Eccleſia ſufficiant: jam ut eamdem apud veteres
novoſque Græcos fuiſſe aut eſſe formam probent.

Arguunt 1. quia quotquot extant Rituales Græcorum Libri, non aliam 21
quam deprecatoriam abſolutionis formam exhibent; quæ ut plurimum
habet: *Herus & Dominus N. J. C. Deus, indulgeat tibi omnia, quæ in
conſpectu ejus nullitati meæ confeſſus es.* Vel: *Deus qui per Nathan Davidi ∴
pepercit ∴ ipſe remittat tibi ∴ omnia quæ in ipſius conſpectu parvitati meæ
confeſſus es.* Vel: *Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, relaxa, remitte, con-
dona peccata, iniquitates, delicta*, &c. quæ omnia ad oculum patebunt, ſi
vel obiter antiqua legeris monumenta, quæ referunt, tum Morinus ad
Operis ſui calcem, tum Goarius in notis ad Euchólog. Græcorum. Profert
quidem Arcudius pag. 678. formulas duas indicativas: verum, ait Tour-
nelyus, has a Latinis ad Græcos poſtremis temporibus miſſas eſſe fatetur.

Arguunt 2. ex Clemente VIII. qui inſtructione ſuper Græcorum ritibus 22
edita an. 1505. ſic ſtatuit: *In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſ-
ſunt Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in generali Concilio Flo-
rentino præſcripta, & poſtea, ſi voluerint; dicant orationem illam deprecati-
vam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverant.* At-
qui hic & ſupponit Pontifex Græcos forma *tantum* deprecativa uti; &
eamdem formam valere; quandoquidem ne obiter quidem eos carpit,
quod ea alii erga alios utantur. Jubet quidem indicativam ab eis erga
Latinos adhiberi; tum, quia æquum ſit ut in miniſterio, ut ita dicam,
Romanæ Eccleſiæ proprio, mores Latinorum ſequantur; tum ne Eccle-
ſiæ Romanæ formam abjicere credantur; tum quia forma deprecativa
Latinis quibuſdam anxietatem movere poſſit.

Arguunt 3. quia Arcudius ipſe, qui omnem induſtriæ manu lapidem 23
movit, ut Latinis Græcos hac in parte conciliarer, Lib. 4 de Pœnit.
Cap. 3. ingenue fatetur, non aliam in omnibus Græcorum Euchologiis
deprehendi abſolutionis formam, quam deprecatoriam. Utuntur quidem
eorum nonnulli hac forma: *Habeo te venia donatum*: *Habeo te abſolutum*;
quæ præſens tempus, non præteritum ſignificat, ut illud *Habeo te excu-
ſatum*, quod idem eſt ac *excuſo te*. At quod dicit Henno, nullam ab eo
referri vel ſupponi formam apud Græcos, quæ non ſit hujuſmodi; ma-
nifeſte falſum eſt. Certe allata mox formula nec in Euchologiis, quæ
legem faciunt, reperitur; nec ulla comprobatur auctoritate publica; uno-
que recentiorum teſtimonio nititur. Idem eſt de hac Ruſſorum forma: *Ego
quoque pater tuus ſpiritualis, poteſtate mihi a Deo & a Superioribus meis con-
ceſſa, abſolvo te ab omnibus peccatis tuis*, quam in Manuſcripto Codice exhi-
buit Artudio Hiſpatius Metropolita Chiovenſis. Et hæc enim nullo mo-
mento antiqua eſſe probatur. Hinc citatum caput tertium his concludit
verbis

Digitized by Google

verbis Arcudius pag. mihi 538. *Eſt ergo vera forma apud Græcos* (quod quidem ſatis male probavit) *Sed duo ab illis requirenda, & ut fierent optanda eſſent. Alterum, ut paſſim ea omnes uterentur, quod non faciunt. Alterum, ut in re præſenti, nimirum graviſſima, atque omnino neceſſaria, non cuilibet liceret ad libitum his vel aliis verbis & orationibus eam enuntiare, ſed una eſſet & oratio & forma certa & determinata, quæ omnibus inſerviret; quæque in Euchologio contineretur.*

Jam proponenda veniunt oppoſitæ partis momenta: hæc porro a jure ad factum concludunt: cum primæ opinionis momenta a facto ad jus concludant. Dum cum ait Morinus: *Sola prioribus ſæculis in uſu fuit forma deprecativa: Ergo hæc de ſe valida eſt:* Reponunt adverſarii ejus: *Forma abſolutionis, utpote judicialis actus, eſſentialiter eſt indicativa: Ergo nunquam viguit forma mere deprecativa.*

24 Primum itaque contrariæ opinionis momentum deſumitur ex S. Thoma, qui circa an. 1250. in citato Opuſculo 22. Theologi cujuſdam *dicentis, quod Sacerdos abſolvendo uti non debet hac forma*, Ego te abſolvo, *aſſertionem uti valde temerariam ac præſumptuoſam* carpit. Atque ſi Eccleſia per priora ſæcula duodecim formam adhibuerit deprecativam, jam temerarius fuit ac præſumptuoſus ipſe S. Thomas; ne quid pejus dicam. Si enim toto eo tempore deprecativam formam adhibuit Eccleſia, utique quia hanc ab Apoſtolis acceperit. Unde non temerarius fuit ejus formæ aſſertor, ſed ejuſdem impugnator S. Thomas.

25 At, forte inquies, potuit factum illud neſciri a D. Thoma: neque enim qui plura ſciunt, præcipue cum de factis agitur, omnia ſciunt.

Verum quis facile capiat, Angelicum, qui extremo, ut ita loquar, digito ſæculum duodecimum attingebat; quique cum pluribus ejuſdem ſæculi gravibus & eruditis viris converſatus erat, qui & antiquiores alios viderant, quotidianum id genus factum ignoraſſe? An vero tam unanimis, tam conſtantis, tam diuturni univerſæ Eccleſiæ uſus memoria intra 30. aut 40. annos e mortalium omnium animis evanuit, nulla ut ejus ſuperfuerit recordatio? An Thomam latuit Traditio tota? Num verba hæc, *Quæcumque ſolveritis*, primus contra Patrum omnium mentem, eamque uſu continuo exploratam, interpretatus eſt; ut in iis indicativam, quam nemo huc uſq; ſuſpicatus eſſet; formam deprehenderet? An Eccleſia formam, utique legitimam, ſine cauſa mutavit: aut mutationis ſuæ cauſam habuit in aliqua quę tunc nata ſit hereſi, & cujus ne unus quidem Scriptor meminerit?

26 Secundum momentum ſic proponitur: Nunquam adhibuit Eccleſia formam, quæ verbis Chriſti ſolvendi poteſtatem tribuentibus at ſpondentibus adverſatur. Atqui forma deprecativa ∴ Alioqui enim, cum dixit Chriſtus: *Quodcumque ſolveris*, perinde eſt ac ſi dixiſſet: *Quodcumque petieris ſolvi*, &c. Atqui non ita eſt. Tunc namque non tantum licita, ſed & plane eſſentialis eſſet forma deprecativa. Ut in Extrema Unctione. Id autem nemo eſt qui dicere præſumat.

27 Confirm. Eatenus poteſtatem ſibi a Chriſto traditam exercet Sacerdos, quatenus reipſa ſolvit ligatum. Atqui per formam deprecativam, quantumcumque efficacem nunquam ſolvet Sacerdos, ſed ſolum a Deo ligatum ſolvi precabitur: quæ duo ab invicem eſſentialiter diſcrepant. Siquidem in Extrema Unctione Sacerdos infallibiliter & ex opere operato gratiam peccati remiſſivam impetrat. Atqui tunc a peccatis non abſolvit

vit

vit. Quare porro? quia is ſolum vere abſolvit, qui ut Superior ac Judex jus dicit Reo peccatum humiliter confitenti. Id autem in Extrema Unctione non habetur, ſic nec in Pœnitentia per formam deprecativam haberi poteſt. Unde ſi, quod chimericum eſt, ſupponeretur Sacerdotem per formam deprecativam in Pœnitente contrito gratiam peccati remiſſivam operari; tunc equidem conficeretur Sacramentum, ſed a Pœnitentiæ Sacramento, quale a Chriſto inſtitutum eſt, plane diverſum.

Tertium momentum ſic exhibent. Ex Trid. Seſſ. 21. Cap. 2. Nihil poteſt Eccleſia mutare in Sacramentorum diſpenſatione, niſi *ſalva eorum ſubſtantia*. Atqui ſi Eccleſia deprecativæ, quæ olim per duodecim ſæcula viguerit, formæ ſubſtituerit indicativam, neceſſario ſubſtantialem in Sacramentorum materia mutationem invexit. Mutatio enim formæ in aliam ſubſtantialiter diverſam eſt ſubſtantialis. Atqui reſpectu Sacramenti pœnitentiæ mutatio formæ deprecativæ in indicativam eſt mutatio formæ in formam ſubſtantialiter diverſam. Formæ enim quæ ſignificationem habent prorſus diverſam, diſcrepant ſubſtantialiter. Atqui ∴ Siquidem Sacerdos per indicativam formam, *Ego te abſolvo*, &c. ſignificat ſe agere perſonam Judicis ac Superioris, ſententiam decretoriam pronuntiare, vereque ac proprie abſolvere a peccatis. Atqui nihil horum ſignificat per iſtam v. g. formulam: *Chriſtus te abſolvat*, qua expreſſior nulla inter deprecativas haberi poteſt. Per hanc enim precatur quidem ut Chriſtus abſolvere dignetur; non vero abſolvit ipſe; facit mediatoris munus, ſed Judicis neutiquam, ut notat Alenſis: atque hinc diſcrimen ſummum quod inter utramque formam conſtituit S. Thomas cit. Opuſc. Ergo. 28

Si objicias Sacramentorum materiam & formam, juxta Theologos plures, a Chriſto generaliter tantum inſtitutas fuiſſe. Reponant 1. neminem id umquam docuiſſe de Sacramento Pœnitentiæ. Ecquis, ajunt, docuit ab Eccleſiæ nutu pendere ut Pœnitentis actus ſint vel non ſint materia Pœnitentiæ? 2. Aliud eſt, inquiunt, poſſe ab Eccleſia determinari formam Sacramentorum inſtitutioni convenientem; aliud poſſe Eccleſiam formæ quæ Chriſti inſtitutioni congruit, & primarium Sacramenti effectum rite ſignificat, ſubſtituere formam quæ neutrum efficiat, quæ proinde ab ipſa Chriſti forma ſubſtantialiter diſcrepet. Talis porro eſt forma deprecativa, ut diximus n. præced. 29

Quarto urgent præcipue id Trid. Seſſ. 14. Cap. 3. *Docet ſancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis verbis poſitam eſſe*, Ego te abſolvo; *quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant; neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*, Unde ſic: Illud ſolum eſt abſolutionis forma, quod eſt inſtitutionis divinæ. Atqui preces quæ in antiquis occurrunt Ritualibus non ſunt inſtitutionis divinæ. Eæ enim preces ſunt plane quoad ſenſum eædem cum precibus, quæ hodiernæ abſolutionis formæ adjunguntur. Atqui hæ ex Tridentino laudabiliter quidem inſtitutæ ſunt, ſed ad Sacramenti adminiſtrationem non ſunt neceſſariæ. Ergo nec ad id neceſſariæ erant antiquorum Ritualium deprecationes. 30

Ad hæc duo reponunt adverſarii, 1. Synodum, cum Sacramenti formam in his reponit verbis, *Ego te abſolvo*, neceſſario ſubintelligere vel in æquivalentibus. 2. In judiciis, quæ forum redolent, ut eſt Pœnitentia, 31 *Juenin p. 7. 8.*

cer-

certas ſtatui poſſe leges quibus id abrogatur, quod valebat antea. Unde de ſequitur fieri nunc poſse ut valeat quæ ante non valebat forma indicativa; nec jam valeat, quæ ſola valebat, forma deprecativa.

Verum in his abſurda multa, quin & errores ſibi deprehendere videntur D. Thomæ Diſcipuli; vel potius Morini impugnatores. Unde

32 Ad 1. regerunt verba deprecativa non eſse verbis indicativis æquivalentia, 1. ob dicta ſuperius; 2. quia alioqui male Tridentinum formam abſolutionis potius reponeret in verbis, *Te abſolvo*, quam in precibus quæ iiſdem verbis adjungi ſolent; cum eæ juxta Chriſti inſtitutionem Sacramenti effectum plene exprimant & operentur; 3. quia & male dicet ſacra Synodus preces illas ex ſola Eccleſiæ conſuetudine adjungi verbis, *Ego te abſolvo*: cum hæc non magis quam illæ ex inſtitutione ad eſsentiam formæ & ad vim Sacramenti ſpectent; 4. quia ſtatim ut primam orationem, *Miſereatur tui*, &c. recitavit Sacerdos cum intentione faciendi Sacramenti; velit, nolit Eccleſia, Sacramentum juxta Chriſti inſtitutionem perfectum eſt, adeoque perfectum eſt, antequam proferantur verba, *Ego te abſolvo*: & tamen Synodus vim Sacramenti præcipuam in hiſce poſtremis verbis reponit. Ita nec ſine aliquo æſtu Simonnet.

33 Ad 2. quod idem Theologus rotunde & dure *miſerabilem & abſurdam evaſionem*, *cauſidico* digniorem quam *Theologo* appellat; Reſpondet falſiſſimum eſse quod poſſit Eccleſia apponere conditiones quibus omiſſis nullum ſit Sacramentum, etiamſi ponatur ſubſtantialia omnia ſecundum inſtitutionem Chriſti. Alioqui fieri poſset ut apponeret conditionem, qua non ſervata nullus ſit Baptiſmus, etſi Miniſter aquam ſuper infantis caput infundat, & cum intentione faciendi id quod facit Eccleſia, proferat verba: *Ego te baptizo*.

34 Nec obeſt quod Pœnitentia ſit actus Judicialis. Is enim actus ipſiſſima eſt abſolutionis formula a Chriſto inſtituta. Atqui non poteſt Eccleſia apponere conditiones ex quibus caduca fiat formula, quam ipſe Chriſtus inſtituerit. Eo enim ipſo quod ſervatur ritus a Chriſto inſtitutus, ponitur neceſsario Sacramentum; & tamdiu poſitum cenſeri debet, donec demonſtretur Eccleſiæ a Chriſto permiſsum eſse ut opus ſuum pro nutu ſubvertat. Dico *pro nutu*, nec enim unquam probabitur, Eccleſiam gravibus impulſam fuiſse cauſis, ut deprecativæ formæ formam ſubſtitueret indicativam.

35 Confirm. Vel Chriſtus determinate inſtituit formam abſolutionis indicativam, vel determinate inſtituit formam deprecativam, Vel utramque indifferenter inſtituit. Si 1. nunquam valuit forma deprecativa; quod negant adverſarii. Si 2. nequidem nunc valet forma indicativa; quod eſt hæreticum. Si 3. ergo ſicut forma indicativa non potuit non valere ſemper, quantumvis ſupponatur Eccleſia prioribus ſæculis præſcripſiſse uſum formæ deprecativæ; ita non poterit non valere ſemper vi Dominicæ inſtitutionis forma deprecativa, quantumvis nunc Eccleſia præcipiat uſum formæ indicativæ: ſicut nunc valeret Baptiſmus immerſione datus, ut olim valuit; quantumvis eum ſic dari vetuerit Eccleſia; & olim valebat Baptiſmus aſperſione datus, etſi eum aliter quam per immerſionem dari vetaret antiqua Eccleſia. (Atque hoc, *quidquid plerique in contrarium ſentiant*, aſserere non dubitat Autor Operis de re Sacramentaria pag. 167. etſi ſuam hanc reſponſionem in praxi nec tutam, nec ſequendam eſse confitetur.)

Digitized by Google

tur.) Jam vero ſi hodieque valere poteſt forma deprecativa , neceſſum eſt ut erret Synodus , quæ ad excluſionem hujus formæ tanquam ab Eccleſia ſola inſtitutæ vim Sacramenti in his reponit verbis, *Ego te abſolvo* , &c.

At, inquies, Eccleſia contractum clandeſtinum, qui per ſæcula quindecim valuerat ad conſtituendum, vel ſaltem ad efficiendum Matrimonii Sacramentum, adeo irritavit, ut jam non valeat ubicumque recepta eſt Tridentina ſanctio . Ergo pari jure deprecativam formam , etſi per ſæcula duodecim valuerat, abrogare potuit. 36

Reponunt 1. retorquendo argumentum . Nunquam effecit aut efficere poterit Eccleſia, ut contractus legitimus ad Matrimonii Sacramentum non ſufficiat; quia Chriſtus in genere legitimum contractum ad Sacramentum ſufficere voluit . Ergo nec unquam efficere poterit Eccleſia , ut verba ſacramentalis effectus ſufficienter, juxta inſtitutionem Chriſti, expreſſiva, prout ſecundum adverſarios , ſunt preces a Græcis prolatæ , ad Pœnitentiæ conſtitutionem non ſufficiant; quia Chriſtus verba hæc in genere, utpote actus judicialis ſufficienter expreſſiva, ad congruentem formam evexit . 37

Reponunt 2. Eccleſiam poſſe efficere ne clandeſtinus contractus ad matrimonium valeat , quia contractum legitimum requirit inſtitutio Chriſti, & efficere poteſt Eccleſia, ut contractus defectu cujuſdam ſolemnitatis, gravibus de cauſis ſuperadditæ de legitimo fiat illegitimus. At ſuppoſito quod aliqua verba Sacramenti alicujus effectum ex inſtitutione Chriſti ſatis exprimant, & exprimendo producant , ſicut efficere non poteſt Eccleſia ut de facto effectum hunc non exprimant, ſic nec efficere poteſt, ut non producant: & multo minus cum nulla mutationem hanc exigit cauſa. Ergo in adverſariorum opinione nuſquam potuit Eccleſia formulam deprecativam abrogare; ſicut nec inſtitutionem Chriſti abrogare potuit . Sed de his plura apud citatum Theologum , qui rerum & verborum multitudine obruit. 38

Jam videndum ut alterius partis momenta ſolvantur. Reponunt itaque 39
Ad 1. (ſupra n. 11.) 1. verba hæc: *Neque enim in ſuo , ſed in Patris, & Filii & Spiritus S. nomine peccata dimittuntur* , non obſcure hodiernam hanc indicare abſolutionis formam : *Abſolvo te* , vel quod idem eſt, *dimitto tibi* , vel *dimittuntur tibi* (ſupple a me , ut in Græca Baptiſmi forma) *peccata tua in nomine Patris*, &c.

2. Merito dictum a S. Doctore : *Iſti rogant*, *divinitas donat;* quia ſemper indicativæ formulæ adjunxit Eccleſia preces, quibus orat Deum ut peccata condonet. Unde & hodie dicere poſſumus: *Iſti rogant*, *divinitas donat*, eo nempe inſtanti, quo iſti poſtquam rogarunt, ſententiam abſolutionis pronuntiant dicendo, *Ego te abſolvo*.

Neque ficta eſt reſponſio iſthæc, ſed ab Ambroſii textu petita . Sic enim proſequitur S. Doctor: *In Baptiſmo quoque peccata donari non eſt ambiguum : in Baptiſmo autem operatio Patris & Filii & Spiritus Sancti eſt*. Namque 1. ſicut per hæc verba manifeſte alludit Ambroſius ad indicativam hanc Baptiſmi formam, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. ſic & in præcedentibus ad formam hodiernam Pœnitentiæ , &c. 2. dum S. Doctor ait in Baptiſmo donari peccata, ſicut donantur in Sacramento

Pœni-

Digitized by Google

Pœnitentiæ, illud, *Rogant illi, divinitas donat*, utriuſque Sacramenti Miniſtris convenire ſignificat. Atqui tamen Baptiſmatis forma tempore Ambroſii erat ut nunc eſt indicativa. Ergo quia de Pœnitentiæ Miniſtris dixerit Ambroſius: *Iſti rogant, divinitas donat*, perperam infertur abſolutionem tunc temporis fuiſſe deprecativam.

Unde cum antea dicit S. Doctor homines *in remiſsionem peccatorum non jus alicujus poteſtatis exercere*; vult tantum Deum ut principalem remiſſionis peccatorum cauſam, ad id uti Sacerdotum miniſterio tanquam inſtrumentali cauſa: non autem eum Sacerdotibus nudum orandi miniſterium relinquere. Aliud ſane exhibent relata ibid. ab Ambroſio Chriſti verba: *Quæcumque ſolveritis*, &c.

40. Ad 2. (ſupra n. 12.) extinguit Deus in homine flammam libidinis *per Sacerdotis orationem*, 1. quia Sacerdos Sacramentum conferens, a Deo audiri exoptat & precatur, adeo ut abſolutionis verba nihil pene ſint quoad durationem reſpectu precum quæ hunc præcedere & ſubſequi ſolent; 2. quia, ut mox videbimus, formæ Sacramentorum omnium paſſim a Patribus habentur ut preces: Non vero quia quælibet forma ſit ſtricte oratio.

41. Ad 3. (ibid. n. 13.) reponunt 1. gravem a Morino inferri Eccleſiæ vel Auguſtino injuriam nimirum, inquiunt, vel forma indicativa convenit inſtitutioni Chriſti, vel non. Si 1. qui fieri potuit ut Auguſtinus eam velut arrogantem, exemplo Chriſti adverſam, & inductivam erroris abjecerit? Si 2. quomodo hanc demum amplexa eſt tota Chriſti Eccleſia, quæ certo Auguſtini textum legerat, & intellexerat.

Reponunt 2. non reprobari ab Auguſtino formam indicativam, quaſi hanc ſoli admitterent hæretici, ut cenſet Morinus; ſed abuſum formæ hujus, quæ apud Catholicos perinde ut & apud hæreticos recepta erat; unde corruit ſyſtema Morini de forma per annos mille & amplius deprecativa. Agit ſcilicet S. Doctor contra Donatiſtas, Catharorum ſeu Mundorum propaginem, qui ſuperbia elati, peccatorum remiſſionem, tam in Baptiſmo quam in Pœnitentia, propriæ ſuæ ſanctitati, ſuiſque meritis adſcribebant, rati ſe vel ipſa ſua ſocietate aliis gratiam impertiri; ſeque tantum a Catholicis infici poſſe. Unde, ſubdit Auguſtinus, *in Collatione noſtra cum eis a Cognitore confeſſus eſſet oblatus, ut ſederent nobiſcum, reſpondebant, Scriptum eſt nobis cum talibus non ſedere .·. ne ſcilicet per contactum ſubſellium ad illos veluti noſtra contagio perveniret*. Ut autem eos revincat Auguſtinus, duo docet, 1. hominem, ſeu abluat in Baptiſmo, ſeu mundet in Pœnitentia, merum eſſe Dei inſtrumentum, neque adeo ſanctificationem alterius ſibi adſcribere poſſe, unde ſubjungit S. Doctor: *Qui dimittit per hominem, poteſt dimittere & præter hominem*: 2. Chriſtum ipſum dum peccata dimiſit, modeſtius locutum eſſe, quam loquerentur hæretici: cum nuſquam dixerit, *Ego dimitto peccata, ego juſtifico*, &c. Atqui utrumque revincebat hæreticos: neutrum vero impetebat Catholicos indicativa forma utentes; cum hi nec ſanctitati ſuæ adſcriberent, quod etiam per impios fieri docebant; nec eodem quo Donatiſtæ ſenſu dicerent, *Ego peccata dimitto*, id eſt, Ego quia ſanctus, peccata dimitto: imo nec umquam dicerent, *Ego ſanctifico, ego ſano quemcumque baptizo* utique Catholici per ipſas quas ad Deum fundebant pre-

ces

tes, ut quam in ejus nomine tribuebant abſolutionem, ratam habere dignaretur, mera ſe ſe gratiæ & juſtificationis inſtrumenta eſſe profitebantur. Tota porro inſtrumenti gloria in principalem cauſam refunditur.

Confirm. 1. quia ſi quis tumida Donatiſtarum fronte & ſenſu hodie diceret: *Ego dimitto peccata*, utique a Catholicis omnibus per ea ipſa quæ objicit Morinus Auguſtini verba retunderetur. Ergo verba hæc abſolutam formam reapſe non impugnant. 42

Confirm. quia vix dubium eſt quin Auguſtinus in Baptiſmo uſus ſit indicativa Latinorum aut ſaltem Græcorum forma. Atqui ſenſus formæ hujus is eſt. *Ego te a peccatis abluo in vitam æternam*. Ergo objecta S. Doctoris verba indicativam formam non excludunt. Quod enim cenſet Morinus valuiſſe tunc Batiſmatis his dumtaxat verbis collatum, *In nomine Patris*, &c. mera eſt & periculoſa novitas. 43

Confirm. 3. quia etiamſi non dixiſſet tunc temporis Sacerdos: *Ego te abſolvo*, non ideo ſtaret deprecativa Morini forma: ſicut nec deprecativa eſt apud Græcos Baptiſmi forma, licet non dicant: *Ego te baptiſo;* ſed modeſtiæ cauſa, *baptizetur*, N. ut diximus Tom. IV pag. 299. Eſto igitur Auguſtini tempore dictum ſit, *Dimittuntur tibi peccata;* quod utrumque probare poſſit adductum ab Auguſtino exemplum Chriſti peccatricem abſolventis, non ideo deprecativam ſuam formam ſanxiſſet Morinus. 44

Confirm. 4. quia ut ex Auguſtino & ceteris Patribus nihil in gratiam deprecativæ formæ colligi poſſit, ſatis eſt ii Sacramentorum omnium formas uti preces & orationes habuerint. Atqui res ita ſe habet. Sic enim loquitur Auguſtinus ipſo Lib. 3. de Bapt. Cap. 18. *Exaudit Deus homicidam ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur, deprecantem*. Atqui dubio procul indicativa erat Auguſtino ut & nobis Euchariſtiæ forma. Ergo eam ut & Baptiſmi ac Confirmationis formam, *deprecationis* nomine exprimit, ſeu ob preces eidem ex Eccleſiæ uſu adjunctas; ſeu quia nulla a Sacerdote forma proferatur, niſi ex pio animi deprecantis affectu. 45

Hinc ſolvitur objectio (ſup. n. 14.) vel enim loquitur Auguſtinus de cæremoniali abſolutione, quæ poſt ſolemnem Pœnitentiam tribuebatur deprecative; vel ſi de ſacramentali, eam vocat *orationem*, propter rationes modo allatas.

Ad 4. (ibid. n. 15.) hæc reſpondent cum S. Thoma 3. p. q. 84. art. 3. ad 2. *Verbum Leonis eſt intelligendum quantum ad deprecationem, quæ præmittitur abſolutioni;* aut ipſam in affectu comitatur, *non autem removet, quin Sacerdotes* indicative *abſolvunt*. Eadem eſt Durandi, Dominici Soto, ceterorumque Scholæ Doctorum reſponſio. Hic vero Leonem & Patres alios non ſcite minus quam Launoius ac Morinus intellexerunt. 46

Ad 5. (ſupra n. 16.) negant min. nimirum, ait Fraſſen Tom. 4. p. 275. Ordo Romanus, quem utpote ab Amalerio & Alcuino Caroli Magni præceptore citatum, nemo antiquiſſimum eſſe diffiteri poteſt, poſt varias orationes, quibus, non equidem abſolvit Sacerdos, ut Morino videtur, ſed a Deo gratiam miniſterii ſui debite & efficaciter adimplendi precatur, has refert abſolutionis formulas, primam pro pluribus ſimul abſolvendis: *Nos etiam ſecundum auctoritatem nobis indignis a Deo conceſſam abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum, ut mereamini habere vitam æternam, per eum qui vivit*, &c. Secundam vero pro perſona 47

ſona ſingulari, quæ ſic habet: *Dominus Jeſus qui dixit Apoſtolis, Quæcumque ligaveritis*, &c. *ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis*, &c. idem eſt porro, ait citatus mox Theologus, ac ſi diceret: *Abſolvat te Deus, ut primaria veniæ cauſa, dum ego ut ejus Miniſter abſolvo te*. Quod & diſcrete exprimit Sacramentarium Gregorianum in Victorina Pariſienſi Bibliotheca manuſcriptum, ubi ſic legitur: *Abſolvimus te vice B. Petri Apoſtolorum Principis, ut quantum ad te pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Dominus omnipotens*, tibi *vitæ ſalus & omnibus tuis peccatis indultor*. Ubi & indicativa forma habetur, & ei modeſtus ille ſenſus tribuitur, quem contra Donatiſtas vindicavit Auguſtinus.

48 Non abſimilem his formam exhibet Menardus e Mſſ. Codice Rhemenſi, ubi ſic habetur: *Ego divinitus vos abſolvo a vinculis peccatorum veſtrorum*, quibus conſonat forma hæc Sacramentarii Eccleſiæ Turonenſis, annis 600. antiquioris: *Abſolvimus vos, fratres, ab omnibus peccatis veſtris*. Neque hinc recedit formula hæc aſſervati in Rothomagenſis Eccleſiæ Bibliotheca Pontificalis: *Ipſe Deus vos abſolvat; & quantum noſtræ fragilitati permittitur, ſitis abſoluti ante Tribunal D. N. J. C.*

49 Si dicant hujuſmodi formulas cæremoniales fuiſſe, non ſacramentales: in promptu erit reſponſio a minori ad majus. Si enim auſa ſit Eccleſia in actione mere cæremoniali formam adhibere indicativam; quanto plus in actu ſacramentali?

50 Interim non abs re fuerit animadvertiſſe perperam aliquando ex monumentorum defectu contra Eccleſiæ praxim diſputari. Quot enim vel periere, vel etiamnum in ſcriniis recondita latent, quæ Catholicis veritatibus mire ſuffragarentur?

51 Sed quid ergo reſponſi fiet illi, de quo ſuperius, S. Thomæ adverſario, qui indicativæ formæ uſum vix annis triginta antiquiorem plenis faucibus eructat.

Ad hæc duo, 1. nihil eſſe cur demus fidem homini, cui fidem abnegavit S. Thomas, vir utique ut majoris ſcientiæ, ſic & fidei majoris. 2. fieri facile potuiſſe, ut per abuſum certis in locis vigeret forma deprecativa, prout eam *in Provincia Provinciæ* viguiſſe aliquando docet Franciſcus Mayronis: quod autem alicubi factum erat, id ubique factum crediderit Anonymus.

At, inquis, Anonymus ille diſertas adducebat auctoritates, potiſſime vero Guillelmi Pariſienſis (ſupra n. 17.)

52 Sed 1. etiamſi nec omnino pauci, nec obſcuri Doctores de genuina Pœnitentiæ forma dubitaſſent, non hinc magis convelleretur indicativæ formæ neceſſitas; quam quia dubitarint, aut potius negaverint viri graves, & inter eos Petrus Cantor, Præpoſitivus Hugo a S. Victore, verba hæc, *Ego te baptizo*, aut æquivalentia, ad formam Baptiſmi eſſentialiter pertinere, convellatur hodiernæ Baptiſmi formæ neceſſitas.

53 2. Excludit quidem Guillelmus emphaticam hanc peneque ſæcularem formam, *Abſolvimus* plurali numero, ut quæ minus modeſta ſit, & cauſæ tantum inſtrumentali, qualis eſt Sacerdos abſolvens, male congruat. Imo nec ullam formam adhiberi vult, niſi præmiſſis ante a Miniſtro precibus, ut Deus per ipſum Pœnitentes abſolvat a peccatis, &c.

At

Digitized by Google

At non ideo formam indicativam excludit; quam vix ignorare poterat ævo ſuo ſaltem apud plures vigere; cum eam primo loco referat Alenſis, Guillelmo coætaneus. Ita vulgo indicativæ formæ vindices.

Mihi vero in objectis Guillelmi verbis formam indicativam deprehendere viſus ſum. Nimirum, bene an male, quærit Pariſienſis ille Epiſcopus, a quo abſolvatur Pœnitens, qui duos apud Confeſſores confeſſionem ſuam partiri cogitur. Reſpondit porro *nullatenus dubitandum eſſe quin per utrumque* abſolvatur. *Neque enim*, inquit, *more Judicum forinſecorum pronuntiat Confeſſor. Abſolvimus te*: (pronuntiat ergo, at non more Judicum ſecularium) *ſed magis orationem facit ſuper eum, ut Deus abſolutionem tribuat*. Quaſi dicat Guillelmus: Ut Pœnitentis confeſſionem ſuam inter duos dividere coacti, abſolutio in utrumque refundi debeat, ſatis eſt ut in eam influat uterque. Influit porro. Si enim non influat, utique quia totum ſibi aſſumere debet qui dicit, *Abſolvimus*. Atqui non ita Nec enim id dicit more Judicum, qui ſolo nutu ſupremo abſolvunt, dum enim eadem profert verba, *magis* tamen orat Deum, ut abſolutionem tribuat, unde debet Confeſſor Dominum precari, ut non confeſſa modo peccata *dimittat, ſed omnia*. 54

Idem utrumque confirmant obſcura hæc ejuſdem verba Cap. 21. ubi officia Confeſſoris enumerans, ſic loquitur ab initio: *Horum omnium primum atque præcipuum eſt officium ſanctificationis. Ex quo officio quo ad abſolutionem & benedictionem ipſius, divinique nominis invocationem vincula peccatorum diſrumpuntur*, &c. Hic duo efficit Confeſſor ut vincula peccatorum diſrumpat, 1. abſolvit, 2. divinum nomen invocat. Quidni vero primum formam abſolutam importet? Sed de his penes te, Lector, ſit omne judicium. Mihi quidem ſolutio hæc ex ipſa ſua novitate ſuſpecta videbatur. At eam ſubinde reperi in Tractatu hiſtorico P. Merlin. p. 127. Jam videndum qui expediri poſſit difficultas a Græcis petita, (ſup n. 21.)

Reſpondent autem abſolutionis formam non minus in Orientali: quam in Occidentali Eccleſia indicativam fuiſse: proinde objectas orationes Græcorum Euchologiis inſcriptas eſse, non ut per eas abſolveretur Pœnitens, ſed ut adjungerentur formulæ indicativæ qua idem Pœnitens abſolvebatur. 55

Cur vero inſertæ ſint Euchologiis preces illæ accidentales, ipſa vero forma, quæ præcipuum eſt rei caput, omiſſa fuerit, alias alii rationes reddunt, ajunt quidam cum Fraſseno pag. 275. id factum, quia diu viguerit lex ab Innocentio I. lata, ne palam exponerentur Sacramentorum formæ. * Verum cauſa hæc ſi viguit prioribus ſeculis, cum timenda erant infidelium curioſitas, & ludibria: an vigere potuit per duodecim ſecula? & cur quoad Pœnitentiam ſolam viguit, cum ante illud tempus paſſim inveniantur aliorum Sacramentorum formæ? Ita Juenin; & ſatis male, ut coliges ex citato Merlini Tractatu Cap. 8. Ut eſt, reponunt alii, id factum, quia prolixæ forent orationes quæ formæ abſolutionis adjungebantur, brevis autem, & quæ facile memoriæ mandari poſset abſolutionis forma, nec una apud omnes etſi ubique indicativa. Patet id ex Gerſonii Opuſculo *ſuper abſolutione*, &c. Tom. 2. Edit. Dupin. pag. 406. ubi ſic ille: *Petis 1. ſi apud aliquem Doctorem* repe-

* „ Verba dicere non poſſum (quibus utuntur Epiſcopi, *cum tradunt Spiritum Paracletum*) ne ∴ videar prodere. „ *Innoc. I.* Epiſt. 1. Cap. 3.

reperiatur forma authentica abſolutionis ſacramentalis. Reſpondeo quod ſic: Et de hoc videatur Summa Confeſſorum, vel Berthelina ∴ Ad tertium quod queris, unde tot varietates in forma iſta abſolutionis: R. quod ex ignorantia vel negligentia ſufficienter inquirendi quæ agenda ſunt circa Sacramenta. Sed cur plus, inquis, circa iſtam formam, quam circa alias? Ratio una eſt, quia aliæ formæ dicuntur publicæ, & inveniuntur ſcriptæ, ſicque leguntur: hic autem occulte & abſque Libris & arbitris fit negotium. Poteſt & alia ratio dari, quia actus confeſſionis & abſolutionis eſt quidem actus judicialis, ubi videtur ſufficere quod Sacerdos Judex explicet ſententiam ſuam quibuſcumque verbis, Judicialibus ſcilicet, proinde indicativis. infra enim p. 407. D. agnoſcit formam abſolutionis proferendam eſſe *ſub modo indicativo propter Sacramenti certitudinem;* ſeu quia ut dicit *Thomas in ultim. part. Summæ ſuæ quæſt. 84. de formæ ſubſtantia eſt, Ego te abſolvo:* Etſi *præmittitur oratio, Miſereatur tui,* &c. *ne effectus Sacramenti impediatur ex parte Pœnitentis.*

56 Multa igitur erat Gerſonii tempore varietas in abſolutionis forma, cum alii & recte quidem dicerent, *Abſolvo te a peccatis tuis* alii adderent *ab omnibus*, alii *ab oblitis*, alii *a contritis*, alii *quantum poſſum*, alii *in quantum debeo*, alii *auctoritate mihi commiſſa*, quæ omnia (quædam tamen immerito) plus minuſve improbat Gerſo. Atqui varietatem hanc inde repetit idem Doctor, quod *aliæ* quidem *formæ* invenirentur ſcriptæ, in Pontificalibus nimirum vel Ritualibus: non item vero abſolutionis forma; quæ ſi ut nunc ſcripta fuiſſet, una, ut nunc eſt, fuiſſet apud univerſos. Atque hinc ut genuinam aſolutionis formam indicet Pariſienſis Cancellarius, non ad Ritualia, prout nemo non hodie faceret, ſed ad Berthelinam Summam, aut ſimilia remittit. Eſto igitur vix explicari poſſit cur tandiu incerta, quoad modum ſcilicet, fuerit abſolutionis forma; conſtat tamen eam ne ipſo quidem Gerſonii tempore, fixa lege eandem ubique fuiſſe conſtitutam. Jam vero quod in Eccleſia Latina factum eſt, cur in Orientalibus factum non ſit?

57 Nec tamen apud recentiores Græcos ignotus eſt formæ indicativæ uſus. Etſi enim major pars deprecativam adhibet ex ignorantia, non deſunt & plures qui abſolutam uſurpent, alii quidem his verbis: *Habet te venia donatum*, alii his: *Mea mediocritas habet te venia donatum:* a quibus verborum tenor duntaxat recedit hæc aliorum formula: *Gratia S. Spiritus per mediocritatem meam habet te venia donatum & abſolutum*. Hæc enim loquendi ratio eſt atticiſmus, quo per participium præteriti temporis, cum verbo auxiliari temporis præſentis, eleganter exprimitur actio præſens perſonæ, ſeu hæc in prima, ſeu in tertia perſona loquatur. Unde cum ait Græcus Sacerdos, *Mea mediocritas*, &c. perinde eſt ſi diceret: *Mea mediocritas dat tibi veniam & abſolvit te.*

58 Sed quid tandem ad Decretum Clementis VIII. ſupra n. 22. Duplex eſt reſponſio: Prima, formam hanc a Clemente vocari deprecativam; non quia reipſa talis ſit, ſed quia talis eſſe videatur, Secunda, formam hanc vere quidem a Clemente ſupponi deprecativam, ſed ab eo ad minus haberi ut maxime dubiam; cum vetet ne Græcus Sacerdos ea erga Latinum utatur; & permittat, ut, poſtquam indicativa forma ad mentem Florentini Concilii uſus eſt, deprecativam, quam pro forma habent Græci re-

Digitized by Google

recentiores, non tamen omnes ut diximus, adhibeat: neque enim permitteret Pontifex ut legitima & indubia forma bis in inſtanti ſuper eadem materia pronuntiaretur.

Et vero ſi certo ſufficeret deprecativa hæc forma, num rationabiliter prohibuiſſet Pontifex, ne ea Græci Catholici in poſterum uterentur? præſertim cum in eodem Decreto permittat ut Græci Epiſcopis Latinis ſubjecti, *ab Epiſcopo Græco ordinari volentes*, ab eodem ordinentur *ritu* Græco: utique quia certiſſime ſufficienti. Ergo, inquiunt, Clementis Decreto opprimitur Morinus, nedum juvetur.

Nec dices, duo hinc ſequi abſurda, 1. veram abſolutionis formam non haberi in Euchologiis Græcorum; 2. male & peſſime ab Eugenio IV. diſſimulatum eſſe cum Græcis, quibus cum nonnulla circa Confirmationem, Euchariſtiam & Matrimonium exprobrata ſint, nihil unquam circa uſum deprecativæ formæ exprobratum eſt. 59

Reponunt ad 1. in Euchologiis quæ extant non haberi Formam Sacramenti Pœnitentiæ, quia eam non habuere prius edita, ſicut nec eam habuere Latina antiqua Ritualia, quæ tamen Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & Unctionis Extremæ formam habuerunt. Cur autem ita factum ſit, indagare ſuperfluum eſt, cum ſic factum eſſe conſtat. Conſtat autem vel ex lite Anonymum inter & S. Thomam mota, quæ ſtatim Ritualium, aut ejuſdem generis Librorum, ſi quæ unam vel aliam formam habuiſſent, compreſſa fuiſſet. 60

Ad 2. reponunt in objectione gratis ſupponi Eccleſiæ Græcæ Sacerdotes, Eugenii IV. tempore, ut plurimum uſos eſſe forma deprecativa. Hanc equidem nonnulli jam tum uſurpare poterant, at id potuit neſcire Eugenius: quia ut ſupra n. 55. Gerſo, *occulte & abſque arbitris fit negotium.* 61

At, inquis, poterat Eugenius ex Græcorum Euchologiis colligere eos forma tantum deprecativa uti.

R. neg. ant. 1. quia id ne nunc quidem ex iiſdem Libris colligi poteſt; cum ex iis non pauci hodie per indicativam formam abſolvant. 2. Quia non id magis ex Euchologiis Græcorum inferre potuit Eugenius, quam ex Latinorum Ritualibus: quæ ubi de abſolutione nihil habent præter preceps, eo etiam tempore, quo juxta adverſarios, invaluerat uſus formæ indicativæ. 62

En potiſſima, non omnia tamen; utriuſque opinionis momenta. In primam nativo velut impetu propenderim. At, ſi optio fieri debeat, omnimodis videtur adhærendum ſecundæ, ob ſacram Tridentini auctoritatem, quæ priori nonnihil lævi videtur.

Utramque aliqui conciliare ſtudent; alii quidem cum Morino, dum hodiernam quoque Latinorum formam cenſent deprecativam eſſe propter hæc verba, *In nomine Patris*, &c. in quibus aliquam SS. Trinitatis invocationem fieri contendunt. Alii ex adverſo, dum ipſam hanc Græcorum formam: *Domine Jeſu Chriſte .*. *relaxa, remitte, condona peccata*, &c. eſſe reipſa indicativam tuentur. 63

Prior opinio duplici ex capite nutat, 1. quia juxta hanc dicendum erit verba *In nomine Patris* eſſe abſolutioni eſſentialia. Id autem paſſim in dubium vocant, aut etiam negant Theologi poſt Gerſonium, qui ſit. Opuſc. *Quia*, inquit, *Sacerdos non propria auctoritate abſolvit, ſed quaſi* 64

Pag. 408. A. *Miniſter convenienter aliquid apponitur: Ego te abſolvo. In nomine Patris*, &c. *Vel, per virtutem Paſſionis*, &c. *Quia tamen hoc non eſt determinatum ex verbis Chriſti, ſicut in Baptiſmo, talis appoſitio relinquitur in arbitrio Sacerdotis*. 2. Quia etſi voces, *In nomine Patris*, &c. aliquando invocationem ſonare videntur, ut cum quis Eccleſiam vel lectum ingreſſus eaſdem profert ubi tamen de Sacramentis agitur, nihil aliud ex uſu communi ſignificant, niſi quod Sacramenta virtute, & auctoritate SS. Trinitatis perficiuntur. Alioqui forma Baptiſmi, cui eſſentialis eſt trium perſonarum appellatio, deprecativa foret; quod Latinus nemo crediderit.

65 Secunda opinio quæ primo intuitu abſurdi quidpiam præfert, multam nihilominus veri ſpeciem habet, ſi verba hæc, *Abſolvat te Deus; Domine, remitte, condona*, &c. hunc ex certa & nota Miniſtri intentione ſenſum habeant: *Abſolvat te Deus per miniſterium meum; Domine, remitte, condona, prout & ego in nomine Patris*, &c. *remitto*. Atqui hanc eſſe Sacerdotis intentionem, eamque per adducta verba, modeſte quidem, ſed vere exprimi, nemo unus inficiari poteſt. Quemadmodum igitur ſi decreverit Princeps nemini qui adverſus Delphinum peccaverit, ſcelus iſtud condonare, niſi antea a filio ſuo condonatum ſit; cenſetur is, cum ait Regi: *Dimitte huic, relaxa, condona iniquitatem ejus*, dicere: *remitto, relaxo, & tu quoque dimitte*, &c. Sic in caſu præſenti.

66 Atque id multa ex parte admittere debent vividiores deprecatoriæ formæ adverſarii. Hanc enim Alenſis, *Abſolvat te Dominus*, pro indicativa habet Franciſcus Henno pag. 42. quia ſubintelligi vult, *per miniſterium meum*, quod inquit, idem eſt ac, *Abſolvo te ut Miniſter Chriſti*. Hanc rurſus e Manuſcripto Græco Bibliothecæ Barberinæ, *Deus parcat tibi per me peccatorem*, approbat Fraſſenius pag. 274. col. 2. quaſi idem ſit ac, *Ego tibi nomine Dei parco*. Id autem ſi ita eſt, quidni in hac formula, *Dimitte, relaxa*, ex intellectu communi ſaltem Eccleſiæ id ſuppleatur, *per me*, vel *per miniſterium meum*, &c.

67 Merito tamen redargueretur qui cum Anonymo de quo S. Thomas, formam Pœnitentiæ mere deprecativam eſſe ſanciret: quia privata hac ſua intentione excluderet ſenſum indicativum, quem in ea involvi credimus.

Male etiam quis ex opinione vel potius ſuſpicione noſtra inferat Extremæ-Unctionis formam pro indicativa habitum iri. Si enim hanc expreſſe in oratione conſtituerit Chriſtus, nulla in Miniſtri eam pronuntiantis mente fingi debet contraria intentio.

Verum hæc doctiorum, Eccleſiæ vero præſertim judicio ſubjecta ſint. Abſit ut dum ejuſdem gloriæ ſtudemus ex animo, ab ea vel latum unguem recedamus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ſenſu & virtute Abſolutionis.

68 SENSUM ſeu verborum ſignificationem jungimus cum efficacia, quia Sacramenta id operantur quod ſignificant. Porrò formæ verba vel hunc habent ſenſum; *Declaro remiſſa eſſe tibi peccata*, vel iſtum: *Dimitto tibi pœnam peccatis tuis debitam*; vel ex his duobus unum: *Condono tibi peccata tua;* aut *Confero tibi gratiam de ſe peccati remiſſivam*.

Con-

Conſtat ex dictis Cap. 2. nu. 83. & ſeq. abſolutionis verba non habere hunc ſenſum: *Declaro tibi remiſſa eſſe peccata tua*. Supereſt ergo ut quem ex aliis ſenſum habeant, inveſtigemus. Sit

Conclusio I. Senſus ordinariæ formæ non is eſt: *Remitto tibi pœnam tantum peccatis debitam*. Eſt contra Baium, qui cum doceret propoſ. 56. *in peccato duo* tantum *eſſe, actum & reatum*, nihil proinde maculæ; adeoque *tranſeunte actu nihil remanere niſi reatum, ſeu obligationem ad pœnam*: docebat conſequenter ſolam remitti pœnam per abſolutionem: *Unde*, ait propoſ. 57. *in Sacramento Baptiſmi aut Sacerdotis abſolutione proprie reatus peccati dumtaxat ſolvitur, & miniſterium Sacerdotum ſolum liberat a reatu*.

Prob. 1. Senſus abſolutionis id omne importat quod per eam remitti debet. Atqui per abſolutionem non modo pœnæ, ſed & culpæ reatus, ſeu macula ſuperſtes remitti debet; uti docet Tridentinum, quo teſte *pœna æterna* ∴ *una cum culpa remittitur*. 69 *Seſſ.* 6 *c.* 14.

Prob. 2. Ex eodem Tridentino Seſſ. 14. c. 1. valet abſolutio *ad reconciliandos Fideles poſt Baptiſmum lapſos*. Atqui ad id non valeret, ſi ſolam pœnam tolleret. Neque enim pœnæ, ſed potiſſimum culpæ reatus Deum homini infenſum facit. 70

Conclusio II. Forma abſolutionis in ſenſu litterali hanc habet ſignificationem: *Ego remitto tibi offenſam divinam*: hanc vero in ſenſu Sacramenti: *Confero tibi gratiam, quantum de ſe eſt remiſſivam peccati*. Primam partem tradit Lugo diſp. 13. n. 72. Secundam Suarez diſp. 19 ſect. 2. n. 19. quos ut fratres conciliare velim: quamquam rara eſt concordia fratrum. Porro inter utramque ſignificationem illud eſt diſcriminis, quod prior remiſſionem peccati directe ſignificet, poſterior autem ſecundario tantum & *arguitive*. Contra vero poſterior gratiam directe ſignificet, ſed non tam directe condonationem peccati. *Lugo n.* 74.

Prob. 1. pars, quia id *Abſolvo te*, ſeu ſolvo vinculum quo ligabaris, litteraliter non ſignificat gratiæ collationem, ſed ſolutionem vinculi. Unde potuiſset Chriſtus res ſic inſtituere, ut culpæ reatus tolleretur, nec tamen conferretur homini gratia ſanctificans. 71

Prob. 2. pars. Forma Pœnitentiæ id ſacramentaliter ſignificat, quod ut talis operatur. Atqui primario operatur reconciliationem cum Deo, ſeu amicitiæ ejus reſtitutionem, quæ gratiam peccati deſtructivam requirit, & præſtat; ſeu interim peccatum deſtruatur, ſeu non, puta quia jam vel plena contritione, vel aliis in confeſſionibus deletum fuerit. Ergo etſi prior ſenſus attenta propria vocum ſignificatione magis naturalis eſt; poſterior tamen attenta ſignificatione ſacramentali, ſeu quam habent voces ex inſtitutione Chriſti, magis genuinus videtur. 72

Dices neuter ſenſus probabilis eſt. Non prior, quia alioqui falſa eſt forma, cum ſuper peccatis antea remiſſis profertur. Ut enim idem bis donari non poteſt; ſic nec idem bis condonari: ut ſoluta ſemel corporis vincula denuo ſolvi non poſsunt; ſic nec vincula animæ. Et vero peccatum ſemel dimiſsum habetur inſtar peccati nunquam commiſſi: iſtud autem condonari nequit. Non poſterior, 1. quia peccati remiſſio infuſionem gratiæ neceſſario antecedere debet; cum prius ſit animam eſse peccati expertem, quam gratia locupletatam. Porro ſi abſolutio primario gratiam ſignificet, ſubvertetur is rerum ordo. 2. Quia alioqui abſolvi 73 74

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

potuiſſet B. Virgo; cum capax fuerit gratiæ, non quæ actu remitteret peccatum, ſed quæ ejus de ſe remiſſiva foret. 3. Quia poteſt peccatum per intrinſecam tantum condonationem remitti; adeoque ſine infuſione gratiæ. Ergo.

Reſp. neg. ant. Nec quæ contra primam partem objiciuntur, prohibent quin illa defendi poſſit, tametſi ſecunda paulo veriſimilior apparet.

75 Nam 1. ſicut in humanis poteſt bis eadem offenſa dimitti, ſic & in Pœnitentiæ Sacramento: unde ſecunda remiſſio eſt confirmatio prioris.

Nec obeſt quod eadem domus non poſſit bis donari; id enim fit quia prior donatio omnimodam rei proprietatem adeo transfert, ut eadem res non amplius in donatarium transferri poſſit: contra vero condonatio offenſæ quædam eſt ceſſio juris ex offenſa acquiſiti ad talem effectum. Hæc autem ceſſio ſæpius circa peccatum iterari poteſt: ſicut qui ſæpius religioſam profeſſionem iterat, ſæpius & vere ſæculo & divitiis renunciat. Ita Lugo ead. diſp. 13. n. 73.

76 Neque etiam obeſt quod idem vinculum phyſicum bis ſolvi non poſſit, id enim fit quia nihil ejus, cum ſemel ſublatum eſt, remanet: unde jam vere dicere non poſſum, *Solvo*. At vero cum ſolutum eſt vinculum morale, manet ſemper aliquid ejus, non quidem in ratione maculæ, ſed in ratione condonabilis: unde quia poteſt offenſus iterum atque iterum renunciare juri quod ex peccato habuerat, poteſt iterum atque iterum condonare. Unde etſi peccatum ſemel dimiſſum ſe quodammodo habet quantum ad pœnam, ac ſi nunquam perpetratum eſſet; aliter tamen ſe habet quantum ad condonationem. Vide Lugo n. 82.

Multo facilius dilui poſſunt quæ contra ſecundam Concluſionis partem objiciuntur.

77 1. Enim ut neceſſe non eſt prius expelli tenebras, quam poni lumen ſolis; ſic neque neceſſum eſt prius auferri peccatum, quam infundi gratiam: imo ſicut ſolis lumen fugat tenebras, ſic & gratia peccatum ejicere intelligitur.

78 2. Gratia ſacramentalis de qua agimus, iis tantum tribui poteſt, qui poſt Baptiſmum relapſi peccata ſua primo vel ſecundo confeſſi fuerint: id autem B. Virgini non competit.

79 3. Non hic expendimus quomodo Deus peccatum condonare poſſit, expendimus tantum quo pacto vi inſtitutionis hujuſce Sacramenti condonat. Nuſquam porro condonat citra gratiæ infuſionem.

80 Ex his colliges cum Suare diſp. 19. ſect. 2. n. 16. & ſeq. eoſdem abſolutioni effectus tribui poſſe, qui virtuti Pœnitentiæ tribui ſolent; & 1. quod gratiam ſanctificantem pariat; quia Deus mortale peccatum expellendo, gratiam hanc largitur? Et quamvis ad venialium remiſſionem non omnino neceſſaria ſit infuſio gratiæ, nuſquam tamen fieri poteſt ut hæc per abſolutionem remittantur, quin nova Pœnitenti gratia adveniat; quia verba hæc non habent vim dimittendi peccata, niſi quatenus vim habent primo gratiam conferendi.

2. Quod virtutes peccato deperditas & amiſſa merita reſtituat. Hæc enim ablato peccati mortalis obice ſponte reviviſcunt.

3. Quod æternam pœnam, imo & ſemper aliquid temporalis pœnæ dimittat: quia hæc vi Sacramenti in aliquid minus commutatur.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS TERTIUS.

Solvuntur variæ quæſtiones circa præſentem materiam.

QUÆRES 1. quis ſit abſolvendi ritus.

Reſp. hunc a Paulo V. in Rituali Romano præſcribi. *Sacerdos cum Pœnitentem abſolvere voluerit, injuncta ei prius & ab eo acceptata Pœnitentia ſalutari, primo dicit:* „ Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis „ tuis perducat te ad vitam æternam. *Deinde dextera verſus Pœnitentem elevata, dicit:* „ Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem peccatorum „ tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen. 81

„ Dominus noſter Jeſus Chriſtus (qui eſt ſummus Pontifex per ſuam „ piiſſimam miſericordiam *) te abſolvat: Et ego auctoritate ipſius „ (mihi licet indigniſſimo conceſſa) te abſolvo ab omni vinculo ex„ communicationis, ſuſpenſionis & interdicti, in quantum poſſum & tu „ indiges. Deinde, Ego te abſolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & „ Filii & Spiritus ſancti. Amen.

„ Paſſio Domini noſtri J. C. merita Beatę Marię Virginis & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſio„ nem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.

In Ritualibus multis præſcribitur, ut poſtquam Pęnitens cruce ſignatus dixit: *Benedic mihi Pater*, dicat Miniſter: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut vere & humiliter confitearis peccata tua, in nomine Patris*, &c. Poſtquam vero Pęnitens dixit *Confiteor* uſque ad *Mea culpa;* & confeſſus eſt, ac proſequitur a *Mea culpa* incluſive, uſque ad finem, dicat Sacerdos, *Miſereatur tui*, ut ſup.

Quæres 2. an is abſolvendi ritus erga omnes adhiberi debeat.

Reſp. 1. vocem *ſuſpenſionis* omittendam circa Laicos, ut pote cenſuræ hujus incapaces. Idem ſtatuunt recentiores de minoribus Clericis, nullo donatis beneficio; quia cum functiones eorum ab ipſis paſſim Laicis exerceantur, nulla eſt vera iiſdem ſuſpenſio; nulla proinde ab ipſis abſolutio. 82

Reſp. 2. cum eodem Rituali Romano in confeſſionibus brevioribus & frequentioribus omitti poſſe *Miſereatur* & *Indulgentiam*, & ſatis eſſe ſi dicatur, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*, &c. Quod ſi urgeat periculum mortis, ſufficiunt pauca hæc: *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis; in nomine Patris*, &c. Imo & hæc pauciora *Abſolvo te*. 83

An autem ſecluſis contemptu & ſcandalo generatim omitti poſſint quæ veram formam præcedunt, ſine peccato etiam veniali, dubitari poteſt. Aſſerit Henno, quia, inquit, contraria praxis adverſus Ritualis Romani legem præſcripſiſse videtur. Verum mihi probatio ſummopere dubia eſt; cum vix ulli ſint Confeſsarii, qui extra alicujus neceſſitatis caſum ab antefactis precibus abſtineant. Certe juxta S. Thomam *conſuetudo Eccleſiæ in omnibus eſt æmulanda;* vixque continget, ut qui eam non ſequitur, cum facile poteſt, ſi non contemptus, ſaltem alicujus negligentiæ reus non ſit. 84

Quæres 3. an abſolutio debeat eſse verbalis.

Reſp. affirm. tum ob univerſalis Eccleſiæ praxim, a qua nec Concilia, 85

* Quæ uncinis incluſa ſunt, propria ſunt Diœceſis Pariſienſis, &c.

nec Patres uſquam recedi poſse tradiderunt ; tum quia ex Florentino , cui concinit Tridentinum Seſs. 14. Cap. 3. *Sacramenti forma ſunt verba abſolutionis quæ Sacerdos profert, dum ait, Ego te abſolvo*: ubi ponderandum illud, *Quæ Sacerdos profert.*

Objiciuntur tria, 1. quod Sacramentum Pœnitentiæ in omnibus ſequatur formam judicii civilis: in hoc autem ſententia nutibus vel ſcripto, non autem verbis proferri queat. 2. quod ſufficiat confeſſio per nutus; ergo & abſolutio, ſaltem in caſu neceſſitatis ; 3. quod matrimonium ſcripto vel nutu contrahi poſſit.

Reſp. ad 1. neg. maj. nam v. g. in foro Pœnitentiæ idem eſt accuſator, teſtis & reus: item Reo ſe accuſanti, & excuſanti fides haberi ſolet, quæ non fiunt in foro Civili.

Reſp. ad 2. neg. conſ. debuit enim valere confeſſio per nutus, ne muti & infirmi plures omni remedio deſtituerentur. Quæ ratio non valet quoad Sacerdotes: hi enim, miſerante Deo tam facile occurrunt, quam aqua ad Baptiſmum: etſi ut hæc, ſic & illi aliquando deficere poſſint.

Reſp. ad 3. neg. conſeq. hic enim ut in præcedentibus diſparitas petitur a voluntate Chriſti, qui cum matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit, nihil in ejus contrahendi ratione immutatum voluit: contra vero pœnitentiale judicium, non quocumque modo, ſed certis verbis proferri ſanxit. Hæc autem Chriſti voluntas ex eo legitime colligitur, quod Eccleſia in nullo etiam neceſſitatis caſu aliter fieri permiſerit, aut fieri aliter poſse docuerit. Porro abſolutionis verba ſubmiſsa voce proferri debent, ne adſtantes judicare valeant quis abſolutione donatus ſit, quis non.

Quæres 4. an valida ſit abſolutio ſub conditione data.

86 Reſp. 1. abſolutionem regulariter loquendo abſolute eſse conferendam, ita ut qui ſine juſta cauſa conditionate abſolverit, juxta mitiores etiam Theologos peccet lethaliter. Vide infra n. 91. & 98.

87 Reſp. 2. valere abſolutionem datam ſub conditione de præſenti, de præterito, quæ de facto exiſtat, aut extiterit, ut ſi dicas, *Abſolvo te, ſi reſtituiſti*, aut *ſi nunc firmum habes reſtituendi propoſitum*. Ratio eſt quia tunc abſolutio non tantum conditionata eſt, ſed & abſoluta, juxta tritum iſtud: *Poſita conditione res tranſit in abſolutam*.

88 Reſp. 3. licitam aliquando eſse abſolutionem conditionatam, ut cum quis legitime dubitat an abſolutionis verba protulerit: Tunc enim dicere poteſt, *Si non es abſolutus, &c. ego te abſolvo*: ſicut in dubio an infans rite baptizatus ſit: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*. Licitum quoque eſt illud abſolutionis genus, erga hominem de quo dubitare eſt num vivat, aut de quo propter dubia in extremis indicia non vere conſtat an abſolvi velit.

89 Idem eſt, ait Henricus a S. Ignatio num. 2656. cum *omnibus conſideratis rationabile dubium eſt de phyſica capacitate pueri, an ſcilicet ad hoc adeptus ſit ſufficientem rationis uſum. Ad hoc quippe judicandum conſtitutus non eſt a Chriſto Judex ſacramentalis*. Verum nec aliis multis, nec mihi probatur deciſio hæc extra caſum neceſſitatis. Unde erudiendi ſunt pueri, & repetitis vicibus explorandi, donec certam materiam & ſufficientem rationis uſum dignoſcant Confeſsarii: tumque & a dubiis, & a certioribus peccatis abſolventur.

A for-

Digitized by Google

A fortiori non debent abſolvi conditionate, ſive ii de quibus prudenter dubitat Confeſſarius an rite ſint diſpoſiti, ſive qui alia quam dubia peccata confiteri nolunt; ſive qui probabiliter peccatum aliquod reticuiſſe creduntur; ſive quorum ſufficiens dolor, aut efficax propoſitum merito ſuſpecta habentur: hi enim omnes, quidquid dicant Sporer, Dicaſtillo, La Croix n. 1770. ſerio probandi ſunt, donec ex fructibus moraliter de eorum diſpoſitione conſtet. Sane vero id genus Pœnitentes ſe ſe pure & ſimpliciter abſolutos rati ad Euchariſtiam accedunt, ex primæ abſolutionis facilitate gravitatem vel potius peccati levitatem metiuntur; peccata ſic dubie aut male abſoluta nuſquam apud Sacerdotes alios repetunt. Hinc vero quot ſacrilegia, quot pereundi diſcrimina! 90

Ceterum cum abſolutio conditionate datur, haud neceſſum eſt conditionem voce exprimi; & is eſt communis uſus, quem perperam impetit Caramuel, quaſi alioqui verba menti non concordent. Neque enim ut verba menti conſonent, neceſſum eſt ut Miniſter id omne verbis exprimat quod gerit animo; ſed ſufficit ut nihil ſignificent quam quod mens intendit. Et vero ſi ex ſola mentis intentione determinentur verba ad ſenſum ſacramentalem, potius quam ad hiſtoricum vel jocoſum; quidni ex eadem intentione ad ſenſum conditionatum determinentur; præſertim cum circunſtantiæ ſenſum hunc patiuntur aut etiam exigunt. 91

Reſp. 4. Non valet abſolutio ſub conditione de futuro data, ſi Miniſter effectum Sacramenti ſuſpendere velit, donec impleatur conditio. Tunc enim nec valet, cum pronuntiatur, quia deeſt intentio abſolventis; nec valet, cum ponitur conditio, quia forma jam non eſt moraliter præſens, adeoque deſiit jam Sacramentum: porro Sacramentum nonniſi præſens operatur. His adde voluntatem Chriſti, qui ut ex totius Eccleſiæ praxi conſtat, noluit abſolutionem ſic dari ut effectus ejus a ſuſpenſiva conditione dependeret. 92

At, inquies, Sacerdos non a culpa ſolum abſolvit, ſed etiam a parte aliqua temporalis pœnæ, juxta modum ſatisfactionis quam imponit. Atqui tamen ab hac pœnæ parte conditionate tantum abſolvit, nempe ſi ſatisfactio in futurum impleatur. Ergo quoad iſtud punctum ſuſpendit effectum abſolutionis. Ergo & hunc quoad culpæ remiſſionem ſuſpendere poteſt. 93

Reſp. neg. ult. conſeq. etſi enim remiſſio pœnæ ad executionem uſque ſatisfactionis ſuſpenſi poteſt, non tamen culpæ remiſſio. Pœnæ enim condonatio & ſecundarius eſt abſolutionis effectus, & ex Chriſti lege ipſi ſatisfactionis exercitio alligata eſt. Neutrum vero de culpæ remiſſione dici poteſt; cum hæc & primarius ſit effectus abſolutionis, & probari non poſſit ſic a Chriſto fuiſſe ordinata, ut poſſet ſuſpendi. 94

Dixi, *ſi Miniſter effectum Sacramenti ſuſpendere velit*: Si enim Sacerdos intendat hic & nunc ponere effectum abſolutionis, ex hypotheſi conditionis futuræ, cenſent Lovanienſes multi, præſertim vero Leonardus Van-Roy Cap. 3. q. 4. quem ſequitur Mart. Grandin Cap. 2. q. 3. ſub finem, conditionem illam valori Sacramenti nihil officere: qua, inquiunt, talis conditio, ſi vere futura ſit, reſolvitur in conditionem de præſenti: porro conditio de præſenti non impedit quin valida ſit abſolutio. 95

Hæc tamen doctrina aliis diſplicet: vel enim, inquiunt, Pœnitens qui ſub conditione futuræ reſtitutionis abſolvitur, ſincero de pecca- 96

tis

tis dolori ſincerum jungit reſtituendi propoſitum, vel non. Si primum valet abſolutio, etiamſi deinceps ab eo propoſito reſiliat; quia ubi occurrunt materia, forma & Sacramenti conficiendi intentio, non poteſt ſuſpendi Sacramenti effectus. Si vero deſit Pœnitenti propoſitum reſtitutionis, proinde dolor legitimus, jam nullum eſt Sacramentum ex materiæ defectu. Ergo, ait Daniel Concina Tom. 9. pag. 584. ineptiſſima eſt hujuſmodi conditionis adjectio.

97 Quin extra caſus aſſignatos n. 89. graviter illicita eſt appoſitio conditionis, illius præſertim, quæ neceſſario præſupponi debet, ut ſi dicas, *Abſolvo te, ſi veram habeas contritionem, vel reſtituendi propoſitum*, vel *ſi habeo poteſtatem abſolvendi te*. Quemadmodum enim ſtolidus fuerit Judex civilis, qui domum adſcribit Petro, ſi potior ſit ejus ratio; quia haud conſtitutus eſt ut ancipitem hujuſmodi ſententiam ferat, ſed ut diſcuſſis partium juribus unicuique reddat quod ſuum eſt: ſic & judex ſpiritualis in propoſitis caſibus; quia ad hoc conſtitutus eſt a Chriſto, ut, cum licet, abſolute judicet an peccator idoneis ad abſolutionem diſpoſitionibus inſtructus ſit: adeo ut nunquam abſolvat in terris, niſi quem abſolutum aut mox abſolvendum in cœlis legitime exiſtimat. Nec ridicula tantum ſed & exitialis eſt abſolutio ſub hujuſmodi conditionibus data, ut liquet ex dictis num. 90. Merito igitur opinionem hanc ab Eccleſia Dei exterminandam ait Cajetanus; ut quæ & Eccleſiæ praxi, & Sacramenti reverentiæ, & Pœnitentium ac Miniſtrorum ſaluti peſſime conſulat. Ita Henricus a S. Ignat. n. 2654. P. Antoine pag. 310. &c.

Quæres 4. an ante liceat quempiam abſolvere a peccatis, quam ab excommunicatione.

98 Reſp. negat. cum S. Thoma Suppl. q. 24. a. 1. ad 2. & S. Carolo in Inſtruct. Confeſſar. Ratio eſt quia cujuſque Sacramenti, atque adeo Pœnitentiæ, ſuſceptio excommunicatis graviter interdicta eſt. Unde qui ſciens & volens in hoc caſu abſolvit aut abſolvitur, graviter delinquit, nedum vere ſolvat aut ſolvatur.

99 Duo hic monet Sylvius ad citatum S. Thomæ locum, 1. in abſolutione quæ a cenſuris datur in exteriori foro, utendum his verbis *Abſolvo te ab excommunicatione*, ſeu *a vinculo excommunicationis, quam ob talem cauſam incurriſti;* in foro autem Pœnitentiæ iſta vulgo uſitari, *Abſolvo te a vinculo excommunicationis in quantum poſſum & ut indiges*. 2. poſtrema hæc verba nec omitti debere, nec ad minorem excommunicationem referri, ab eo etiam qui ab excommunicatione majori abſolvere non valeat; quia inſervire poſſunt *pro tollenda illa cenſura quæ annexa erat ei peccato quod Pœnitens oblitus fuerat, dum confiteretur habenti facultatem ab ea abſolvendi*. Docent enim plures quos appellat idem Sylvius ibid. q. 20. art. 2. quæſ. 3. eum qui in confeſſione facta habenti facultatem a reſervatis aut cenſuris abſolvendi, oblitus eſt ſeu reſervati, ſeu cenſuræ, poſſe deinceps a quovis Sacerdote etiam pro reſervatis minime approbato abſolvi, *eo quod Sacerdos præcedens intenderit abſolvere quantum poterat, ac proinde etiam a reſervatis, ſaltem hactenus ut deſinant eſſe reſervata*. Adde quod multæ ſint cenſuræ nullatenus reſervatæ, uti ſuo loco diximus.

Sylvius ſ. 95. D.

Quæres 5. num ad novam abſolutionem nova opus ſit confeſſione.

100 Reſp. affirm. quia ad novam abſolutionem nova opus eſt materia ad mi-

minus proxima. Unde ſacrilegii reus eſt qui binam ſuper eadem confeſſione abſolutionem impendit, quia poſterior defectu materiæ prorſus irrita eſt.

Poteſt tamen nova dari abſolutio ſuper nova & diverſa eorumdem etiam peccatorum confeſſione; quia cadit tunc abſolutio ſuper novam materiam proximam. 101

Haud tamen redarguerim ſi quis ut ſcrupuloſo cuipiam animæ pacem conciliet, eum conditionate denuo abſolvat, quia afferat ſe ante & ſub ipſum abſolutionis tempus, inquirendis quæ effugere poterant peccatis, quadam veluti diſtractione intentum, contritionis actum omiſiſſe. Imo ut ſimpliciter abſolveretur, ſufficeret in rigore id confeſſionis genus: *Accuſo iterum quidquid modo accuſavi*. Miniſtro tamen ſollicite cavendum ut Pœnitentes ab anxiis hujuſmodi æterniſque examinibus abſtineant: tum quia vereri ſit ne reconciliationis gratia fruſtrentur; tum quia oblita peccata remittuntur indirecte; tum & quia quæ poſt abſolutionem redeunt in memoriam, non ſunt hic & nunc ante communionem ſubjicienda clavibus, ut dixi in Gallico de ſanctis Myſteriis Tractatu, & infra fortaſſis repetam. 102

Quæres 6. an abſolutio vel ab uno pluribus, vel a pluribus uni dari poſſit.

Reſp. ad 1. affirmat. ſic enim ſimul abſolvuntur milites multi ante prælium, his verbis: *Abſolvo vos*, &c. Eaque abſolutio eſt virtualiter multiplex: unde tot ſunt Sacramenta, quot homines qui aliquam cum juſto dolore confeſſionem ponunt. 103

Reſp. ad 2. eum qui ſola venialia, vel mortalia quidem ſed ante confeſſa habens, eorum partem uni, & alteri partem confiteretur, ab utroque deinceps valide ſimul abſolutum iri. Id tamen cum Eccleſiæ conſuetudini adverſetur, ordinarie illicitum eſt, ut obſervat Suarezius. *Ordinarie*, inquam, ſi quis enim vel bona fide, vel inſtante naufragio aut incendio pluribus confiteatur, poterit a pluribus inculpate abſolvi, ut docet Lugo diſp. 13. n. 160. & tunc, ait idem n. 164. duplex eſſet Sacramentum, quia occurreret Judex diverſus, diverſa ſententia, & duplex virtualiter confeſſio, &c. An autem tunc valeret hæc dicendi ratio, *Abſolvimus te*, fuſe expendit idem Cardinalis nu. 176. quem conſule, ne ſuperfluis diutius immoremur. 104

Quæres 7. an valeat abſolutio data abſenti.

Reſp. negat. patet ex dictis Cap. 5. num. 601.

CAPUT OCTAVUM.

De Miniſtro Pœnitentiæ.

IN hoc ſummi momenti capite videndum 1. an Sacerdos, & is ſolus, ſit Pœnitentiæ Miniſter. 2. An miniſterium illud omni Sacerdoti competat, eive tantum qui a Superiore debitam juriſdictionem acceperit. 3. Quis juriſdictionem illam habere cenſeatur.

AR.

ARTICULUS PRIMUS.

An ſolus Sacerdos ſit Miniſter Pœnitentiæ.

1 CIRCA præſentem materiam non una fuit opinio, 1. enim docuit Wicleſus, *Laicum, ſi vir frugi fuerit, clavium poteſtatem accepiſſe*. 2. Waldenſes, teſte Reinero Lib. 5. ſenſerunt laicum bonum abſolvere poſſe, non malum Sacerdotem. Idem juxta Pallavicinum Lib. 12. Hiſt. Trid. Cap. 10. ſenſere Novatores. 3. exiſtimavit Morinus Lib 8. de Pœnitent. Cap. 23 Diaconos olim in caſu neceſſitatis, abſente Epiſcopo vel Presbytero, abſolutionis ſacramentalis Miniſtros fuiſſe. Sit

CONCLUSIO: Solis Sacerdotibus, ſive Epiſcopi ſint, ſive non, competit abſolvendi facultas, non autem Laicis vel Diaconis.

2 Prob. 1. ex Scriptura: Iis ſolis competit poteſtas abſolvendi, quibus ſolis dictum eſt, *Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata*, &c. atqui id ſolis *Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus* dictum eſt, &c. ut patet tum ex ipſo Evangelii contextu, tum quia hoc *univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit*, uti habet Tridentinum Seſſ. 14. Cap. 1.

3 Prob. 2. ex Patribus, quorum inſtar, quia pene omnes in Operis hujus decurſu allegati huc faciunt, ſit Ambroſius Lib. 1. de Pœnit. Cap 2. ubi, *jus hoc*, abſolvendi ſcilicet, *ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus*. Baſilius, qui in Regulis brevioribus, iis peccata neceſſario vult aperiri, *quibus credita eſt diſpenſatio Myſteriorum Dei*, id eſt, ut ſibi interpres eſt, Sacerdotibus. S. Leo Epiſt. 91. ubi ſic *divinæ bonitatis præſidia* a Deo docet ordinata eſſe, *ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri: quia Mediator Dei .·.· hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*.

4 Prob. 3. ex Concilio Conſtantienſi, cujus fidem ſecutus Martinus V. ſuſpectos Wicleſiani erroris interrogari voluit, num crederent, *quod Chriſtianus, ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, teneatur de neceſſitate ſalutis confiteri Sacerdoti & non Laico, ſeu Laicis, quantumcumque bonis & devotis*. Sane, ait idem Pontifex in Decretali, *Nec Beata Virgo hanc habuit* a peccatis abſolvendi *poteſtatem*.

T. 12. Conc. p. 269. E.

Idem his decernit verbis Tridentinum Seſſ. 14. Can. 10. *Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſolvendi non habere: aut non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti Fidelibus eſſe dictum:* Quæcumque ligaveritis.·.· *Anathema ſit*.

5 Objic. 1. id Jacobi 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Atqui hic & de ſacramentali confeſſione agitur: cum ſermo ſit de infirmis, quos ad confeſſionem hanc Apoſtolus hortari videtur: Et hæc confeſſio nemini non fieri poteſt, ut indicat vox *alterutrum*.

6 Reſp. neg. min. dato enim quod negant aliqui cum Scoto, Apoſtolum de confeſſione ſacramentali, non autem de confeſſione humilitatis diſſerere; ſenſus ejus eſt non uni Deo confitendum ſed hominibus, iis nempe qui ad hoc poteſtatem habent & idonei ſunt. Sic cum Paulus Epheſ. 5. 21. vult ut Fideles *ſubjecti* ſint *invicem*, & Petrus Epiſt. 1. Cap. 4. v. 9. *invicem hoſpi-*

hoſpitales, neutur jubet vel omnes eſſe *ſubjectos*, ſed inferiores Superioribus; vel omnes, etiam egenos, hoſpitalitatem exercere, ſed divites aut qui domos habent Merito igitur Hugo a S. Victore Lib. de Sacram: *Confitemini alterutrum*, inquit, *hoc eſt homines hominibus, oves Paſtoribus, ſubjecti Prælatis, Laici Sacerdotibus, ii qui habent peccata iis qui peccata dimittendi poteſtatem habent*. Et vero Jacobi verba Latini & Græci plures de Sacramento Pœnitentiæ intellexerunt. Atqui horum nemini venit in mentem ex iis deducere, poteſtatem ſolvendi Laicis perinde ac Sacerdotibus eſſe conceſſam. Ergo tenue eſt ac imbecillum quod ex iis corraditur argumentum.

Inſt. 1. Ideo Jacobi verba ad Laicos extendi nolumus, quia ſolis Apoſtolis dictum ſit: *Quæcumque ſolveritis*. Atqui hæc ratio admodum caduca eſt. Solis enim Apoſtolis dictum eſt: *Baptiſate*. Atqui tamen Laici ſaltem in neceſſitatis caſu baptiſare poſſunt. 7

R. neg. maj. Non enim ſola hæc Chriſti verba urgemus, ſed affixum iis conſtanti Traditione ſenſum, qui ea ad Laicos protendi vetat. Aliud eſt porro de Baptiſmate, quod ab ipſis etiam mulieribus in neceſſitatis caſu adminiſtrari poſſe eadem Traditio docuit. Cur autem diverſam utriuſque Sacramenti rationem eſſe voluerit Chriſtus, hæc, præter ſupremam ejus voluntatem, nobis ab Eccleſia magiſtra exhibitam, affertur cauſa ab Angelico Doctore Suppl. q. 8. a. 1. ad 2. quod *Baptiſmus eſt magis Sacramentum neceſſitatis, quam Pœnitentia quantum ad confeſſionem & abſolutionem: quia quandoque Baptiſmus prætermitti non poteſt ſine periculo ſalutis æternæ, ut patet in pueris qui non habent uſum rationis. Sed non eſt ita de confeſſione & abſolutione quæ tantum ad adultos pertinet, in quibus contritio cum propoſito confitendi & deſiderio abſolutionis ſufficit ad liberandum a morte æterna*. 8

Inſt. 2. quæ Traditio Baptiſmum ab omnibus in neceſſitatis caſu conferri poſſe docuit, idem docuit de Pœnitentia in pari caſu. Sic enim loquitur qui Traditionem non neſciebat S. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. ad qu. 2. *Miniſter Pœnitentiæ, cui confeſſio eſt facienda ex officio, eſt Sacerdos: ſed in neceſſitate etiam Laicus vicem Sacerdotis ſupplet, ut ei confeſſio fieri poſſit*. Idem docent Gratianus, Magiſter Sentent. Albertus mag. Alenſis, S. Raimundus & alii antiqui Scriptores, quos appellat Morinus Lib. 8. Cap. 24. ubi & notum illud refert Jonvillii Campaniæ Seneſcalli, qui irruentibus in navim, ubi poſt S. Ludovici captivitatem cum aliquot nobilibus detinebatur, diſtricto enſe Saracenis: *Mihi*, inquit vicinæ mortis timore percuſſus, *adgeniculatus eſt Guido de Belino Magiſter equitum Regni Cypri, & peccata ſua confeſſus eſt, eique juxta poteſtatem meam abſolutionem dedi*; ſeu ut habet vetus Gallica Lectio, ſi bene memini: *Adonc lui donnai telle abſolution dont Dieu m'avoit donnè le pouvoir: & de tout ce qu'il me dit onc mot ne me récordai*. Hi porro viri nobiles, & fidei tenaciſſimi non aliud facere, quam quod ab aliis pari in caſu factitari noverant. 9

R. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. conſeq. Nam etſi credidere antiqui non pauci eum qui Sacerdoti confiteri nequit, teneri, aut ſaltem utiliter confiteri poſſe Laico; tum quia hujuſce humilitatis rationem habeat Deus; tum quia qui Laico confitetur, monitis ejus ac precibus juvari poteſt; tum quia poſſet Laicus inſtar interpretis ſupervenienti Sacerdoti peccata morientis detegere; nuſquam tamen crediderunt abſolutionem a Laico tunc 10

tempo-

Digitized by Google

temporis datam, eſſe vere & proprie ſacramentalem: unde peccata ſic confeſſa denuo clavibus, ſi fieri poſſet, ſubjici voluerunt. *Ille qui Laico confitetur*, ait D. Thomas, diſt. 20. q. unic. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. *quamvis impleat quod ex parte ſua eſt de ſacramentali confeſſione, tamen ſacramentalem abſolutionem non conſequitur*. Concinit id Magiſtri Sentent. Lib. 4. diſt. 17. *Tanta vis eſt confeſſionis, ut ſi deeſt Sacerdos, confiteatur*, Pœnitens *proximo. Et ſi ille cui confitebitur, poteſtatem ſolvendi non habet, fit tamen dignus venia ex deſiderio Sacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis*. Ubi abſolutio Laica non valet, niſi quatenus adeundi Sacerdotis, & Sacramenti ab eo ſuſcipiendi votum importat.

11 Objic. 2. S. Cyprianus Epiſt. 12. quæ eſt ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Carthaginenſis: *Quoniam*, inquit, *video, facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam æſtatem cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis & gravibus infeſtatur, occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud Presbyterum quemque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint: ut manu eis in Pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſideraverunt.*

Circa hæc verba, quæ non parum habent difficultatis, ideoque per modum diſſertationis tractanda veniunt, tria quærit Gallicus Scriptor vitæ S. Cypriani ann. 1717. editæ p. 553. & ſeq. 1. Utrum ſenſerit Cyprianus Diaconos in neceſſitatis caſu ſacramentaliter abſolvere poſſe; 2. Utrum id ſolus ſenſerit ipſe, an non idem cum ipſo exiſtimaverint Eccleſiæ variæ; 3. quod juris eſt, an ita ſentiendo erraverint.

12 Circa primum caput ſic affirmative progreditur citatus Scriptor p. 557. 1. Cyprianus hic concedit Diaconis ob abſentiam Presbyteri, id quod concedit Presbyteris ob abſentiam Epiſcopi: *Non expectata*, inquit, *præſentia noſtra*, &c. Atqui Cyprianus dubio procul permiſit Presbyteris, ut infirmos de quibus agitur, à peccatis, potiſſimum vero ab idololatriæ reatu, ſacramentaliter abſolverent. Ergo & idem permiſit Diaconis. Quod & diſertim indicat particula *quoque*, quæ eo loci parem Diacono ac Presbytero potentiam concedi probat; & ex natura ſua, utpote quæ copulativa ſit, Presbyterum & Diaconum erga Pœnitentem in iiſdem functionibus conſociat. Et verò ridiculum eſt dictu, quatuor verba ex æquo per S. Cyprianum Presbyteris & Diaconis applicata, aliud pro Preſbyteris, aliud pro Diaconis ſignificare; quomodo dictu ridiculum fuerit, hæc ſupremi Principis verba: *Qui apud primum Præſidem ſcelus ſuum confitebitur, vel, eo abſente, apud Senatorem, is è carcere & compedibus ſolvetur*: ſi non parem Senatori ac Præſidi poteſtatem tribuere.

13 Confirm. quia quod alicui negatur intra certam hypotheſim, eidem extra eamdem hypotheſim conceſſum intelligitur. Si enim dixero non poſſe Chriſtianum Feria VI. veſci carnibus, niſi ægrotet; ſtatim intelligitur, eum, ſi ægrotet, carnibus veſci poſſe. Ergo qui dicit non licere Diacono, præſente Sacerdote, abſolvere a peccatis; ſtatim intelligitur dicere, Diaconum id poſſe abſente Presbytero.

2. Vel

2. Vel poteſtas a Cypriano Diaconis conceſſa, in eo eſt ut a peccatis abſolvant, vel ut a pœnis canonicis, quæ lapſis excurrendæ erant; vel demum ut a cenſuris. Atqui neutrum e poſtremis duobus dici poteſt. 14

Non 1. Tum quia inſana fuiſſet agendi ratio illius, qui Eccleſiæ Miniſtros eo tantum fine miſiſſet, ut hominem jam jam moriturum eximeret a jejunio, vigiliis, aliiſque laboribus, a quibus per ingruentem mortem ſat ſuperque erat illico eximendus. Tum quia gratis ſupponitur, aliquam in veteri Eccleſia fuiſſe formulam abſolvendi a pœnis canonicis; cùm nec formula hæc comparuerit hactenus; nec uſquam exiſterit: quandoquidem nec gravior morbus impediret, quominus poſt recuperatam valetudinem ſuperſtes Pœnitentia adimpleretur; tum quia Clericorum minimus, hanc a pœnis canonicis, imo & ab ipſa excommunicatione abſolutionem deferre potuiſſet; adeoque nihil opus fuiſſet Sacerdotem aut Diaconum eo fine ad infirmos deputari. 15

Non 2. Collata enim Diaconis ægrotantes lapſos a cenſuri abſolvendi poteſtas, pro objecto habuiſſet excommunicationem, qua iidem ligati ſupponuntur. Atqui fictitia eſt excommunicatio illa. Hæc enim vel fuiſſet major; vel minor, ut Nat. Alexandro videtur. Atqui 1. non erat major. Major ſiquidem excommunicatio non incurrebatur niſi per Eccleſiæ ſententiam, vel per ſchiſma, quatenus qui renuntiabant fidem, ſemetipſos ab Eccleſiæ communione ſcindebant. Atqui infirmi *Libellatici*, de quibus agit Cyprianus, neutro ligati erant genere excummunicationis. Non per ſententiam; cum nulla ejus ullibi extent veſtigia. Non per ſchiſma: excommunicatio enim ſic contracta, & vi cujus nec lapſi cum aliis Fidelibus, nec Fideles alii cum lapſis communicare poterant, deſinebat ſtatim ac conſtituebantur in ordine Pœnitentium. Ii porro de quibus loquitur Cyprianus, jam in eo ordine conſtituti erant. Eos nimirum Cyprianus *fratres* vocat; *Occurrendum puto fratribus noſtris*. Atqui ii ſolum, juxta Cypriani phraſim, fratrum cognomine donabantur, qui jam a cenſuris ſoluti erant. *Pœnitentes*, ait Epiſt. 9. *per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri, jus fraternitatis acceperunt*. Ergo Pœnitentes per Diaconos non abſolvebantur a majori excommunicatione; quæ, uti fatetur Nat. Alexander, jam ſublata erat. 16

Sed neque, quidquid miſere reſpondeat idem Nat. Alexander, ſolvebantur ab excommunicatione minori. Cum de hac, Cypriani temporibus, nuſquam actum fuerit. Ergo ſupereſt ut a peccatis ſolverentur. 17

3. De ea loquitur abſolutione Cyprianus, quam lapſis impendi optaverant Martyres. Atqui hæc ipſa erat abſolutio a peccatis. Hæc enim ſola erat quæ *ad Dominum* ducit *cum pace;* non abſolutio a cenſuris, quæ damnationem non impedit; quæque, ut ſtatim diximus, eo ipſo lapſis conceſſa fuerat, quo Pœnitentibus annumerari obtinuerant. 18

Et vero ad quid tanta ſancti Præſulis attentio, ſi de ſola a cenſuris abſolutione actum eſſet. Ut quid expectat, non dico morbum; ſed ipſum ferme Pœnitentis exitum, niſi quia de re maximi momenti agebatur, quæque nonniſi a Sacerdotibus, ipſoq; etiã Epiſcopo, extra graviſſimæ neceſſitatis caſum, perficienda erat. 19

4. Lapſi de quibus ſermo eſt, ex Cypriani Decreto tenebantur exomologeſim, ſeu confeſſionem peragere apud Diaconos. Atqui ad id obligari non potuiſſent, niſi a delictis ſuis per Diaconos potuiſſent abſolvi. Confeſſio enim ad abſolutionem relativa eſt. 20

Con-

temporis datam, eſſe vere & proprie ſacramentalem: unde peccata ſic confeſſa denuo clavibus, ſi fieri poſſet, ſubjici voluerunt. *Ille qui Laico confitetur*, ait D. Thomas, diſt. 20. q. unic. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. *quamvis impleat quod ex parte ſua eſt de ſacramentali confeſſione, tamen ſacramentalem abſolutionem non conſequitur*. Concinit id Magiſtri Sentent. Lib. 4. diſt. 17. *Tanta vis eſt confeſſionis, ut ſi deeſt Sacerdos, confiteatur*, Pœnitens *proximo. Et ſi ille cui confitebitur, poteſtatem ſolvendi non habet, fit tamen dignus venia ex deſiderio Sacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis*. Ubi abſolutio Laica non valet, niſi quatenus adeundi Sacerdotis, & Sacramenti ab eo ſuſcipiendi votum importat.

11 Objic. 2. S. Cyprianus Epiſt. 12. quæ eſt ad Preſbyteros & Diaconos Eccleſiæ Carthaginenſis: *Quoniam*, inquit, *video, facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam æſtatem cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis & gravibus infeſtatur, occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud Presbyterum quemque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint; ut manu eis in Pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſideraverunt.*

Circa hæc verba, quæ non parum habent difficultatis, ideoque per modum diſſertationis tractanda veniunt, tria quærit Gallicus Scriptor vitæ S. Cypriani ann. 1717. editæ p. 553. & ſeq. 1. Utrum ſenſerit Cyprianus Diaconos in neceſſitatis caſu ſacramentaliter abſolvere poſſe; 2. Utrum id ſolus ſenſerit ipſe, an non idem cum ipſo exiſtimaverint Eccleſiæ variæ; 3. quod juris eſt, an ita ſentiendo erraverint.

12 Circa primum caput ſic affirmative progreditur citatus Scriptor p. 557. 1. Cyprianus hic concedit Diaconis ob abſentiam Presbyteri, id quod concedit Presbyteris ob abſentiam Epiſcopi: *Non expectata*, inquit, *præſentia noſtra*, &c. Atqui Cyprianus dubio procul permiſit Presbyteris, ut infirmos de quibus agitur, à peccatis, potiſſimum vero ab idololatriæ reatu, ſacramentaliter abſolverent. Ergo & idem permiſit Diaconis. Quod & diſertim indicat particula *quoque*, quæ eo loci parem Diacono ac Presbytero potentiam concedi probat; & ex natura ſua, utpote quæ copulativa ſit, Presbyterum & Diaconum erga Pœnitentem in iiſdem functionibus conſociat. Et verò ridiculum eſt dictu, quatuor verba ex æquo per S. Cyprianum Presbyteris & Diaconis applicata, aliud pro Preſbyteris, aliud pro Diaconis ſignificare; quomodo dictu ridiculum fuerit, hæc ſupremi Principis verba: *Qui apud primum Præſidem ſcelus ſuum confitebitur, vel, eo abſente, apud Senatorem, is e carcere & compedibus ſolvetur*: non parem Senatori ac Præſidi poteſtatem tribuere.

13 Confirm. quia quod alicui negatur intra certam hypotheſim, eidem extra eamdem hypotheſim conceſſum intelligitur. Si enim dixero non poſſe Chriſtianum Feria VI. veſci carnibus, niſi ægrotet; ſtatim intelligitur, eum, ſi ægrotet, carnibus veſci poſſe. Ergo qui dicit non licere Diacono, præſente Sacerdote, abſolvere a peccatis; ſtatim intelligitur dicere, Diaconum id poſſe abſente Presbytero.

2. Vel

Digitized by Google

2. Vel poteſtas a Cypriano Diaconis conceſſa, in eo eſt ut a peccatis 14
abſolvant, vel ut a pœnis canonicis, quæ lapſis excurrendæ erant; vel de-
mum ut a cenſuris. Atqui neutrum e poſtremis duobus dici poteſt.

Non 1. Tum quia inſana fuiſſet agendi ratio illius, qui Eccleſiæ Mini- 15
ſtros eo tantum fine miſiſſet, ut hominem jam jam moriturum eximeret
a jejunio, vigiliis, aliiſque laboribus, a quibus per ingruentem mortem
ſat ſuperque erat illico eximendus. Tum quia gratis ſupponitur, aliquam
in veteri Eccleſia fuiſſe formulam abſolvendi a pœnis canonicis; cùm nec
formula hæc comparuerit hactenus; nec uſquam exiſterit: quandoquidem
nec gravior morbus impediret, quominus poſt recuperatam valetudi-
nem ſuperſtes Pœnitentia adimpleretur; tum quia Clericorum minimus,
hanc a pœnis canonicis, imo & ab ipſa excommunicatione abſolutionem
deferre potuiſſet; adeoque nihil opus fuiſſet Sacerdotem aut Diaconum
eo fine ad infirmos deputari.

Non 2. Collata enim Diaconis ægrotantes lapſos a cenſuri abſolven- 16
di poteſtas, pro objecto habuiſſet excommunicationem, qua iidem liga-
ri ſupponuntur. Atqui fictitia eſt excommunicatio illa. Hæc enim vel fuiſ-
ſet major; vel minor, ut Nat. Alexandro videtur. Atqui 1. non erat ma-
jor. Major ſiquidem excommunicatio non incurrebatur niſi per Eccleſiæ ſen-
tentiam, vel per ſchiſma, quatenus qui renuntiabant fidem, ſemetipſos ab Ec-
cleſiæ communione ſcindebant. Atqui infirmi *Libellatici*, de quibus agit Cy-
prianus, neutro ligati erant genere excommunicationis. Non per ſenten-
tiam; cum nulla ejus ullibi extent veſtigia. Non per ſchiſma: excommu-
nicatio enim ſic contracta, & vi cujus nec lapſi cum aliis Fidelibus, nec
Fideles alii cum lapſis communicare poterant, deſinebat ſtatim ac conſti-
tuebantur in ordine Pœnitentium. Ii porro de quibus loquitur Cyprianus,
jam in eo ordine conſtituti erant. Eos nimirum Cyprianus *fratres* vocat;
Occurrendum puto fratribus noſtris. Atqui ii ſolum, juxta Cypriani phraſim,
fratrum cognomine donabantur, qui jam a cenſuris ſoluti erant. *Pœniten-
tes*, ait Epiſt. 9. *per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri, jus fraternitatis ac-
ceperunt*. Ergo Pœnitentes per Diaconos non abſolvebantur a majori ex-
communicatione; quæ, uti fatetur Nat. Alexander, jam ſublata erat.

Sed neque, quidquid miſere reſpondeat idem Nat. Alexander, ſolve- 17
bantur ab excommunicatione minori. Cum de hac, Cypriani tempori-
bus, nuſquam actum fuerit. Ergo ſupereſt ut a peccatis ſolverentur.

3. De ea loquitur abſolutione Cyprianus, quam lapſis impendi opta- 18
verant Martyres. Atqui hæc ipſa erat abſolutio a peccatis. Hæc enim ſo-
la erat quæ *ad Dominum* ducit *cum pace;* non abſolutio a cenſuris, quæ
damnationem non impedit; quæque, ut ſtatim diximus, eo ipſo lapſis
conceſſa fuerat, quo Pœnitentibus annumerari obtinuerant.

Et vero ad quid tanta ſancti Præſulis attentio, ſi de ſola a cenſuris abſolutione 19
actum eſſet. Ut quid expectat, non dico morbum; ſed ipſum ferme Pœnitentis
exitum, niſi quia de re maximi momenti agebatur, quæque nonniſi à Sacerdoti-
bus, ipſoq; etiã Epiſcopo, extra graviſſimæ neceſſitatis caſum, perficienda erat.

4. Lapſi de quibus ſermo eſt, ex Cypriani Decreto tenebantur exo- 20
mologeſim, ſeu confeſſionem peragere apud Diaconos. Atqui ad id obli-
gari non potuiſſent, niſi a delictis ſuis per Diaconos potuiſſent abſolvi.
Confeſſio enim ad abſolutionem relativa eſt.

Con-

21 Confirm. Illi a peccatis abſolvebant, conſequenter ad quorum abſolutionem lapſi Euchariſtica communione reficiebantur. Atqui conſequenter ad datam a Diaconis abſolutionem lapſi, &c. Scilicet enim lapſi illi ibant ad Dominum *cum pace*. Atqui juxta Cyprianicam locutionem, *pacis* nomine deſignatur Euchariſtia. Minor, quam confitetur Nat Alexander, patet ex verbis Cypriani Epiſt. 52. ad Cornelium Papam, ubi pax & communio promiſcue ſumuntur. *Nunc*, inquit, *non infirmis*, *ſed fortibus pax neceſſaria eſt* ∴ *ut quos excitamus & hortamur ad prælium*, *non inermes & nudos relinquamus*, *ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus*. Ergo, ait citatus Auctor, jam conſtat, Diaconos abſolutionis ſacramentalis Miniſtros eſſe poſſe juxta Cyprianum.

22 Quod autem opinio hæc non fuerit Cypriani ſolius, ſed ab Eccleſiis
T. 1. pluribus admiſſa, probat idem Vitæ Cypriani Scriptor, 1. ex Can. 32.
Conc. p. 974. Illiberitanæ Synodi, ubi ſic habetur: *Apud Presbyterum*, *ſi quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit*, *placuit agere Pœnitentiam non debere*, *ſed potius apud Epiſcopum*: *cogente tamen infirmitate*, *neceſſe eſt Presbyterum communionem præ-*
Ibid. p. 997. *C. D.* *ſtare debere*, *& Diaconum*, *ſi ei juſſerit Sacerdos*. Atqui, ut notat Albaſpineus in hunc locum & alibi paſſim, *communio* quam morituris dari oportebat, ipſa erat Sacramentalis abſolutio, qua imprimis egebant Pœnitentes.

23 2. Ex Alcuino, qui Lib. de divinis Officiis Cap. de Jejunio: *Si neceſſi-*
Pag. *tas evenerit*, inquit, *& Presbyter non fuerit præſens*, *Diaconus ſuſcipiat Pœni-*
1036. *D.* *tentem*, *ac det ſanctam communionem*: quæ verba & eundem cum Illiberitanis ſenſum habent, & in antiquo Ordine Romano reperiuntur.

24 3. Ex Concilio Eboracenſi an. 1194. ubi Patres: *Decrevimus etiam*, *ut nonniſi ſumma & gravi urgente neceſſitate Diaconus baptiſet*, *vel corpus Chriſti cuiquam eroget*, *vel Pœnitentiam confitenti imponat*. Quis porro Pœnitentiam confitenti impoſitam, & ab Euchariſtiæ adminiſtratione diſtinctam, idem cum abſolutione eſſe inficietur.

25 4. Ex Concilio Londinenſi ann. 1200. Cap. 3. cujus hæc ſunt verba: *Non liceat Diaconis baptiſare*, *vel pœnitentias imponere*, *niſi duplici neceſſitate*: *videlicet quia Sacerdos non poteſt*, *vel abſens eſt*, *vel ſtulte non vult*, *& mors imminet puero*, *vel ægro*.

26 5. Ex Odone de Soliaco, circa an. 1208. mortuo, qui in Synodalibus Statutis, num. 56. *Prohibemus diſtricte*, inquit, *ne Diaconi ullo modo audiant confeſſiones*, *niſi in actiſſima neceſſitate*: *claves enim non habent*, *nec poſſunt abſolvere*. Hic permittitur Diaconis *in arctiſſima neceſſitate*, quod extra caſum ejus ſibi temere arrogabant. Atqui Odonis tempore crebro uſurpabant Diaconi Miniſterium audiendi confeſſiones, proinde abſolvendi, ut patet ex Concilio Pictavienſi ſub idem tempus habito, ubi Can. 3. hæc leguntur: *Abuſum erroneum eradicare valentes*, *inhibemus ne Diaconi confeſſiones audiant*, *& ne in foro Pœnitentiæ abſolvant*; *cum certum ſit ipſos abſolvere non poſſe*.

27 6. Ex Petro Cantore in ſumma fol. 205. *Numquid*, ait, *poteſt Diacono præcipere Papa ut audiat generales confeſſiones? De Officialibus Epiſcopi*, *& Archidiaconis forte concedendum quod habeant uſum clavium ad tempus*, *etſi claves non habeant*, *quia talis poteſtas non datur niſi cum Ordine Sacerdotali*. Ubi negatur quidem Diaconis clavium poteſtas, ſed non omnimode earum uſus, ſi acceſſerit Pontificia deputatio.

7. ex

7. ex Stephano Auguſtodunenſi, juxta quem *Diaconi in quibuſdam habent vices Sacerdotis, ut in miniſterio baptizandi, communicandi, delicta Pœnitentium miſericorditer ſuſcipiendi*. 28

Huc facit Cap. 2. *de furtis*, ubi hæc: *Fures & latrones, ſi in furando & deprædando occiduntur, viſum eſt pro eis non eſſe orandum; ſed ſi comprehenſi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confeſſi fuerint communionem eis non negamus*; quæ verba ex Triburienſi Concilio deſumpta ſunt, & a Burchardo, Yvone Carnotenſi, & a Pithæis fratribus, ut modo a nobis, referuntur. Unde hic nullus irrepſit lectionis error. 29 Lib. 5. Tit. 18.

Quod ad tertium quæſtionis Caput attinet, an nimirum erraverint Cyprianus, & quæ ei in committenda Diaconis abſolutione aſſenſerunt Eccleſiæ, duo docet prædictus Auctor, 1. errorem, ſi quis hic fingatur, tantum materialem fuiſſe: qualis & ille fuit, quo cum pluribus Eccleſiis exiſtimavit Cyprianus, nullum eſſe Baptiſma collatum ab hæreticis. 2. ligandi & abſolvendi poteſtatem, non uni Petro collatam eſſe, ut Romani fingunt, ſed Paſtorum, imo & ipſi totius Eccleſiæ Corporis, a quo poſſit, pro ſapienti ejus nutu, non Presbyteris tantum, ſed & Diaconis communicari. Sed quidni & inferioribus Clericis, quidni Laicis, quidni mulieribus? Verum his nunc omiſſis, quæ fuſius perpendi, fuſius & confutari mereantur; videndum an non ſolvi poſſint, quæ ex Cypriano, & Conciliis aliquot particularibus objecta ſunt. Itaque 30

Reſpondent nonnulli apud Tournelyum pag. 206. abſolutionem de qua citata Epiſtola loquitur Cyprianus, ſacramentalem fuiſſe, ſed hanc a Diaconis, velut interpretibus atque internuntiis, Epiſcoporum vel Presbyterorum nomine, non autem tanquam a Miniſtris veris, fuiſſe delatam. Nimirum, inquiunt, tunc temporis exiſtimabant plures abſentem ab abſente per medium alterius poſſe abſolvi: quod illuſtri Serapionis exempla probari contendunt. Cum enim ad eum miſſa fuerit a Sacerdote Euchariſtia, debuit & ſimul mitti abſolutio. 31 Euſeb. l. 6. c. 44.

Verum ſolutio hæc, quam intactam relinquit vir doctiſſimus, duplici ex capite notat; 1. quia tam inferiores Clerici, imo & Laici datæ ab Epiſcopo vel Sacerdote abſolutionis internuncii eſse potuiſent quam Diaconi, præſertim in caſu neceſſitatis; & tamen ſolis Diaconis facultatem pro tunc abſolvendi committit Cyprianus. 2. vel abſolutionis verba proferebat Epiſcopus abſens, vel ea, vi ab ipſo accepta proferebat Diaconus. Non 1. quo enim pacto Miniſter abſens, & qui ægroti morbum ac perſonam ſæpius neſciebat, circa ipſum abſolutionis verba pronuntiaſſet? Si 2. vicerunt adverſarii: vere enim eſt abſolutionis Miniſter, licet extraordinarius, qui collata ſibi a Superioribus potentia ineptum ligat, & idoneum abſolvit; ſicut extraordinarius eſt Confirmationis Miniſter, qui eandem ex delegata ſibi facultate adminiſtrat. Hac ergo ſepoſita ſolutione. 32

R. ad 1. ſupra n. 30. neg. maj. Verba enim Cypriani accommodate intelligi debent, ita ut abſente Sacerdote præſtet Diaconus id quod poteſt, ſeu vi Ordinis, ſeu vi Juriſdictionis ſibi per Epiſcopum commiſsæ. Neque neceſsarium fuit ut S. Martyr enucleatius mentem ſuam evolveret; cum Diaconorum poteſtatis limites omnibus noti forent. 33

Nec nocet ea, quam Cyprianus Sacerdotes inter & Diaconos inſtituit com- 34

paratio, ſed prodeſt; quia ne ipſis quidem Sacerdotibus licebat lapſos abſolvere ſacramentaliter: cum horumce abſolutio Epiſcopis vulgo reſervata foret, ut ſubindicat citata Epiſtola, & apertius liquet ex Epiſt. 17. & 18.

35 Moram non facit vocula *quoque* cui multum innititur adverſarius. Nec enim ejuſdem ſemper rationis ſunt, quæ eodem textu colligantur. Sic in Decreto Jeroſolymitano vetita ſunt idololatitia, ſuffocata & fornicatio. Abſit porro ut idem de omnibus feratur judicium: unde fieri poteſt, non ſolum ut verba quatuor, ſed ut idem verbum ſenſus plane diverſos inferat. Atqui hinc collabitur paritas e verbis Principis ſupremi deprompta. Si enim omnibus notum foret, Senatorem nonniſi partem gratiæ regiæ largiri poſſe, nihil profecto ambigui haberet declaratio regia in exemplum adducta. Porro nemini ignotum erat, plus poſſe vi Ordinis Sacerdotes, quam Diaconos quoad lapſorum reconciliationem: vi Ordinis, inquam, jam enim diximus juriſdictionem Presbyterorum quoad lapſos ab Epiſcopis ligatam fuiſse.

36 Ad confirm. ſupra n. 13. juxta nos competebat Diaconis abſente Presbytero, quod iiſdem non competebat eo præſente, nimirum ut lapſos ſolverent a cenſuris, vel quadantenus a pœnis canonicis. Id enim & nihil aliud a Cypriano intentum credimus. Unde

37 R. ad 2. ſupra n. 14. 15. 16. & 17. neg. min. & dico abſolutionem hanc fuiſſe ab excommunicatione quaſi minori, qua irretiti erant lapſi. Nec eſt quod exclamet Scriptor vitæ S. Cypriani; ignotam fuiſſe antiquis diviſionem excommunicationis in majorem & minorem. Annon enim lapſi de quibus ſermo eſt a ſacra Communione per Eccleſiaſticam legem arcebantur? Atqui idipſum eſt quod a nobis vocatur excommunicatio minor. Ignotum fuerit nomen, quid tum; modo res ipſa in uſu fuerit? Porro lapſos de quibus agitur, a Sacramentis excluſos fuiſſe, fateri debet tum adverſarius ipſe, juxta quem mittebantur Diaconi, ut eis pacem ſeu communionem reſtituerent; tum quiſquis in Scriptis S. Cypriani verſatus eſt. Docet enim S. Martyr Lib. de Orat. Domin. hanc excommunicationis ſpeciem gravioribus quibuſque delictis annexam fuiſse: *Intercedente*, inquit, *aliquo graviore delicto*, *abſtenti & non communicantes a cæleſti pane prohibemur*. Hanc porro abſolutionem non tollebat, niſi abſolutio ſacramentalis, vel indulgentia Eccleſiæ ad Martyrum preces conceſsa; cujus applicandæ, ſi urgeret lapſorum exitus, Diaconis poteſtas fiebat. Ita Nat. Alexander Diſsert. IV. in Hiſtor. ſeculi III. pag. 635. alias 684.

38 Huc redit ſolutio Haberti Cap. 5. juxta quem Cyprianus his verbis: *Manu eis in Pœnitentiam impoſita*, permittit, non quidem ut Diaconi ſacramentaliter a peccatis abſolvant, ſed ut pœnas canonicas relaxent Pœnitentibus, eoſque Eccleſiæ communioni reſtituant. Nimirum, inquit, ea in Epiſtola ſermo eſt de lapſis publice Pœnitentibus, quorum alii jam duros Pœnitentiæ labores ferebant; alii necdum Pœnitentiæ ſtadium ingreſſi, ad illud admitti ſupplices efflagitabant. His porro Epiſcopus, & cum ipſo Presbyteri atque Clerici inferiores imponebant manus in Pœnitentiam, cui tunc ſubjiciebantur. Interim vero, donec ſtadium decurriſſent, a ſacris abſtinebant Myſteriis, & ideo *abſtenti* dicebantur. Cum autem Martyres pro perfecta eorum reconciliatione ſupplices ad Cypria-

num

num libellos ſcripſiſſet; S. Præſul, ob perſecutionem abſens tunc temporis: ſcribit ed Clerum, permittitque, ut ſi qui Pœnitentes in gravi verſentur periculo, eos reconciliet Presbyter, quamvis juxta receptam Eccleſiæ diſciplinam illud eſſet munus Epiſcopi. Quod ſi deſit Presbyter, concedit Cyprianus, ut accepta eorum exomologeſi manum eis imponat Diaconus in Pœnitentiam, quam ſi convaluerint; perſolvere teneantur; continuoque ab excommunicatione, qua ſacris interdicebantur, illos abſolvat, & Eccleſiæ reconciliatos; Viatico corporis Chriſti reficiat, ut ita veniant ad Dominum cum pace. Quia, inquit S. Thomas Suppl. quæſt. 8. a. 2. *quamvis Sacramentum efficere non poſſit*, qui non eſt Sacerdos, *defectum tamen Sacerdotis ſummus Sacerdos ſupplet*, nimirum propter Pœnitentiam, humilitatem, contritionem, ac fervens ſuſcipiendi Sacramenti deſiderium. Atque ſic Cyprianus annuit, quantum poteſt, votis Martyrum. Hactenus ſupra laudatus Magiſter.

39 Ad hujus porro ſolutionis lucem vaneſcunt adverſarii objectiones. Mittebatur Diaconos ad infirmum; ut in vicem Epiſcopi & Sacerdotis, præſtandam ab ipſo, ſi convaleſceret, Pœnitentiam injungeret; eumque ad Euchariſtiam diſpoſitum ſacro Viatico reficeret. Non mittebatur autem Clericus inferior, (licet abſolute mitti potuiſſet, ut puer ad Serapionem) ſicut præſente Epiſcopo, non mittebatur ipſe Sacerdos. Quid hic, quæſo, abſurdi?

Ad 3. ſupra n. 18. dabat Cyprianus ad Martyrum preces quidquid hic & nunc indulgere poterat. An ſi ut Sacerdos, ſic & Diaconus abfuiſſet, Martyrum vota impleri potuiſſent? Credet forte avverſarius, conſequenter ad ſyſtema ſuum de tradita toti Eccleſiæ clavium potentia, potuiſſe tunc ad infirmi abſolutionem deputari Laicum. At id nec Eccleſia crederet, nec Cyprianus fecit, qui ſane hos extremæ neceſſitatis caſus prævideraτ.

40 Aſt, inquit ſupra n. 19. quorſum illa S. Præſulis attentio, &c.? Quorſum? quia non minimi erat hominem a quacumque cenſura ſolvi, inter Pœnitentes adſcribi, Euchariſtia donari, & quantum per circumſtantias licebat, mori in pace.

41 Ad 4. ſupra n. 20. neg. min. quæ ſtare non poteſt ſi oſtendatur fuiſſe apud antiquos exomologeſim, ſeu delicti confeſſionem, quæ ſacramentalis non eſſet. Atqui conſtat ex veteribus monumentis. Id enim indicat vetus Eccleſiæ Decretum, quod Arauſicano Concilio ann. 441. tribuunt Gratianus, Burchardus & alii. Ibi nempe præcipitur, ut *excommunicatus, vel anathematiſatus*, qui *Pœnitentia ductus, veniam poſtulat, & emendationem promittit*, ab Epiſcopo interrogetur an *Pœnitentiam juxta quod Canones præcipiunt, pro perpetratis ſceleribus ſuſcipere velit: Et ſi ille terra proſtratus veniam poſtulat, culpam confitetur, Pœnitentiam implorat, & de futuris cautelam ſpondet, tunc Epiſcopus apprehenſa manu ejus dextera illum introducat, & ei communionem & ſocietatem Chriſtianam reddat*, &c. Atqui confeſſio illa quæ fiebat coram Epiſcopo, Presbyteris duodecim, atque iis etiam quibus injuriam irrogaverat Pœnitens; etſi prævia foret ad communionem Chriſtianam conditio, non erat tamen ſacramentalis. Ergo nec neceſſum eſt ut ſacramentalis fingatur confeſſio apud Diaconos peracta.

XI. q. 3. Can. 108.

42 Et vero exomologeſis nomen, etſi ſæpius apud Veteres ſacramentalem confeſſionem ſignificat, non raro etiam exprimit ultimum illum ſolemnis Pœnitentiæ ritum, quo lapſi coram Presbyteris, Diaconis, & occurrente multitudine ſua deteſtabantur crimina, ſeque nuſquam ad vomitum reverſuros ſanctiſſime dejerabant. Hoc ſenſu vocabulum illud accipit Tertullian. Lib. de Pœn. ubi, *Exomologeſis*, inquit, *proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt.·. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat: cum ſqualidum facit, magis mundat*, &c. Concinit Cyprianus ipſe Epiſt. 12. his verbis: *Cum in minoribus delictis Pœnitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat, inſpecta vita ejus qui agit Pœnitentiam, nec ad communionem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo & Clero manus fuerit impoſita*. Hic porro exomologeſis ritus eſt quidam exterior a confeſſione proprie dicta longe diverſus, proinde ab exomologeſis nomine, quo in objecto loco utitur Cyprianus, nihil deduci poteſt.

43 Nec adverſarium juvat, quod S. Martyr hujuſmodi lapſis manum a Diaconis imponi velit. Tum quia hæc manus impoſitio nihil ut plurimum erat quam oratio ſuper Pœnitentem, ut docet Auguſtinus, Tum quia impoſitio illa a minoribus etiam Clericis fiebat; & hi tamen non abſolvebant ſacramentaliter.

44 Ad confirmat. ſupra n. 32. 1. neceſſum non eſt ut pacis nomine Euchariſtia ipſa intelligatur; per eam enim intelligi poteſt Eccleſiaſtica & canonica reconciliatio; quæ ante concederetur quam Euchariſtia. Neque aliud exigit objectus Cypriani textus.

45 2. Neg. maj. & dico Pœnitentibus hujuſmodi conceſſam fuiſſe communionem non præmiſſa ſacramentali abſolutione: quomodo nunc Sacerdos, cui deeſt Confeſſarii copia, elicito ſolum contritionis actu celebrare poteſt. Neque nos fugit incumbere Sacerdoti huic neceſſitatem celebrandi, cui æger prope moriturus non ſubjacet quoad Viaticum, cujus ſuſceptio non eſt ad ſalutem neceſſaria. Verum non hic inquirimus, an tutior ſit præſens Eccleſiæ diſciplina, moribundo, qui confiteri nequit, Viaticum recuſans, quam quæ olim id permiſiſſe dicitur; bene vero an id olim de facto nonnunquam permiſſum fuerit. Atqui certum eſt aliquando conceſſam fuiſſe Euchariſtiæ participationem iis qui ſacramentaliter reconciliati non fuiſent. Atque id patet ex hiſtoria Serapionis, qui cum turpiter idolis ſacrificaſset, nec unquam potuiſset Eccleſiæ reconciliari, Euchariſtica communione, ad ſe per puerum delata recreatus eſt; cum Sacerdos, morbo aut aliter detentus, ad eum abſolvendum venire non potuiſset. Ergo a fortiori potuit iis Viaticum tribui, qui a Diaconis utcumque abſoluti fuiſent.

46 Reponit Scriptor vitæ Cyprianicæ, 1. hiſtoriam hanc Serapionis ſapere fabulam: ut quæ veteris diſciplinæ praxim penitus ſubvertat. 1. Quia etſi aliquando permiſſum eſt Laicis, ut ſibimet ipſis communionem adminiſtrarent, nuſquam tamen id conceſſum eſt apoſtatis, qualis erat Serapion, qui nequidem Pœnitentium ordini adſcriptus erat, ut teſtatur Euſebius Lib. 6. Hiſt. Cap. 44. 2. Quia ne ii quidem qui ad Pœnitentiam admiſſi erant, ab alio quam ab Eccleſiæ Miniſtro ſacra communione donabantur. Qui ergo fieri potuit ut eam Serapion, necdum inter Pœnitentes poſitus, a puero reciperet. Sane id Serapion ipſe pro illicito habuit; neque enim ad Euchariſtiæ, ſed ad abſolutionis receptionem

Preſ-

Presbyterum accerſivit. *Properate*, inquit, *& me quantocius abſolvite: acerſe mihi unum ex Presbyteris.*

47 Reponit 2. ſuppoſita hiſtoriæ Serapionis veritate, tantum ex ea ſequi, Presbyterum hunc, qui Euchariſtiam per puerum miſit, officio ſuo, ſive ex ignorantia, ſive ex incuria defuiſſe. Cum expreſſe prohibitum eſſet, ne quis Laico aut feminæ communionem ad infirmum traderet; prout ex S. Udalrico in notis ad hanc hiſtoriam obſervat Valeſius.

48 Verum duplex hæc reſponſio temeritatem prodit Auctoris. Prima quidem: Ecquid enim tandem certi ex hiſtoriis colligi poſſit, ſi facta a Scriptoribus pene coætaneis, ex tutiori monumentorum fide relata, levibus adeo de cauſis vocentur in dubium? Enim vero licet extra Eccleſiam foret Serapion, annon eum abſens Sacerdos in tantæ neceſſitatis caſu a cenſuris abſolvere potuit? An Canones, qui prohibebant, ne ab aliis quam ab Eccleſiæ Miniſtris Euchariſtia reficerentur Pœnitentes, ipſos etiam ſummæ & omnimodæ neceſſitatis caſus complectebantur? an vigebant ubique? En quæ ab Auctore fuiſſent diſcutienda: & is nequidem Canones illos adducit. Certum igitur ſit ſuſpectam non eſſe Serapionis hiſtoriam, de qua ne minimum quidem dubitat Valeſius: imo qua contra doctiſ Albaſpinæum utitur, ut probet conceſſam aliquando fuiſſe Euchariſtiam non præmiſſa ſacramentali a peccatis abſolutione.

49 Secunda reſponſio longe deterior eſt, nec malæ fidei ſuſpicionem evadit; 1. quia Presbyteri illius agendi ratio nullatenus redarguitur a S. Dionyſio Alexandrino, qui e contra ſupponit Serapionem hoc modo veniam fuiſſe conſecutum. *Annon*, inquit S. Pontifex Epiſt. ad Fabium Antiochenſem, quam refert Euſebius, *annon apparet eum*, Serapionem, *reſervatum fuiſſe, ac tantiſper in vita permanſiſſe quoad reconciliaretur, ut deleto crimine pro multis, quæ* (ante & poſt lapſum) *geſſerat bonis operibus, a Chriſto agnoſci poſſet & prædicari. Hæc Dionyſius.*

50 Quod ſpectat ad Synodalem Epiſtolam S. Udalrici, (vel potius Ratherii Veronenſis Epiſcopi, prout ex vetuſto Codice Laudunenſi colligit Valeſius) 1. ea nobis non nocet: cum diu poſt ſcripta fuerit, adeoque vim habere nullam potuerit tempore S. Dionyſii Alexand. Neque ſi eo vivente ſcripta fuiſſet, in Alexandrina urbe, ubi degebat Serapion, vim ullam fuiſſet habitura. 2. Plurimum nos juvat, cum probet, uti advertit Valeſius, morem Euchariſtiæ ad ægros per Laicum deferendæ, diu admodum viguiſſe in Eccleſia, & ita ſenſim invaluiſſe, ut per Epiſcopos corrigi debuerit. Ergo jam conſtat ex obſcuro Cypriani textu nihil inferri poſſe, quo abſolutionis miniſterium Diaconis certo aſſeratur. Age videamus an plus urgeant cetera adverſariorum momenta.

51 Ad 1. ex Illiberitano Concilio, ſupra n. 22. R. cum Nat. Alexandro *communionis* nomine intelligi abſolutionem tantum canonicam. Agitur enim de ſolemni reconciliatione, qua Pœnitentes Eccleſiaſticæ communioni reſtituebantur: quæque licet adeo propria foret Epiſcoporum, ut vel Chorepiſcopis prohibita eſſet, nihilominus, urgente periculo, a Preſbyteris, imo & a Diaconis, ex Epiſcopi nutu perfici poterat. Hæc autem reconciliatio fiebat per impoſitionem manus: & iis qui de Pœnitentibus *ordinati* erant *in Diacones* prohibita erat. Unde obiter convellitur alia Morini objectio ex Can. 2. Concilii Toletani I. deprompta.

52 Ad 2. ex Alcuino, ſupra n. 23. Pœnitentium ſuſceptio ſpectat exterioris fori juriſdictionem & abſolutionem canonicam, cujus impendendæ provincia, non Diaconis modo, ſed & inferioribus Clericis demandari potuiſſet, niſi hanc in neceſſitatis caſibus ſequi debuiſſet Euchariſtiæ porrectio, quæ præcipua quadam ratione ſpectabat ad Diaconos. Quod autem Alcuinus & Ordo Romanus ſacramentalis abſolutionis facultatem Diaconis abnegarint, perſpicuum eſt ex his utriuſque verbis: *Claves Regni Cæleſtis ſolis Epiſcopis vel Presbyteris traditæ ſunt.*

53 Ad 3.4.& 5. ſupra n. 24.& ſeq. conceſſum quidem eſt Diaconis in extrema neceſſitate, ut auditis confeſſionibus imponerent Pœnitentias; non autem ut abſolverent ſacramentaliter. Erat ergo hæc apud Diaconos confeſſio cæremonia quædam ex earum numero, quas Theologi vocant *ſacramentalia*; per quam in impotentia verum conſequendi Sacramentum, excitabatur moribundi contritio, & ſuper eum fundebantur preces, ut *ſummus Sacerdos* ſuppleret *defectum Sacerdotis*; qua etiam de cauſa ipſis aliquando Laicis fiebat confeſſio. Et vero Odo de Soliaco in objecto textu expreſſe negat Diaconos abſolvere poſſe, quod & definit Concilium Pictavienſe.

54 Ad 6. n.27. Eſto dubitet Petrus Cantor an Diaconus ad audiendas confeſſiones a Romano Pontifice deputari poſſit: an non ibidem etiam dubitat an ad tempus deputari poſſit ad celebrandum? ex hujuſmodi vero dubiis quid inferri poſſit?

55 Ad 7. n. 28. eadem recurrit ſolutio: nimirum loquitur Stephanus Æduenſis de remiſſione peccatorum in exteriori foro & quoad pœnas canonicas, quæ a Diaconis ex Epiſcoporum juſſu relaxari poterant.

56 At, inquies, Adrianus I. in Canonum Synopſi ſic refert Canonem ſecundum Concilii Ancyrani: *Idem de Diaconibus fiat, ſi ſimiliter peccaverint, ſic ut digne Pœnitentibus parcere poſſint.* Parcere vero quid aliud eſt quam abſolvere?

57 Verum reponi facile poteſt cum Nat. Alexandro, 1. verba hæc paſſive accipienda eſſe reſpectu Diaconorum, non active; ideoque hunc eſſe eorum ſenſum, ut Diaconi, ſi peccaverint, Pœnitentiæ legibus ſubjaceant, ſic tamen ut iis parcere poſſint Epiſcopis, ſi Pœnitentia ſibi impoſita digne defungantur. 2. Eadem verba, ſi active intelligantur, de exteriori tantum reconciliatione eſſe accipienda.

58 Ad 8. ſupra n. 29. mendum eſt in textu, unde pro verbis iſtis, *Presbytero & Diacono* legendum eſt, *Presbytero & Deo*, prout habetur in Triburienſi Concilio ex quo caput iſtud deſumptum eſſe notatur. Quanquam ſi legere malis *vel Diacono*, nihil hinc contra nos, quia confeſſio hæc non erat ſacramentalis: unde Gloſſa in hoc caput ait: *In neceſſitate etiam Laico.*

59 Nec obeſt quod reponit Auctor vitæ Cypriani pag. 580. Canonem hunc a Burchardo, Yvone & aliis referri cum voce *vel Diacono*. Qui enim Antonii Auguſtini Tarraconenſis Epiſcopi Dialogos de *emendatione Decreti* Gratiani legerit, & Gratianum, & alios Canonum compilatores pluribus in locis correctos perſpiciet.

At, pergit idem, non agitur in præſens de Triburienſi Concilio, ſed de *Digeſto*, quod legis ac deciſionis vim habet. Verum ſcire debuerat Auctor, 1. Gratiani Opus non Digeſtum, ſed Decretum vocari; 2. nul-

lam

lam aliam eſſe Decreto huic auctoritatem, quam quæ variis ineſt monumentis, unde corpus illud Juris compactum eſt.

ARTICULUS SECUNDUS.

An abſolvendi poteſtas Presbyteris omnibus vi ordinis ſui competat.

DUPLEX in præſenti materia ſecernitur poteſtas, *Ordinis* alia, quæ in Ordinatione his aut ſimilibus verbis confertur: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. alia *juriſdictionis*. Juriſdictio autem quæ in genere eſt Legitima poteſtas juris dicendi, ſeu poteſtas moralis regendi ſubditos, in præſenti definitur, poteſtas qua Sacerdos ut judex in alterum tanquam in ſubditum ſententiam fert in foro conſcientiæ. Quapropter Juriſdictio, licet vulgari apud nos ſermone cum approbatione confundatur, eſt quid ab ea diverſum. Approbatio enim nude ſumpta nihil eſt quam teſtimonium authenticum de idoneitate alicujus ad excipiendas confeſſiones: porro non eo quis deputatur, quod deputari poſſe judicetur. Quin & ſæpe approbat unus, & alter dat juriſdictionem. Sic Monialium Carmeli confeſſiones a ſecularibus excipi non poſſunt ſine juriſdictione a ſuperiore regulari collata; & hæc ſine prævia Epiſcopi approbatione dari non poteſt. Jam quæritur an juriſdictio ad licite & valide abſolvendum neceſſaria ſit. 60

Negant in praxi, & in pluribus, quos ea de re ediderunt Libris, hujus ævi Novatores; quos inter eminent Auctores tum Operis inſcripti: *Conſultation ſur la juriſdiction & approbation néceſſaire pour confeſſer, renfermée en ſept queſtions*. 1734. in 4. tum & Voluminis, ipſa ſua mole ad Lectorum terrorem nati, cui titulus: *Les pouvoirs du premier & du ſecond Ordre*. 1744. Litem hanc prope diem erudita manu evolvendam brevi expediemus calamo, quia jam nimium excrevit noſter iſte Tractatus. Sit itaque. 61

CONCLUSIO: Non ſufficit Sacerdoti poteſtas Ordinis, ut valide abſolvat, ſed neceſſario requiritur poteſtas juriſdictionis.

Prob. ex Tridentina Synodo, quæ cuicumque vere Chriſtiano nodum præſentem ſecat. Sic illa Seſſ. 14. Cap. 7. *Quoniam natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem*. Unde ſic: Abſolutio nullius momenti non ſolum illicita eſt, ſed & plane nulla: aliqui enim multum valeret, ut multum valet quæ a Sacerdote intus malo datur. Atqui ex Synodo Trident. abſolutio ſine juriſdictione data, nullius eſt momenti, Idque tum ex natura rei, quæ expoſcit *ut ſententia in ſubditos* tantum *feratur*; tum ex unanimi conſenſu Eccleſiæ, cui id *ſemper perſuaſum* fuit; adeo ut ſeria nulla uſquam fuerit de eo capite diſceptatio, Ergo. 62

Confirm. ex Canone XI. ejuſdem Seſſionis, ubi ſic loquuntur Patres: *Si quis dixerit Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere quominus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat; anathema ſit*. Is porro Canon, uti narrat 63

Digitized by Google

Pallavicinus Lib. 12. Cap. 10. adverſus hæreticos conditus eſt, qui abſolutionem ab ipſius etiam reſervatis invito Superiore collatam valere contendebant. Atqui errorem hunc renovat, & latum a Tridentino anathema incurrunt Conſultator ejuſque Sectatores. Si enim habet Sacerdos quique vi Ordinis, & independenter a commiſſa ſibi juriſdictione abſolvendi poteſtatem, fieri quidem poteſt ut illicite abſolvat, at ſemper ab ipſis etiam *reſervatis vere abſolvet*, quod reprobat ſacra Synodus.

64 Ad hæc quid Conſultationis Auctor? Tria reponit, quæ pacatiori cuique bilem moveant, 1. abſolutionem abſque juriſdictione datam *nullius* quidem *debere eſſe momenti* in exteriori foro Eccleſiæ, ita ut qui eam recepit, confeſſionis præcepto ſatisfeciſse in eo foro non cenſeatur, nihil tamen obſtare, quin potuerit vere abſolvi, 2. Decretum hoc nonniſi contra imperitos temporis Tridentini Sacerdotes emiſsum fuiſse; ita ut nullius hodie ſit momenti; 3. licitum eſse Sacerdotibus de Decreto eodem conqueri, ut quod ipſis inconſultis prodierit a Præſulibus, qui & actores erant & judices. En quo trahit deſperatus ſacrilegæ novitatis amor. Nihil ſane eſt in triplici illa reſponſione quod ſerio confutari mereatur.

65 Non 1. quod ſubvertitur 1. citato Canone, in quo reſervatio caſuum adeo ad conſcientiæ forum, non autem *ad externam politiam* ſpectat, ut qui citra juriſdictionem ab iis abſolvere præſumit, *vere* non *abſolvat*, 2. Seſs. 23. Cap. 15. ubi decernitur *nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones audire; nec ad id idoneum reputari*, niſi ad id officii ab Epiſcopis approbatus ſit: an enim valide abſolvit, qui nec abſolvere poteſt, nec ad id idoneus eſt? 3. unanimi tum Theologorum, tum & Conciliorum quæ Tridentinum ſubſecuta ſunt, conſenſu. De iis quidem dicet Anonymus quod de Thomaſſino dixit, eum videlicet Concilia legiſse, ſed non intellexiſse. At qui eo prorumpit dementiæ, ut miſera hæc effutiat, id demum agit ut faciem ſuam impleat ignominia.

66 Non 2. quod qui legit, vix credit oculis ſuis. 1. enim ut obſervat quem hodie luget, dunque lugebit Eccleſia, illuſtris juxta & eruditus Senonenſium Archiepiſcopus in Mandato adverſus Conſultatorem num. 13. nemo unus ad Anonymum uſque Tridentinum Decretum ad certum tempus reſtringere auſus erat. 2. quicumque aliquo Concilii Decreto ſe ſe jam ſentiet premi, ipſum, eodem quo Adverſarius jure, ad ipſum Tridentini tempus conſtringet. 3. Conſtat Tridentinam eam legem hactenus in Eccleſia tota viguiſse, & pluribus renovatam fuiſse Galliæ noſtræ Conciliis, puta Burdigalenſi an. 1583. Aquenſi an. 1585. Narbonenſi ann. 1609. &c.

67 Non 3. ubi abyſſus temeritatis abyſsum erroris invocat. Si enim valet ſacrilega Anonymi novitas, neceſsum eſt ut iniqua ſit, tyrannica, juriſque alieni temere uſurpatrix lex Concilii generalis: lex, inquam, a Catholicis omnibus pie reverita, quam utiliter, tam conſtanter in Eccleſiis omnibus obſervata, univerſis Regni Statuis inſerta, Regiis ſanctionibus fulta, &c. Id vero quis patiens audiat? quis auditum non indignetur? Interim obſervet Lector quam candide profiteantur Novatores ſe Concilium Tridentinum venerari.

68 Prob. 2. Concluſio ex famoſo Canone, *Omnis utriuſque ſexus*, quo præcipitur ut Fidelis quiſque *ſaltem ſemel in anno confiteatur peccata ſua* pro-

proprio Sacerdoti; quod ſi voluerit alieno Sacerdoti confiteri, licentiam prius poſtulare debeat & obtinere a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſe non poſſit abſolvere, vel ligare. Atqui poſtrema hæc verba, & per ſe ſignificant, & eo ſemper intellecta fuere ſenſu, quod omnino nulla ſit abſolutio citra proprii Sacerdotis approbationem data; ita ut a multis quidem de proprio Sacerdote diſputatum ſit, nuſquam autem de approbationis ejus neceſſitate.

Prob. 3. Si Sacerdos quilibet vi Ordinis ſui citra Ordinarii approbationem valide abſolvat, poſſunt Parochi ſibi in Confeſſarium eligere quemlibet Sacerdotem etiam ab Ordinario non approbatum; idem poſſunt Moniales ſaltem exemptæ, &c. Atqui propoſitiones illas n. 100. & 108. reprobavit Clerus Gallicanus an. 1700. uti *falſas*, *temerarias*, *Tridentinæ Synodo adverſas*, *&c.* 69

Prob. 4. quia ſtatim ut prodiit Conſultatio, movit illa ſtomachum omnibus qui Eccleſiam amant: ejus propoſitiones num. 44. reprobarunt applaudente Orbe Catholico Pariſienſes Magiſtri ſex ſupra octoginta. Harum propoſitionum prima: *Sacramenti Pœnitentiæ valor non pendet a juriſdictione*, proſcripta eſt ut erronea, & hæreſim a Tridentino condemnatam redolens. Hæc num. 4. *Nullatenus certum eſt confeſſionem Sacerdoti juriſdictione deſtituto factam, a Tridentino declaratam fuiſſe nullius valoris*, cum præcedentibus aliis quæ in idem conſpirant, exploſa eſt ut *temeraria*, *falſa*, *contra veritatem cognitam maligne ad inſinuandam hæreſim prolata*. Idem de Conſultatione, aut ſaltem de principiis ejus judicium tulere Archiepiſcopi Senonenſis, Ebredunenſis, nunc Lugdunenſis, ac Ruthenenſis Epiſcopus Joannes d'Yſe de Saleon, exinde ad Viennenſes infulas aſſumptus, vir integritate motum, contemptu mundi, effuſa in egenos liberalitate commendandus. 70

Obj. 1. Non indigent Sacerdotes poteſtate ſibi jam vi Ordinis ſui collata. Atqui Sacerdotes vi Ordinis ſui omnimodam juriſdictionis poteſtatem receperunt. Hæc enim ſita eſt in abſolvendi poteſtate. Atqui hanc recepere Sacerdotes in ipſa Ordinatione: cum eis, nec falſo dictum ſit: *Accipite Spiritum ſanctum*: *Quorum remiſeritis*, *&c.* 71

R. ad 1. neg. min. Sacerdotes enim id quidem vi Ordinis ſui receperunt, quod abſolvendum proxime deputari poſſint, ſi nihil obſtet: Sed non ideo actu & de facto deputati ſunt. Unde niſi nova acceſſerit ab Eccleſia delegatio, eo ferme modo ſe habent ac Chiliarchi ſolo Principis diplomate muniti, (*Colonels à Brèvet*) qui etſi imperandi vim habent, de facto tamen vim illam exercere non poſſunt, donec ſibi aſſignatæ ſint legiones. 72

Ad 2. diſt. poteſtas juriſdictionis ſita eſt in aſolvendi poteſtate completa tam ex parte principii, quam ex parte termini, C. in poteſtate radicali tantum & incompleta, N. Porro poteſtas quam in Ordinatione recipiunt Sacerdotes, eſt tantum radicalis & incompleta *ſaltem ex parte termini*, ſeu ſubditorum. Unde ſicut Judex a Rege conſtitutus, ut iis jus dicat, qui a Provinciæ Præfecto ſibi aſſignabuntur, licet id audierit a Rege: *Ito*, *ſolve*, *liga*: *Quæcumque ſolveris*, *ſoluta erunt*, neminem tamen ligare poteſt aut ſolvere, niſi cum deſignabuntur ſibi quos ſolvat aut liget: ſic & in Ordinatione accipit Sacerdos poteſtatem ligandi & ſol- 73

& ſolvendi; nec tamen exercere eam poteſt, niſi de Eccleſiæ mandato: quia qui poteſtatem dedit Chriſtus, ſubditos non aſſignavit ipſe, ſed Eccleſiæ ſuæ determinandos reliquit; & pro ſapientia ſua relinquere debuit. Quid non enim ſequeretur mali, ſi Sacerdos ex pio corruptus, ex perito indoctus, ex Catholico hæreticus, quia jam irrevocabiliter Sacerdos, ubique claves exercere, id eſt, ubique Fideles diſperdere valeret?

74 Dixi, poteſtatem quæ in Ordine recipitur, *ſaltem ex parte termini* incompletam eſſe. Sunt enim qui eam ex parte ipſius principii incompletam eſſe velint; quique adeo contendant juriſdictionis poteſtatem ex parte ipſius etiam principii a poteſtate Ordinis diſtinctam eſſe: quia, inquiunt, poteſtas Ordinis eſt quid phyſici: poteſtas vero juriſdictionis quidpiam morale. Horum autem unum ab alio diſtinguitur, ut patet in humanis Judicibus, qui licet omnia in ordine phyſico ad judicandum neceſſaria habeant, puta ſcientiam, prudentiam, gradus lege præſcriptos, &c. adhuc tamen indigent juriſdictione, quæ ex ipſius Judicis parte ſe tenet, non vero tantum ex parte materiæ eidem ſubjiciendæ. Aliter cenſent Scotiſtæ: quia, inquiunt, Judex a Rege conſtitutus, ut omnibus ſibi a Cancellario aſſignandis jus dicat, eſt complete Judex ex parte principii, unde nihil ei novi advenire poteſt quam materia in quam jus ferat. Hæc ut ſuperflua omitto, quia num juriſdictio diſtincta ſit ab Ordinis poteſtate ex parte principii, an ex parte materiæ tantum, nihil ad rem; modo utrinque ratum ſit Ordinis poteſtatem ad actum valide reduci non poſſe, niſi accedat legitima Eccleſiæ deputatio. Id autem ex æquo fatentur cum Thomiſtis Scotiſtæ.

Henno p. 249.

75 Inſt. 1. Poteſtas quæ in Ordinatione datur, vel nihil eſt, vel eſt poteſtas judicialem in peccata ſententiam ferendi. Atqui poteſtas judicialem ferendi ſententiam eſt poteſtas juriſdictionis. Ergo poteſtas juriſdictionis in Ordinatione confertur.

76 R. diſt. maj. eſt poteſtas latius ſumpta, ſeu radicalis, C. poteſtas ſumpta ſtrictius & completa, N. Itaque accipiunt indubie Sacerdotes poteſtatem de peccatis judicandi, ſine qua ad abſolvendum vel ligandum prorſus inhabiles forent. At hæc qualiſcumque juriſdictionis ſpecies procul a ſtrictiori illa juriſdictione diſtat, vi cujus committitur actuale Fidelium regimen, & peccata juridice ſolvuntur: hæc enim illi non ſemper annexa eſt. Sic Epiſcopi mere titulares loci alicujus Fidelibus deſtituti, ut nullos habent ſubditos, ſic nullam habent juriſdictionem vere & ſtricte dictam. Atque idem eſt de Epiſcopis, qui vel depoſiti ſunt, vel Sedi ſuæ cum Rom. Pontificis licentia renuntiavere. Viciſſim multis competit juriſdictio proprie ſumpta, quamvis necdum habeant poteſtatem Ordinis, ut liquet in Epiſcopis confirmatis, ſed nondum conſecratis: qui licet defectu Ordinis abſolvere non poſſint, propriam nihilominus habent juriſdictionem, quam aliis delegare poſſunt.

77 Inſt. 2. ſi res ita ſit, poteſtas abſolvendi quam habent Sacerdotes, non minus ab Eccleſia erit, quam a Chriſto. Atqui peraſurdum conſequens. Neque enim Eccleſia, ſed Chriſtus ſolus dixit & dicere potuit: *Quæcumque ſolveritis, &c.*

78 R. neg. maj. ſicut enim in hypotheſi ſuperius facta poteſtas Judicis, non

non in Cancellarium refunditur, ſed in Regem, quia Rex & illum dat poteſtatis judiciariæ fundum, quem e Miniſtris ejus nemo dare poteſt; & ipſi dat Cancellario totam quam habet huic vel illi Judici ſubditos aſſignandi poteſtatem: ſic & abſolvendi poteſtas in Chriſtum refundi debet, quia & ejus ſubſtantiam confert, & exercitium ejus pro nutu ſuo Eccleſiæ permittit.

R. 2. neg. min. Sicut enim Eccleſia ex Chriſti conceſſione peccata dimittere, ſic & ex Chriſti conceſſione juriſdictionem ad ea dimittenda neceſſariam largiri poteſt, non quidem auctoritate propria & humana, ſed miniſteriali, & quæ a Chriſto tota dependeat. 79

Ergo, inquies, Sacerdos abſolvens a peccatis, dicere poteſt: *Ego abſolvo te a peccatis auctoritate Eccleſiæ;* ſicut dicere poteſt; *Ego te abſolvo a cenſuris auctoritate Eccleſiæ.* Atqui id blaſphemiam ſonat. 80

R. neg. ſequel. Cum enim Eccleſia dat juriſdictionem ad abſolvendum a cenſuris neceſſariam, agit *auctoritative*, ut ajunt, quia circa cenſuras, non ſecus ac leges Eccleſiaſticas, propriam & humanam auctoritatem exercet. At vero circa ea quæ ad Sacramentorum ſubſtantiam pertinent, ſicut & circa conceſſionem indulgentiarum, & votorum diſpenſationem, miniſteriali tantum poteſtate prædita eſt. Ita Simmonnet pag. 434. 81

Ceterum nihil peccat qui dixerit: Abſolvo te auctoritate tum Chriſti ut principalis cauſæ, tum Eccleſiæ, cui commiſit Chriſtus facultatem Sacerdotes pro ſapientia ſua ad abſolvendum delegandi. Et id ferre videtur formula, quam certis in Diœceſibus obſervari animadvertimus Cap. 7. n. 82.

Obj. 2. id vi Ordinis ſui poſſunt hodierni Sacerdotes, quod Apoſtoli vi conſecrationis ſuæ. Atqui Apoſtoli vi conſecrationis ſuæ, abſque ulteriori juriſdictione peccata remittere potuerunt complete. 82

R. 1. neg. maj. Apoſtoli enim potuerunt ſe habere veluti qui hodie non Sacerdotes modo, ſed & ſimul Parochi ordinarentur. Iis autem gemina ſimul conferretur poteſtas, Ordinis videlicet & juriſdictionis; quæ ceteris non concederetur. 83

R. 2. neg. min. Apoſtoli enim præter abſolvendi poteſtatem his datam verbis, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* ſpecialem accepere miſſionem per hæc verba Joannis 20. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Hæc autem miſſio, ut pote deputatio vera, vera erat juriſdictio. 84

Obj. 3. Si non valeat abſolutio ſine juriſdictione data, nec valebit Baptiſmus, Viaticum, Extrema Unctio a Regularibus data ſine conſenſu Parochi. Atqui id nemo dixerit. Ita Conſultator pag. 11. & 27. 85

R. neg. maj. & dico cum S. Thoma Suppl. q. 8. a. 4. ad 2. *quod Sacramentum Euchariſtiæ*, idemque eſt de Baptiſmo & Extrema Unctione, *non requirit imperium in aliquem hominem*, ut valide conferatur: *ſecus autem eſt in hoc Pœnitentiæ Sacramento, ut dictum eſt; & ideo* eadem pro utroque *ratio non ſequitur.* Unde S. Doctor relata opinione eorum, qui cum Conſultatore illicitam quidem, ſed validam ajebant eſſe abſolutionem ſine juriſdictione datam, non ſecus ac Euchariſtiæ conſecrationem, eandem *erroneam* eſſe pronuntiat Quodl. 11. q. 19. art. 30. 86

Obj. 4. Si ad abſolutionem neceſſaria ſit juriſdictio, ſummus Pontifex a nemine poterit abſolvi: cum nemini dare poſſit juriſdictionem in ſe ipſum. Atqui falſum conſequens. 87

R. neg.

88 R. neg. maj. Poteſt enim Papa cuilibet Sacerdoti juriſdictionem dare in ſe ipſum, non quidem ut Papam, ſed ut peccatorem, & ovem Chriſti: quemadmodum ſupremi Principes dant circa ſe ipſos in civili foro juriſdictionem Magiſtratibus, a quibus civilia ſua dijudicari permittunt.

89 Inſt. ideo Papa dat juriſdictionem, quia ſe lubens huic vel illi Sacerdoti ſubjicit. Atqui poteſt Fidelis quiſque confiteri volens, huic vel illi ſe Sacerdoti ſubjacere.

90 R. neg. maj. ad ſenſum objectionis: neque enim dat juriſdictionem Papa, præciſe quia confiteri vult: ſed quia facultatem habet, quos voluerit approbandi: quod & in Diœceſi ſua poteſt Epiſcopus. Atque hinc uterque pro iis quos incurrit caſibus approbat eum cui confitetur: Papa quidem pro univerſis; Epiſcopus vero pro iis qui auctoritati ſuæ ſubſunt. Quæ ad levandum ab inani ſcrupulo quempiam annotanda credidi.

ARTICULUS TERTIUS.

Quis idonea ad abſolvendum juriſdictione præditus cenſeatur.

JURISDICTIO duplex diſtinguitur, ordinaria & delegata; de utraque dicendum.

§. I. *De Juriſdictione ordinaria.*

91 Juriſdictio ordinaria ea eſt quæ alicui competit ratione officii ſui, & hanc habent ii omnes qui ex officio ſunt Paſtores animarum: ac proinde Rom. Pontifex in tota Eccleſia; Epiſcopus in ſua Diœceſi, ubi per ſe, vel per delegatos, confeſſiones excipere valet; * Abbates exempti, Generales Ordinum, Provinciales, ſuos quique erga ſubditos; Parochi in Parochia ſua; ſed cum debita ad Epiſcopos ſubordinatione. Hæc autem juriſdictio magis afficit perſonas loci, quam locum: unde ſi Epiſcopus aut Parochus cum aliquo ſibi ſubdito peregrinentur; poſſunt illum ubique locorum abſolvere, prout docent Theologi. Ad amovendum tamen ſcandalum, ait Habert pag. mihi 123. quod daret ignotus & extraneus Sacerdos, in alterius Eccleſia confeſſiones audiendo, debet illum monere & licentiam petere. Ceterum an. 1730. vetuit ill. & celſiſ. Princeps Archiep. Remenſis, ſub nullitatis pœna, ne quis Parochus extra Parochiam ſuam, ſui etiam Parochiani confeſſionem exciperet.

92 Ordinariæ ſummi Pontificis juriſdictioni communicant Major Pœnitentiarius, Legati a latere, Nuncii Apoſtolici in terminis legationis aut Nuntiaturæ ſuæ: Sed in his ſpectanda locorum conſuetudo Epiſcopali juriſdictioni communicant eorum Vicarii generales, Capitulum Sede vacante, & Pœnitentiarius, ubi Pœnitentiaria in officium erecta eſt & non reſiſtit uſus.

V. Coll. And. hic T. 1. p. 234.

93 Quæres an ordinaria juriſdictio nonniſi ratione officii acquiratur.

R. eam inſuper acquiri, 1. ratione domicilii, aut quaſi domicilii Pœnitentis.

* „ Cum Epiſcopus in tota ſua Diœceſi juriſdictionem ordinariam noſcatur habere; „ dubium non exiſtit quin in quolibet loco Diœceſis non exempto, per ſe, vel per alium „ poſſit pro tribunali ſedere .·. necnon & cetera quæ ad ipſius ſpectant officium, libere „ exercere. „ *Boniſac. VIII. Cap. 7.* de officio Ordinarii, *in 6.*

tentis. 2. ratione privilegii aut conſuetudinis, quæ privilegio æquivaleat. 3. ratione articuli aut etiam periculi mortis, quod ſubit Pœnitens. 4. demum ratione erroris communis.

1. Acquiritur ratione domicilii, aut quaſi domicilii. Qui enim in alicujus territorio ſedem ſuam in perpetuum, vel ad tempus figit, Parocho ſubjacet quoad abſolutionem. Idque merito conſtitutum eſt, ne quem ſua in alieno loco detinent, negotia, neceſſariis, vel admodum utilibus Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis diu privetur. 94

Hinc 1. ſi Titius duabus in Parochiis duo paris ferme moræ habet domicilia, alterutri Parocho pro nutu confiteri poterit, atque ei etiam cujus intra fines actu non verſatur, ſeu ejuſdem ſit, ſeu diverſæ Diœceſeos; quia is non magis deſinit eſſe Parochus Titii, eo quod Titius actu degat in hac Parochia, quam ſi alibicumque degeret. Atqui ex dictis Parochus valide ſubditum ſuum ubicumque abſolvit. Decet tamen ut Paſchalis confeſſio & communio in ea fiant Parochia ubi quis actu commoratur; ut diximus Tom. 6. pag. 620. Quanquam non redarguuntur, qui vectigalium cauſa, in Eccleſia rurali communicant, dum etiam in urbe degunt. Et hi tamen urbis Parochum monere deberent, ſe officio ſuo in alio quod habent domicilio, functos eſſe. 95

Hinc 2. ordinarius Confeſſor Mercatorum in nundinis, ſtudentium in Academiis, Aulicorum in Curiis, &c. eſt ipſe Parochus locorum in quibus iidem degunt: hic enim habent quaſi domicilium, id eſt habitationem legitimam per aliquod anni tempus. 96

Hinc 3. vagi, qui fixam nullam habitationem ſortiti ab urbe in urbem tranſmigrant, quo in loco ad præſens degunt, ibi confiteri valent, idque apud Parochum, pro annua confeſſione; vel alium de Parochi licentia. Æquum eſt enim ut ei ad tempus ſubjaceant, cujus in territorio verſantur. 97

2. Acquiritur juriſdictio per privilegium, aut quæ privilegio æquivaleat conſuetudinem: quia hæc, etſi per ſe conferre nequit juriſdictionem, quam a Superiore oriri neceſſum eſt; eſt tamen indicium conſenſus ſufficienter a Superiore præſtiti. 98

Hinc 1. ex Conſtitutione *Superna*, a Clemente X. an. 1670. emiſſa, *in Monaſteriis ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia inſtituta vivitur, poſſunt tam Prælati Regulares, quam Confeſſores Regularium eorum Monaſteriorum, ſeu Collegiorum, audire confeſſiones illorum ſecularium, qui inibi ſunt vere de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis inſerviunt.* Per quę ultima verba, ait Henno pag. 255. non excluduntur famuli, qui vere ſunt de familia, & ut tales aluntur a Monaſterio; ſed ii tantum qui prædictis in domibus ad tempus aliquod laborant, poſtmodum ad propria reverſuri. Aliter ſentit Sylvius infra n. 639. 99

Hinc 2. ait idem, Confeſſario, quem Epiſcopus Monialibus ſibi ſubditis præficit, non autem Parocho, competit regimen tum Monialium, tum & Commenſalium de quibus ſupra. Idemque eſt de Confeſſario, quem Regularis Provincialis pro ſubditis ſibi Monialibus conſtituerit. Idque a Regio Conſilio an. 1688. quoad Commenſales perpetuos adverſus renitentes Parochos confirmatum fuit; ſic tamen ut Parocho reſervata ſit Baptiſmi ac Matrimonii adminiſtratio. Sed quia ſubdit citatus Theologus, privilegia hæc a certis Monaſteriis recepta ſunt, ab aliis vero mini- 100

me;

me; ſatagendum, pacis causâ, ut quiſque ſecundum receptas ab antiquo leges ſe gerat: poſſeſſio enim certior eſt titulus, quo ſe Regulares tueri debeant. Utinam, ait Henno, omnes ſe eo prudenti modo gererent, quo nuper Tornacenſis Diœceſis Vicarii Generales, qui ponderatis privilegiis ac poſſeſſione Annunciatarum Inſulenſium, Paſtori Magdalenæ, litem paranti, ſilentium indixerunt. Sed & utinam nemo jura ſua prætergrediatur.

3. Acquiritur Sacerdoti cuilibet in quæcumque peccata juriſdictio, ratione articuli mortis. Quod infra.

4. Acquiritur quandoque ratione erroris: quod ut intelligatur.

Not. 1. error duplex eſt, *privatus* alter, qui paucorum eſt; alter *communis*, quo tenentur omnes, aut penes omnes qui degunt in loco ubi quis juriſdictionem exercet. Is autem vel eſt cum titulo colorato, id eſt qui pro vero & legitimo publice habeatur; ut cum aliquis Parochi functiones exequitur, licet reipſa Parochus non ſit, quia Beneficium ſuum ſimoniace poſſidet; vel eſt ſine quocumque titulo, ut intruſis, iiſve qui ſe ut approbatos gerunt, licet reipſa non ſint approbati. His poſitis

101 R. 1. Valet confeſſio ei facta, qui ob titulum coloratum communi errore habere creditur juriſdictionem quam non habet: modo nullum obſtet ex parte ipſius naturale impedimentum. Ita Sylvius & alii omnes, quos ſequitur Pontas v. *Curè* caſ. 12.

Prob. 1. ex Leg. *Barbarius ff. De officio Prætoris*, ubi *qui communiter eſt receptus tanquam Judex, etiamſi vere non ſit Judex*, prout idem Barbarius, qui quoniam ſervus eſſet, ad Magiſtratum evehi non potuerat, *ejus geſta ſunt valida*. Hanc porro Cæſarei juris deciſionem ſuam fecit Eccleſia perpetuo Doctorum ſuorum uſu; e quibus eſt Gratianus Cap. *Infamis* 1. cauſa III. q. 7.

Prob. 2. quia alioqui ſimoniaci Paſtoris impietas cauſa eſſet cur Fideles innumeri perirent. Imo cum aliquando nequam ſit, qui probi hominis ſpeciem præfert, vix unquam poſſet quis circa confeſſiones ſuas tranquillus eſſe. Atqui non decebat piam matrem Eccleſiam gravia hæc ſuorum mala pati. Ergo debuit his in caſibus juriſdictionis defectum ſupplere & hunc, de facto ſupplet, ſive tituli ſui nullitatem compertam habeat Sacerdos, ſive hanc ignoret.

Dixi, *modo nullum obſit naturale impedimentum*. Unde ſi femina vel laïcus pro Sacerdote ſe gerat, nullæ prorſum erunt ejuſdem abſolutiones: quia defectum hunc ſupplere nequit Eccleſia.

Atque hinc valet abſolutio non ab eo tantum data, qui necdum didicit approbationem ſuam eſſe revocatam; uti docet ibid. Pontas: ſed & ab eo collata, qui ſolus revocationem hanc cognoſcit. Is enim titulum coloratum habet cum errore communi.

102 R. 2. Optandum ut Paſtores hominis etiam titulo colorato deſtituti juriſdictionem ſuppleant in caſu erroris communis. At incertum eſt an id faciat Eccleſia.

Ratio primæ partis eſt, quia ex defectu juriſdictionis in hoc caſu eadem pene ſequuntur incommoda, quæ ex ejuſdem defectu in præcedenti caſu. Et vero qua ratione errorem excutiet miſera plebs? An quæret exhiberi ſibi litteras approbationis? an non pro viro frugi eum habebit

habebit quem proprius Paſtor miſere deceptus collocabit ipſe in tribunali.

Ratio ſecundæ partis eſt quia hærent in hac lite Theologi: volentibus pleriſque non ſuppleri juriſdictionem ubi deeſt titulus coloratus. Unde, inquiunt, qui falſas approbationis litteras finxit, aut electus quidem fuit ad Beneficium, ſed ab Epiſcopo non eſt confirmatus, valide non abſolvit. Hæc opinio in praxi tenenda eſt: unde qui apud hujuſmodi quempiam peccata ſua depoſuiſſet, tenetur, quo ſaluti ſuæ conſulat, eadem denuo confiteri.

Ergo, inquies, non valebit abſolutio data ab excommunicato vel irregulari, quem approbaverit Epiſcopus, quia ſtatum hunc ejus neſciebat.

Reſpondent neg. ſequel. quia ipſa hæc vere data approbatio locum habet tituli colorati.

R. 3. privatus quorumdam error non dat juriſdictionem. Ratio eſt tum quia alioqui nuſquam invalida foret confeſſio defectu juriſdictionis: tum, quia nec Eccleſia, nec Reſpublica ob unius vel alterius errorem a communi ſua agendi ratione diſcedunt: tum quia difficile eſt ut qui Sacerdoti minime approbato confitentur, brevi ab aliis defectum juriſdictionis non edoceantur. Unde non hic idem ſubeſt periculum ſalutis, quod in erroris communis caſu. 103

§. II. *De Juriſdictione delegata.*

Juriſdictio delegata ea eſt quæ alicui ab habente ordinariam legitime committitur, vel *directe*, ut ſi Epiſcopus quempiam approbet ad audiendas in Diœceſi, vel in Diœceſis parte confeſſiones: vel *indirecte*, ut ſi idem alicui permittat, ut ſibi quem volet, vel ſimpliciter, quod fieri non debet, vel e certo numero, eligat in Confeſſarium. Neque tunc Laicus vel mulier approbat, ſed factam ab Ordinario approbationem declarat. 104

Dixi 1. *ab habente ordinariam*, delegatus enim, niſi id ipſi expreſſe fuerit conceſſum, ſubdelegare non poteſt: & merito, quia ſic quodammodo fieret Ordinarius. Suæ quidem ſunt regulæ iſti exceptiones; ſed nullæ quoad præſentem materiam. 105

Dixi 2. *legitime*. Ut enim deleget Ordinarius, quædam requiruntur, 106
1. ut delegare non prohibeatur, ſeu a *jure*, ut excommunicati vitandi, ſeu a *conſuetudine*, ut quorumdam Ordinum Superiores. 2. ut nonniſi intra juriſdictionis ſuæ limites deleget: quia *extra territorium jus dicenti non paretur impune*, Cap. 2. *De Conſtitut. in 6.* 3. ut delegatus delegari non prohibeatur; ut prohibentur tum qui cenſuris ligati ſunt; tum qui ab Epiſcopis approbati non fuere: unde etſi olim poſſent Parochi Sacerdotem quemlibet audiendis ſuorum confeſſionibus præficere; quia id ipſis ab Epiſcopo, ut hodie generalibus Vicariis, conceſſum erat: at id jam, revocata hac facultate non poſſunt, uti declaravit Congregatio Tridentini interpres, & probat unanimis Eccleſiæ filiorum conſuetudo. Cur autem ſublata ſit facultas iſthæc Parochis, iique ad primævæ dependentiæ praxim reducti fuerint, rationem hanc dat Pariſienſis *Hab.*
Doctor, quod eorum nonnulli delegarent vagos Sacerdotes, flagitioſos & incapaces. Quin Regulares, etiam aliquando apoſtatæ, ſub prætextu *p. 111.*

textu privilegiorum Sedis Apoſtolicæ, renitentibus aut inſciis Paſtoribus, indiſcriminatim peccatores abſolvebant. Quibus malis ut occurreret Tridentina Synodus, ſalubre Seſſ. 23. Cap. 15. Decretum emiſit, de quo ſupra num. 40. Sicut autem poteſt Parochus quempiam ex approbatis delegare, ut ſibi in audiendis confeſſionibus opem ferat; ſic & illud poteſt, cui commiſſum eſt vicarium Parochi, ſeu ægroti, ſeu etiam ad certum tempus tantum abſentis, officium; niſi tamen hoc ei prohibitum ſit. Verum adſcitus ille ſeu a Parocho, ſeu ab ejus vicem gerente Sacerdos, non poteſt alium ſubdelegare, niſi aliud ferat generalis po-
107 ſtremi hujus approbatio, aut locorum uſus.

Quæres 1. quot modis delegetur juriſdictio, ſeu quotuplici ratione acquiratur juriſdictio delegata.

R. hanc triplici potiſſimum ratione acquiri, 1. *ab homine*; cum is qui ordinaria juriſdictione gaudet, vel illam verbo, ſcripto, vel alio exteriore ſigno * alteri committit: aut cuipiam permittit, ut ſibi confeſſarium eligat, prout in Jubilæis accidit 2. *a jure*, quando Canonico jure, aut Lege Pontificia certis conceſſum eſt perſonis, ut vel abſolvant, vel ab eo quem eligent Confeſſario abſolvantur: quod ultimum quoad Reges, Principes ſupremo, ac Bullæ *Cruciatæ* participes, privilegium nominatur. 3. *a conſuetudine legitima*: quia ut legitima ſit, debet eſſe tacite approbata: approbatio autem etiam tacita, modo vera, Superioris conſenſum ſatis exhibet: iſque tandiu durat, donec revocetur a Superiore, ut revocari poteſt.

* *Vid. infra*

Quæres 2. quibus *a jure* conceſſum ſit, ut abſolvant, vel abſolvantur.

108 R. ad 1. Mendicantes, modo a ſuis reſpective Superioribus legitime præſentati ſint, & ab Epiſcopis approbati, a jure habere, ſed non ubique recepto, ut Fideles omnes qui ad eos confluunt, abſolvere poſſint: cum ipſi etiam Parochi ád oves ſuas aliquando reſtringantur.

109 R. ad 2. his Gregorii IX. verbis Cap. 16. *De Pœnit. & remiſſ. Ne pro dilatione Pœnitentiæ periculum immineat animarum permittimus Epiſcopis & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter Superioris ſui licentiam providum & diſcretum ſibi eligere valeant Confeſſarium.*

110 Ut intelligatur hæc Gregorii Decretalis ſupponendum eſt cum Enrico Pirrhing hic n. 33. nullum Epiſcopum, vel Prælatum etiam Epiſcopo ſuperiorem, poſſe de jure communi ſibi eligere Confeſſarium; quia nemo abſolvi poteſt vel ligari, niſi a Judice ſuo proprio; qui in illum ordinariam juriſdictionem habet; ut liquet ex Cap. 12. eod. tit. unde Epiſcopus de lege communi confiteri debet Archiepiſcopo, iſte autem Patriarchæ vel Primati, & is demum Papæ, vel de licentia ejus alteri. Quia vero hinc ſequebatur plerumque Pœnitentiæ dilatio, & ex iſta periculum animarum, provide conſtituit Gregorius IX. ut Epiſcopi & alii Superiores, præter Superioris ſui licentiam *diſcretum ſibi eligere valeant Confeſſarium*.

Verum hic multæ ſuboriuntur difficultates, ſeorſim & breviter excutiendæ.

111 Prima eſt quid in eo textu Epiſcoporum nomine intelligatur.

R. cum eodem Canoniſta intelligi non quidem ſimpliciter electos, aut nominatos tantum, ſed ceteros, ſive conſecrati ſint, ſive tantum confirmati; ſive Epiſcopatum habeant, ſive non, ut mere titulares, iive etiam qui ſedi ſuæ renuntiaverint. Aliud eſt de degradatis, quia jam pene

haben-

habentur ac ſi Epiſcopi non eſſent. Utrum vero idem favor excommunicatis, depoſitiſve competat, ambigitur. Aſſerunt aliqui, quia etſi id genus homines Ordinis ac juriſdictionis uſu privati ſunt, non tamen gratiis ac privilegiis. Negant alii, & in praxi melius, quia ad minus dubium eſt & incertum, an Eccleſia iis favores ſuos prorogare velit, qui ſeveriores ejus pœnas meruere. Quis autem ex dubia & incerta juriſdictione effectum Sacramenti ac ſalutem ſuam ſuſpendere velit? Quod hic dictum eſt de Epiſcopis, a fortiori competit Archiepiſcopis & aliis, qui in allato textu *ſuperiorum Prælatorum* nomine deſignantur.

Secunda difficultas eſt quid ibidem per *minores Prælatos* intelligendum veniat. 112

R. intelligi Prælatos Epiſcopis inferiores. Hi tamen ut privilegio Confeſſarium ſibi eligendi gaudeant, duo requiruntur, juxta citatum Juris Interpretem, 1. ut ſint *exempti* ab Epiſcopi juriſdictione, adeoque Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjecti; & id diſertim habet textus Gregorii. 2. ut præſint aliis cum ſpirituali juriſdictione fori contentioſi, adeoque ut ſint Abbates, Præpoſiti, vel Priores, non clauſtrales, qui non ſunt Prælati, ſed conventuales: Ratio eſt, quia ut notat Barboſa in collectaneis ad prædictum caput Tom. 3. pag. 290. ii ſoli vere & proprie ſunt Prælati, qui juriſdictionem externam habent. Nihilominus cenſent nonnulli cum Tamburino Tom. 2. de jure Abbat. diſp. 6. q. 10. n. 3. eos etiam e minoribus Prælatis, qui ſupra ſe ſuperiores habent, puta Præpoſitos ſuos generales, aut Provinciales, poſſe, ſi exempti ſint, Confeſſarium eligere. Idque, ait Pirhing, valde probabile eſt, quia cum citata conſtitutio privilegium favorabile, nulli noxium contineat, late eſt interpretanda.

Tertia & gravior difficultas in eo eſt, an Epiſcopi vi Gregorianæ Conſtitutionis poſſint etiamnum eligere ſibi Confeſſorem non ſubditum, qui a proprio Ordinario approbatus non ſit ad præſcriptum Concilii Tridentini Cap. 15. Seſſ. 23. 113

Quæſtionem hanc fuſe verſat Fagnan. in Cap. *Ne pro dilatione*, n. 5. & ſeq. & negative reſolvit. 1. quia Gregorii Decretalis exigit ut eligatur Confeſſor *providus & diſcretus*. Talis vero cenſeri non poteſt, qui a Concilio Trid. cit. Cap. 15. ob approbationis defectum declaratur non idoneus ad audiendas Confeſſiones. 2. quia cum e duobus ad actum aliquem impedimentis, unum dumtaxat tollitur, & aliud remanet, actus expediri non poteſt, Cap. *Ex tuarum 5. De auctor. & uſu pallii*. Atqui obſtant duo ne prædictus Sacerdos quempiam abſolvere poſſit, nempe defectus approbationis & juriſdictionis. Ergo quamvis ex privilegio Gregorianæ Conſtitutionis ſublatum ſit impedimentum ex defectu juriſdictionis; quia tamen manet alterum ex inhabilitate perſonæ Confeſſoris, non poteſt abſolutionis actus expediri, &c.

Nec juvat, inquit Fagnan. quod forte conſuetudo aliter factam Epiſcopis licentiam interpretata fuiſſet: quia conſuetudo, quamvis juriſdictionem tribuat, non prodeſt contra Tridentini Decretum, quod privilegia & conſuetudines etiam immemoriales ſuſtulit. Atque hinc cum ad hujus dubii deciſionem deputata fuiſset a Gregorio XIII. decem Cardinalium Congregatio, quorum quinque in partem Epiſcopi faventem declinarunt, quinque in oppoſitam, re diſcuſſa Pontifex reſpondit: *In re dubia tutius eſt ad-* 114

hærere Decreto Concilii Tridentini, præviam Ordinarii approbationem requirentis. Vide Suarez diſp. 28. ſect. 4.

115 At, inquies, quid ergo proderit privilegium eligendi Confeſſorem à ſacra Synodo Epiſcopis non ademptum, ſi in aliena Diœceſi eum eligere non poſſunt, niſi ab Ordinario loci approbatum: in propria enim Diœceſi nullo egent privilegio; ſed ut pro aliis, ſic & pro ſe Sacerdotes approbare poſſunt.

116 Reſpondet idem celebris Canoniſta n. 23. & 24. privilegium illud duo operari, 1. ut poſſit Epiſcopus Sacerdoti alterius Diœceſis, ſive Curato, ſive approbato, qui alioquin reſpectu exteri Epiſcopi alienus eſſet, ſe ſe ſubjicere illum eligendo, ejuſque juriſdictionem prorogare: quod non poteſt alter ab Epiſcopo. Quidquid enim ſit de Regularibus, Presbyteri ſæculares non Curati non poſſunt de jure communi audire confeſſiones confluentium ex alienis Diœceſibus, etiam in illa Diœceſi in qua ſunt approbati: quia cum illorum juriſdictio ſit delegata, non extenditur ad eos qui Epiſcopo deleganti non ſubſunt. Parochi vero alienorum Parochianorum Confeſſiones audire nequeunt; ut omnes docent, 2. ut poſſit Epiſcopus à Sacerdote quem in propria Diœceſi approbaverit, abſolvi etiam extra Diœceſim ſuam; quod alias non poſſet: quia Presbyteri qui parochiale beneficium non habent, ſive Sæculares ſint, ſive Regulares, non poſſunt audire confeſſiones etiam ſubditorum Epiſcopi approbantis extra Diœceſim in qua ſunt approbati, ut ſæpius declaravit S. Congregatio. Hactenus Fagnan.

117 Sed annon poteſt Meldenſis Epiſcopus in Diœceſi Tullenſi quem volet Sacerdotem pro ſua propria Diœceſi approbare? Quid autem vetat ne ei confiteatur, qui pro tota ſua Diœceſi, adeoque pro ſe Epiſcopo approbatus fuerit?

R. poteſt quidem Meldenſis Epiſcopus Tullanum Sacerdotem approbare, ſed qui functiones ſuas in ſolo approbantis territorio exerciturus ſit. Unde niſi hominem inſtituat Parochum, non poterit is extra Meldenſem Diœceſim confeſſionem Meldenſium excipere; neque omnium excipiet, ſed tantum Parochianorum ſuorum.

118 Sed num Parochus quilibet Meldenſis pagi poterit in Diœceſi aliena Meldenſem Epiſcopum abſolvere? Poterit, ut mihi videtur; quia non plus vel minus uni ſubjacet quam aliis. Poterit etiam Epiſcopus & in propria ſua Diœceſi approbare extraneum, & in aliena Diœceſi ſubditum ſuum; & ſubinde utrique confiteri.

Sed hæc de jure communi intelligantur. Alicubi enim receptum eſſe poteſt ut Epiſcopi mutua facultatum communicatione, ſibi viciſſim permiſerint, quem vellent Confeſſarium in itineribus eligere. Tunc enim ſunt quantum ad hoc ut Vicarii alii aliorum generales.

Quarta difficultas eſt an conceſſa per Gregorii IX. Decretalem Epiſcopis & aliis Superioribus facultas ad Parochos extendatur. Unde tria hic inquiri poſſunt, 1. an Parochi apud quemcumque Sacerdotem etiam alioqui ab Ordinario non approbatum confiteri poſſint. 2. an ſaltem apud eos omnes qui in Diœceſi approbati ſunt, valide confiteantur. 3. an generalem hanc licentiam revocare poſſit Epiſcopus, & certum aſſignare Sacerdotum numerum, ad quos recurrere Parochi teneantur.

119 R. ad 1. negat. Patet tum ex unanimi Catholicorum Doctorum ſenſu, qui

hac

hac in re infiniti eſt ponderis; tum ex illa juniorum Caſuiſtarum propoſitione, quam num. 16. reprobavit Alexander VII. an. 1666. *Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario*; quod erroris portentum, vel doceri, vel in praxim redigi vetat ſummus ille Pontifex ſub pœna excommunicationis *ipſo facto*, eaque Apoſtolicæ Sedi reſervata.

Longe gravior eſt difficultas circa ſecundum caput. Negant enim non pauci Parochos citata Conſtitutione contineri; negant, inquam, ſeu directe, dum Parochos expreſſe excludunt, ſeu indirecte, dum ſub nulla Decretalis hujus voce includunt. Et vero, inquiunt, ſi Parochi quoad liberam Confeſſariorum approbatorum electionem in Gregorii Decreto contenti intelligantur, vel ſub iis vocibus, *& aliis Superioribus*, vel ſub iſtis, *necnon minoribus Prælatis*; vel demum ex paritate rationis, quæ pro Parochis non minus militet, quam pro Epiſcopis. Atqui nullum ex his tribus dici poteſt, ſaltem cum eo certitudinis gradu, qui ad juriſdictionem, quam certam & indubiam eſſe oportet, requiritur. 120

Non 1. Illud enim *& aliis Superioribus* non inepte intelligi poteſt, & ab Interpretibus multis intelligitur, de iis qui gradum Epiſcopali ſuperiorem habent, quales ſunt Archiepiſcopi, Patriarchæ, Primates, &c. Quod autem ait Pontas v. *Cure*, caſ. 7. Papam non dixiſſe *& aliis eorum Superioribus*, nullius eſt plane momenti; cum Jus Civile ac Pontificium ſuſpenſis hujuſmodi locutionibus refertum eſſe nemo ignoret.

Non 2. tum quia etſi Parochi Cap. *tua nos* 4. de *Clerico ægrotante*, dicuntur *prælationis officio fungi*, & a S. Thoma 3. p. q. 67. art. 2. vocantur *Eccleſiarum minorum Principes*, nihilominus ne ſemel quidem in toto juris corpore vocantur ſimpliciter Prælati: imo Clementina *Dudum* 2. *De ſepulturis Prælati* a Rectoribus Parœcialium Eccleſiarum diſtinguuntur. Tum & præcipue quia Prælati ad quos ſpectat privilegium Gregorianum ſunt *exempti*. Nemo autem Parochos *exemptis* annumerabit.

Non 3. cum, uti advertit Fagnan. in cit. Cap. *Ne pro dilatione*, &c. n. 32. *generaliter in privilegiis non fiat extenſio de perſona ad perſonam etiam ex majoritate rationis*. Ergo, ait Barboſa ubi ſupra, *ſecundum juris ſcripti rigorem* (*ſemota conſuetudine*) *non poſſunt Parochi eligere Confeſſorem*. Et ita docet Suarez diſp. 27. ſect. 2. n. 7.

Aliter cenſent non infimi nominis Theologi plures, quos inter Sambovius Tom. 1. caſ. 3. Pontas v. Cure, caſ. 7. Van-eſpen, &c. Nituntur hi partim Cap. *Ne pro dilatione*; quod, ut fatear, non omnem mihi ſcrupulum in re tanti momenti adimit; partim conſuetudine. Nimirum, ait Pontas; conſuetudo immemorialis rationabiliter introducta, & legitime preſcripta, vim habet legis, ut aſſerit ipſe Gregorius IX. Cap. *Cum tanto*, *De conſuetudine*. Atqui talis eſt conſuetudo de qua agimus in præſenti. Excedit enim omnem hominum memoriam: Aliunde vero rationabiliter introducta eſt; cum rationi omni conſonum ſit, ut qui ſingulis momentis ad Sacramenta vocari poſſunt, quique ſæpius animæ ſuæ ſordes etiam dubias excutere debent, ad manum habeant Miniſtros, quibus conſcientiæ ſuæ receſſus aperiant. 121

Verum & hæc ratio ſuas habet difficultates: Siquidem ex Cap. 2. 122
De Pœnitent. & remiſſ. in 6. *Nulla poteſt conſuetudine introduci, quod ali-*

quis præter ſui Superioris licentiam Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere vel ligare. Neque vero id mirum; cum, inquit poſt S. Antoninum Suarez cit. diſp. 27 Sect. 3. *hoc ſit contra jus divinum, quod nulla conſuetudine revocari poteſt.*

123 Sed quid demum? Annon igitur poſſunt Parochi Sacerdotem quemvis approbatum eligere in Confeſſarium? poſſunt ſane, ſed neque vi Gregorianæ Decretalis, neque vi conſuetudinis, quarum neutra ex dictis effectum illum certo parere poteſt; ſed vi conſuetudinis ab Epiſcopis tacito approbatæ, ſi non ubique, quod facti eſt, at ſaltem in Diœceſibus multis. Præſertim cum conſuetudo ſola, in materia juriſdictionis ſpiritualis, quæ a Solis Superioribus manare poteſt, nunquam jus certum tribuere poſſit ſine adminiculo vel juris communis, quod hic reſiſtit, potius quam ſuffragatur; vel taciti Epiſcoporum conſenſus.

124 Atque hinc ſolvitur tertia difficultas. Dicendum igitur cum Pontaſio, 1. conſuetudinem hanc ab Epiſcopis eſſe conſervandam; tum quia *ipſa mutatio conſuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*, ut ait Auguſtinus Epiſt. 54. alias 118. n. 6. Tum quia duplex hinc exurgeret incommodum grave, I. quod rarius confiterentur qui venialia ſola haberent; II. quod ſæpius contingeret Parochos gravi irretitos peccato, ſacra facturos ſine prævia confeſſione, eo prætextu quod obvium non haberent Confeſſorem.

125 At dicendum 2. cum Suare ead ſect. n. 6. contra Pontaſium, etſi timida ac modeſta voce, *videtur*, utentem, hujuſmodi conſuetudines ſemper a propriis Sacerdotibus, Epiſcopis nimirum, gravibus de cauſis poſſe revocari. Ratio eſt quia conſuetudo irrevocabilis eſſet *valde onerosa Paſtoribus Eccleſiæ, & contra ſubjectionem illis debitam, multumque contraria convenienti regimini animarum. Conſuetudo autem quæ hujuſmodi eſt, nunquam prævalere poteſt, aut jus aliquod conferre*, Cap. 1. & 7. *De conſuetudine*.

Et vero ſint in aliqua Diœceſis parte quatuor aut quinque Parochi, qui, ut, proh dolor! ſæpius olim evenit, ludo, epulis, venatione, & aliis forte pejoribus vacent, qui ſanctiora Diœceſis Statuta, & latas iiſdem cenſuras palam aſpernentur, qui nullibi minus reſideant quam in Parochia, qui plebem ſibi commiſſam vix quater in anno erudiant, qui in ea promant peccata, quorum complex complicem abſolvere nequit, qui tamen alii ab aliis funeſtam illam abſolutionem recipiant; quam negarent, differrent, aut ſine gravibus monitis non impertirentur Presbyteri alii religioſiores: Quis Epiſcopo in vitium vertat, ſi erga ipſos conſuetudinem peccati æternæque damnationis incentivam revocet ad tempus?

126 Obſtabit, inquis, lex Gregoriana. At 1. negare poſſim cum pluribus eam ad Parochos ſpectare. At 2. habent humanæ leges epikeiam, ut omnes fatentur: habet ergo & Decretalis Gregorii. At 3. *in generali conceſſione non veniunt, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*, ex Reg. 81. juris in 6. & Cap. tum final. *De officio Vicarii*, tum 2. *De Pœnit.* ibid. Porro nedum veriſimiliter conceſſurus, quin certo prohibiturus fuiſſet Gregorius IX. ne pluribus e Confeſſariis is ſolum eligeretur, qui Paſtor eſſet & idolum, fortaſſiſque idolo deterior. At 4. ſi quid conceſſit, nuſquam conceſſit Gregorius ut Parochi ſibi pro nutu Confeſſarium eligerent, ſed, quod hinc procul diſtat, ut *providum & diſcretum* eli-

Digitized by Google

eligerent. An porro facultate hac miſere non abutuntur, qui eum eligunt, quem ſapientiores quique Parochi cum Epiſcopo & ipſa ſæpius plebe improvidum & malum judicant. Ergo dum legis corticem ſectari videntur, contra ſpiritum legis delinquunt, ſecundum hanc juris Regulam n. 88. in 6. *In legem committit, qui verba Legis complectens, contra Legis nititur voluntatem*. Ergo, meo quidem judicio male ſibi provident, qui, contradicente Epiſcopo, Samborii ac Pontaſii deciſionem ſequuntur in praxi; meo, inquam judicio, quod & Epiſcoporum, & Parochorum, quos impenſe ſemper venerabor, cenſuræ lubens ſubjicio.

Quinta difficultas hic moveri poſſit, an ſimplex Sacerdos apud alium 127
quemcumque approbatum confiteri poſſit.

R. affirm. ex tacito ſcilicet Epiſcoporum & Parochorum conſenſu. Cum enim his onerosum fuiſſet ſingulos, qui ſæpe confiteri debent, numeroſæ Parochiæ Sacerdotes audire; ſæpiuſque in fracti ſigilli ſuſpicionem veniſſent, qui eos ob res aliunde cognitas redarguiſſent; facile jam a principio conſenſerunt, ut inter ſe ſe confiterentur: qui conſenſus non revocatus, conſuetudine quaſi continuatur, & ipſa conſuetudo indicium eſt ejuſdem conſenſus. Et ad hunc modum, ait Suarez cit. ſect. 3. n. 4. juriſdictio conſuetudine acquiritur, non ſola, ſed formali primum, deinde tacito conſenſu firmata.

Eadem de cauſa iter agentes & peregrini, quamvis ſuum in alia Diœ- 128
ceſi domicilium retineant, poſſunt vel Parocho loci ad quem devenere, vel alii cuipiam qui eo in loco approbatus ſit, confiteri, modo non veniant in fraudem, & ut proprio ſe Paſtori ſubducant. Alias enim abſolvi non poſſunt, ut declaravit Clemens X. per Conſtitutionem *Superna* an. 1670. editam. Præiverat S. Carolus in XI. Synodo Diœceſana: *Advenas*, inquit, *& peregrinos, quos intra Parocchiæ ſuæ fines brevi tempore in Diœceſi morari contigerit*, *audire* Parocho, vel alii de ejus licentia, *liceat etiam tempore Paſchali, niſi forte de induſtria eo acceſſerint, ne in Parochiali Eccleſia Sacramenta ſumant*.

Hinc qui ad ſacras devotionis ædes, puta ad B. Virginem *de lætitia*, 129
variis e Diœceſibus ſe ſe conferunt, quandoque & ſæpe ibidem poſſunt abſolvi; nempe cum bona fide & religionis cauſa primario illuc peregrinantur: quia loci illius Sacerdotes ab omnibus Epiſcopis tacite ſunt approbati. Quandoque vero abſolvi nequeunt, puta, inquit Habert Cap. 6. q. 7. ſi eo tantum confugiant, ut Diœceſis ſuæ diſciplinam declinent.

Sed ambigi poteſt quis bona vel mala fide agere dicendus ſit. Gravi- 130
ter v. g. deliquit puella; & ne Parocho, quo ſemper uſa eſt in ſacro Tribunali, ſcelus ſuum detegat, peregrinationem inſtituit; num malæ fidei dicenda eſt, an bonæ? Si bonæ, quis ergo in his caſibus malæ fidei cenſebitur?

R. malam fidem potiſſimum videri metiendam ex intentione eludendi ſeveriorem loci in quo peccatum eſt diſciplinam, non autem ex ſola intentione fugiendi perſonam Directoris. Alioquin malæ eſſet fidei puella, quæ ne Parocho lapſum ſuum detegat, Vicario vel Religioſo cuipiam detegit. Erit ergo malæ fidei, quæ ne indictam, quod rarum eſt, Diœceſana lege pœnam ſubeat; aut quia reſervatum ſit in eadem Diœceſi peccatum quod admiſit; aut ſine ullo piæ peregrinationis ſenſu, alio ſe transfert, ſolo obtinendæ abſolutionis intuitu. Secus, ſi ex occaſione peccati

pios illos devotionis ſenſus induerit. Bene enim & ſancte fieri poteſt, quod, niſi quid contigiſſet mali, nequidem cogitatum eſſet.

131 Quæres 3. a quo concedi debeat juriſdictio in alterius Diœceſis Pœnitentem, an ab Epiſcopo loci in quo confitetur, puta Pariſienſi Archiepiſcopo; an a proprio Pœnitentis Epiſcopo, puta Epiſcopo Carnutenſi.

R. neceſſariam eſſe utriuſque Epiſcopi juriſdictionem: nec enim in Pariſienſi territorio vel indigenæ, vel extranei, qui ad me, ſolius confeſſionis gratia, acceſſit, peccata excipere poſſum; niſi ab Epiſcopo Pariſienſi approbatus ſim: cum juriſdictio delegata locum afficiat. Rurſum nec ſine licentia formali vel tacita Carnutenſis Epiſcopi excipere poſſum ſubditi ejus confeſſionem; quia is Pariſienſi Archiepiſcopo ex hypotheſi non ſubjacet.

132 Dixi 1. *vel advenæ, qui ad me ſolius confeſſionis gratia acceſſerit*. Si enim is bona fide Verſaliis alicujus negotii cauſa per aliquot dies habitet, cenſebitur Parochiæ in qua degit membrum, non quidem quoad matrimonium, ſed quoad jus recipiendi Sacramenta ad ſalutem utilia. Imo ſi dum Verſaliis ad aliquot horas negotiorum cauſa degit, inſpecta plenariæ Indulgentiæ tabella, confiteri velit, ut oblatam Fidelibus gratiam lucretur, vix dubitem, ex viri gravis judicio, quin valide confiteri poſſit. Non quod ſufficiat bona Pœnitentis fides, ut monet Habertus: alioqui ruſticorum imperitia juriſdictionis limites facile tranſverteret: ſed quia approbat Eccleſia, ut quis præſenti, nec quæſita contra leges gratia utatur, cum inde nihil in legitimam auctoritatem reſultat mali.

133 Dixi 2. *ſine licentia formali vel tacita*: nec enim prima quæ verbis expreſſis vel ſcripto datur, neceſſaria eſt; ſed ſufficit ſecunda; cum nempe Epiſcopus non contradicit notæ conſuetudini, ſecundum quam vicini ejuſdem vel diverſæ Diœceſeos Parochi, ſe ſe mutuo in ejuſmodi functionibus adjuvant. Eſt enim non reclamatio hæc indicium & formalis qui olim præceſſerit conſenſus, & ejuſdem tacite & virtualiter a variis Epiſcopis confirmati.

134 Hinc deducit Habertus, Parochum qui alienos (ejuſdem etiam Diœceſis) Parochianos abſolveret, Epiſcopo *propter graves cauſas* contradicente, puta quia omnes indiſcriminatim, publicos etiam uſurarios, concubinarios, alieni boni raptores admittit, inaniter & perperam vel ex ſolo juriſdictionis defectu abſoluturum eſſe. Addiderim ego. 1. graves illas cauſas, dum etiam non apparent, ſupponi debere; quia in Superioris favorem præſumi jubent æquitas & religio. 2. in abſurda hypotheſi, quod Epiſcopus ex malo in quempiam affectu, eum ſuos ad Parochianos reſtringeret, dubias ad minus, quod in his materiis plene ſufficit, mihi fore quas invito Epiſcopo deinde impenderet abſolutiones.

Sed quid ſi Parochus, ſilente Epiſcopo prohibeat, ne Parochiani ſui apud Parochum alium peccata deponant.

135 Tria reponit idem qui mox Pariſienſis Theologus. 1. Parochis curandum ut hac in parte faciles ſe præbeant; niſi ſuſpicio ſit ſubditos ad alium confugere, quia molliorem, & omni manu abſolventem.

136 2. Abſolutionem in propoſito caſu irritam fore; quia Epiſcopus ea tantum conditione laudatam conſuetudinem approbare præſumitur, ut in eam conſentiat Parochus; qui certe ovium ſuarum neceſſitates melius novit,

vit, quam alius quicumque. Aliud quidem eſt de Regularibus, qui extra Paſchale tempus in Eccleſiis ſuis omnium confeſſiones indiſcriminatim excipiunt. Verum id ita conſtitutum eſt, quia cum pro tota civitate, ac vicinia deputentur, grave nimis & oneroſum foret, tum Pœnitentibus, tum & Confeſſariis, ſi vigeſies in die de Parochorum conſenſu certiores fieri tenerentur. Quanquam, cum ad Parœcias mittuntur Regulares cum facultate prædicandi & abſolvendi, facultas illa ſolet eſſe conditionalis, & cum hac clauſula, *De Parochorum conſenſu*: quia id exigit & ſuavitas regiminis, & ordinis publici tranquillitas.

3. Cum Parochi prohibitio non eſt in ædificationem, ſed ex inordinato affectu, & animo anxio ac moroſo procedit, officii eſſe Epiſcopalis ut conceſſam ab Eccleſia Parochianis libertatem conſervet, iiſque cognita cauſa licentiam det, ipſo etiam Paſchali tempore, adeundi, renitente licet Parocho, alios probatæ vitæ & doctrinæ Directores. Hæc ille, quæ nobis univerſa comprobantur. 137

Quæres 4. an Sacerdos in una Diœceſi approbatus, eo ipſo in ceteris approbatus cenſeatur. 138

R. negat. qui enim hunc approbavit Pariſienſis v. g. Archiepiſcopus, nihil per ſe, nec proinde per alios, juris habet in ſubditos Epiſcopi Sylvanectentis. Imo nequidem approbatus Pariſiis Sacerdos poſſet Sylvanecti Pariſienſem quempiam abſolvere. Sic enim loquitur Clemens X. in Conſtitutione *Superna*, die Junii 21. an. 1676. n. 4. *Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diæceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diæceſi eas abſque Epiſcopi Diæceſani approbatione audire; quamvis Pœnitentes ſubditi ſint ejus, a quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati*. Idem docet Fagnan in Cap. *Ne pro dilatione*. Atque id definiit ſacra Congregatio apud Barboſam part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſcopi, alleg. 22. & 35. Eadem eſt Theologorum opinio, ut Haberti ibid. quæſt. 4. Pontaſii v. *Approbation*, caſ. 21. qui caſ. 10. obſervat damnatam fuiſſe an. 1659. hanc Regularium Andegavenſium propoſitionem: *Regulares Ordinum mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua Diæceſi, habentur pro approbatis in aliis Diæceſibus, nec nova indigent Epiſcoporum approbatione*. Ex quibus principii generalis inſtar colligere eſt, Confeſſarium quemcumque ab Epiſcopo Pœnitentis ipſius approbari debere: quia is ſolus juriſdictionem in illum ordinariam habet; ſolus prohinc delegare poteſt.

Quæres 5. an ad tacitam approbationem ſufficiat interpretativa Epiſcopi intentio, aut ratihabitio legitime ſperata; qualis eſſet reſpectu Sacerdotis, quem certo rogaret Epiſcopus audire confeſſiones, ſi ſciret eum ſolemni die diverſari in Parœcia, cujus Parochus ægrotat, & ubi Parochiani plures Sacramenta expetunt. 139

R. negat. cum Suare, Paludano, & aliis quos ſequitur Pontas ibid. caſ. 8. Ratio eſt quia ad abſolutionis validitatem requiritur in abſolvente juriſdictio actualis. Atqui hæc in caſibus modo adductis non reperitur. Intentio enim interpretativa eſt quidem diſpoſitio ad approbandum, ſi hic vel ille rerum ſtatus ab Epiſcopo cognoſceretur: Pariter ratihabitio ſperata eſt tantum præſumptio futuri conſenſus. Neutra porro actualem juriſdictionem confert; quia hæc ſine actuali & præſenti volun-

tate non confertur. Unde ſic datæ abſolutiones ex ſequenti Epiſcopi aſſenſu non convaleſcunt; ſecundum hanc juris regulam 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.*

Imo nec ſufficit, quidquid contradicant plures, ratihabitio de præſenti tantummodo præſumpta; qualis erit ſi Epiſcopus aliquem quem certo ſciat haud eſſe approbatum, in ſacro Tribunali videat audiendis confeſſionibus intentum. Fieri enim poteſt ut eum hic & nunc non redarguat, ne vel infamet, vel ſcandalum præbeat multitudini. Unde hic vigere debet duplex iſthæc Regula juris in 6. *Is qui tacet non fatetur, &c.* Et *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Ita Pontas ibid. caſ. 11.

140 Atque hinc cum eodem caſ. 9. colliges, ut minimum dubias eſſe abſolutiones quas dederit Sacerdos, præſumens quidem, ſed necdum certus ex Nuncio quem miſit, facultates ſuas, quæ paucis abhinc diebus expirarunt, a Vicario generali renovatas eſſe. Fieri enim poterat ut abeſſet Vicarius generalis, qui novam approbationem conceſſiſſe præſumitur. Fieri poterat, ut falſo mali rumore deceptus approbare nollet. Adde quod approbatio necdum manifeſtata nihil vel parum differt ab ea quæ mere eſt interior. Atqui approbatio, nullo exteriori ſigno manifeſtata, non valet juxta Sylvium: quia hujus Tribunalis poteſtas debet conferri modo humano.

141 Obj. contra primam hujus deciſionis partem, non ergo habitum iri approbationem tacitam ex conſuetudine, juxta quam Parochi diverſæ Diœceſeos mutuam ſibi opem ferunt, ſi Epiſcopus conſuetudinem hanc ignoret.

142 R. ita quidem eſſe, ſi conſuetudo ſit recens introducta, & neſciente Epiſcopo: ſecus ſi introducta ſit ſub Epiſcopi prædeceſſoribus: hi enim eam & noviſſe & approbaſſe cenſentur, imo extra erroris tempus vix unquam fiet, ut ejuſmodi conſuetudo a crimine oriatur: unde ubi viget, legitime ſupponitur præceſſiſſe conſenſum Epiſcopi, ut obſervat Suarez.

143 Obj. 2. ex Regula 10. juris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Ergo valebunt abſolutiones ſic datæ, cum ab Epiſcopo ratæ habebuntur.

144 R. neg. conſeq. Citata enim Regula pro iis ſolum actibus locum habet, quorum valor in futurum ſuſpendi poteſt. Atqui, ut diximus, abſolutionis valor ſuſpendi non poteſt: Cum Sacramentorum valor ab actione de futuro pendere nequeat. Ergo. Præterea, abſolutio nomine & auctoritate Dei immediate confertur, non autem nomine hominis: Atqui ex Reg. 9. ibid. *Ratum habere quis non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.*

Quæres 6. an Confeſſarius licite & valide uti poſſit juriſdictione, non quidem indubia, ſed quam vel probabiliter ſe habere putat, ſeu in perſonam, ſeu in certum Pœnitentis peccatum; vel ſaltem probabilius ſe habere confidit.

145 Fatentur omnes neminem juriſdictione tantum probabili uti poſſe citra gravem cauſam: quia ſic agens exponit ſe periculo Sacramentum efficiendi nullum; illudque de facto nullum facit, ſi reipſa deſit juriſdictio, quam ſibi adeſſe probabiliter credit; niſi forte concurrat ex parte Pœnitentium

error

error communis. Tota igitur quæſtio eſt, an ejuſmodi juriſdictione gravem ob cauſam uti liceat; puta erga Sacerdotem, qui & nunc neceſſario tenetur celebrare, nec quempiam habet certa aut probabiliori juriſdictione donatum, aut cui hic & nunc expediat eum confiteri, quia complicem aperiret, aut ſe vel Confeſſarium peccati periculo exponeret idem erga militem peccato letali gravatum, qui ſatis periculoſum iter ſuſcepturus eſt, & ad annum totum confeſſionem ſuam dilaturus, niſi hodie confiteatur; erga eum quoque qui in articulo mortis præ inſuperabili repugnantia adduci nequit, ut Presbytero certam aut probabiliorem juriſdictionem habenti confiteatur.

Duplex porro eſt ea de re ſententia. Alii enim generaliter negant 146
cum P. Antonio, uſquam licitum eſſe probabili ſolum juriſdictione uti, qualis aliquando eſt quæ a certis perſonis datur, aut quæ certos caſus, præſertim reſervatos ſpectat, &c. Horum ratio eſt, quia extra neceſſitatis caſum non licet gravi nullitatis periculo Sacramentum exponere. Atqui in præſenti caſu 1. exponitur Sacramentum periculo nullitatis; imo vere nullum eſt, ſi reipſa deſit, quæ ut probabiliter adeſſe poteſt, ſic & probabiliter deeſſe poteſt juriſdictio. 2. Exponitur extra neceſſitatis extremæ caſum, ut ſupponitur, & patet ex allatis exemplis, quæ licet graves cauſas importet, nullam tamen invehunt neceſſitatem extremam.

Confirm. quia opinio quæ in præſenti caſu abſolutionem impendi poſ- 147
ſe docet, non eſt certa, ſed tantum probabilis, ex eorum a quibus defenditur, confeſſio. Atqui ab Innocentio I. an. 1679. damnata eſt hæc propoſitio n. 1. quæ inter reprobata a Clero Gallicano eſt n. 124. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Ergo opinionem hanc practice ſequi non licet.

Aliter ſentiunt Suarez diſp. 26 ſect. 6. n. 6. Lugo diſp. 19. n. 29. Bona- 148
cina, & alii plures, duplici præcipue de cauſa, 1. quia Pœnitens in hoc caſu ſemper habet venialia quædam peccata a quibus dum directe abſolvitur, ut a quolibet Sacerdote, etiam non approbato, abſolvi poteſt indirecte abſolvitur a ceteris; 2. & præcipue, quia ſicut quando adeſt communis error, Eccleſia juriſdictionem ſupplet propter communem Fidelium utilitatem: ita & quando adeſt probabilis opinio Doctorum juriſdictionem in certo caſu adſtruentium, dat etiam Eccleſia juriſdictionem, propter commune bonum, etiamſi opinio illa ſit reipſa falſa.

Verum natura hæc ratio efficax eſt. Non prima. Etſi enim credide- 149
runt multi, quos incaute ſecutus eſt Tornelyus pag. 218. ad 3. quemlibet Sacerdotem vel a venialibus, vel a mortalibus jam dimiſſi abſolvere poſſe abſque juriſdictione ſpeciali: jam apud ſaniores Theologos conſtat, abſolutionem hujuſmodi & illicitam eſſe, & ſuſpectam nullitatis.

Quod illicita ſit, patet ex gravi Innocentii XI. Decreto an. 1679. ubi 150
hæc: *Non permittant Epiſcopi, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Confeſſarii etiam Regulares, aut quicumque alii, ſecus egerint, ſciant ſe Deo opt. Max. rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum & Ordinariorum juſtam & rigoroſam animadverſionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu.*

Quod autem eadem abſolutio ſit admodum ſuſpecta nullitatis, ſua- 151
detur 1. quia, ut animadvertit Pontas ibid Caſ. 12. *Decernit ſacroſancta*

Syno-

Synodus Tridentina Seſs. 23. Cap. 5. *nullum etiam Regularem*, cui plura a jure conceſsa ſunt, *poſſe confeſſiones ſæcularium*, *etiam Sacerdotum*, *audire*, *niſi aut Parochiale Beneficium*, *aut ab Epiſcopis*∴ *approbationem obtineat*. Atqui non diſtinguit ſancta Synodus mortalia peccata inter & venialia; etſi bene norat e Sacerdotibus; qui ſæpe confitentur, plures eſse, qui, propitio Deo, venialia tantum deferant. 2. Quia facultatem a venialibus ſine ſpeciali juriſdictione abſolvendi, quæ ante & poſt Tridentinum, Pariſiis, aliiſque multis in Diœceſibus vigebat, teſte de viſu Pontaſio ibid. ſuſtulere omnes fere, Epiſcopi, gravibus de cauſis, puta quia Parochi non pauci imperitis atque vitioſis Sacerdotibus utebantur, qui graves culpas facile habebant pro venialibus. Atqui hujus facultatis revocatio, pure & ſimpliciter facta, id genus abſolutiones non illicitas modo, ſed & nullas prorſus facere debuit. Ergo non valent jam abſolutiones illæ, niſi in iis, ſi quæ ſint, Diœceſibus, ubi tacito Epiſcoporum conſenſu tolerantur.

152 Non ſecunda, quæ ipſam pro ſolutione quæſtionem affert. Tota nimirum præſentis articuli difficultas in eo eſt an probabilis opinio (ſcit autem Deus quid non apud noviores Caſuiſtas probabile evaſerit) Juriſdictionem conferat. Aliud profecto eſt de errore communi, ut ex dicendis conſtabit.

153 Huic adhærendum opinioni. Sicubi tamen oppoſitam doceri ſcienter permittunt Epiſcopi, erit licentia hæc ad minus tacita juriſdictionis collatio, quæ omnem difficultatis nodum reſecabit. Hinc, ut paulo poſt dicemus, in dubio juris poteſt quis a reſervatis abſolvere Andegavi, qui id in aliis Diœceſibus multis non valeret.

154 Sed quid de juriſdictione probabilius adeſse judicata? Praxim ejus communiter uti legitimam approbant Doctores, 1. quia juriſdictio acquiritur conſuetudine, ex Cap. *Cum contingat*, 13. *De foro compet.* ea porro eſt ordinaria Confeſsariorum conſuetudo, ut quam ſibi probabilius ineſse putant juriſdictionem, ea ſecure utantur. 2. Quia Confeſsarii perpetua alio qui anxietate gravarentur, cum caſus iſte frequens ſit. Unde non veriſimile modo, ſed & moraliter certum eſt Eccleſiam, ut incommodis ceteroqui ſecuturis occurrat, ſupplere juriſdictionem, ſi hanc fortaſſis deeſse contingat. 3. Quia licet opinionem probabiliorem ſequi, tametſi non omnino indubiam.

Sententiam hanc non improbabo; ſi ea ſolum opinio probabilior dicatur, quæ multo & certo rationum gradu ſuperat oppoſitam, prout latius expendi in Tract. de Conſcientia. Imo, cum ſcrupulus omnis, qui mentem fatigat, auferri a Superiore poteſt, ad eum, quam cito licet, recurrendum eſt. Utique melius eſt miniſterium ſuum ad dies aliquot ſuſpendere, quam ſe ſuumque Pœnitentem anxietati objicere.

Quæres 7. an Epiſcopus eos qui ſe ſe ad examen offerunt; vel ab examine repellere poſſit, vel poſt examen, tametſi capaces, non approbare.

155 R. id equidem illicitum eſſe; quia Epiſcopus, cum ſpiritualis miniſterii dominus non ſit, ſed diſpenſator, non ad libitum, ſed juxta leges a ſupremo Domino conſtitutas; poteſtate ſua uti debet, Unde peccare poſſunt, qui ob civilia jurgia, viros alioqui ad miniſterium habiles, ab eodem removent. Ceterum qui etiam poſt examen capax repertus; approbatione donatus non fuit, abſolvere non poteſt: quia ſola ſubjecti idoneitas miſſionem non largitur. Unde reprobata eſt an. 1665. propoſitio

hæc

Digitized by Google

hæc n. 13. ab Alexandro VII. *Satiſfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari. Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſte reprobato.* Qua ſanctione multo plus gravantur Sæculares Presbyteri, quibus neceſſariæ ſunt juriſdictio & approbatio; cum Regulares ab Apoſtolica Sede juriſdictionem habere videantur, tantumque approbatione indigeant.

Objiciuntur præcipue duo, 1. quod nemo per iniquam ſententiam privatur jure ſuo. Atqui Regulares jus habent ad confeſſiones audiendas: cum a Pontifice juriſdictionem, adeoque completam poteſtatem habeant, &c. 2. Quod Bonifacius VIII. in Bulla *Super Cathedram*, 2. *De ſepulturis*, Tit. 6. in extrav. commun. ſanxit, ut *ſi Prælati Fratribus ad confeſſiones audiendas* per Superiores ſuos *electis*, *hujuſmodi exhibere licentiam recuſarint*, id nihilominus idem *libere*, *liciteque* poſſint *de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis*: quod & renovavit Clemens V. Clem. *Dudum*, eod. tit. Huic porro, præſertim Clementis V. Decreto non derogavit Synodus Tridentina tum quia *cum ea diſpoſitio ſit Conciliaris*, atque in corpore Juris inſerta, in dubio non præſumitur revocata per legem poſteriorem; tum quia expreſſam Clementinæ hujus mentionem non facit Tridentinum. Ita Leſſius apud Dianam part. 2. Tract. 4. Reſol. 14. 156 157

R. ad 1. cum Lugo ſupra n. 60. neg. min. Nullum enim aufertur jus Regularibus, ſed tantum non conceditur jus novum ſeu approbatio, ſine qua primum ſuum jus exercere non poſſunt. Sic poſito concurſu ad aliquam Parochiam, qui prævalet jus ad illam habet; & tamen ſi ei negetur Beneficium, non poterit ſe ſe ut Parochum gerere, & confeſſiones excipere; injuſta enim Beneficii meriti denegatio, etſi jus partum non adimit, in cauſa eſt cur negetur jus novum, ſeu poteſtas audiendi confeſſiones Beneficio Parochiali annexa. 158

R. ad 2. cum Suareſio, haud neceſſum fuiſſe, ut ipſius etiam Clementinæ *Dudum*, licet in corpore Juris incluſæ ſpecialis mentio fieret; quia ad veram derogationem ſufficit, ut nova lex Tridentini ſubſiſtere nequeat, niſi antiquæ derogetur. Porro ita ſe rem habere conſtat. Ergo citra ſpecialem mentionem *exercite* derogat ipſi etiam Clementinæ. De his adi Vivam ad prædictam Alexandri VII. propoſitionem, ubi num. 13. probat, idem de ceteris præter annuam confeſſionibus judicium eſſe: licet citata propoſitio de annua tantum confeſſione loquatur. Et vero idem Alexander VII. in Brevi an. 1659. die Febr. 26. Hanc Regularium Andegavenſium propoſitionem indiſtincte proſcripſit; *Si* Mendicantes *ab Epiſcopis non approbentur, negatio valet, ac ſi approbatio illa conceſſa fuiſſet?* 159

Quæres 8. an Epiſcopus valide poſſit approbationem quoad tempus, locum & perſonas limitare.

R. Affirmat. Patet 1. ex quotidiana praxi. 2. Quia Alexander VII. in cauſa Epiſcopi Andegavenſis & Regularium, propoſitionem hanc ut falſam & erroneam damnavit an. 1659. *Non poſſunt Epiſcopi limitare ſeu reſtringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque ulla ex cauſa revocare.* 3. Quia invalida eſt abſolutio ſine actuali approbatione conceſſa. Sed qui habet approbationem juſte vel injuſte reſtrictam ad tempus, locum, vel perſonas, actuali caret approbatione pro alio tempore, loco, aliiſve perſonis. Ita & bene Antonius pag. 323. ex Pontaſ. V. *Approbation*, Caſ. 1. 160

Qua-

Quatuor hic obſervanda, 1. approbationem ad tempus præſcriptum datam, eo finito definere: quia hæc eſt approbantis voluntas: unde novam haberi oportet. 2. Approbationes *ad beneplacitum* datas, permanere donec revocentur: unde nec omnino perpetuæ ſunt, nec omnino ad tempus. 3. Parochum, qui Beneficio ceſſit, indigere approbatione ad excipiendas in eadem Parochia confeſſiones: quia totum jus ejus in Beneficio fundatum erat. Quod ſi ante initam Beneficii poſſeſſionem approbatus eſſet: deſinente ordinaria Beneficii juriſdictione, perſeveraret delegata; niſi aliam ſibi eſſe mentem certo vel dubie oſtendiſſet Epiſcopus, puta Parochum hunc ad Parochianos ſuos reſtringendo. 4. Approbationes, in quibus nec Monialium, * nec Caſuum reſervatorum mentio fit ſpecialis, limitatas eſſe quoad perſonas, & quoad materiam; prout quoad tempus, & quoad locum limitatæ ſunt, quæ ad annum dantur, vel in certa Parochia, ejuſve vicinia, quales ſæpe junioribus Vicariis indulgentur. Tunc autem vicinia hæc ad omnes, quæ approbati Parœciam proxime ambiunt, Parœcias extendi debet, non ultra, niſi aliud ex nota Superioribus conſuetudine conſtet.

Quæres 9. an qui ſemel ab Epiſcopo approbatus eſt, poſſit iterum ad examen vocari, ut prorogetur, vel auferatur ejus approbatio.

158 R. affirmat. Siquidem de Presbyteris ſecularibus ſermo ſit, idque patet tum ex univerſa praxi, tum quia, ut ait Suarez diſp. 28. ſect. 3. n. 5. *Epiſcopus ſemel examinando & approbando, nullo titulo ſe obligavit illud examen ſemper habere firmum. Præſertim cum, moraliter loquendo poſſint occurrere occaſiones, ob quas prudenter hoc fiat. Sæpe enim examen per alios fit, & non recte fit, & aliquando moraliter conſtat, plures, indignos vel negligentia, vel malitia, vel caſu inter dignos eſſe approbatos, & ad vitandam infamiam, vel ſcandalum expedit omnes iterum ad examen vocari.* Adde quod, cum multis Sacerdotium ſit finis ſtudiorum, plures optimæ ſpei intra aliquot annos eo uſque a parte in Seminariis quantulacumque ſcientia excidunt; ut reprobari potius quam approbari mereantur.

159 Potiſſima igitur quæſtio eſt de Regularibus. De his autem docet idem Suarez; 1. eos a ſucceſſore Epiſcopi examinari poſſe; quia *novus eſt Paſtor, & propriam obligationem induit: unde non eſt cur cogatur ratas habere omnes facultates a prædeceſſore conceſſas;* 2. poſſe eos examinari ab ipſo qui approbavit Epiſcopo, ſi primum approbaverit ſine examine; 3. eoſdem ſi ſemel examinati ſint & approbati, vi privilegii Pii V. in Bulla ann. 1571. quæ incipit, *Romani Pontifices*; ab eodem Epiſcopo iterum non poſſe examinari.

160 Sed 1. Conſtat ex gemina declaratione Sacræ Congregationis Epiſcoporum, die 20. Nov. an 1615. & die 30. Auguſti an. 1630. quam refert

* „ Generaliter approbatos ab Epiſcopo ad audiendas perſonarum ſecularium confeſ- „ ſiones, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubje- „ ctarum, ſed agere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione; atque approbatos pro „ audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minime poſſe audire confeſſiones „ Monialium alterius Monaſterii. Itidem Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos at- „ que approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud „ poſſe expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi, illarum confeſſiones audi- „ re, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit „ *Clemens X. Conſtit.* Superna.

fert Paſſerinus Tom. 2. q 87. art. 1. num. 291. & 292. *Confeſſarios Regulares, alias* ab Epiſcopis *approbatos, ab audiendis confeſſionibus* ſuſpendi poſſe *ex nova cauſa, ad confeſſiones ipſas pertinente;* ut ſi contra Diœceſis legem, extra veræ neceſſitatis caſum, mulierum confeſſiones, non in Eccleſia, & aliter quam per cratem interpoſitam, excipiant; aut ſi *cum ſcandalo, vel alias inhoneſte vivant, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili judicio Epiſcopi videantur a confeſſionibus ſuſpendendi*, aut ſi non ſervent *interdictum ab ipſis Ordinariis poſitum*.

Conſtat 2. ne quidem extra Galliam certum eſſe, quod invalida ſit revocatio vel ſuſpenſio approbationis citra cauſam facta: hæret enim eo in puncto Suarez ibid. n. 7. Paſſerini vero ubi ſupra n. 296. pag. 71. eandem vult eſſe quidem irritandam a Sacra Congregatione, apud quam conqueri debent Regulares, ſed non ipſo jure eſſe nullam: quia eſt *ab habente legitimam facultatem*; qui ceteroqui agendi rationis ſuæ cauſam Regularibus eorumve Prælatis reddere non tenetur, Cum igitur dubia in confeſſionibus juriſdictione uti non liceat; ſuſpenſi Regulares miniſterium ſuum ſuſpendere tenentur. 161

Atque id multo magis indubium eſt in Gallia, ubi nec viget Conſtitutio Pii V. nec Clementis X. Bulla, qua idem Regularibus indulgebatur privilegium, quamque Pariſienſis Senatus expreſſe typis mandari vetuit. Quin & Clerus Gallicanus an. 1700. hanc damnavit propoſitionem: *In miniſterio Pœnitentiæ requiritur etiam approbatio Ordinarii, quæ poteſt limitari, ſed non revocari ſine cauſa.* Et vero rationes quibus evincit Suareſius Secularium approbationem revocari poſſe, annon ſæpius in ipſos Regulares quadrant? Ceterum non ideo ab exteris multum diſcrepant Galli: Cum libenter pios & doctos Regulares approbent; & nihil vereantur magis, quam ne conceſſam ſemel, ſeu concionandi, ſeu confeſſiones audiendi, facultatem ſuſpendere cogantur. 162

Quæres 10. an approbatio expiret morte, ceſſione, vel depoſitione Epiſcopi approbantis. 163

R. negat. & id patet, tum ex quotidiana praxi; tum quia grave eſſet ac periculoſum, ut Sacerdotes quotquot in Diœceſi delegati ſunt, ſimul & ſemel a juriſdictione exciderent; tum ex cap. 36. *de Præbendis* in 6. ubi *Conceſſio (quam, cum ſpecialem gratiam contineat, decet eſſe manſuram) non expirat, etiam re integra, per obitum concedentis*. Et id quoad caſus etiam reſervatos locum habere dixi in Tract. de Legibus; cap. 6. art. 5. pag. nunc 388. contra Pontas, V. *Cas reſervé*, caſ. 13. ubi & animadverti, facultatem Petro datam ad abſolvendum Paulum, non magis expirare re integra, id eſt, etiamſi Paulus necdum inceperit confiteri Petro, quam expiret conceſſa eidem Petro facultas abſolvendi omnes, qui ad eum recurrere volent. Contraria deciſio ſola nititur diſtinctione inter gratiam *factam* & *faciendam*; quæ nihil habet ſolidi.

Quæres 11. an qui Parochum habet imperitum, hoc ipſo habeat facultatem ad alium pro nutu Confeſſarium recurrendi. 164

R. ſic viſum pluribus, qui poteſtatem hanc ab Eccleſia conceſſam fuiſſe crediderunt per Caput *Placuit* 3. de Pœnitentia, diſt. 6. ubi ſic loquitur Urbanus II. *Placuit ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti, ad pœnitentiam ſuſcipere ſine ejus conſenſu, cui prius* ſe

ſe commiſit, niſi pro ignorantia illius, cui pænitens prius confeſſus eſt. At nemo facile credet conceſſam ab Eccleſia fuiſſe facultatem, qua Paſtores exponerentur examini, & ſæpius calumniis fidelium. Unde objecti Canonis ſenſus eſt, pœnitentiam a Sacerdote uno impoſitam, non immutandam eſſe ab alio, niſi manifeſtum ſit priorem in eadem imponenda pœnitentia graviter erraſſe.

165 Quæres 12. cui ſubjaceat pœnæ qui confeſſiones audit non approbatus.

Reſpondent aliqui eum ſuſpenſionem ipſo facto incurrere propter hæc Urbani II. verba cit. cap. *Qui vero contra hæc ſtatuta facere tentaverit, gradus ſui periculo ſubjacebit.* Quia tamen futuri temporis expreſſio ſententiam ferendam ſignificat, aut ſignificare poteſt, & *in pœnis benignior interpretatio facienda eſt;* idcirco docet communior opinio, quam tenent Navarus, Rodriguez, & alii quos ſequitur Paſſerinus cit. q. 87. art. 1. n. 360. pœnam hanc ante judicis ſententiam non incurri, niſi aliter locorum lege conſtitutum ſit, ut eſſe poteſt, cum graviſſimum ſit ſcelus alienæ juriſdictionis invaſio.

166 Si objicias juriſdictionis uſurpationem excommunicatione de facto lata plecti in Tridentino Seſſ. 22. Cap. 11. Reponunt id equidem verum eſſe de juriſdictione ordinaria, non autem de delegata; præſertim cum hæc non privative ad Epiſcopum, vel alios uſurpetur. Si quis tamen, ait ibid. Paſſerinus n. 361. jus parochiale, cui annexa eſt ordinaria juriſdictio, uſurparet, is prædictæ cenſuræ ſubjiceretur.

ARTICULUS QUARTUS.

De Caſibus reſervatis.

ARticulum hunc majoris perſpicuitatis gratia varias in Sectiones partiemur.

SECTIO PRIMA.

An & qui poſſint caſus aliquos ſibi reſervare.

167 NOt. 1. Caſus in præſenti non ſumitur, ut ſæpe, apud Theologos, pro quæſtione morali, ſed pro delicto.

168 Not. 2. Reſervatio eſt juriſdictionis alicui ad confeſſiones audiendas conceſſæ limitatio, vi cujus a certo peccatorum genere abſolvere non poteſt. Unde ſequitur 1. reſervationem directe & primario afficere Confeſſarium, cujus poteſtas reſtringitur; licet indirecte afficiat Pœnitentem, qui a tali Confeſſario abſolvi non poteſt; uti notat Fagnan. in cap. *Omnis*, n. 78. *De Pœnit. & Remiſſ.* 2. Caſum reſervatum non inepte definiri, Peccatum, cujus Superiores adeo ſibi abſolutionem retinuere, ut hæc a Confeſſariis communi tantum poteſtate præditis concedi non poſſit. His poſitis videndum an & quibus competat facultas caſus ſibi reſervandi. Sit

Conclusio I. Eſt in Eccleſia poteſtas certos caſus reſervandi. *Eſt dogma Catholicum*, ait Sylvius in Suppl. q. 10. art. 2.

Prob.

Prob. 1. ex S. Cypriano Epiſt. 10. Rigalt. 16. Oxon. ubi ſic Presbyteros 169
quoſdam carpit: *Tacere ultrà non oportet* ∴ *quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci ſui memores, ſed neque futurum Dei judicium, neque nunc præpoſitum ſibi Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omnino ſub Anteceſſoribus noſtris factum eſt* ∴ *totum ſibi vindicent* ∴ *Qui-dum ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis lapſis obſunt, & ∴ nondum manu ab Epiſcopo & Clero impoſita, eis Euchariſtia datur* ∴ *Scientes, quod ſi in eiſdem perſeveraverint, utar ea admonitione, qua me uti Dominus jubet, ut interim prohiberentur offerre*. Et Epiſt. 13. Rigalt. 18. Oxon permittit S. Præſul, *ut ſi qui infirmitatis periculo occupati fuerint* ∴ *apud Presbyterum exomologeſim facere delicti ſui poſſint*. Unde ſic; Si non poſſent Epiſcopi caſus quoſdam ſibi reſervare, Presbyteri graviter lapſos reconciliando, facta ſibi a Chriſto auctoritate utebantur. Atqui contra ex Cypriano, qui id præſumebant, non eo ſolum rei erant, quia præmature & ante tempus abſolverent, (quod ab omnibus factum probari non poſſit) ſed quia, contra *Evangelii* legem, & præter metum *futuri judicii*, Epiſcopi ſui auctoritatem, hactenus ſub Anteceſſoribus ejus intactam, uſurparent: unde eis nonniſi *in infirmitatis periculo* exomologeſim Pœnitentium recipere conceſſum erat. Ergo ab initio viguit in Eccleſia graviorum peccatorum reſervatio, eaque longe major, quam quæ nunc inſtituta eſt, ut animadvertit Thomaſſinus Tom. 1. Diſcipl. Eccleſ. part. 1. Lib. 2. c. 12. n. 2.

Prob. 2. ex Concilii tum antiquis, tum & recentioribus. Illiberitanum 170
Can. 32. hæc ſtatuit: *Apud Presbyterum ſi quis gravi lapſu in ruinam morbi inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, ſed apud Epiſcopum*. Ergo gravis lapſus jam tum Epiſcopis reſervatus erat. Idem definiunt Concilia Carthaginenſe II. Can. 4. Carthag. III. Can. 32. &c. Neque huic receſſit poſterioris ævi diſciplina; etſi Presbyteris favorabilior quam antiqua. Unde Concilium Londinenſe ann. 1200. ſtatuit Can. 7. ut *qui in diſpendium cujuslibet ſcienter pejeraverint, non abſolvantur niſi ab Epiſcopo, aut ejus auctoritate*. Idem habent Concilia Nemauſenſe an. 1284. Ravennatenſe ann. 1286. Avenionenſe an. 1316. atque id ſecuti ſunt omnium locorum Epiſcopi, ut Odo, de Solliaco, Benedictus XI. extravag. 1. *De Privilegiis*, Clemens V. cap *Religioſis* eod. tit. Ergo ſemper ſtetit illud Origenis Hom. 10. in Lib. Num. *Laicus peccans indiget quandoque non ſolum Sacerdote, ſed & Epiſcopo*.

Prob. 3. ex Concilio Trident. Seſſ. 14. Can. 11. ubi hæc legere eſt, 171
Si quis dixerit Epiſcopus non habere jus ſibi reſervandi caſus, niſi quoad externam politiam, atque adeo caſuum reſervationem non prohibere, quominus Sacerdos a reſervatis valide abſolvat; Anathema ſit.

Prob. 3. quia, ut loquitur ibidem Sylvius; juriſdictio ad abſolutionem 172
valide impendendam neceſſaria, deſcendit a Superioribus ad inferiores: Ergo ſi hanc Superiores negent quoad hoc vel illud peccatum, inferiores eam non habent, adeoque, ſi tentent abſolvere, inaniter abſolvunt.

Obj. 1. nullum extat in antiquitate tota reſervationis explicite monumentum. Ergo reſervationes prout hodie fiunt, veteri Eccleſiæ ignotæ erant.

R. 1. eſto totum: quid inde? An non æque arctatur Sacerdotis juriſdi- 173
ctio, ſi in genere & implicite prohibeatur a gravioribus abſolvere, ac ſi explicite ab hac vel illa peccati ſpecie abſolvere prohibeatur? Magis utique

que

que in primo, quam in ſecundo caſu conſtringitur; cum in primo ſæpe timere poſſit ne commiſsæ ſibi juriſdictionis limites tranſiliat; unde & ſæpius ad Superiorem recurrere tenetur; In ſecundo autem pleno jure eos abſolvit omnes,qui licet graviter deliquerint,non tamen certo in genere deliquerunt.

174 R. 2. Neg. ant. conſtat enim Cypriani ævo reſervatam fuiſse formaliter Libellatorum & Sacrificatorum culpam. Ergo erat ſaltem aliqua explicita reſervatio.

175 R. 3. diſt. conſeq. ignotæ erant, quia longe majores erant, quam nunc ſint, ut ſupra docebat Thomaſſinus, C. quia nullatenus eſsent in uſu, quod ab adverſariis probandum foret, ſi quid conficere velint, N.

176 Obj. 2. Colonienſes atque Lovanienſes Theologi aperte profeſſi ſunt deciſionem Tridentinam temere aſsertam eſse: quia in veteri Eccleſia publica tantum delicta reſervabantur. Ergo nulla eſt citati Canonis 11. auctoritas.

177 R. diſt. ant. profeſſi ſunt ∴ ſi fides habeatur mendaci Hiſtoriæ Concilii Tridentini ſcriptori, C. ſi ſpectetur nuda hiſtoriæ veritas, N. Si mendaci, nequidem verum dicenti, habeatur fides, multo minus habenda erit ei, qui ut in factis, ſic & in verbis mendacium vovisse videtur: idque magis conſtat, cum teſtimonium ejus gravibus momentis eliditur, ut in præſenti. Si enim graves utriuſque citatæ facultatis Theologi Tridentinum decretum ægre tuliſsent, aliquantula ſaltem, ut ſæpius alias contigit, ſupereſsent hujus quærelæ veſtigia. Nulla porro detegere potuit Pallavicinus, nec facile capiet quiſquam praxim toto Orbe frequentatam, & a ſolo improbatam Wiclefo *, Lovanienſibus diſplicuiſse.

* *Lib. 5. de Conf. cap. 5.*

Obj. 3. res graviſſima, qualis eſt reſervatio, graviſſimas cauſas exigit. Atqui nulla eſt ſaltem gravis, reſervationis cauſa.

178 R. neg. min. Scilicet enim ex Tridentino Seſs. 14. Cap. 7. *Magnopere ad Chriſtiani Populi diſciplinam pertinere, ſanctiſsimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina, non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur*. Quod autem tanti Patribus viſum eſt momenti, non utique futilibus de cauſis tale viſum eſt. Et vero intenderunt Patres, 1. ut abſolutionis obtinendæ difficultas, & in adeundis ſummis Sacerdotibus verecundia, quaſi fræno a gravioribus peccatis coercerent, 2. ut majores plagæ majori peritia tractarentur. Epiſcopi enim, ſive quibus extraordinarias illas facultates tribuunt, plus in conſulendo auctoritatis, in exhortando efficaciæ, in redarguendo virium habere conſueverunt; 3. ut dum ad Epiſcopos, veluti ad ſummos primarii tribunalis Judices recurrendum eſt, eorum *Sedes* amplius *honorentur;* uti habet Concilium Lateran. an. 1215. Cap. 20. *De Præb.*

179 CONCLUSIO II. Caſuum reſervandorum poteſtas competit Rom. Pontifici, Epiſcopis, Religionum Superioribus, & iis qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent.

180 Prob. quia hi omnes vel a ſe, ut Epiſcopi, vel a Papa, ut Regulares, poteſtatem habent juriſdictionis inferioribus ſuis communicandæ. Atqui eo ipſo juriſdictionem hanc extendere poſsunt vel coarctare, prout exegerit rerum ſtatus. Ergo poteſt S. Pontifex in Orbe toto, Epiſcopus in Diœceſi, Prælatus Regularis in tota ſua, ubicumque patet, ditione, quædam ſibi reſervare peccata. Unde.

Caſus

Caſus reſervati dividuntur in Papales, Epiſcopales, & Regulares. Ex his vero qui Epiſcopis reſervantur, alii reſervantur, *in jure*, ut quædam Clerici percuſſiones: alii *in ſpecie*, ſeu melius *a Statuto*, quos nempe ſibi per ſpeciale Statutum reſervat Epiſcopus. De his infra.

Quæres 1. an Parochi poſſint ſibi caſus reſervare, relative ad Sacerdotes ſibi ſubditos? 181

Affirmant non pauci, ut Becanus de Sacram. c. 40. q. 2. n. 1. Major in 4. diſt. 17. q. 5. Vaſquez q. 91. art. 3. dub. 5. Pirombœuf. in Catechiſmo Morali, q. 3. & alii quorum opinio non videtur improbabilis Sylvio cit. q. 20. art. 1. quæſito 2. Ratio eſt quia his omnibus competit juriſdictio ordinaria.

Verum reſervatio hæc, præterquam, ut obſervat Pontas V. *Ca reſervès*, cas 37. fieri valide non poſſet, niſi inferior Sacerdos ab Epiſcopo approbatus eſſet ſub clauſula *de conſenſu Parochorum*; vix unquam ſine ingentibus turbis, & multa Parochianorum commotione fieri poſſet: præſertim cum inoleverit conſuetudo contraria; cavendumque ſit ne creſcat caſuum reſervatorum numerus. Et vero, ait poſt Lugo Benedictus XIV. in celebri Tractatu de Synodo Diœceſana, Lib. 5. c. 4. n. 2. ad quid reſervatio illa, cum Parochus impedire non poſſit; ne Sacerdotes vi juriſdictionis acceptæ ab Epiſcopo, *cujus imperio tota Parochorum juriſdictio ſubeſt*, abſolvant, pro gradu auctoritatis ſibi ab Epiſcopo conceſſæ. Quapropter hortari quidem poteſt & debet Parochus Sacerdotes qui ſecum laborant, ut in hoc vel illo caſu Pœnitentibus ſtrenue invigilent; non autem eum ſibi reſervare, niſi conſulto prius Epiſcopo, prout advertit Bail de Exam. Confeſſar. p. 1. q. 32.

Quæres 2. an Epiſcopi caſus ſibi relative ad ipſos etiam Parochos reſervare poſſint? 182

R. id a nemine vere & catholice Theologo in dubium vocari; mirumque quod in Diœceſi quadam adoleverit opinio contraria, quæ nedum certo demonſtretur (quod tamen ad tranquillandam in re tanti momenti conſcientiam neceſſe foret,) ne probabiliter quidem ſuaderi poteſt.

SECTIO SECUNDA.

Quod Peccati genus reſervari ſoleat.

Ut peccatum reſervetur, debet certas habere conditiones, quas his verſibus expreſſere veteres Theologi. 183

Completum, externum, certum, mortale: favores
Auge, reſtringas odia, a potiori ratio nulla eſt.
Mas annos habeat bis ſeptem, femina bis ſex.
Solvo mandantes, quando non jura reſervant.

De his, ſed alio paululum ordine dicemus.

1. Itaque ad reſervationem requiritur peccatum mortale. Etſi enim, ut loquitur Sylvius ibid. art. 2. *Cujuſvis generis peccata reſervari poſſunt, & venialia, & interna, ſi ſolum ſpectetur poteſtas: quia ad omnium ſacramentale abſolutionem neceſſaria eſt juriſdictio, quæ cum a Superioribus deſcendat, poteſt ab eis limitari, Eccleſia tamen non reſervat ullum veniale:* tum quia reſervatio hæc plurimos ab utili venialium Confeſſione ar- 184

ceret

ceret, tum quia eadem reſervatio quadantenus inutilis foret, cum venialia alia quam Confeſſionis via dimitti poſſint. Unde ubique viget id mandati Pariſienſis anni 1709. tit. 1. n. 3. *Nullum peccatum reſervatum eſt quod non ſit mortale*. Atque id indicat Trid. Synodus, cum reſervationi, prout antiquitus facta eſt, *atrociora* tantum *& graviora crimina* ſubjacuiſſe docet. Quanquam Can. 11. ubi quæ fidei ſunt, diſtinctius aſſignantur, decernitur a Concilio anathema iis qui negant *Epiſcopos habere jus ſibi reſervandi caſus*, nec ulla ſit atrociorum caſuum mentio. Unde generaliter receptum eſt, poſſe a Superioribus reſervari peccata, ſimpliciter, ſed vere mortalia. Si tamen penitius ſpectentur quæ reſervari conſueverunt, facile apparebit ea omnia, ſi minus in ſe, at ſaltem in miſeris quos parere ſolent effectibus, certum gravitatis genus involvere. Ita & ſolide Auctor Collat. Andegavenſium Tom. I. de caſib. reſerv. pag. 46. Quod opus qui nuper afferere auſus eſt ubique deſpectum eſſe, id unum egit ut ubique deſpici mereretur.

185 Ex his inferes peccatum nullatenus eſſe reſervatum, quoties a mortali excuſatur, ſive propter ignorantiam, quod in plebeis accidere poteſt ſive ob defectum plenæ deliberationis; ut contingit in ſemi-dormientibus, vel in primis iis motibus, qui advertentiam ad lethale peccatum neceſſariam auferunt. Unde fieri abſolute poteſt, ut quis Clerico alapam infligat, & tamen liber ſit a reſervatione. Hinc etiam, ut a cenſuris, ſic & a reſervatione excuſare poteſt ignorantia venialiter tantum culpabilis, de quo vide quæ dixi in Tract. de cenſuris, p. 1. c. 4. Sane in caſibus ſummo Pontifici reſervatis, quidquid excuſat a cenſura excuſat & a reſervatione; quia caſus illi, nonniſi propter cenſuram Papæ reſervari ſolent. Dico, *ſolent*, quia, ut advertit Lugo diſp. 20. n. 25. Sixtus V. in Bulla contra male promotos peccatum illud ſibi abſque ulla excommunicatione reſervat.

186 Unum hic gravis momenti animadvertendum eſt cum Haberto cap. 7. qu. 3. nimirum *materiam quæ ſecundum ſe levis eſt, vel etiam indifferens, ex circumſtantiis tamen & fine quem ſibi præſtituit Legislator, poſſe eſſe graviſſimam, & prohiberi etiam ſub cenſuris reſervatis, ut pote quæ viam aperiat multis criminibus. Sic plures Epiſcopi, propter graviſſimas cauſas prohibent Clericis frequentare popinas, licet temperanter comedere & bibere in popina non ſit res per ſe mala.* Sic olim conſulti an Epiſcopus quidam ſummæ pietatis cattharum ludos ſub gravi cenſura vetare potuiſſet, reſpondimus id eum potuiſſe, ſpectatis temporum & loci circumſtantiis, in ea nempe Diœceſi, quæ ab hæreticis circumdata, perpetuam Pſeudo-Miniſtris anſam præbebat Eccleſiæ Romanæ Paſtores impetendi ut aleæ & lucri ſtudio deditos, tempus inaniter terentes, id ſibi indulgentes quod ne pii quidem ſæculares ſibi permittant, &c. Unde etiam docent nonnulli; Regulares Prælatos poſſe ſibi venialia quædam reſervare, maxime cum illa percrebreſcunt, ut frequenter violare legem ſilentii, Literas, inſcio Superiore ſcribere, alterius cubiculum ingredi; quæ Superiores ſub pœna mortalis, ſi ſæpius contingat, coercere tenentur. Ita Germanus quidam nomine Faber in compendio de caſibus reſervatis Ingolſtadii edito, an. 1702. pag. mihi 21.

187 2. Peccatum ut reſervetur, externum eſſe debet. Etſi enim, ait Sylvius

Digitized by Google

vius ubi ſupra, mortale etiam internum reſervari poteſt, quia circa hoc auferri poteſt juriſdictio; at nequaquam expedit illud reſervari; *quia hoc eſſet injicere laqueum intollerabilem fidelibus, qui ſæpe ſunt anxii, an cogitationibus internis conſenſerint, annon*: quibus proinde id genus reſervationes in deſtructionem cederent, potius quam in ædificationem. Ita & SS. D. N. Benedictus XIV. in Tract. de Synodo Diœceſ. Lib. 5. c. 5. n. 5.

Hinc hæreſis & ſimonia mere mentalis, quamvis gravia coram Deo peccata, non incurrunt pœnas juris, ſecundum id Can. 14. *De Pœnit.* diſt. 1. *Cogitationis pœnam nemo patitur*, ab homine ſcilicet; nam bene a Deo, ut explicat Gloſſa. 188

Hinc 2. qui intus in corde dicit; *Nullus eſt infernus, nulla vera Religio*, a quolibet abſolvi poterit eadem de cauſa. Aliud fuerit, ſi quis hæreſim dicto, verbo, aut facto prodidiſſet, clanculum etiam & conſcio nemine. Licet enim hujuſmodi reſervationes rariſſimas eſſe velit Gerſonius Tract. *De Statutis Carthuſianſium*, eaſque vix ante ſæculum XI. in uſu fuiſſe conſtet; certum eſt tamen peccata hæc & reſervari poſſe, quia vere & per ſe externa ſunt, tantumque *per accidens* Eccleſiæ ignota; & jam pridem, nullo reclamante, fuiſſe reſervata. Sic Lambethenſe Concilium an. 1281. c. 8. *abſolutionem ab homicidio voluntario, tam publico, quam occulto, ſoli Epiſcopo, extra neceſſitatis articulum reſervat*: quod & perpetuæ irregularitati, quæ pœna ſimplici reſervatione eſt longe gravior, ſubjicit Synodus Trid. Seſſ. 14. c. 7. de reform. 189

Quæres quid juris, ſi peccatum prout externum eſt, ex objecto & ſpecie veniale ſit; ſed grave ex intentione peccantis: ut ſi quis vel aſſes quinque furetur, nummos furaturus centum, ſi inveniſſet; vel Monialis manum tangat, ſed affectu libidinoſo? 190

R. peccatum id generaliter loquendo reſervatum non eſſe, uti docet communis opinio, quam tenent Lugo diſp. 20. n. 15. Suarez Tom. 4. de Relig. Tract. 8. Lib. 1. c. 18. n. 12. citatus Faber & alii plures apud ipſum, quibus concinit Collator Andegav. pag. 44. Ratio liquet ex dictis. Si enim ad reſervationem requiritur peccatum mortale exterius, ubi deficit alterutrum, nulla eſt reſervatio. Atqui in præſenti caſu deficit conditio externi peccati ut lethaliter gravis; cum actus prout exterior, levis eſſe ſupponatur.

Dixi, *generaliter loquendo*, quia poſſet reſervari impudicitia cum Monialibus, *quocumque modo attentata*, adeoque mortifera in animo, etſi levis in opere, prout die 16. Aprilis 1744. judicavit Romana Inquiſitio occaſione caſus cujuſdam in Diœceſi Veneta reſervati, & male a Theologo quodam improbati. 191

3. Peccatum reſervandum debet in genere ſuo eſſe completum. Ratio eſt, tum quia reſervatio, utpote odioſa & pœnalis reſtringi debet, tum quia ſi Superior opus etiam tentatum reſervare voluiſſet, non deerant verba quibus mentem ſuam exprimeret diſertius. 192

Hinc 1. ſi reſervatum ſit homicidium, is duntaxat reſervationi ſubjacet, qui vere & facto occidit; non qui homicidium propoſuit animo, ſuamve occidendi voluntatem factis, verbis, aut nutibus demonſtravit, aut qui venit ad verbera vel vulnera, ſi mors ſecuta non ſit, aut necdum ſecuta ſit. Idem ſtatuendum ſi mors non ex vulnere, de ſe ad occidendum impari, ſed ex inopino, qui prævideri non potuerat, caſu, orta 193

ſit, etſi citra vulnus oritura non fuiſſet; ut ſi quem percuſſiſti, dum aliquid e naribus fundit ſanguinis, equo præcipiti obruitur.

194 Hinc 2. ſi reſervata ſint adulterium, inceſtus ſodomia, qui hæc non plene, ſeu non emiſſo intra vas debitum, vel indebitum ſemine exercet, ſed in primis caſibus retrahit ſe, ut prolem evitet; licet tunc gravius delinquat, is, inquam, liber eſt a reſervatione; niſi, quod curare debent Superiores, ipſa criminis attentatio expreſſis verbis reſervetur; prout reſervari ſolet provocatio ad duellum, & ejuſdem acceptatio, licet non ſequatur conflictus; & ſapientiſſime Pariſiis reſervantur, *ſodomiticum peccatum, non modo conſummatum*, quod perraro contingere audivi, *ſed & actu ad id per ſe ducente tentatum*: & quæ eſt *peccatum illo gravius beſtialitas*.

Et id caute obſervandum ab iis qui caſuum reſervatorum ſeriem inſtituunt; ne nihil, aut fere nihil reſervent.

195 4. Ajunt plures peccatum debere eſſe certum, ea nimirum certitudine quæ dubium quodcumque excludat.

196 Ut hæc intelligatur conditio, quæ plurimum habet difficultatis, duplex ſecerni debet dubium, aliud facti, aliud Juris. Dubium facti eſt illud quo quis dubitat, an peccatum; quod certo conſtat eſſe reſervatum, commiſerit; vel quoad ſubſtantiam, puta an Clericus eſſet is quem percuſſit, vel quoad modum, puta an Clericum percuſſerit graviter; vel quoad tempus, puta an cum percuſſit, pubes eſſet; necne. Dubium Juris illud eſt, quo quis certus quidem eſt ſe hoc peccatum admiſiſſe, ſed dubitat an peccatum illud ſub lege reſervationis contineatur.

197 His poſitis, docent multi, præſertim ex veteribus Theologis, ad reſervationem requiri illud certitudinis genus, quod & dubium facti, & dubium Juris excludat: dubium, inquam, prudens, & ortum non ab imperitia Confeſſarii qui Jus ignorat, ſed a Jure; quod ſanioribus Caſuiſtis ambiguum videtur. Sicut enim reſervationis ignorantia in Pœnitente, eum a reſervatione non eximit, ſic nec Confeſsarii ignorantia eidem juriſdictionem confert: ſed neque hanc etiam confert audax laxiorum Caſuiſtarum cohors, qui quidquid imaginantur, probabile exiſtimant. Jam

198 Probatur hæc opinio, præſertim qua parte reſpicit dubium Juris, de quo fere ſolo controverſia eſt; cum Epiſcopi multi dubios facti caſus a reſervatione exemerint; alii vero a Theologis eximi permittant: Prob. inquam, 1. quia ex Reg. 15. Juris in 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*; & Reg. 49. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*. Atqui reſervatio & odioſa eſt, tum Confeſsariis, quorum juriſdictionem coarctat; tum pœnitentibus, qui a peccato mundari non poſsunt, dum alii mundantur: & pœnalis eſt utriſque; cum Pœnitentes coram Superioribus ſiſtere ſe teneantur; vel eorum loco Confeſsarii, ut abſolutionis iiſdem impertiendæ facultatem obtineant.

199 Non me fugit, a pluribus admitti reſervationes minime pœnales, quæ inquiunt, non tam in delicti pœnam; quam in fidelium bonum, & prudens Eccleſiæ regimen inſtitutæ ſunt: cujuſmodi eſt reſervatio hæreſis, in qua quis a puero educatus eſt, quæque plus miſericordiæ exigit, quam vindictæ. At ſimul fatendum eſt, reſervationes pene univerſas in ultionem peccati, peccatoriſque verecundiam cedere, & ideo pœnales eſſe: idque ad præcedentis argumenti validitatem ſufficit.

Prob.

Prob. 2. Nulla eſt reſervatio ubi Jus ipſum reſervationem tollit. Atqui in dubio Juris Jus ipſum reſervationem tollit. Quod enim Legiſlatoris verba, præciſe, quia ambigua, mitiori ſenſu intelligi decernit, tollit rigidiorem reſervationis ſenſum. Atqui Jus.·.·. Sic enim habet Reg. 57. in 6. *Contra eum qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.* Sed qui caſum ambigue reſervavit, apertius loqui potuerat. Ergo. 200

Prob. 3. Non utique durior eſt pia mater Eccleſia, quam politici Judices; Atqui hi in dubio Juris vel Facti neminem plectunt. 201

Prob. 4. ab incommodis. Sane grave eſt incommodum, quod Pœnitens rite diſpoſitus; quandoque etiam alterius Diœceſis, in qua peccatum quod hic deponit, forte non eſt reſervatum, ſacramentali gratia per hebdomadam, & quandoque ultra, privetur. Atqui ſi in dubio Juris admittenda ſit reſervatio, ſæpe ſæpius recurret incommodum illud, Sæpe enim circa legis ſenſum hærent doctiores Theologi: vixque quid intenderint, poſt aliquod tempus meminere ipſi Legiſlatores. Ergo. 202

Prob. 5. quia conſtat apud omnes, nullum Papæ reſervari caſum, niſi qui certus ſit, ſed dubios omnes ab Epiſcopo dimitti poſſe. Ergo a pari ab inferiori Sacerdote dimitti poſſunt ii, de quibus dubium eſt an Epiſcopo ſint reſervati. 203

Prob. 6. quia opinio hæc ubique docetur, ſcientibus nec reclamantibus Epiſcopis. Atqui, niſi, quod abſurdum eſt, officio ſuo in re gravi deeſſe ſupponantur, jam non intendunt obſervationem legis ſuæ pro hujuſmodi caſibus, adeoque in his juriſdictionem conferunt. Ergo. 204

Nec eſt quod objiciatur, eum qui dubitat an cenſuram incurrerit, ad obtinendam ejus abſolutionem teneri, tandiuque ſe gerere ut excommunicatum, donec eam obtinuerit. 205

Longa enim eſt inter utrumque caſum diſparitas: 1. quia, ut obſervavimus in Tract. de cenſuris, part. 2. cap. 1. art. 5. quæſit. 4. ſtatuit Innocentius III. Cap. 5. *De Cler. excom. miniſtr.* ut qui de lata in ſe ſententia dubitat, viam eligat tutiorem, & a ſacris abſtineat: Nihil autem hujuſmodi ſancitum eſt in materia reſervationis, 2. quia longe frequentiores ſunt reſervationis caſus, quam cenſurarum; unde frequentior e primis, quam e ſecundis orietur Confeſſariorum anxietas; 3. quia cenſuræ ſæpius caſibus publicis inhærent, reſervationes vero paſſim occultis. Occulta autem, non paſſim, ſed ſumma cautione, ad Superiores remittenda ſunt, quia confeſſionis ſecretum haud facile promi debet.

En opinionis hujus momenta, quæ mihi adeo ſana, adeo gravia videntur, ut eam nihil anxius ſequerer in locis omnibus, ubi publice docetur, nec aliud contraria Superiorum lege conſtitutum eſt. Verum hic procul abſumus; varia enim eſt ea de re variarum Diœceſeon diſciplina. Andegavi publica lege ſancitum eſt, *nullum peccatum eſſe reſervatum, quando dubium eſt, an ſit mortale, aut veniale: an ſit reſervatum, necne:* quod & Burdigalæ viget. * At vero in Diœceſibus Pariſienſi, Bituricenſi, Vivarienſi; & ut conjicere eſt, in aliis non 206

* En cas qu'il y eut doute bien fondé, ſi le péché eſt mortel ou veniel, ou qu'il ne parut pas clairement, qu'il eſt comp ins dans les péchés que nous nous ſommes réſervés, Nous permettons à tout Prêtre approuvé d'en abſoudre en cette occaſion *Rituel de Bordeaux*, p. 132.

paucis, præſcriptum eſt ut in ejuſmodi Juris dubio, *hoc eſt*, *quando dubitatur*, *an hoc peccatum in terminis comprehendatur*, *quibus caſus reſervatus expreſſus eſt*, *ad Superiorem recurratur*, *qui ſenſum legis exponat;* Ita Mandatum Pariſienſe hoc tit. n. 4. cujus rei ratio hæc ſolet afferri, quod *unde jus prodiit*, *interpretatio Legis debet procedere*.

207 Neque diſciplina hæc quorumdam duntaxat Galliæ Epiſcoporum eſt, ſed &, ſaltem aliquando, fuit, Eccleſiæ Romanæ. Siquidem ſacra Congregatio de Clementis VIII. Mandato de 9. Januarii an. 1610. prohibuit *Secularibus & Regularibus per univerſam Italiam extra Urbem degentibus*, ne abſolverent a caſibus, *non ſolum clare*, *ſed etiam dubie contentis in Bulla Cœnæ*, *vel alias quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis*, *vel reſervandis*. Suſtulit quidem idem Pontifex die 29. Novemb. anni ſequentis verba hæc *clare & dubie;* unde prius Decretum ab eo hac in parte revocatum eſſe contendit cum aliis quibuſdam Pelliſarius Tom. 1. Tract. 6. cap. 1. n. 6. ſed reclamant alii; de quo nihil ad nos, qui tantum volumus Decretum illud aliquando viguiſſe.

208 Utrum vero diſciplina potior ſit, an quæ dubium Juris reſervat, an quæ mavult non reſervare, vix definiri poteſt; cum id a perſonarum & locorum circumſtantiis plurimum dependeat. Generaliter loquendo in hujuſmodi negotiis mitiorem partem; quia multo minoribus obnoxiam incommodis, prætulero. Ad minus, iis qui duriorem partem eligent, conſultam, ut in dubio juris tandiu abſolvere permittant, donec ex Epiſcopi reſponſo certo conſtet, quæ ejus fuerit intentio. Fateor conſulendum eſſe diſciplinæ, ne tandem concidat: at ſimul conſulendum Pœnitentibus, ne ob dubia tractentur perinde ac certo rei. Quin & aliquando expedit ut omnis dematur reſervatio; unde non ſine aliquo lætitiæ ſenſu hæc legi in Rituali Argentinenſi, auctoritate Em. ac Sereniſ. Principis

Pag. 133. Armandi Gaſtonis Card. de Rohan edito an. 1742. *Ex ſpeciali licentia DD. Epiſcopi*, *hac in Diœceſi poterit quilibet Sacerdos approbatus abſolvere a quolibet caſu reſervato*, *& cenſura*, *ſi quæ caſui annexa ſit*, *1. eos*, *quos gravis morbus lecto affixit; 2. eos*, *qui proxime matrimonio jungendi ſunt*, *3. mulieres prægnantes partui proximas*, *4. denique eos*, *qui pro prima vice ſacram Communionem debent percipere*. Quibus Atrebatenſe manuale addit eos, ſemel duntaxat, ab omni Confeſſario abſolvi poſſe, qui generalem Confeſſionem, ad ſeriam vitæ emendationem inſtituunt.

209 Quæres an a reſervationis lege immunis ſit; qui Sacerdoti pro reſervatis minime approbato ut dubium confeſſus eſt caſum, quem poſtea deprehendit certo reſervatum eſſe.

Affirmant plures; quia reſervatio, prout in Eccleſia viget, eſt peccati certi & nunquam remiſſi. Atqui peccatum de quo agitur, per legitimam abſolutionem remiſſum eſt. Unde ajunt, ſi fuerit dubium dubio Facti, poſtea quidem confitendum eſt ut certum, ſed non neceſſario Sacerdoti pro reſervatis approbato. Si autem dubium fuerit dubio Juris, ad nihil tenetur Pœnitens, cum jam peccatum confeſſus ſit ut certum; & vel nulla ſit reſervatio in dubio Juris; vel hæc, ſi alicubi vigeat, ut Pariſiis, jam per legitimam auctoritatem ſublata fuerit.

210 Mihi opinio hæc veri admodum ſimilis videtur. Optarim nihilominus, quo tollatur ſcrupulus omnis, ut mentem ea de re ſuam aperiant Superio-

rio-

tiores, prout plures circa Facti dubium jam aperuere. Nihil in hac Pariſienſi Diœceſi videtur ſubeſſe difficultatis, ubi ſic habet Mandatum an. 1709. *Cenſeri non debet reſervatum illud peccatum, de quo dubitatur an mortale ſit, aut an jam dimiſſum fuerit in confeſſione prius facta, quod dubium Facti vocari poteſt.* In præſenti autem caſu non dubia eſt, ſed certa, quantum eſſe ſolet, dimiſſio peccati.

Quæres 2. an Sacerdos qui de poteſtate ſua dubitat, puta an hanc obtinuerit, aut ea jam expiraverit, legitime abſolvat a certo reſervatis. 211

R. negative, quia, ſtante dubio illo, exponeret ſe periculo Sacramentum invalide conficiendi. Ita Pellizarius, aliique etiam leniores Caſuiſtæ.

5. Ad reſervationem requiri ſolet, ut a pubere, id eſt, a mare poſt annum 14. a puella vero poſt an. [illegible]. impletum, committatur. Non quod ea ætas ad reſervationem omnino neceſſaria ſit, cum nec ad cenſuras requiratur ex Cap. 60. *De ſent. exc.* ſed quia plus indulgentiæ meretur ætas levis & immatura. Conſulit tamen Antonius p. 325. ut conſulatur Superior, ſi nihil ea de re expreſſim definierit; quia res tota ab ejus intentione pendet. Unde alicubi olim *peccatum contra naturam in ætate* etiam *puerili* reſervatum erat. 212

Sed quid ſi Pœnitens admiſſum ante pubertatem ſcelus confiteatur jam pubes: aut ut ætatis dubius confiteatur id quod poſtmodum certo deprehendit a ſe jam viro eſſe perpetratum. 213

R. Eum in utroque caſu a communi Sacerdote valide abſolvi. In primo quidem, quia ſuperveniens ætas non inducit in actionem præteritam illud gravitatis genus, quod plectere voluit Eccleſia. In ſecundo autem ob rationem ſupra allatam n. 209. Et ita ſentit Collator Andegavenſis pag. 63. & 64.

Dices, Contrahitur reſervatio etiam invincibiliter ignorata. Ergo hanc ipſi etiam pueri contrahunt. 214

R. conceſſo cum ſanioribus Theologis antecedente, neg. conſeq. Neque enim a reſervatione liberi ſunt impuberes ob ignorantiam legis; cum eam bene multi non ignorent; ſed quia inconſulta & præceps ætas vix ſatis gravitatem ejus ponderare poteſt. Unde licet abſolute reſervationi, ut aliquando cenſuris ſubjici queat, haud tamen decuit ut ſubjiceretur. 215

6. Ad reſervationem exigunt aliqui, ut caſus frequens ſit & communis, ſed male: neque enim, miſerante Deo, communia ſunt crimina contra naturam, & tamen pluribus in locis reſervantur. Sane reſervari poteſt peccatum, tum propter atrocitatem, tum ne licet hodie rarum, ſenſim inoleſcat. Perperam igitur ſemidocti quidam Laici exiſtimarent, peccata quædam Clericalis ſtatus propria, apud Clericos frequentia eſſe, quia hæc ſibi reſervaverit Epiſcopus. Sane ejus eſt, a potiori gregis parte, nedum dominans, ſed & impendens malum avertere: atque in dubio ſemper judicandum in favorem illius; cum multa norit quæ ceteros latent, & latere debent. 216

Quæres 1. quid in adductis ſupra verſibus ſibi velint iſtud: *Favores auge, reſtringas odia.* 217

R. utriuſque ſenſum eſſe, quod in reſervationis materia favendum ſit Pœnitenti, quantum, ſalva verborum proprietate poteſt, & ſic reſtringitur odium reſervationis, quatenus hæc ſtrictiori, quo prudenter poteſt,

 ſenſu

ſenſu intelligitur. Sic approbatus a Papa pro caſibus reſervatis, pro cenſuris approbatus intelligitur, quia omnes pene caſus Pontificii ratione cenſuræ iiſdem annexæ reſervantur. Sic peccatum, niſi aliud lege cautum ſit, tunc ſolum reſervatur, quando completum eſt. Hæc autem regula, ut aliæ vulgo, fallit in pluribus: qui enim ab Epiſcopo pro caſibus reſervatis approbatus eſt, non ideo a cenſuris ab eodem latis abſolvit. Qui ab eodem habet jus eligendi ſibi Confeſsarium, non idcirco, ſi communem eligat, a reſervatis aut cenſuris ſolvi poteſt.

218 Quæres 2. quis horumce verborum ſenſus: *A potiori ratio nulla eſt.*

R. ſenſum eſse, quod ubi de reſervatione agitur, non valet argumentum a fortiori, nedum valeat a pari. Hinc male quis dicat: Reſervata eſt lectio Librorum Calvinianorum: ergo a potiori, quæ perículoſior eſt auditio Calvinianæ prædicationis. Potuit enim illa, non hæc, prohiberi; quia nullum eſt hujus in his partibus periculum, grave vero illius. Idem conſtat exemplo adulterii vel inceſtus per novum crimen non conſummati.

219 Quæres 3. quæ ſignificatio iſtius; *Solvo mandantes*, &c.

R. ſenſũ eſse reſervationẽ adverſus eos qui crimen exequuntur, non afficere illos qui crimen illud mandarunt, niſi mandantes & exequentes ex æquo reſervationis lege contineantur. Unde non utroſque ſemper par pœna conſtringit.

SECTIO TERTIA.

De Caſibus Papæ reſervatis.

EX his caſibus alii continentur in Bulla, quæ quia quotannis Feria V. Majoris Hebdomadæ, a temporibus Martini V. vel forte Clementis IV. promulgatur, Bulla *in Cœna Domini* vocari conſuevit; alii in corpore Juris.

Bulla Cœnæ excommunicationem Papæ reſervatam decernit,

220 1. In hæreticos, eorumque Libros ſine licentia S. Pontificis vel alterius idonei legentes: item in fautores hæreticorum, eoſve qui ſe a Romani Pontificis obedientia ſubtrahunt.

221 2. In eos, qui a Papa ad futurum Concilium appellant, aut ad id favorem & conſilium præbent.

222 3. In piratas, ac maritimos prædones, eorum item receptatores, & qui iis ſubſidium ferunt.

223 4. In rapientes naufragorum bona, ſcienterve ab iis direpta recipientes.

224 5. In eos, qui ſine legitima poteſtate nova pedagia, vel gabellas imponunt, aut adaugent.

225 6. In eos, qui Litteras Apoſtolicas, aut Supplicationes auctoritate Apoſtolica ſignatas falſificant.

226 7. In eos, qui arma, equos, ferrum, & alia metalla, cunctaque ad uſum belli idonea ad Turcas, alioſve nominis Chriſtiani hoſtes deferunt.

227 8. In eos, qui impediunt vel invadunt deferentes victualia, ad uſum Romanæ Curiæ neceſsaria; quive id mandant, aut facientibus operam præbent.

228 9. In eos, qui ex propoſito Romipetas, ſeu peregrinos, vel ad Urbem tendentes, vel ab ea recedentes, lædunt aut offendunt, vel lædentibus conſilium aut favorem præſtant.

229 10. In eos, qui prætextu juriſdictionis quam in Curia non habent, in eadem morantes ſpoliant, detinent, aut talia fieri præcipiunt.

11. In

Digitized by Google

11. In eos, qui offendunt, interficiunt, mutilant, capiunt, incarcerant, 230
hoſtiliterve inſequuntur Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Sedis
Apoſtolicæ Legatos vel Nuncios: eoſve ejiciunt a territoriis ſuis: aut hec
fieri mandant, vel facientibus conſilium aut favorem impendunt.

12. In eos qui percutiunt, ſpoliant, occidunt, vulnerant accedentes 231
ad Romanam Curiam pro negotiis ſuis; aut Litterarum Apoſtolicarum
executionem impediunt.

13. In Officiarios ſecularium Principum, & Eccleſiaſticos Prælatos, 232
qui Eccleſiaſticas cauſas ab Apoſtolicis Judicibus avocant, & Actores ad
ea quæ impetravere, revocanda compellunt.

14. In Judices ſeculares, qui Eccleſiaſticas perſonas, præter juris Cano- 233
nici diſpoſitionem ad ſuum tribunal trahunt, aut trahi faciunt; quique
Eccleſiaſticam libertatem tollunt, deprimunt, aut quovis modo reſtringunt.

15. In eos, qui Prælatos Eccleſiaſticos impediunt, ne Eccleſiaſtica ſua 234
juriſdictione utantur, quive eorum judicia eludunt, &c.

16. In eos, qui Sedis Apoſtolicæ, & cujuſcumque Eccleſiæ juriſdictio- 235
nes, fructus, reditus, proventus uſurpant aut ſequeſtrant.

17. In eos, qui Eccleſiaſticis perſonis, Eccleſiis, Monaſteriis, collectas, 236
decimas, & alia onera ſine ſpeciali Papæ licentia imponunt, procurant;
conſulunt, ſuffragium dant palam vel occulte; aut ſic impoſita etiam a
ſponte dantibus recipiunt.

18. In ſeculares Judices, qui in criminalibus cauſis contra quaſcumque 237
Eccleſiaſticas perſonas ſe ſe interponunt, *proceſſant*, ſententiam ferunt,
aut exequuntur, neque in his valent privilegia.

19. In eos qui terras & loca Romanæ Eccleſiæ invadunt, & in iis ſu- 238
premam juriſdictionem uſurpant.

20. In raptores Supellectilium, Librorum; Scripturarum ac Bonorum 239
Cameræ & Palatii Apoſtolici, tempore infimitatis Pontifici, aut dum
vacat Sedes Apoſtolica.

Ceteros caſus qui Rom. Pontifici cum cenſura reſervantur exhibuimus
in Tract. de cenſuris p. 1. cap. 5. ad quem recurre, ne dicta repetamus.

Circa hæc quædam ſunt animadvertenda, 1. nullum e caſibus in Bul- 240
la Cœnæ contentis, vi ejuſdem Bullæ reſervatum eſſe in Galliis; quia
hæc in iiſdem nuſquam recepta fuerit, nec ſine ingenti animorum com-
motione recipi queat.

2. E caſibus 29. qui eidem Rom. Pontifici reſervantur in corpore Ju- 241
ris, eſſe non paucos a quibus Epiſcopi noſtri pleno jure abſolvant. Tale
eſt in primis crimen hæreſeos; a quo, etiam publico, non per ſe tan-
tum, ſed & per delegatos abſolvunt Gallicani Præſules; de quo vide
quæ dicta ſunt. Tractatus noſtri de diſpenſationibus, Epiſt. 2.

3. Quædam eſſe graviora delicta, quæ ubique in Gallia ſummo Pon- 242
tifici reſervata cenſentur. In hoc ordine ſunt Pariſiis ſequentia novem:
1. *Exuſtio Templorum & domorum profanarum procurata & voluntaria, dum in-
cendiarius eſt publice denuntiatus.* 2. *Effractio & ſpoliatio Templi, Monaſte-
rii, aut alterius Ædis ſacræ, quando ſacrilegus eſt publice denuntiatus.* 3. *Si-
monia realis in Ordinibus, aut in Beneficiis, item confidentia.* 4. *Occiſio
etiam non cruenta; mutilatio membri; vel atrox percuſſio cujuſcumque in
ſacris Ordinibus conſtituti, tonſuram, & veſtem ſuam Clericalem, aut*
Religio-

Digitized by Google

Religioſam geſtantis. 5. *Percuſſio Epiſcopi*, *ſeu alterius Prælati*, *etiam non atrox*. 6. *Delatio armorum ad partes Infidelium*. 7. *Falſificatio Bullarum*, *ſeu Litterarum ſummi Pontificis*. 8. *Invaſio*, *deprædatio*, *occupatio*, *aut devaſtatio terrarum Romanæ Eccleſiæ*. 9. *Violatio*, *interdicti ab eadem ſancta Sede impoſiti*. Quoniam vero notant & notari volunt Epiſcopi Galli, non hic recenſeri caſus omnes, Papæ reſervatos, ſed eos dumtaxat, qui his in partibus frequentius contingere poſſint, ut videre eſt in Ritualibus Pariſienſi, Burdigalenſi, Argentinenſi, &c. Ideo e re eſt ut Confeſſarii aliquam caſuum omnium S. Pontifici reſervatorum notionem gerant animo; ut ſi quem forte nacti ſint, ad Epiſcopum ſuum recurrant.

243 4. Graviora hæc delicta non eſſe Papæ reſervata, quoties vel occulta ſunt, ſeu non publica juris aut facti, vel ab iis commiſſa, qui ad Apoſtolicam Sedem, pro ſenio, ſexu, infirmitate, bello, ſtatu, ut Moniales, & aliis id genus cauſis, phyſice vel moraliter recurrere non poſſunt. Et tunc juxta præſentem diſciplinam haud neceſſum eſt ut a S. Pontifice obtineatur abſolvendi poteſtas. Idem eſt de iis qui ratione obicis non perpetui, ab Epiſcopo ejuſve delegatis abſolutionem obtinuere: hi enim etſi jure communi poſtmodum Romam ſe conferre tenentur, non tamen in Gallia, ubi contrario more ſeveritati Legis derogatum eſt. Hæc in præſenti non proſequor, quia jam expenſa in Tract. de cenſuris part. 1. c. 5.

244 5. Sublata per Papam excommunicatione tolli ſimul reſervationem Pontificiam: quia etſi tam peccatum quam cenſura reſervetur; plus tamen reſervatur cenſura quam peccatum: unde, ea ſublata, peccatum erit communis juriſdictionis materia.

245 Quæres quid facto opus ſit in ſequenti caſu: Sixtus IV. ejuſque deceſſor Paulus II. per Decretales *etſi Dominici 3. & 5. de Pœnit. & Remiſ.* Extrav. Commun. Apoſtolicæ Sedi reſervarunt abſolutionem, 1. a Simonia in Ordinibus vel Beneficiis conſequendis contracta; 2. a Presbytericidio, vel mutilatione, aut occiſione cujuſcumque in ſacris Ordinibus conſtituti; 3. a violatione interdicti per Sedem Apoſtolicam impoſiti; 4. ab offenſa perſonali in Epiſcopum, vel alium Prælatum commiſſa; 5. a conſpiratione in perſonam vel ſtatum Romani Pontificis, &c. Ita porro uterque Pontifex abſolutionem illam Sedi ſuæ reſervavit, ut ſtatuerit aliter Conſtitutioni ſuæ non debere judicari derogatum, niſi ſpecialis ejuſdem Conſtitutionis mentio fiat. Jam vero Clemens X. in Brevi quod incipit *Apoſtolatus officium*, die 26. Sept. 1674. cujuſdam Congregationis Sacerdotibus, modo ab Ordinario approbatis, licentiam fecit a prædictis quinque caſibus abſolvendi, ſed neutri Extravaganti derogavit: num ergo hac Clementis facultate uti licitum eſt, an ſecus?

246 R. affirmat. quia ceteroqui illuſoria & exitialis foret prædicti Pontificis gratia. Illuſoria quidem, quia ſerio gratiam dare videretur, & tamen ob derogationis defectum nihil daret: exitialis vero, quia multi ſunt, neque imperiti Sacerdotes, qui nihil unquam audierint de Decretalibus, *etſi Dominici*, & præſcripta in eis derogatione. Et hi dubio procul quam intrepide, tam inaniter abſolverent. Id autem quis putet?

247 2. quia ex cap. 1. *De Conſtit. in 6. Romanus Pontifex*, *qui jura omnia* (generalia ſcilicet) *in ſcrinio ſui pectoris habere cenſetur Conſtitutionem condendo poſteriorem*, *priorem*, *quamvis de ea mentionem non faciat*, *revocare noſcitur*. Ergo a

go a potiori, cum gratiam nulli noxiam, & alioqui exitialem facit, Juri cuicumque contrario derogare cenſendus eſt.

3. Ideo non poſſet hodiernus Pontifex citra ſpecialem derogationem privilegium hujuſmodi concedere, quia manus haberet præcedenti Sixti IV. Decreto ligatas. Atqui non habet reipſa; cum par in parem imperium non habeat. 248

4. Quia cum ex Jure gratiam Principis validam eſſe deceat, ſi derogatio ad ejus valorem omnino neceſſaria ſit, ejuſdem omiſſio uti Amanuenſis vitium æſtimari debet: ſeu juxta noſtrum loquendi morem, vitium eſt *Clerici*, non *Legislatoris*. Hæc tenui meo & graviori alterius judicio ad enodandam difficultatem ſatis eſſe videntur. Poterunt, qui his minime contenti fuerint, novum accerſere privilegium: non nocet abundantia Juris. 249

SECTIO QUARTA.

Expenduntur Caſus Epiſcopis reſervati.

CUm caſus Papæ reſervati ad Epiſcopum perſæpe redeant, hos & Epiſcopales commixtim, non omnes quidem, ſed præcipuos accommuniores explanabimus; idque ordine alphabetico; quæ methodus, niſi fallimur, multis gratior accidet. Itaque reſervari ſolent frequentius.

I. *Abortus procuratio.* Caſus iſte reſervatur Pariſiis, *ſive fœtus animatus ſit, ſive non; & licet abortus non ſequatur. Item ad id dare conſilia, aut remedia ſcienter ſubminiſtrare. Item ſi mulier gravida objiciat ſe ſciens periculo alicui veriſimili abortus.* 250

Circa hæc quædam notanda, 1. opere pretium eſſe ut reſervetur abortus, ſive fœtus animatus ſit, ſive non; tum quia procurare abortum fœtus etiam inanimati graviſſimum eſt crimen, ut dixi Tom. 3. p. 149. tum quia circa tempus quo proles animata eſſe incipiat, hærent Medici doctiores, ibid. pag. 452. Utique ſi interrogentur, qui abortum fœtus tantum animati reſervant, balbutient, quia perſpicui nihil reponere poterunt. 251

2. Non tam in Mandato Pariſienſi reſervari abortum, quam procurationem ejus, id eſt, adhibitionem mediorum, quæ ad eum producendum conducunt, etſi *non ſequatur effectus* (quem in quibuſdam Diœceſibus, ut Andegavenſi, ad reſervationem ſequi oportet); neceſſum tamen eſt ut media hæc, non ſolum ex prava agentis intentione, ſed ex natura rei ad abortum tendant. Unde quæ pie decepta, utilia proli remedia ſumeret, rata uti ſe mortiferis, graviſſime quidem peccaret, at citra reſervationem: quomodo qui quem Sacerdotem putat, graviter percutit, obnoxius eſt peccato, ſed non irregularitati. 252

3. Eidem reſervationi ſubjacere conſulentes, aut remedia ſubminiſtrantes, cum a Legislatore exprimuntur, ut exprimi decet, & ſemper his intelliguntur exprimi verbis, *procurare* abortum, quæ ut in matrem, ſic & in alios omnes cadunt, qui crimini ejus cooperantur, *potionibus, medicamentis, venenis, percuſſionibus, ſaltationibus, magnis itineribus, oneribus, laboribuſque magnis mulieri prægnanti impoſitis, & aliis infinitis, exquiſitis & nobis incognitis rationibus, quas impudici homines & meretrices quotidie adinveniunt.* Ita Joannes Chapeaville in Tr. de hac materia, p. 2. c. 9. 253

Idem

254 Idem de iis dicendum, qui gravidas mulieres inopino terrore ſponte obruunt; quive eas indignis modis exciperent, etiamſi hujus ſuæ actionis effectum, nec intendiſſent, nec præ furore ſuo prævidiſſent: quia, ſi nota erat mulieris prægnatio, prævidere debuerunt. Nec refert quod infans, etſi ejectus ante tempus, baptiſetur & vivat: quia abortus eſt præmatura fœtus informis vel formati, animati vel inanimati *ejectio*, ad quam per accidens eſt, quod vivat, vel non.

255 4. Immunem eſſe a reſervatione mulierem, cui inſciæ amaſius infelix propinavit aliquid unde prolis mors ſecuta ſit; is enim ſolus tunc reſervationem incurret.

256 5. Nec eidem ſubjacere reſervationi maritum vel patrem, qui leviter prægnantem percutit; eive dicit aliquid, unde furore percita patitur abortum; quia neuter abortum hunc in ſe vel in cauſa procurat. *Secus, ſi in caſtigando, vel objurgando, mortaliter excederet.*

257 5. Nec eum qui, ſive potionibus, ſive per crimen Onæ, ſive, quod mulierum eſt, ſemen ejiciendo conceptionem impedit: (tametſi uterque graviſſime peccet, & reſervatam Papæ excommunicationem incurrat ubicumque viget Conſtitutio Sixti V.) ratio eſt quia qui conceptionem prohibet, abortum non procurat.

258 6. Quamvis idem Theologus a reſervatione eximat mulierem, quæ ex graviori quod ſibi impoſuit onere, abortum patitur, ſi neque hunc intendat, neque ſimile quid experta ſit; nobis videtur probabilius incurri reſervationem, ſi pondus aſſumptum tale ſit, ut infelicem hunc effectum parere prudenter vel dubie judicetur: quia qui vult cauſam, effectum velle cenſetur. Idem de iis cenſemus, quæ ut crimen ſuum celent, vel ut ſaltent elegantius, uterum cingunt zona ſtrictiori. Quæ enim femina ſanæ mentis neſciat hinc poſſe fieri, & fieri ſæpius, ut proles vel vitiata, vel ante tempus, aliquando etiam mortua edatur.

259 7. Sæpe etiam in caſum hunc incidunt tum mariti, qui conjugio utuntur intemperantius; non modo ſi prævidermt, ſed & ſi moraliter effectum hunc prævidere potuerint; tum Medici, qui ut matri ſuccurrant, infantem directe vel indirecte diſperdunt. Sed de his dixi Tom. 6. ad quintum Decalogi præceptum.

260 Quæres an quæ dubitans num fœta eſſet, nihil non tentavit ut prolem enecaret, ſi nihil de ſtatu ſuo detegat certi, reſervationi ſubjaceat.

R. ita judicari in Pœnitentiaria Romana, ubi vigent Conſtitutiones Sixti V. & Gregorii XIV. prout docet Navarrus lib. 5. conſil. conſilio 46. de homicidio. Mitior eſſe ſolet apud nos diſciplina, quæ dubium facti non admittit.

261 Quæres 2. quid faciendum puellæ, quæ abortum procuravit, quamque parentes id ſuſpicati, Parocho ſuo confiteri jubent, & ad Synaxim accedere, alioqui ab ipſis interficiendam.

Reſpondet Capeavillæus: puellam hanc ſi non habeat Parochum ſecreti tenacem, eidem cetera præter abortum peccata confiteri debere, & poſtea accedere ad Synaxim. Si vero Parochum habeat diſcretum, eidem & abortum confiteri debere: *illeque*, inquit, *abſolvat ab omnibus, excepto abortu, & poſtea communicabit. Parochus poſtea adibit Superiorem pro facultate impetranda abſolvendi illam ab abortu.*

Hæc

Hæc deciſio ſaniori, quam quem præfert, ſenſu intellecta, valere poterat in Diœceſi Leodienſi, cujus generalis erat Vicarius Chapeaville. Verum nunc ab omnibus rejicitur bipartita illa confeſſionis methodus. Mihi adoleſcentula hæc duplici de cauſa abſolvi poſſe videtur, ſi nihil aliunde obſit; 1. quia leges humanæ non obligant paſſim in tanto diſcrimine; 2. quia nulla eſt reſervatio in periculo mortis. Eſt autem in periculo mortis, quæ niſi abſolvatur, mortem ſubitura eſt. 262

II. *Adulterium*. Crimen illud diſpari modo reſervatur, alicubi quidem, ſi notorium ſit Juris vel Facti; etiam prole non ſecuta; alibi vero, etiamſi, occultum ſit, modo hinc proles certo ſecuta ſit. Utrumque viget Andegavi. 263

De his nobis iſthęc ſtatuenda videntur, 1. illud ſolum adulterii genus reſervari quod formale eſt. Unde accedens ad feminam quam liberam falſo crediderat, non ſubjacet reſervationi, cui ipſa ſubjacet. Si de ſtatu ejus legitime dubites, & poſtea conjugatam fuiſſe deprehendas, non videris libera reſervatione; quia & adulterium voluiſti, quantum in te erat, & reipſa adulterium commiſiſti: ſecus ſi ſtatum ejus certo deinceps comperire non poſſis; quia excuſat dubium Facti. Si nuptam exiſtimaſti, quæ forte vidua erat, mœchatus es coram Deo, non coram Eccleſia. Abſit porro ut copula cum uxore de mariti ejus conſenſu habita, non ſit adulterium. Aliter & juſte definiit Innocentius XI. 264

2. Ad reſervationem requiri actum liberum. Unde qui reluctantem oppreſſit, obnoxius eſt reſervationi, non illa. Secus ſi hæc ceſſerit comminationi vel ipſius mortis: quia graviter ante Deum rea eſt, quæ grave crimen vel ipſo mortis metu perpetrat. Neque tunc excuſatur, ſi ſe ſe habeat negative, ut patet ex cenſura Cleri Gallicani an. 1700. 265

3. Et requiri, niſi lex aliter diſponat, actum plane conſummatum, *per eam intra vas naturale feminis effuſionem, ex qua proles naſci poſſit*. Unde *ipſa ſodomia imperfecta cum conjugata non eſt reſervationi obnoxia*. Ita Collat. Andegav. to. 3. p. 228. 266

Auctor fui, quoties ſe dedit occaſio, & ero ſemper, ut ad reſervationem hujuſmodi criminum non requiratur plena illa ſceleris conſummatio per emiſſionem ſeminis, multoque minus ſeminis prolifici. 1. quia alioqui facile eluditur reſervatio, idque per novum & graviſſimum crimen. 2. Quia quo jure exigis emiſſum ſemen a viro, exiget alius, prout reipſa fecerunt Caſuiſtæ plures, emiſſum ſemen a muliere. Hinc vero quot & quam obſcœnæ interrogationes a Confeſſario faciendæ? quot in viris dubia facti, quæ reſervationem tollunt. 3. quia cum caſus, non in genere ſpectentur, ſed in particulari, ambiget quis an qui mulierem 50. annos natam cognovit, ſubjaceat reſervationi: quia ambiget an ex actu ſuo proles naſci poſſit. 4. Quia ſpadones quidam, laſciviens hominum genus; coitus quidem capaces, ſed non ſeminis prolifici, a reſervatione immunes erunt. 5. Quia qui cum meretrice adulterium committit, raro incidet in reſervationem propter conceptam ex adulterio prolem; cum vix cognoſci poſſit parens prolis; & ita definit eruditus idem Auctor, qui ſupra. Porro an non plurimi intereſt ut adulteria id genus, & pene ſemper quaſi publica, reſervatione coerceantur? Sed hęc citra cujuſquam prejudicium dicta ſunto: ſane, ſtandum eſt legi, ubi lex viget. 267 268

4. Addendum reſervationem ipſos tantum adulteros ſpectare, niſi eadem contineantur, qui adulterio quomodocumque cooperati fuerint. 269

Quæres,

270 Quæres, an ubi adulterium eſt duplex, conjugati videlicet cum alterius conjugata, duplex intercedat reſervatio.

R. Videri quod ſic; quia in criminibus non neceſſario geminis, ubi duplex occurrit noxa, duplex conſtitui debuit pœna; niſi Superiori legem ſuam moderari viſum fuerit.

III. *Apoſtaſia*. Hæc triplex; *a fide*, cum quis a fide in Baptiſmo profeſſa, non ex parte ſolum, ut faciunt hæretici, ſed ex toto deficit, ſive aliam a Chriſtiana Religionem amplectatur; ſive nullam. A *Religioſo ſtatu*; cum quis approbatam quam ſolemniter amplexus erat Religionem, ſine licentia deſerit, eo animo ut in ſæculo, vel laico, vel Clericali more vivat. *Ab Ordine*; cum Clericus in ſacris habitum deſerit Clericalem, ut ſæcularium more vivat. Vide S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1.

271 Apoſtaſia omnis, vel eſt *interna* tantum, ut cum quis animo duntaxat Chriſtum, Religionemve aut Ordines ſuos ejurat; & nihil horum demonſtrat exterius; vel eſt tantum *externa*; ut cum quis eo ſe modo exterius gerit, quo veri apoſtatæ, & nihilominus ſervat corde fidem, animumve redeundi ad Religionem, aut in ſuſceptis Ordinibus permanendi; vel eſt completa, ſeu interna ſimul & externa, ut cum quis Chriſtum negat corde; & exterius, aſſumpto v. g. Turcarum pileolo, deteſtatur. Jam

272 Quæritur 1. an ubi ſimpliciter reſervatur Apoſtaſia, ea etiam reſervari intelligatur, quæ eſt ab Ordine & Religione.

R. affirm. quia Apoſtaſiæ nomen, quod defectionem per ſe ſonat, non minus de Apoſtaſia a Religione & a ſacris Ordinibus intelligitur, quam de Apoſtaſia a fide. Imo frequentius apud nos Religioſi ſtatus deſertionem ſignificat, quam fidei; licet Algerii frequentius defectionem a fide ſignificet. Ad minus in eo Juris dubio conſulendus eſſet Legiſlator, ubi dubium Juris non excuſat a reſervatione. Sapienter ſuis conſulunt Prælati, qui ſibi trinam Apoſtaſiæ ſpeciem expreſſe reſervant.

273 Quæritur 2. an interior tantum, tantumve exterior Apoſtaſia ſubjaceat reſervationi.

R. negat. cum communi. Ratio eſt quia non reſervantur peccata niſi in ſuo genere completa, præterquam in caſibus a lege exceptis. Porro non eſt completa Apoſtaſia, niſi cum interiori accedit exterior. Monuimus tamen in Tract. de irregul. p. 3. cap. 5. ex Apoſtaſia exteriori incurri irregularitatem: neque id mirum, cum Apoſtaſiæ huic annexa ſit graviſſima infamia.

274 Quæres 3. an approbatus ad abſolvendum ab hæreſi, eo ipſo apoſtatam a fide reconciliare valeat.

Affirmant non pauci, quia hæreſis & Apoſtaſia ſpecifice non differant, ſed ſecundum magis & minus. Aſt opinionem hanc practice ſequi non auſim. Licet enim Apoſtaſia & hæreſis ex parte termini *a quo* ſatis conveniant, differunt tamen inſigniter ex parte termini *ad quem*: neque par videtur eſſe conditio illius, qui, etſi ad hæreſim deflexit, pro Chriſto moreretur; quę miſeri Chriſtum ejurantis, & apud Judæos vel Turcas circumciſi.

275 Quæres 4. an ut apoſtata excipi debeat, qui factis & verbis profitetur ſe nullam habere Religionem.

R. Ambiguam videri hujuſce caſus propoſitionem; quia poteſt quis multiplici modo impietatem ſuam profiteri. Si quis, ut ſæpe fit, multa

temere

temere & inconſulte garriat, quæ religionem offendant, non ideo ſtatim videbitur plene apoſtata, & apoſtatarum pœnis obnoxius; ut bene Collator Andeg. Tom. 2. pag. 205. Verum ſi ultra progreſſus, palam, aperiat ſibi Chriſtum non alio loco eſſe quam Mahumetem, dolere ſe plurimum quod infans baptizatus ſit, &c. Stricte is mihi videbitur apoſtata: quia ad Apoſtaſiam ſatis eſſe videtur plena fidei Chriſtianæ ejuratio, ſine ullo ad aliam religionem reſpectu.

Quæres 5. an Clericus in ſacris, qui habitum ſuum dimittit ad tempus, cum cauſa vel ſine cauſa, inter apoſtatas cenſeri debeat. 276

R. negat. cum Capeavillæo pag. 176. & aliis communiter, quia is demum vere eſt apoſtata a ſacris Ordinibus, qui cum habitu dimittit animum ejuſdem reſumendi.

Quæres 6. quid juris de Clerico in minoribus, qui habitum dimittit, retento interim Clericali Beneficio. 277

R. hunc a citato mox Auctore, & aliis quos ſequitur Pirombœuf. p. 2. pag. 14. haberi ut apoſtatam. Verum diſciplina hæc, nullibi, quod ſciam, in his partibus recepta eſt, niſi præceſſerit Epiſcopalis monitio. Haud tamen dubium eſt quominus graviter delinquant, qui Altare quaſi ejurantes, de Altari vivere non deſinunt.

Quæres 7. an uti apoſtata haberi debeat, qui Ordinibus renitente animo ſuſceptis, Clericalem habitum abjicit. 278

R. negat. Siquidem vere & plene diſſenſerit, dum ſibi manus imponebantur ab Epiſcopo: quia ſicut nullum eſt ſine interiori conſenſu matrimonium; ſic & nulla eſt ſine eodem conſenſu ordinatio. Sed quemadmodum ſponſo diſſenſum alleganti non creditur, niſi diſſenſum probet; ſic nec in pari caſu creditur Diacono & multominus Sacerdoti. Unde debent ii contra vim ſibi illatam ſecundum ritus ab Eccleſia & locorum Legibus præſcriptos reclamare. Quod ſi exterius probent illatam ſibi fuiſſe vim, quæ de facto illata non eſt, erunt tamen reipſa apoſtatæ.

Quæres 8. qui complete cenſeatur apoſtata a Religione. 279

R. eum duntaxat, qui poſtquam Religionem approbatam ſolemniter profeſſus eſt, ab ea diſcedit animo non revertendi, ſive habitum adhuc gerat, ſive non: ita vulgo Theologi.

Hinc 1. non eſt apoſtata, qui a Congregatione ſæculari, quæ ſimplicia tantum vota emittit, diſcedit in perpetuum. Peccat tamen graviſſime, niſi legitimam ab iis quorum intereſt, diſpenſationem obtinuerit; nec ante poteſt abſolvi, quam ſtatum ſuum regredi conatus fuerit. Neque etiam apoſtata erit, qui in mortis periculo, & necdum expleto Novitiatu emittit vota; quia hæc necdum ſolemnia eſſe poſſunt, ſed tantum ſimplicia. Vim tamen & effectus ſolemnium votorum multa ex parte habent vota quæ poſt geminum Novitiatus annum emittuntur a Patribus Societatis. 280

Hinc 2. necdum etiam eſt apoſtata, qui dimiſſo etiam habitu, ut effugiat, manet adhuc intra ſepta Monaſterii: E contra apoſtata eſt, quicumque *ſive habitu dimiſſo, ſive retento eo pervenit ut extra ſepta Conventus, ſive Monaſterii* egrediatur. Ita Clemens VIII. in Decreto de Caſibus reſervatis. Idque verum eſt, etiamſi facti ſui Pœnitens paulo poſt, ad domum ſuam, vel Ordinis aliam revertatur. 281

Hinc

282 Hinc 3. non eſt vere apoſtata, qui dimiſſo etiam habitu, ſed ſervata redeundi voluntate fugit, ſeu animo vagandi, ſeu ut pœnam imminentem evitet. Neque hinc tamen multum percipiet lucri; quia etſi Canoniſtæ omnes fugitivum inter & apoſtatam caute ſecernunt; fatentur tamen utrumque, vi privilegiorum cujuſvis ferme Religionis, excommunicationi ſubjacere; & ita docet cum aliis Reiffenſtuel in Tit. *De Regularibus*, n. 531. Ceterum pro fugitivo haberi nequit, qui *ob gravamina a ſuis Superioribus ſibi illata ad Apoſtolicam Sedem* confugit, modo probet ſe licentiam ab eis poſtulaſſe, quam *per Superiores negatam* conſtet: ita Sixtus V. Conſtitutione *Ad Romanum*, *&c.*

283 Quæres 9. an apoſtata ſit, qui ad aliam Religionem commigrat.

R. negat. etiamſi tranſeat ad mitiorem; quia non deſerit Religionis ſubſtantiam, ſed modum. Verum hæc fuſius proſequi, & a propoſito noſtro alienum eſt, & in praxi ſuperfluum: cum, ut advertit idem Canoniſta: Religiones penes omnes hodie habent privilegia, vi quorum prohibentur earum Profeſſi, ad aliam Religionem tranſire ſine ſpeciali Roman. Pontificis licentia.

284 Quæres 10. cujus ſit excommunicationem ab apoſtatis contractam ſolvere.

R. id eis competere, quorum juriſdictioni ſubjacent, aliquando proinde Epiſcopis, aliquando Prælatis Regularibus. Et hi, licet contraria praxis non parum inoleverit, fugitivos ſuos, quoties opus eſt, & ſe ſe dat occaſio, requirere tenentur: quia Paſtor quilibet errantem ovem pro viribus debet reducere. Ita cum aliis ſanioris conſilii Fagnan. in cap. fin. *De Regularibus*.

285 IV. *Baptiſmus infanti*, *omiſſis ſacris cæremoniis*, *collatus* ſine Epiſcopi licentia, extra caſum neceſſitatis. Annexa eſt excommunicationis cenſura in Diœceſi Andegavenſi, eaque reſervata.

Alibi monuimus ſacros Baptiſmi ritus primævæ eſſe antiquitatis, graviſque momenti. Unde conſtat eos ſine gravibus cauſis omitti non poſſe, quod & vetuere Concilia plurima, atque in his Avenionenſe an. 1594. Can. 12. Nihil ergo mirum, ſi Diœceſes variæ, ut Andegavenſis, Bellovacenſis, Pictavienſis, diſciplinæ hujus tranſgreſſionem caſus reſervati materiam conſtituerint.

286 In hunc porro caſum incidunt, tum Baptiſmi hujus Miniſter, tum & alii qui prolem iniqua illa ratione baptizari curant. Miniſter quidem, niſi cedat gravibus minis, & quæ virum, ut ajunt, conſtantem afficere poſſint. Laici vero, & ut plurimum infantis parentes, 1. cum ad id Paſtorem aut alium Sacerdotem quocumque modo adigunt; 2. cum ut, ab Epiſcopo legis hujus diſpenſationem obtineant, graves ſupponunt cauſas, quæ a parte rei non extant.

287 Verum nihil eſt a reſervatione metuendum, cum baptizatur infans in probabili, vel dubio mortis periculo; vel etiam in ea mentis commotione, quæ ex tremendo matris ſitu orta, impedit ne ſatis ad prolis ſtatum attendatur.

288 Sive porro in Capella domeſtica, ſive in Eccleſiæ fontibus abluatur infans, incurritur reſervatio; ut quæ non ratione loci, ſed ratione omiſſionis cœremoniarum ſancita fuerit.

Si le-

Si levioribus de cauſis Epiſcopo propoſitis obtenta a pueri patre fuerit ſimpliciter * tingendi facultas, peccare quidem poterit Superior, ut qui futilem ob cauſam ab Eccleſiæ praxi receſſerit: at immunis erit pater a reſervatione. 289

* Ondeyer.

Beſtialitas, vide v. *Sodomia*.

290 V. *Blaſphemia*, quæ eſt contumelioſa locutio in Deum, vel in ſe ſpectatum, vel ſpectatum in creaturis prout Dei ſunt, & ut in eis relucet divina ſanctitas, potentia, &c. non reſervatur Pariſiis, niſi *cum publica eſt vel ſcandaloſa*. Quæ duo differunt: poteſt enim ſcandaloſum eſſe, quod utpote coram uno vel duobus admiſſum, vere publicum non eſt.

291 In hac definitione vox locutio latius accipitur: quandoquidem *peccatum blaſphemiæ, tam ſcripto, quam viva voce committi poteſt*, uti an. 1739. monebat Illuſt. Rothomag. Archiepiſcopus in ſerie caſuum ſibi reſervatorum. Quin & quædam eſt blaſphemia facti, quæ nimirum exteriori facinore, non autem verbis exprimitur, ut cum vel flagellis verberatur imago Crucifixi, quod ſceleris genus, in Anglia frequens fuit, vel conculcatur pedibus, ut hodieque fit apud Japonenſes, vel minax & indignabunda in cœlum manus attollitur.

292 Ad blaſphemiam pertinet is etiam ſermo quo enuntiantur *de Deo quæ vera ſunt, ſed ita, ut ex geſtu dicendique modo ſatis appareat ea exprobrari, & convicii loco referri*. Ita idem Rothomagenſis Archipræſul: & patet in eo qui inopino percuſſus eventu exclamaret: *Quam providus eſt Deus!* vel forte cum Juliano apoſtata: *Viciſti Galilæe*.

293 Nulla pene circa blaſphemiæ reſervationem ſtatui poteſt regula: cum alicubi ea ſolum reſervata ſit, quæ cadit in Deum, alibi ea etiam quæ Sanctos impetit, alibi ea duntaxat, quæ profertur *animo & voluntate deliberata deteſtandi vel contemnendi Deum*: quæ modificatio addita eſt ut tolleretur Confeſſariorum anxietas. Unde etiam pluribus in locis non reſervantur *juramenta ſeu ſacramenta per Deum, ſeu Dei vitam, mortem* (ſicut *nec corrupta & dimidiata verba, quibus Deo abrenuntiare videntur*) *niſi qui ea profert, intentionem expreſſam habeat Deo maledicendi & renuntiandi*. Verba ſunt Rothom. Archiepiſcopi: quæ autem uncino incluſa ſunt, habentur in Mandato Pariſienſi an. 1709.

294 Unum eſt quod vulgo admittitur, videlicet blaſphemiam quæ fit ſine animo inferendæ Deo contumeliæ, qualis ſæpe eſt, non tamen ſemper, quę ex violento iræ motu, aut ex prava conſuetudine profertur, licet a gravi culpa raro immunis ſit, non tamen ſubjacere reſervationi. Sed quia varia eſſe poteſt variis in locis ea de re diſciplina, in hoc, quod frequentiſſimum eſt, juris dubio, mature conſulendi ſunt Superiores, & interrogandi quid ſibi voluerint, optandumque ut dum caſus ſibi reſervant, brevi ſingulorum articulorum expoſitione mentem ſuam dilucide explanent. Sane, tametſi reſervatos caſus multiplicari nolim, dolendum mihi nihilominus, quod ab omni reſervatione libera ſint dimidiata illa verba, quibus reſonant urbes, villæ, viæ que publicæ, quæque horrore vel tepidiores Chriſtiano afficiunt. Quidni vero, ſi minus quam alia peccata, reſerventur tamen ad uſque certum gradum: adeo ut v g. in unaquaque urbe duo tantum ſint, qui ab iis abſolvere valeant, in pagis vero ad viciniorem Parochum aliumve Sacerdotem a pœnitentis Confeſſario caute deſignatum, recurri oporteat. Hac utique via paulatim comperta foret tanti peccati gravitas.

Clauſuræ Regularis violatio, vide *Sacrilegium in loca ſacra*.

Concubitus contra naturam, vide V. *Sodomia*.

Concubitus ſacrilegus, vide *Sacrilegium in perſonas ſacras*.

295 VI. *Confeſſionum auditio irregularis*. Fidelium confeſſiones pluribus modis contra legem audiri poſſunt, 1. quidem, cum vel in locis, vel indebitis temporibus, vel modo alias vetito excipiuntur; puta cum mulieres citra cratem interpoſitam audiuntur; 2. & præcipue cum audiuntur vel a non approbatis ſimpliciter; quæ ſacrilega conſuetudo hodie viget plurimum; vel ab approbatis quidem, ſed non ad hunc vel illum caſum, ad hanc vel illam perſonarum ſpeciem. Utrumque aliquando, aliquando alterutrum duntaxat reſervatur: nec immerito reſervatum dici poteſt. Prius quidem, utpote pluribus obnoxium periculis; poſterius vero, quia nullus eſt defectus major defectu juriſdictionis.

296 Circa primum caput hæc paucis notanda, 1. æquum eſt ut omnia ſecundum ordinem fiant, adeoque non decet ut paſſim laici domeſticis in cubiculis audiantur. 2. Si tamen is ſit Sacerdos, qui ſanctiori zelo percitus, milites, artificeſve arripiat, eum poteſt, haud profecto arguendus erit, ſi eos ubi commode nec indecenter poterit, audiat; eos præſertim, qui ob prolixam confeſſionem & ſociorum dicteria, palam in Eccleſiis confiteri peccata nonnihil erubeſcunt. 3. Neque id reprehendi ſolet, quod Sacerdos, Sacerdotis alterius confeſſionem in privatis ædibus excipiat. 4. Longe cautius agendum cum perſonis alterius ſexus. Unde nunquam extra infirmitatis caſum in domo ſua, ſine ſpeciali licentia audiri debent. Tunc vero ut omni calumniæ aut vano rumori præcludatur aditus, curandum, & ut prope apertum limen adſtet quiſpiam, cui Miniſtrum & Pœnitentem intueri poſſit, & ut, ſi caſus idem crebro recurrat, utrumque inter media interponatur crates; quod & factum vidi.

297 Circa alterum caput iſthæc ponderanda, ſcilicet ſubjacere reſervationi, & quæ eam alicubi comitatur cenſuræ, 1. eos, quorum revocata eſt approbatio, vel ad certum tempus, quod elapſum eſt, conceſſa; 2. eos qui v.g. cum pro juvenibus tantum approbati ſint, maturæ ætatis perſonas audiunt; 3. & eos quoque, qui ſemel approbati pro Monialibus, ordinarios earumdem directores ſe conſtituunt: 4. qui pro Carmelitanis approbati, Benedictinarum confeſſiones excipere non verentur, & ſic de ceteris; 5. qui ad Parochiam ſuam reſtricti, alienas oves admittunt; 6. qui complicem abſolvunt, quando complici complicem audiendi ſubtracta eſt facultas: prout Pariſiis, & bene, factum eſt in gravi luxuriæ peccato; alibi vero, quod multis diſplicet, in quocumque gravi delicto. 7. Qui pro caſibus reſervatis approbati, abſolverent ab iis qui aliquando ſpecialiſſime reſervantur.

298 Neque in his facile excuſat ignorantia: cum quiſquis ſacro ſe ſe dat Tribunali, imprimis ſcire teneatur quis ſit juriſdictionis ſuæ gradus, & ante omnia juſtam, quæ nullo negotio comparatur, reſervatorum caſuum notitiam adipiſci. At excuſat quandoque inadvertentia, ut cum quis juriſdictionem ſuam, quæ deſiit, perdurare ratus, aut pœnitentium multitudine obrutus, incaute ſolvit, quem ligare debuerat. Monent porro nullam eſſe abſolutionem, quæ tum temporis datur. Atque utinam monerent potius, ſe ſe, ne quis pereat, juriſdictionem in his bonæ fidei caſibus ſupplere: de quo infra.

Confidentia vide V. *Simonia*.

VII.

Digitized by Google

VII. *Conjugicidium*. Caſus ille ſic Pariſiis exprimitur: *Conjugi mortem machinari, id eſt, non ſolum mente meditari, ſed reipſa tentare, licet forte mors non ſequatur*. Alibi, ut in Diœceſi Leodienſi ſimpliciter reſervatur *machinatio in mortem conjugis*. Circa quod hæc tantum animadvertenda ſunt, 1. ad caſus hujus reſervationem non requiri, ut conjux, ſive maritus, ſive uxor compartem occidat de facto: ſed ſatis eſſe, ſi ad id tendat, ſeu per ſe, ſeu per auxilium alterius, puta veneno, carcere, verberibus, ſeu gravibus de ſe, ſeu continuis etſi paulo levioribus, rixis item & frequentibus opprobriis, quæ tædio labantem animum fatigent & obruant. 2. Ab eundem caſum acquiri ut compars compartis mortem intendat. Unde qui furore abreptus uxorem graviter percutit, ſine ullo mortis ejus ſtudio, non ſubjacet reſervationi, quia vere mortem conjugis non machinatur. Si tamen talis ſit actio ejus, ut ex ipſa mors naturaliter ſequi debeat; nonnihil hærerem, quia vult effectum, qui vult cauſam effectus neceſſario & probabiliſſime inductivam, & ubique mortem uxoris velle dicetur, qui eam prægnantem gravibus plagis impetere conſpicietur. Quia tamen verbum *machinari*, aliquid ſtudioſe ac cogitato præmeditatum importat, in hoc juris dubio ad Epiſcopum recurri vellem. Ubi autem nulla eſt in dubio juris reſervatio, non ægre abſolverem a tali caſu, niſi alia ut ſæpe, incurreretur reſervatio ex opere homicidii. 299

Quæres quid juris de eo qui pugionem abſcondit, vel etiam emit, aut arma ſua diſpoſuit, ut data opportunitate uxorem confoderet. 300

R. Eum reſervationem incurriſſe; quia non animo tantum, ſed & opere externo mortem conjugis meditatus eſt. Idem eſt de eo, qui compartem mittit in locum, ubi ſcit eam a ſicariis, ſeu pretio conductis, ſeu ibidem fortuito caſu exiſtentibus; interimendam eſſe: licet ex vigili providentia fiat, ut nihil hinc illa reportet mali.

VIII. *Crimen falſi* prout reſervatur Pariſiis, quatuor ſub ſe ſpecies continet; eæ vero ſunt, 1. *falſam monetam cudere, aut adulterare legitimam*. 2. *falſum teſtimonium ſeu Sacramentum falſo præſtitum in propria aut aliena cauſa coram Judice, aut qui vices Judicis gerit, qualis eſt qui vocatur Commiſſarius*. 3. *falſum teſtimonium in cauſa Matrimonii, a contrahentibus, aut aliis mala fide ac dolo præſtitum, ſcripto aut viva voce, ut a Miniſtris Eccleſiæ matrimonium nullum, vel quavis ratione illicitum benedicatur & celebretur*: & hæc falſi ſpecies excommunicatione reſervata plectitur. 4. *falſificatio Bullarum Eccleſiaſticarum*. His adjungi poſſet falſum in negotio Tituli Clericali: ſed de hoc dicam infra n. XIX. 301

Crimen falſi circa monetam duobus modis committitur, 1. cum cuditur falſa, 2. cum adulteratur legitima, vel penes pondus, vel inferioris metalli admixtione. Utrumque capitale eſt læſæ Majeſtatis crimen: nec dubium quominus ob gravia quæ in publicam rem invahit detrimenta, merito ſubjaceat reſervationi. Huic proinde obnoxii ſunt, 1. qui aurum, argentumve, licet genuinum, Principis effigie citra ejuſdem licentiam, conſignant; a fortiori qui argenti vel auri ſcoriam, aliave inferioris gradus metalla, loco veri auri fabricantur. 2. Qui legitimam monetam adulterant, ſive reſecando, ſive aquis cauſticis imminuendo. Rarum autem eſt ut in eo caſu excuſet levitas materiæ. Serio utique tractanda, quæ ad Principem & commune bonum ſpectant. 302

303 Etſi autem ut falſæ monetæ rei plectuntur, qui eam ſpargunt, quive ad ejus fabricam domos ſuas commodant; hi tamen reſervationem non incurrunt, niſi diſertius exprimantur; quia nec cudunt ipſi, nec adulterant: non falſant, ait aliquis, ſed falſis utuntur.

304 Quod attinet ad falſum teſtimonium, ſeu juramentum coram Judice aut Commiſſario præſtitum, hujus reſervationi ſubjacent, 1. qui coram quocumque Judice, eo etiam cujus dubia ſit & controverſa juriſdictio, falſum teſtimonium jurejurando confirmant; etiamſi forte ad ferendum teſtimonium inhabiles ſint, ut aliquando, famuli, infames, &c. Hi enim licet invalide, vere tamen teſtimonium ferunt; 2. qui æquivoce jurant, & ſic Judicem, quantum de ſe eſt, in errorem conjiciunt; 3. qui uti certum aſſerunt, quod ſibi dubium eſt, aut ut dubium, quod ſibi indubie conſtat; 4. qui ut verum aſſeverant, quod etſi verum eſt, ipſi tamen habent pro falſo *: qui enim in judicio deponit, aſſerit neceſſario ſe id ſcire & credere quod deponitur: id autem teſtimonium formaliter falſum involvit; 5. qui veritatem reticent coram Judice; 6. qui eſſentialem circumſtantiam reticent, puta quod qui occidit, invaſorem ſui occiderit.

305 A reſervationis onere immunes ſunt, (niſi Legislator perjurium omne reſervaverit); 1. qui pejerant, ſed non coram Judice; 2. qui ad teſtimonium vocati, non comparent, peccant tamen, niſi gravis excuſet metus; 3. qui promiſſioni coram Judice ſincere factæ & Sacramento confirmatæ deſunt, hi enim perjuri quidem fiunt, ſed extra judicium.

Quæres an qui aliquid accepit a vivente, vel depoſitum retinet, aut aliquid ſubripuit titulo legitimæ compenſationis, aut demum rem primo ſubreptam confeſſario tradidit caute reſtituendam hæredibus, jurare poſſit ſe nihil detraxiſſe ab hæreditate.

306 R. ad 1. affirm. Ratio eſt quia *viventis non eſt hæreditas*. Si tamen illegitima fuiſſet donatio, incumberet obligatio reſtituendi.

307 R. ad 2. negat. quia depoſitum res eſt adeo ſacra, ut compenſationem non admittat, prout dixi in Tract. de contract. Aliud eſt in aliis rebus. Unde quia non rapit alienum, qui ſuum ſibi vindicat, non videtur perjurus, qui negat ſe alieno bono nocuiſſe. Si tamen interrogetur, an non abſtulerit hanc numero tabellam, huncve Librum, non poteſt negare, & ſic patet ſolutio ad 3.

308 R. ad 4. affirm. nihil enim abſtulit ab hæreditate, qui nihil hæreditati nocuit. Non nocuit autem qui rem primo ablatam fidæ commiſit manui, a quo certiſſime reddenda ſit. Ita mecum ſenſit Sorbonicus Magiſter.

309 Tertium falſi genus committitur in materia matrimoniali, ſive a contrahentibus, ſive ab aliis. Ut autem falſum iſtud Pariſiis reſervationem inducat tria requiruntur, 1. *ut mala fide præſtitum* ſit; 2. ut *ſcripto aut viva voce;* 3. ut ordinetur ad celebrationem Matrimonii, vel invalidi, *vel quavis ratione* illiciti. Quartam conditionem exigunt alii, nempe ut teſtimonium illud feratur *coram Epiſcopo, Officiali, Parocho, vel eorum vices gerentes:* Caſus Andegav.

Ut

* Ita ſentiunt Capeavillæus part. 2. cap. 18. qu. 1. p. 451. & 455. Piromboeuſit Tom. 1. Catech. 7. qu 9. p. 161. Diſſentit tamen Collator Andeg. quia tunc a parte rei non occurrit falſum teſtimonium, quod (ſaltem Andegavi) cum perjurio jungi debet ad inducendam reſervationem.

Ut intelligantur hujuſce reſervationis, quæ multis in Diœceſibus viget, 310
extenſio & limites, caute, ut ſemper, ponderanda ſunt verba legis reſervationem inducentis. Pariſiis enim illud ſolum reſervatur falſi teſtimonii genus, quo fieri poſſit, *ut a Miniſtris Eccleſiæ Matrimonium nullum, vel quavis ratione illicitum Benedicatur*. Andegavi vero illud etiam prohibetur, quod juſtæ nuptiarum benedictioni obeſſet. Rurſum Andegavi illud duntaxat teſtimonium reſervatur, quod fit coram Epiſcopo, Officiali, &c. contra vero Pariſius, ubi verba genialiter ſonant, & illud reſervaretur quod fieret coram Magiſtratis ſeculari.

Jam reſervationi ſubjacent hac in parte, 1. ipſi etiam contrahentes, 311
tametſi Pſeudoteſtium nomine partes ipſæ, quas negotium tangit, venire non ſolent; 2. qui coram Commiſſariis ab Epiſcopo, aut aliis ad quos res pertinent, nominatis, falſum teſtimonium perhibent; quia quæ coram delegato fiunt, coram delegante fieri cenſentur; 3. qui falſo teſtantur partes, vel ſufficiens habere domicilium, vel banna publicaſſe, vel parentum, tutorumve aſſenſum obtinuiſſe; vel ab omni, etiam prohibente, impedimento eſſe liberas. 4. qui eaſdem aſſeverant eſſe pauperes, prohinc valide in forma pauperum diſpenſatas fuiſſe. Secus, ſi tantum decipiant circa fortunam & qualitatem utriuſque vel alterius contrahentis, niſi aliter cautum ſit Lege Superioris. Hæc fuſius non proſequor, ne dum forte Diœceſis unius mentem evolvo, recedam a mente alterius.

Quartum falſi genus, quod Rom. Pontifici reſervatum eſt, conſiſtit in 312
falſificatione Litterarum Apoſtolicarum, aut earum corruptarum uſu; quæ poſtrema pars quibuſdam in locis ſupprimitur, ubi proinde tantum viget prima. Circa materiam hanc

Not. 1. per Litteras Apoſtolicas intelligi eas tantum quæ nomine Sum- 313
mi Pontificis expediuntur, ſive muniantur plumbeo ſigillo, quæ *Bullæ*; ſive cera rubea, quæ *Brevia* nuncupantur. Huic nec privatæ Rom. Pontificum Epiſtolæ; nec ipſa, (juxta Pirring. in tit. *De crimine* falſi, Navarrum in Manuali cap. 27. n. 62. &c.) ſacræ Pœnitentiariæ Brevia Litteris Apoſtolicis annumerantur; quia non Papæ, ſed majoris Pœnitentiarii duntaxat nomen præferunt.

Not. 2. Litteras Papales novem modis falſificari poſſe, qui habentur 314
cap. *Licet*, *de crimine falſi*. At generatim ſcire ſufficiat, falſificationem hanc fieri, vel cum falſus cuditur integrarum Litterarum contextus; vel cum in Litteris vere Apoſtolicis ea fit additio, vel detractio, aut mutatio, quæ ſenſum a concedente intentum mutet: & in utroque caſu, ſi res notoria evaſerit, incurritur excommunicatio Pontifici reſervata. Atque hinc ad cenſuram ſatis eſſe poteſt puncti unius, vel virgulæ tranſpoſitio; quia hæc ſenſum quandoque inſigniter pervertit. Quod ſi levis ſit, & nihil ad rei ſubſtantiam pertineat mutatio facta; puta ſi appoſita ſit virgula, ubi omiſſa fuerat, vel emendatus quidam * latinitatis error; nihil hic ſuberit culpæ, nihil prohinc cenſuræ obnoxium; quia ad falſitatem requiritur mutatio eum dolo & injuria. Ab his tamen, utpote in Romana Curia ſevere prohibitis, teſte Fagnano in cap. *de conſcientia* hoc tit. omnimodis abſtinendum eſt. Sane ante Clementem VIII. Bulla Cœnæ eos ſubjiciebat

 cenſu-

* Quo ſenſu falſa latinitas vitiet Reſcriptum Papale, vide apud Reiffenſtuel & alios in tit. 3. *De Reſcriptis*, Lib. 1.

cenſuræ, qui mutarent *punctum aut litteram*, &c. Ceterum, ut advertit Pikler eod. tit. *ſi litteræ exhibeantur adhuc clauſæ, & deprehendatur raſura, præſumitur eam in Curia factam:* idemque eſt, ſi apertæ quidem ſint Litteræ, ſed raſura ſit in loco minime ſuſpecto, ſeu qui nullam mutationem inducere videatur.

315 Quæres 1. an qui Litteras Apoſtolicas vitiat, cenſuram incurrat, antequam iis utatur.

R. affirm. niſi ut in certis Diœceſibus, requiratur raſio cum falſificatione. Ceterum cenſuræ ſubjaceret is etiam, qui bonum in finem, Puta ad aſſertionem certi ſui juris, vel ad Indulgentias, quarum diploma periiſſet, Bullam aliquam fabricaretur. Eſt enim artificium iſtud gravis in Apoſtolicam Sedem injuria, & innumeris abuſibus aditum aperiens.

316 Quæres 2. an qui falſis de cauſis diſpenſationes obtinent, ob iſtud falſi ſcelus latæ in Bullarum falſificatores cenſuræ obnoxii ſint.

R. negat. quia hi quidem proprium ſuum ſcriptum vitiant, ſed non Apoſtolicum. Caput 7. *De crimine falſi*, vel alio intelligendum eſt ſenſu, vel his in partibus receptum non eſt.

317 Addit Faber pag. 183. ſub hac cenſura non comprehendi, qui falſificant Litteras Congregationis Cardinalium, Epiſcoporum, Nuntiorum, Legatorum & Penitentiariorum; *quia hi non expediunt Litteras tanquam Vicecancellarii*, vel Vices gerentes. Idem dicendum ex Collatore Andeg. To. 2. pag. 179. ſi quis ſolas tantum Romanæ Curiæ *ſignaturas* adulteret; quia diſcrepant eæ a Litteris Apoſtolicis.

318 Aliquando etiam reſervationem incurrunt, qui falſificant Litteras Prælati Rom. Pontifici inferioris, ſeu is ſit Epiſcopus, ſeu Abbas, Provincialis, Prior, Guardianus, Rector, & quiſquis in exteriori foro juriſdictionem habet.

319 IX. *Deprædatio bonorum ad Chriſtianos naufragos pertinentium*. Et is unus eſt e caſibus quos ſibi reſervat S. Pontifex; idemque in maritimis Diœceſibus * reſervari ſolet; & merito. *Iniquum* eſt enim, ait Concilium Nannetenſe, an. 1127. *ut quem divinæ clementiæ magnitudo a ſævientis pelagi voracitate eruit, hominum ſæva rapacitas audeat ſpoliare .*:*. *Non enim res hujuſmodi aliquis eo animo abjicit quod habere nolit, ſed quo periculum effugere poſſit; & qui res ipſas lucrandi animo abſtulerit, furtum committit*.

320 Caſum hunc non incurrunt, niſi qui naufraga Chriſtianorum bona ſubripiunt: at Burdegalæ, ubi nulla fit diſtinctio, incurrerent qui Infidelium etiam bona, ſive ob tempeſtatis vim ejecta e navi, ſive cum navi alliſa ſcopulis deprædarentur. Aliter dicendum, ſi ex modo projiciendi colligatur aliquem res ſuas projeciſſe animo derelinquendi: quod raro contingere arbitror: certe qui mortis metu res nauticas abjicit, ſic affectus eſſe ſolet, ut eas recuperet, ſi poſſit.

321 Sed quid juris, 1. ſi quis bona hæc ſubripuerit quidem animo ea retinendi; at voluntate ſtatim in melius converſa, ſtatuat ea domino comparenti reſtituere; 2. ſi bona hæc ſint piratæ, qui aliis ea ipſa eripuerit; 3. ſi eadem bona non ſubripueris tu naufrago, ſed a deprædatore comparaveris per furtum, rapinam; aut donationem; 4. ſi bona hæc talia

ſint,

* Prendre ou retenir ſciemment les biens de ceux, qui ont fait naufrage ſur mer. *Rituale Burdig. caſ. 17. pag* 134.

Digitized by Google

ſint, ut niſi ſuſtuliſſes, illico fuiſſent peritura, ut ſacharum, farina, &c. 5. ſi non equidem ſubripueris, ſed furi favorem, aut conſilium efficax furandi dederis.

R. ad 1. incurri reſervationem; quia tunc vere commiſſum eſt boni nautici furtum. Sane non ipſa rei conſumptio, ſed deprædatio ejus cenſuræ obnoxia eſt. 322

R. ad 2. incurri quoque reſervationem; non prout ſit furtum piratæ; ſed prout ſit injuria alteri, cujus bona inique ſubrepta naufragium facere; neque ei juſte denuo ſubripi poſſunt. Aliud fuerit ſi bona hæc capias animo reſtituendi, ſi dominum detegere poſſis, vel donandi pauperibus. 323

R. ad 3. reſervationem ad minus incurrendam in Diœceſibus, quæ disjunctivam Burdigalenſem habent. *Rapere, vel ſcienter retinere.* In aliis vero mihi, quidquid contradicat Faber pag. 179. par quoque reſervatio ſubiri videtur. Quia non minus rem naufragam deprædatur, qui eam rapit ab alio ejuſdem minime domino, quam qui eam rapit e littore maris. 324

R. ad 4. rurſus contra eundem, ad minus hoc in caſu conſulendum Legiſlatorem. Sane quod periturum fuiſſet, niſi ſuſtuliſſes, non deſinit eſſe meum, poſtquam id tu poſuiſti in tuto. 325

R. ad 5. quemadmodum *ſolvo mandantes*, niſi a Legiſlatore exprimantur; ſic & conſulentes, faventes, &c. niſi furti participes fiant.

X. *Duellum, cujus caſus rei ſunt omnes certantes in duello, ſocii certaminis, qui certantium patrini dicuntur, qui ad illud, etiam non ſecuturum, provocant ſcienter; conſulentes; ex propoſito ſpectatores, & qui locum ad id, arma, aliave ſubſidia ſcienter ſubminiſtrant, cum cenſura excommunicationis ipſo facto.* Ita ſtatuta Pariſienſis Diœceſis. 326

Monuimus Tomo III. hujus Operis pag. 468. ad duellum requiri duorum paucorumve certamen ex condicto initum. Unde qui in rixa enſem educunt, & alius alium vulnerare vel enecare nituntur, ſancitis adverſus monomachas pœnis non ſubjacent, licet iis quæ adverſus homicidas latæ ſunt, ſubjacere poſſint. 327

At duellatorum pœnas incurrunt; 1. qui ex condicto ſingulare ineunt certamen; etſi forte neminem occidi aut etiam vulnerari contingat, quia non plectitur eventus, ſed periculum cui ſe ſe exponunt certantes. 328

2. Qui ex nefando abuſu eorumdem patrini dicuntur, ſeu ut *ſecundi* certare debeant, ſeu tantum judices eſſe certaminis. 329

3. Qui ad illud ſcienter provocant, ut famuli, qui cartam provocationis ſcientes vel dubii deferunt. Nec obſtat quod minime ſequatur duellum, quia ipſa ejus indictio prohibita eſt. Aliud tamen eſt certis in Diœceſibus, cum qui de duello pacti ſunt, ab ejus propoſito ſponte propria recedunt, aut per amicos communes agunt ne ſuccedat. Et quidem ſi ab initio id ſibi propoſuerint, ubique videntur in conſcientia immunes a pœnis, quia non eſt id duellum, ſed duelli ſimulatio; ceteroqui tamen prohibita ut ſpecies mali. 330

4. Qui duellum conſuluere, ſive ſequatur, ſive non, niſi, & male, conſilium efficax requirat Legiſlator. 331

5. Ex propoſito ſpectatores: hi enim pugiles accendunt ad bellum, & iniquo furori arma ſubminiſtrant. Aliud erit ſi quis illac tranſiens, levi intuitu & obiter ſpectet certantes; quod tamen, quantum poteſt, cavendum. 332

F 4 6. Qui

333 6. Qui arma hunc in finem ſubminiſtrant. Secus, ſi emptori cuilibet vendunt: alias nemini enſem vendere liceret, quia eo quiſque uti, poteſt in duellum. De his relege quæ dixi Tom. III.

Effractio Templorum.

Eucharistiæ delatio ad extinguenda incendia.

Ejuſdem profanatio.

Exuſtio Templorum. Circa hæc omnia, vide V. *Sacrilegium.*

Exuſtio domorum profanarum, vide V. *Incendium.*

334 XI. *Hæreſis, hoc eſt*, ait Pariſienſe Mandatum, *opinio aliqua contraria fidei, pertinaciter & ex animo coram pluribus, quaſi dogmatiſando, & agnitæ fidei Eccleſiæ reſiſtendo*, ab homine Chriſti Religionem profitente, *aſſerta ac defenſa, aut in hæreticorum communione vel conventu, etiam ex timore, aut ſimulando declarata.* Huic annexa eſſe ſolet cenſura excommunicationis ipſo facto, eaque reſervata: qua etiam paſſim plectuntur, qui hæreticorum concionibus interſunt, eorumve Libros ſine ſpeciali facultate legunt, retinent, diffundunt, &c.

335 Cenſuræ hujus æquitatem nemo eſt qui primo intuitu non animadvertat: Si enim teſte Apoſtolo 1. Corint. 15. *corrumpunt mores bonos colloquia mala*, quanto magis longæ ac diuturnæ, ſeu ore ad os, ſeu per lectionem confabulationes cum iis quorum *ſermo ut cancer ſerpit*, quique ut proſelytum unum faciant, mare & aridam circumeunt. Jam.

336 Ut incurratur reſervatio hæc, neceſſarium eſt, 1. ut hereſis ſit vera; unde nec ſufficit materialis error, cui ipſi etiam Sancti ſubjacuere non ſemel; nec ſatis eſt adhæſio voluntaria opinioni quam reprobaverit Eccleſia, ut temerariam tantum, falſamve vel erroneam: quia differt error ab hæreſi, uti cum aliis docuimus Tom. 3. in Appendice de propoſitionibus ab Eccleſia, damnatis pag. 698. Et ita quoad præſens caput tradit Collator Andegavenſis Tom. 2. pag. 224.

337 2. Ut hæreſis ſit externa, & quidem cum animo hæretico: quæ enim vel mere interna eſt, vel tametſi externa, ſine animo hæretico proferatur, licet grave peccatum ſit, aut eſſe poſſit, haud tamen Eccleſiaſticis pœnis ſubjacet. Non in primo caſu; quia ex dictis peccata mere interna non reſervantur. Non in ſecundo; quia ex S. Thoma 2. 2. qu. 11. art. 2. ad hæreſim requiritur *error intellectus*. Is porro deeſt, ubi deeſt interior aſſenſus. Ceterum ad hæreſim externam ſufficit ut ea quovis ſigno, atque etiam ſolo nutu, exterius pandatur, nullo etiam præſente: non enim deſinit externum eſſe id quod occultum eſt. At non ſufficit ſignum quodcumque: hinc qui in Lutheri hæreſim lapſus die vetita comedit carnes ex mera voracitate, non incurrit vi facti hujus, pœnas hæreticorum. Aliud fuerit ſi per hanc Eccleſiaſticæ Legis tranſgreſſionem hæreſim ſuam manifeſtare velit. Pari de cauſa immunis eſt a reſervatione, qui ex ſolo metu negat ſe eſſe Papiſtam; quia hic ſola occurrit fidei diſſimulatio, non autem error intellectus. Aliter dicendum, ſi ipſa exterior fidei negatio reſervata ſit, ut in Diœceſi Pariſienſi.

338 3. Ut eadem hæreſis ſit ab homine Chriſti fidem profeſſo. Unde Judæi vel Ethnici qui negant Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem, non cenſentur hæretici. At hæretici ſunt, quidquid dicat recentior, qui a fide apoſtatant. Imo Cathecumenus, qui poſt ſuſceptam Chriſti fidem ad hæreticos

Digitized by Google

hæreticus deficit, coram Deo vere eſt hæreticus, licet pœnis ab Eccle-
ſia contra hæreticos latis non ſubjaceat; quia necdum per Baptiſma in-
greſſus ſit Eccleſiam: prout docent poſt Pirrhing. Anacletus Reiffenſtuel
tit. *De hæreticis* n. 3. & Faber part. 2. pag. 163. Hinc Anabaptiſtæ, etiam
nondum baptizati hæreticis annumerantur.

Quæres 1. an qui ſolū dubitat de aliquo fidei capite, hæreticus cenſeri debeat. 339
R. affirm. Si is ſerio & meditate dubitet. Ita S. Thomas, cui conſonat
id Stephani Papæ c. 1. *De hæreticis: Dubius in fide infidelis eſt*. Et vero
qui voluntarie dubitat, eo ipſo negat formaliter vel id quod ab Eccle-
ſia definitur tanquam caput fidei, ad fidem pertinere; vel Conventum
hunc, puta Tridentinum, qui ſeſe Eccleſiam dicit, eſſe Eccleſiam. Utrum-
que autem fidei adverſatur.

Quęres 2. an ignorātia mortaliter culpabilis ab hęreſeos pęnis excuſare poſſit 340
R. affirm. cum Pirrhing. in Tit. *De hæreticis*, n. 2. & aliis. Ratio eſt quia
deeſt hæreſis, & conſequenter ejus pœnæ, ubi deeſt pertinax contra Ec-
cleſiæ definitiones rebellio. Hæc autem deeſt, cum definitiones illæ, ta-
metſi culpabiliter, ignorantur. Unde hæreticorum inſtar excipi non de-
bent ruſtici quidam, & qui Eccleſiæ penitus adhærentes, in punctis gra-
vibus graviter aberrant. Imo nec eum quem expendimus caſum incur-
runt, qui inter hæreticos nati & educati catholica quædam dogmata re-
ſpuunt, quia ſibi nullatenus, vel non ſatis propoſita ita Layman Lib. 2.
cap. 13. n. 5. Faber pag. 166. Hi tamen, niſi ejuratis antea erroribus, in
Eccleſiam non recipiuntur; tum quia non præſumitur ignorantia invicibi-
lis; tum quia decet ut qui errorem palam profeſſus eſt, palam ſe ab eo
recedere declaret.

Sed quid de iis quorū ignorātia, non modo culpabilis, ſed & affectata fuerit? 341
Non deſunt qui cum Vito Pichler in Tit. *De hæreticis* exiſtiment eos ab Ec-
cleſiaſticis pœnis per affectatam ejuſmodi ignorantiam excuſari, niſi *affe-
ctatio* illa ex contemptu auctoritatis Eccleſiaſticæ proveniat. Mihi tamen de-
ciſio hæc admodum incerta videtur. Nimirum vero ubique judicatur in er-
rore pertinax, qui ab errore reſipiſcere non vult; non vult autem qui eo fi-
ne affectat ignorantiam, ne a concepta primum opinione reſiliat.

Quæres 3. quid ſentiendum de iis qui Catholicis veritatibus addicti 342
eos tamen qui Eccleſiæ definitiones impetunt, prædictis veritatibus ad-
verſari non credunt.

Reſpondet Collator Andegavenſis ibid. pag. 226. hujuſmodi homines
falſi quidem & maxime temerarii judicii reos eſſe, at non eſſe proprie
hæreticos. Verum deciſio hæc, ut vera eſſe poteſt, ſic & poteſt in plu-
ribus fallere. Nec enim ſolum exigit Eccleſia, ut credas, v. g. Chri-
ſtum pro omnibus mortuum eſſe; ſed & ut credas ipſam, utpote a Spi-
ritu ſancto directam, non poſſe conſtanter ac ſacrilege inſequi velut hujus
fidei violatores, qui hanc pie ac religioſe profitentur. Si quid ergo hic
culpam minuit, hoc ut plurimum, quod ſectæ alicujus vexatio non Eccleſiæ
toti, ſed amariori quorundam zelo adſcribi ſolet a plebe vel imperita,
vel Novatorum artibus & clamoribus decepta.

Quæres 4. an hæreſis quæcumque exterior reſervationem inducat. 343
R. id pendere e varia locorum diſciplina; etſi enim hæreſis exter-
na ubique excommunicationem inducit, non tamen ubique inducit excom-

muni-

municationis hujus reſervationem. Alicubi nimirum ut Andegavi, neceſſum eſt ut hæreſis publica ſit; quod notorietatem facti a nobis in Tract. de cenſuris expoſitam requirere videtur. Alibi, ut Ambiani ſatis eſt ut hæreſis perſonis tribus innoteſcat. Alibi, ut Pariſiis; requiritur & ſufficit ut hæreſis *coram pluribus ex animo* afferatur & defendatur. Porro *pluralis locutio duorum numero contenta eſt*, ex Regula 4. Juris in 6.

344 Quæres 5. an cenſuram reſervatam incurrant qui hæreticorum concionibus intereſint, iiſve domos ſuas locant.

R. negat. niſi hæc forte ſpeciali locorum lege vetita ſint ſub pœna cenſuræ. Poteſt tamen in utroque caſu graviter peccari: potiſſimum autem in priore, propter grave quod rudibus & imperitis imminere poteſt ſeductionis periculum. Quod ſi quis hæretico quia hæretico, ſeu ut patet ejus animo adjuvet, domum ſuam locaverit, utique ſubjacebit hæreticorum pœnis, quia hæreſim hoc ſuo facto profitebitur. Ubi autem indiſtincte ſub reſervationis pœna vetitum eſt, ne quis hæreticorum conventibus interſit, reſervationi ſubjacet, qui iiſdem etiam ignota ſibi lingua celebratis intereſt, ſolo etiam curioſitatis impulſu, quia fieri poteſt ut ficta pietate, quæ vel apud Turcas, in templi potiſſimum, emicat, decipiatur.

A fortiori reſervationem incurrere poſſunt Typographi & Bibliopolæ, qui obvio cuique hæreticorum Libros venales habent.

Quæres 6. an qui hæreſim publice profeſſus eſt in uno loco, poſſit in alio ubi catholice vixit, a quocumque abſolvi.

345 R. 1. hæreticum, generaliter loquendo, nonniſi a Sacerdote pro reſervatis approbato ſolvi poſſe: quia hæreſeos crimen ubique reſervatum eſt.

346 R. 2. multiplex eſſe hæreticorum genus: Alii enim publice contrariam Eccleſiæ Romanæ religionem profeſſi ſunt, ut Calviniſtæ & Lutherani. Alii licet non id omne credant quod a Sancta Eccleſia definitum eſt, nedum ab ea ſchiſmatice recedant, unum id formidant, ne ab ejus gremio ejiciantur. Priores ubicumque ſint, palam & Epiſcopi auctoritate reconciliari debent, niſi exigant loci, temporis & perſonarum circumſtantiæ, ut eorum abjuratio, de Superioris conſenſu, occulte fiat. Poſteriores vero ſtatim ut errorem ſincere depoſuerunt, a quocumque pro reſervatis approbato reconciliari valent; modo præſtitum a ſe ſcandalum vel jam reparaverint, vel reparaturi certo judicentur: Sane frequentatio Catholicorum quos oderas, laus æqua Præſulum quos calumniabaris, aditus Confeſſarii quo uti noluiſſes; & Catholicis, & novatoribus præſertim, graves ſunt converſionis argumentum.

Quæres 7. quæ a Confeſſario erga pœnitentē ab hæreſi reverſū ſint obſervāda.

347 R. 1. quoad forum interius caute obſervandum a Confeſſario, ut propria hæreticorum peccata cognoſcat. Hæc vero ſunt præcipue, injuria in Virginem Dei param & Sanctos ceteros: calumniæ in Summum Pontificem, in Epiſcopos, & Clerum Catholicum: odium & deteſtatio virginitatis; ſacrilegia in Euchariſtiam & Sacramenta, in imagines, in omnes Eccleſiæ ritus: contumelia in fideles, quos cæco ac turpi impetu incuſant blaſphemiæ, infidelitatis, ſuperſtitionis, & idololatriæ. Cavendum tamen ne Confeſſarius nimiis interrogationibus recens converſum obruat; ita ut is vel ab initio ſuſpicetur gravius eſſe confeſſionis pondus, quam ut illud inpoſterum ferre poſſit. Unde ſicut qui in continua fornicatione per annos aliquot

vixit,

vixit, non tenetur exprimere tactus & oſcula, quæ regulariter fornica-
tionem comitantur: ſic nec tenetur Neophytus in ſpecie exprimere pec-
cata quæ contra Eccleſiæ leges admiſit, puta quod non audierit Sacrum
feſtis diebus, quod jejunium & abſtinentiam omiſerit &c. quia hæc ex ipſa
hæreſis conditione ſatis intelliguntur. Imo cenſent nonnulli cum Bona-
gratia v. *abſolutio quoad ſæculares* n. 48. ſatis eſſe ut generali modo confi-
teatur ſe Pontifici detraxiſſe, vel Eccleſiæ præcepta contempſiſſe, quoties
ſe dedit occaſio: *Niſi ſpecialem aliquem contemptum Eccleſiæ, blaſphemiaſve
aut calumnias contra Eccleſiaſticos, pluſquam regulariter ab hæreticis fit: effuti-
verit, aut ſcandalum dederit, aut alios perverterit*. Quoniam tamen non in
omnibus locis occurrit eadem blaſphemandæ Eccleſiæ occaſio, ſatius ju-
dicarim plenam, quantum ſine ſcrupulo ac nimia moleſtia fieri poteſt,
confeſſionem a novo Catholico elicere: ad quod non parum conducent
Directoris lenitas, patientia, & unctio verborum.

R. 2. hæc quoad exterius forum cum recens converſis obſervanda eſ- 348
ſe a Confeſſario, 1. ut eos non ante ad fidei profeſſionem & ad ſacram
confeſſionem admittat, quam ſufficienter fidei veritates edocuerit, ne
in errores ſuos facile relabantur; 2. ut debita ac ſpeciali auctoritate mu-
nitus eorum abjurationem excipiat, prout ſancitum eſt cap. 8. & 21. I. q.
7. quæ abjuratio communiter fit coram Sacerdote & teſtibus per publicam
fidei profeſſionem, qualis in Ritualibus Diœceſanis præſcribitur. *Commu-
niter*, inquam, quia abjuratio clanculum aliquando fieri poteſt, cum id
graves exigunt cauſæ; 3. ut peracta fidei profeſſione is qui ab hæreſi re-
ſipiſcit admittatur ad Confeſſionem & Euchariſtiam. Ita Faber pag. 168.

Verum hæc cum gravi limitatione quoad Euchariſtiam his in partibus in- 349
telligenda ſunt. Cum enim Calviniſtæ noſtri religionem Catholicam eo
tantum fine profiteri ſoleant, ut in Eccleſiæ conſpectu matrimonium, alio-
qui regiis dictis irritum, inire poſſint; & e ducentis vix unus & alter in
religione Catholica, ſeu jurata, ſeu coram teſtibus profeſsa permaneant;
conſtat ſemper metuendum eſse, ne Sanctum, ſi iis detur, detur canibus;
unde a ſacra menſa potius abigendi ſunt, quam ad eam compellendi. Quod
ſi horum aliqui privatim interrogationum in Catholica fide vivere ac mori
velint, non reſpondeant cathegorice, cavendum erit ne ad confeſſionem
admittantur. Alias obtenta, quæ vix negari poterit, factæ confeſſionis
teſtificatione, haberi poſsent pro veris Fidelibus; ad communionem &
matrimonium admitti, liberaliores a Catholicis eleemoſynas recipere; quod
ultimum nonnulli ex iis unice intendunt.

XII. *Homicidium voluntarium*, quod Pariſiis reſervatur, cum *etiam ab* 350
ebrio aut irato perpetratum eſt. Circa hunc caſum,

Quæres 1. an homicidium quodcumque reſervationi ſubjaceat. 551

R. negat. Illud enim ſolum potuit reſervari, quod a Theologis com-
muniter habetur pro mortifero. Eſt porro certum homicidii genus, quod
juxta communiorem ſententiam vacat a culpa; illud nimirum quo quis
vim vi repellens cum moderamine inculpatæ tutelæ, occidit ne occidatur.
Quod ſi dubitet occiſor annon juſtæ defenſionis limites exceſserit, immunis
erit a reſervatione; quia hæc ex dictis in dubio facti non incurritur.

Quæres 2. an homicidium caſuale ſubjaceat reſervationi.

R. id pendere a circumſtantiis. Si enim homicidium præter intentio- 352
nem

nem oriatur a cauſa de ſe minime periculoſa, & quæ hominis necem parere non conſuevit, non inducet reſervationem, quamvis alioqui actio ſit illicita. Si vero idem homicidium oriatur a cauſa de ſe periculoſa; ut cum quis alium graviter percutit; tunc niſi aliud intendat Legiſlator, dubio procul reſervationem invehet, quia, & jure quidem, in cauſa voluntarium cenſebitur.

353 Quæres 3. an obnoxius ſit reſervationi, qui vulnus inflixit, a quo quis nonniſi longo poſt tempore deceſſit.

R. affirmat. Si medici, quos ea de re conſuli oportet, judicent inflictum vulnus fuiſse cauſam mortis. Secus, ſi compertum ſit eam ex aliquo qui ſupervenerit caſu, prodiiſse. Dum autem fluit tempus inter vulnus & mortem ex ipſo indubie ſecuturam, vult Comitolus Lib. 4. q. 10. n. 22. in fine, ut cum eo tanquam vere homicida agat Sacerdos; eumque ad Superiorem amandet, ſi aliunde jus non habet abſolvendi. Sane qui eo in caſu ad ordines promoveretur, ſubreptitie promotus cenſeretur.

354 Quæres 4. qui fiat ut reſervationem incurrat ebrius homicida.

R. id fieri, 1. quia poteſt quis eo fine inebriari ut certius occidat; 2. quia plerumque judicare potuit ebrius, ſe ſe utpote furentem vino, occiſurum in ebrietate; 3. quia non omnis ebrietas eo uſque rationis uſum adimit, ut homicidii libertatem adimat. Quod ſi quis vel nolens inebrietur, prout Noe contigit; vel nolens quidem, ſed expertus ſe in vino mitem eſse & ſedatum, nec in priori caſu reſervationem incurret, quod certum eſt; nec in ſecundo, ut probabiliter opinamur. Quanquam, quia huic numero ebrietati annecti potuit reſervatio, ſatius eſt tunc Superioris voluntatem explorare.

Quæres 5. an ubi ſimpliciter reſervatur homicidium, ſubjaceat reſervationi; non is ſolum qui fecit, ſed & qui mandavit.

355 Affirmat Capeavillæus p. 2. c. 3. pag. mihi 228. niſi Epiſcopus ſolam præciſe occiſionis actionem reſervet. Ratio eſt quia ex Alexandro III. c. *Mulieres 6. De ſent. excomm. Is committit vere, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur*. Quapropter non hic ſit interpretatio Legis, ſed ejuſdem extenſio ex mente aperta Legiſlatoris, ut advertit Sylveſter V. *Statutum* §. 2. n. 7.

356 Aliter ſentiunt non pauci, 1. quia reſervatio; utpote odioſa, ſtricte intelligi debet & reſtringi. Atqui, ſtricte loquendo, non facit, qui tantum mandat fieri; 2. quia gratis fingit Sylveſter, hic non eſse interpretationem Legis, ſed meram extenſionem; Idem enim in alia quacumque materia dici poſset; ſicque non eſset locus reſtrictioni in odioſis, & evaneſceret iſtud ab omnibus receptum: *Solvo mandantes*. Nec nocet objectum Caput *Mulieres*. In eo enim agitur de mandante percuſſionem Clerici: potuit autem jus ſtatuere ſpecialiter, ut in eo caſu mandans eadem plectatur pœna, qua executor: ſicut ibid. Cap. *Quantæ* eidem ſubjacet cenſuræ, qui Percuſſionem hanc non impedit; & Cap. *Cum quis* eod. tit. in 6. qui eandem ratam habet. Id autem nedum ad ceteros caſus extendi debeat, in iis, utpote non expreſſis, reſtringi debet.

357 At inquies, ratio cur Alexander III. eum qui Clerici percuſſionem mandat, pari plectit pœna ac qui Clericum reipſa percutit, hæc eſt, quod *is vere committat, cujus mandato delictum* committitur. Atqui ratio

Digitized by Google

tio hæc viget pro caſibus omnibus in quibus intervenit mandans.
R. diſt. min. viget inductive, id eſt, probat Legislatorem in quocumque caſu potuiſſe mandantes iiſdem ſubjicere pœnis quibus executores, C. viget neceſſario quaſi quiſquis crimen mandavit, ipſo facto pari cum criminis executore pœna plectatur, N. id enim alienum eſt & a communi Theologorum ſenſu; & a mente Legislatorum, qui mandantes exprimunt cum eos plectere intendunt.

Ex his rurſum colligo 1. ſatagendum enixe iis qui caſuum reſervatorum ſeriem texunt, ut mentem ſuam diſtincte & enucleate aperiant; ne dum breviores eſſe volunt, obſcuri fiant; 2. in prædicto homicidii caſu dubium eſſe an mandans reſervationi ſubjaceat: 3. recurrendum proinde ad Superiorem, cum id ſit dubium juris: niſi ipſe declaraverit in dubio juris nullam eſſe reſervationem. 358

Quæres 6. an in Diœceſibus quæ mandantem homicidium ſubjiciunt reſervationi, immunis ſit ab ea qui mandatum revocavit. 359

R. affirmat. Si mandatum vere & efficaciter revocaverit. Confer quæ dixi in Tract. de juſtitia p. 2 c. 2. ubi de mandante.

Quæres 7. an qui mandavit Petro mortem Joannis, in reſervationem incidat, ſi Petrum ipſum occidi contigerit. 360

R. negat. Quia nullatenus Petri occiſionem intendebat mandans. Excipe, niſi præviderit fieri facile poſſe ut Petrus interficeretur, tunc enim mortem ejus virtualiter intendiſſet. Ita cum Suare docui in Tract. de irregul. p. 3. c. 1 a. 1. pag. nunc 466.

Quæres 8. an qui mandavit percuſſionem, ſubjaceat reſervationi, ſi mandatarius fines mandati prætergreſſus ſit.

R. id pendere a modo quo datum eſt mandatum, & ab indole tum mandantis, tum & mandatarii. Si enim præceperit mandans ut inimicus ſuus ſtrenue & citra modum percuteretur. Si is, vel mandatarius, efferæ eſſent indolis, nec plus hominis vitæ quam avis conſulerent, jam uterque reſervationem incurrit, quia uterque mortem alterius virtualiter intendit. Si vero mandans verbera quidem juſſerit, ſed ut David erga Abſalon, ſevere vetuerit ne mandatarius ultra progrederetur, tunc mors & quæ eam ſequitur reſervatio, ſolius mandatarii nequitiæ erit adſcribenda. Confer quæ dixi in Tract. de irregularitatibus, ubi de homicidio, & reſervationem ut plurimum metire cum irregularitate ex homicidio. 361

XIII. *Incendium*, ſeu, ut habet Mandatum Pariſienſe, *Exuſtio voluntaria domorum profanarum, ſi incendiarius non eſt publice denuntiatus:* alioqui enim criminis hujus abſolutio Sedi Apoſtolicæ reſervata foret. Huic porro annexa eſſe ſolet cenſura excommunicationis ipſo facto. Circa hunc caſum. 362

Quæritur 1. quis incendiarii nomine intelligendus veniat.

R. is omnis & ſolus qui privata auctoritate, & animo ſaltem implicito nocendi, alienæ domui, ſeu profanæ, ſeu ſacræ, ignem admovet atque totam vel ejus partem, quantum ad lethale peccatum ſatis eſt, in cineres redigit, Ratio eſt quia is omnis & ſolus exuſtoris proprie dicti nomen meretur. 363

Dixi 1. qui *privata auctoritate;* Unde qui in bello juſto, quale præſumitur quod ineunt ſubditi nomine legitimi Principis, hoſtilia quæcumque gladio & flammis diſperdunt, niſi Ducum an mandata libere prætergrediatur, a peccato & reſervatione immunes ſunt. 364

Dixi

365 Dixi 2. & *animo ſaltem implicito nocendi*. Qui enim exitiales herbas igne conſumpturus, vento adverſum exurgente vicinam domum perimit, ut a culpa liber eſſe poteſt, ſic & a reſervatione. Secus ſi hunc actionis ſuæ effectum præviderit, aut avertere potuerit: quia tunc in cauſa effectum voluiſſe cenſetur.

366 Dixi 3. *alienæ domui*. Si quis namque propriam domum flammis abſumat non eſt proprie & ſtricte incẽdiarius; niſi vel vel hæc partim aliena ſit, puta uxoris; vel vicinæ domus incendiũ trahat ex formali vel virtuali agẽtis intẽtione.

367 Dixi 4. *domui*. Unde ſi quis ſegetibus vel ſylvæ flammam admoveat, quamvis gravius peccet, quam ſi tuguriolo, non incurret reſervationem: quia ſegetes non veniunt domus nomine, imo ab ipſa diſtinguntur in jure *. Atque hinc Præſules non pauci incendium in genere ſibi reſervarunt.

368 Dixi 5. *domui profanæ vel ſacræ;* ut enim profanæ ædes hominum domus, ſic & ſacræ domus Dei dicuntur, Hinc qui incendium generatim non reſervant, exuſtionem domorum utriuſque generis reſervant, ut videre eſt Pariſiis n. 4. & 17.

369 Dixi 6. *& totam, vel ejus partem abſumit*. Qui enim tugurio incendium parabat, quod exequi non potuit, haud ſubjacet reſervationi. Secus ſi aliquam ejus partem conſumpſerit, modo, quod facile fit, damnum ad mortale peccatum pertingat.

370 Quæritur 2. an incendii complices reſervationẽ perinde ut auctores incurrãt.

R. negat. niſi ſtatutum ut auctores criminis ſic & cooperatores includat, (ut Argentorati, ubi reſervatur incendium *opere*, *conſilio*, *auxilio*, *mandato* voluntarie procuratum.) In hac enim materia ab uno caſu ad alium non fit extenſio ex majori etiam ratione, prout ab initio monuimus. Objici quidem poſſit Canon 32. XXIII. q. 2. qui eſt Concilii Later. an. 1139. habiti. Verum is vel ſpectat tantum Pœnitentiam ut incendiariis ſic & eorum complicibus imponendam; vel ſi horum criminis abſolutionem ex æquo Papæ reſervat, uſu contrario abſolevit: præſertim cum ipſum incendii crimen non jam reſervetur Apoſtolicę Sedi, niſi poſt incendiarii denuntiationem.

371 Quæritur 3. qua ratione crimen illud denuntiari oporteat, ut Rom. Pontifici reſervatum ſit.

Duplex eſt ea de re opinio; prima quam tradit Suarez diſp. 22. de cenſuris, Sect. 2. n. 19. docet ad incendii reſervationem ſatis eſſe ut præceſſerit generalis contra incendiarios omnes Eccleſiæ ſententia, qualis identidem intra Miſſam pronuntiatur adverſus hæreticos, vel in Monitoriis, contra eos qui tale furtum occultaverint. Neque inquit, aliud importat Caput *Tua nos* 10. *De ſent. excom.* ubi ſic; *Incendiarii, ex quo ſunt per Eccleſiæ ſententiam publicati, pro abſolutionis beneficio ad Apoſtolicam Sedem ſunt mittendi*.

Secunda opinio quam tenere videntur Gloſſa, Panormitanus, Cajetan, Navarrus, docet tunc ſolum incendiarii crimen reſervatum eſſe cum is nominatim denuntiatus fuerit; eique opinioni, quam Suarez ipſe *abſque periculo in praxi* ſervari poſſe docet, adhærendum eſt in his partibus, ubi conſuetudo Canonem *Tua nos* hoc poſtremo ſenſu interpretata eſt. Hinc in Statutis Bituricenſibus expreſſim habetur inter caſus Papæ reſervatos; *Incendium Eccleſiæ vel alterius loci, poſtquam incendiarius publica denuntiatus eſt*

* „ Qui ædes acervumve frumenti juxta domum poſitum combuſſerit, vinctus verberatus igni necari jubetur: *Leg. 9. ff. de incendio*.

eſt nominatim excommunicatus. Idem tenet Collator Andegav. Tom. 2. p. 148.

Quæritur 4. an qui ex gravi negligentia domum comburit, reſerva- 372
tionem incurrat.

R. eum teneri quidem ad reparationem damni, ſed non ideo reſervationis jacere, niſi effectum hunc præviderit, quia generatim loquendo ad incendii reſervationem requiritur animus & propoſitum nocendi. Quia tamen non quicumque incendii crimen reſervant, eam nocendi intentionem requirunt, ſatius fuerit ea de re Superioris mentem interrogare.

XIV. *Inceſtus* Pariſiis reſervatur *intra ſecundum gradum conſanguinitatis* 373
vel affinitatis etiam ex illicita copula. Unde reſervationem incurrunt 1. pater qui filiam, fraterve qui ſororem aut filiam ejus, 2. patruelis qui conſobrinam; 3. maritus qui conjugis ſuæ ſororem, ejuſve filiam tametſi ſpuriam, turpi concubitu fœdaverit. Alicubi reſervatur inceſtus intra tertium conſanguinitatis gradum; &c. De hoc caſu hæc ſtatuimus,

1. Cum ex alibi dictis affinitas non pariat affinitatem, liber eſt a re- 374
ſervatione frater qui ſponſæ fratris ſui ſororem aut matrem cognoſcit; alterutram enim ducere poſſet in uxorem.

2. qui in primo poſitus gradu conſanguineam quarti gradus cognoſcit 375
non ſubjacet reſervationi: quia in hac materie gradus remotior trahit ac veluti delet propinquiorem.

3. qui uxorem ducit, inde aliquando reſervationem incurrere poteſt: 376
ut ſi quis male vel dubiæ fidei conſanguineam ejuſdem fidei ducat & tunc affinitas ultra ſecundum gradum non protenditur. Secus ſi contrahentium alter ſit bonæ fidei.

4. qui conſanguineam, quam invincibiliter talem eſſe ignorat, cogno- 377
ſcit, com materialiter tantum inceſtus ſit, vacat a reſervatione, licet non a gravi peccato. Secus, ſi eam vel dubius, vel ex ignorantia vincibili cognoſcat.

5. Qui cognoſcit quam falſò credebat conſanguineam, vel ſimpliciter 378
vel in gradu reſervato licet animo & corde inceſtus ſit; liber eſt a reſervatione; quæ inceſtum afficit, non falſam inceſtus exiſtimationem.

6. qui nec ſcit, nec ſcire poteſt an cum affini vel conſanguinea peccaverit, 379
in hoc facti dubio, niſi privata lex obſit, a communi Sacerdote abſolvi valet.

7. qui affinem cognoſcit in vaſe præpoſtero, reſervationem ſodomiæ al- 380
ligatam incurrere poteſt; de quo infra: qui vaſe naturali, ſed emiſſo foras ſemine, non incurrit: quia ſic placuit Superioribus, quibus contrarium placere debuerat, ne reſervatio per novum Onæ crimen eludatur.

8. quæ violenter opprimitur, licet in actionis coactæ decurſu voluptati 381
cedat, non incurrit reſervationem; at incurrit oppreſſor.

XV. *Inceſtus ſpiritualis*, quo nomine intelligi ſolet crimen, non equidem 382
Miniſtri baptizantis, aut Patrini cum filiola, (niſi diſertim exprimantur ut in quibuſdam Diœceſibus;) ſed vel Confeſſarii cum Pœnitente, vel Parochi cum Parochiana. Et iſtud peccati genus ultricibus flammis aliquando plectitur, ſive inceſtus merito nuncupetur, ut plures volunt, ſine non, ut aliis etiam pluribus videtur. 383

Non una porro eſt circa * impium illud *ac nefandum ſcelus* variarum * Greg
Diœceſeon diſciplina; quod a Directoribus caute penſandum, ne vel reos XV.
abſolvant perperam; vel quos abſolvere poſſunt, ad Superiorem remit- Conſt. 54.
tant.

tant. Pariſiis id habent recentiora, quæ Diurnalibus Libris inſeruntur Statuta, n. 111. §. 2. *Concubitus Confeſſarii cum Pœnitente, & Pœnitentis cum Confeſſario: item Parochi cum Parochiana, & Parochianæ cum Parocho*. Tum ſubditur gravis ea Lex; *Sacerdoti conſcio cujuſcumque tactus impudici adimitur ipſo facto omnimoda facultas audiendi unquam Confeſſionem ejus, cum quo aut cum qua crimen admiſit; & ipſum aut ipſam abſolvendi ſub quovis prætextu etiam tempore Jubilæi*.

384 Mitior paulo Andegavenſis Territorii diſciplina, quæ ſic habet: *Sciant* Confeſſarii *in generali vel ſpeciali facultate abſolvendi a caſibus reſervatis, non contineri facultatem abſolvendi a Duello, neque a crimine Confeſſarii cum Pœnitente, Parochi cum Parochiana, & Parochianæ cum Parocho, niſi dicti caſus nominatim deſignentur*. Ac præterea *Sacerdotem reum dicti criminis cum Pœnitente, aut Parochiana; dictam Pœnitentem aut Parochianam ab eo crimine nuſquam poſſe abſolvere, quamcumque antea obtinuerit, vel poſtea obtinere poſſit facultatem etiam ſpecialem abſolvendi a caſibus reſervatis*. Demum *cuilibet Confeſſario omnem adimi facultatem abſolvendi a crimine concubitus, vel alicujus tactus impudici, illum vel illam, cum quo vel cum qua iſtud crimen admiſit, quamcumque ille Confeſſarius generalem aut ſpecialem facultatem obtinuerit, etiam tempore Jubilæi*. Ubi prohibetur quidem ne Sacerdos luxuriæ ſuæ complicem ab ea uſquam abſolvat; non autem ne deinceps alias ejus confeſſiones excipiat; quod Pariſiis ſevere cautum eſt. Eadem eſt Diœceſis Burdigalenſis diſciplina, niſi quod in iſta nemo cujuſcumque ſceleris complex complicem ſuum uſquam abſolvere valet*.

385 Non deſunt qui Pariſienſem diſciplinam præferant, aliis, tum ob grave quod Confeſſario ac Pœnitenti imminere poteſt novi ſceleris periculum; tum quia difficile eſt ut Confeſſarius ob leviora plerumque peccata juſta ſeveritate redarguat Pœnitentem, cui probe nota eſt infirmitas ejus in multo gravioribus. Quod ad eam diſciplinam ſpectat, quæ complici qua tali complicem uſquam abſolvere vetat; cenſent iidem Doctores eum jugum eſſe & juſto gravius, & non raro plenum periculi. Quid enim ſi pridie Feſti Parochus & Vicarius, ceterum pii, ultra metas de quopiam detraxerint; ſi ex curioſitate folia quædam ſevere prohibita legerint, vel legentibus ex mala quadam formidine non obſtiterint, &c. An ſatius erit ut vel Miſſam cum multa populi offenſione omittant, vel a tribunali toto mane abſtineant, dum ad Parochum alium, tota quandoque leuca, niſi plus, diſtantem recurrent; vel de perfecta illa contritione præſumant, quam rariſſimam eſſe didicerunt? Eſto igitur, ajebant iidem Magiſtri, eſto Sacerdotes duo gravi & ſocia conſuetudine obſtricti, alter alterum abſolvere prohibeantur; at non debuit mutua hæc confeſſio generali pro quibuſcumque caſibus lege interdici. Sic illi, qui forſan meminiſſe debuerant, neminem inauditum damnari debere: Profecto difficile eſt ut lex ſeveriſſima; diuturno, antequam ederetur, non ſubjacuerit examini. His præmiſſis quædam ſolvendæ ſunt multi momenti difficultates.

386 Quæres itaque 1. an omne luxuriæ peccatum inter Confeſſarium & Pœnitentem reſervationi ſubjaceat in Diœceſibus quæ Pariſienſem diſciplinam ſequuntur.

R. his

* Nul Confeſſeur, meme ayant pouvoir d'abſoudre des Cas réſervés, ne peut donner l'abſolution d'aucun péché dont il eſt complice *Ritual. Burdig. pag.* 134.

Digitized by Google

R. his in locis duo cauta eſſe, 1. ut Sacerdos cujuſcumque impuberi facinoris complex, nec hac vice, nec uſquam deinceps complicem audire poſſit; 2. ut peccatum illud, ſi ſit concubitus, a nullo Sacerdote pro cummunibus tantum approbato, ſolvi queat. Si vero ſit quidpiam concubitu minus, poteſt a quovis præter complicem Sacerdote dimitti. Porro concubitus nomine intelligenda videtur fornicatio etiam inchoata, ſeu quæ per ſeminis effuſionem intra vas muliebre conſummata non fuerit, prout ferunt variarum Diœceſeon Statuta.

Quæres 2. an qui needum Confeſſarius erat vel Parochus, quando cum alio vel alia peccavit; prædictæ legi ſubjaceat. 387

R. ſubjacere quatenus jam complicem deinceps abſolvere nequit; non ſubjacere vero quantum ad reſervationem; quia non reſervatur niſi peccatum Confeſſarii cum Pœnitente, vel Parochi cum Parochiana. Neuter porro vel Confeſſarius erat, vel Parochus tempore delicti.

At inquies, ſi furtum hodie reſervetur, pridie furatus ſubjacet reſervationi. Ergo pari jure, &c. 388

R. neg. conſeq. qui enim pridie furatus eſt, totum commiſit ſcelus quod ſubinde reſervatur. Contra vero Diaconus vel Sacerdos qui cum Titia peccavit, non commiſit crimen quod reſervatum erat. Nec enim reſervatur fornicatio Sacerdotis, ſed fornicatio Confeſſarii cum Pœnitente, aut Parochi cum Parochiana.

Quæres 3. an qui peccat cum Pœnitente; ratus invincibiliter ſe peccare cum alia reſervationem incurrat. 389

R. negat. ſe enim habet ut qui Clericum percutit, ratus invincibiliter ſe percutere Laicum: Is autem liber eſt ab irregularitate?

Quæres 4. an immunis ſit a reſervatione, qui peccatum Parochiana, vel Pœnitente olim quidem ſua; ſed nunc alterius. 390

R. Probabilius affirmat. 1. quia lex vetare voluit, ne quis parta per confeſſionem alienæ fragilitatis notitia abuteretur: ut autem huic occurreret malo, vetare debuit ne uſquam Confeſſarius cum Pœnitente alias ſua turpiter verſaretur; 2. qui Statuta non pauca Trecenſia præſertim & Sagienſa ſic habent: *Concubitus cum perſona, cujus confeſſionem ſacrametalem qui exceperit:* quæ quidem ab actuali Pœnitentis ſtatu abſtrahunt.

Quia tamen hæc nonnihil habent difficultatis, præſertim quoad Parochum, qui cum loco ſuo ceſſit, jam non oves; nec ovile habet, in his caſibus recurrendum erit ad Superiorem, qui utinam omnia quæ ad reſervationem ſpectant, tam diſtincte enuclearet, nullæ ut ſupereſſent ambages; quod brevi libello fieri facile poſſit.

Quæres 5. quid in Statutis nomine tactus impudici intelligendum ſit. 391

R. eos intelligi tactus, qui ut facile ſit, ad mortale aſſurgunt, quales ſunt, qui vel in partibus venereis, aut vicinis fierent; vel in uberibus mulieris. In eodem ordine ſunt oſcula, non quæcumque, ſed libidinoſa, de quibus fuſe Tom. 3. hujus operis. Item inhoneſti tactus alicujus impuberis.

Sed quid ſi quis tactū de ſe levē, ſed intus & ex animo libidinoſū exercuerit? 392

R. 1. ab his caute abſtinendum, dum etiam in ſola ſenſualitate hærent; 2. melius ac tutius ſibi conſulere, qui ab ea audienda abſtinet, quicum familiarius agere cœpit, ne ſenſim ad graviora deveniat, 3. ex dictis n. 19. hunc non reſervari actum.

393 Quæres 6. an qui quidpiam egit impudici erga dormientem vel renitentem, confeſſionem ejus deinceps excipere prohibeatur,

R. negat. ſtando in lege prout efferri ſolet. Hæc enim ſolum vetat ne Sacerdos vel abſolvat a peccato cujus particeps fuit, vel exinde excipiat confeſſionem ejus quicum crimen admiſit, quæ poſtrema verba crimen mutuum ſupponunt. Porro in præſenti caſu nihil eſt mutui criminis, cum ex hypotheſi pars altera crimini obſtiterit, aut ſaltem nullatenus conſenſerit.

394 Si tamen, ait eruditus Auctor. Collat. Andeg. Tom. 3. pag. 210. *Sacerdos ſibi & Pænitentium ſalutis conſulere velit, deinceps confeſſiones non excipiet illius*, quam licet invitam ſolus peccando impudice tetigit. *Quamvis enim lex ſupradicta, ſtricte & attenta vi verborum non prohibeat hac in circumſtantia illius mulieris confeſſionem excipere; nec ipſa ad eum confeſſionis gratia accedere debet, nec ipſe accedentem admittere. Hinc merito docet Fromageau. v. Baiſer. caſ. 1. Puellam non debere apud eum Sacerdotem peccata ſua deponere, a quo, dum ipſum inviſebat, frequenter oſculo ſalutabatur;* etſi ipſa nullius hinc delectationis pravæ, vel periculoſæ cogitationis ſibi conſcia foret.

Facilius tamen excipi poſſet confeſſio illius quicum dormiente actum fuiſſet aliquid impudici, quia & eadem eſt quæ eſſe debet increpandi libertas; & nihil eſt in priori actu quod novæ libidinis principium eſſe poſſit.

395 Quæres 7. an Parochorum vocabulo in prædictis legibus comprehendantur Parochi, ut ajunt, primitivi.

R. negat. cum Scriptore mox adducto. Etſi enim primitivi Parochi honorifica quædam jura habent; attamen vere Parochi non ſunt, cum nullas proprie habeant oves, quas paſcant verbo Dei, ſacramentis reficiant, &c.

Quæres 8. quid conſulendum Parocho in aliquod cum Parochiana facinus prolapſo.

396 R. 1. ei ponderandum eſſe iſtud Cæleſtini Edictum Cap. 9. & 10. XXX. q. 1. *Si quis Sacerdos cum filia ſpirituali fornicatus fuerit, ſciat ſe grave adulterium commiſiſſe. Idcirco femina, ſi laica eſt, omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat, & converſa in Monaſterio Deo uſque ad mortem ſerviat; Sacerdos autem ab omni officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pæniteat; poſtea vero in Monaſterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ ſuæ Deo ſerviat.*

397 R. 2. omiſſa illa ſeveriori diſciplina vix unquam ſinendum ut Parochus in eo loco remaneat, ubi participem delicti ſui feminam nactus ſit tum quia in lubrica illa materia pene ſemper imminet periculum relabendi; cum plene incedat gradu, qui vel uno paſſu inceſſit; tum quia ut nullus eſt ſine fumo ignis, ſic nec amor, qui tandem non erumpat; tum quia notum quid furens femina poſſit, cum præſertim ſe novæ amaſiæ intuitu derelictam imaginatur; tum demum, quia *plerumque dum mutatur locus, mutatur mentis affectus*, ex veteri juris effato.

398 *Lenocinium*, cujus, *juxta* Pariſienſe jus, *rei ſunt, qui crimen impudicitiæ ſcienter aut voluntarie procurant aut adjuvant; invitando, conſulendo, locum præbendo, epiſtolas ſcribendo aut referendo, vel alio quovis modo.* Cum graviſſimum ſit impudicitiæ crimen, ſub quo fornicatio & adulterium continentur, æ-

quum

quum fuit ut in illud animadverterent canonicæ leges prout & actum eſt a politicis, uti videre eſt apud Ferriere v. *Maquerellage*.

Duo hic moveri poſſunt dubia, 1. an qui crimen fornicatione minus procurant, ſubjaceant reſervationi: 2. an ab iſta immunis ſit ancilla, quæ ne turpiter ejiciatur, infameturve aut pacta ſibi mercede privetur, dominæ ſuæ litteras defert ad amaſium, eive noctu fores aperit.

R. ad 1. negat etſi enim graviter peccat, quæ vel oſculis, vel inhoneſtis tactibus aditum pandit, haud tamen ſtricte & proprie dictum impudicitiæ crimen procurat; iſtud enim de ipſo coitu, ſaltem quantum eſt ex parte procurantis, intelligit conſuevit. Unde etſi ſtare poteſt lenocinium ſine copula; non tamen ſine intentione liberâ ejus facultatem procurandi. 399

R. ad 2. 1. incertum videri an famula quæ uni amaſio favet, lenonis partes agere dici valeat. Lenocinium enim vel multorum cum multis vulgari uſu, vel ſaltem multorum cum una ſocietatem ſpectare videtur. Unde conſulendus erit Legiſlator. 400

2. Ut quis reſervationi ſubjaceat, neceſſum eſt ut *ſcienter & voluntarie* influat in malum. Hic autem *voluntarie* ſumi debet, prout in his materiis paſſim ſumitur & contingit, ubi perditæ meretrices ad crimen toto conatu alliciunt. Porro quæ ex gravis infamiæ vel detrimenti metu fores aperit, volens quidem aperit & libere quantum ad peccandum oportet, ſed & ſimul maxime invita, ut ſupponimus. Ergo dubitari poteſt an eum *voluntarii* gradum habeat, quem exigit lenocinii conditio. Haberet autem dubio procul, ſi in hac domo lubens & volens commoraretur. Sed de his rurſum adeundi Superiores, ad quos utinam minus frequenter remittere cogeremur! 401

Magia, vide *Sacrilegium* n. 5.

XVII. *Matrimonium illegitime celebratum vel contractum;* quod multiplici modo contingere poteſt, 1. & præſertim cum ab alio quam a proprio Parocho; aut alio de ejus licentia, benedicitur, 2. cum celebratur clandeſtine; 3. cum poſt emiſſum caſtitatis votum initur. 402

Circa primum Caput paſſim in uſu eſt, ut qui *alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi, aut Epiſcopi licentia matrimonio conjungit aut benedicit*, ipſo facto incurrat ſuſpenſionem reſervatam, a qua *abſolvere competit Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo Benedictio ſuſcipienda erat*. Ita fert Pariſienſe Mandatum ex Tridentino Seſſ. 24. de reform. Cap. 1. Eaque ſanctio, quæ jam a ſacra Synodo plurimum habet commendationis, hinc apparet æquiſſima, quod Andegavenſis v. g. Parochus, qui Cœnomanenſes duos matrimonio jungit, minus in proprium quam in Cœnomanenſem Epiſcopum delinquat. Ergo & ei ſatisfacere debet, & ab eo tamdiu plecti, donec reipſa ſatisfecerit. Neque hinc pertimeſcenda juriſdictionum confuſio, quid enim mirum ſi in alia Diœceſi plectatur, qui contra ipſam, & in ipſa, fictione Juris, peccavit? Ubi tamen mos alius invaluit; ut Andegavi, tranquillum eſſe oportet; qui a proprio Epiſcopo abſolutus fuerit. Hinc enim occurrit tacita vel formalis vicinorum Epiſcoporum conſenſio. 403

Quæres an eidem pœnæ ſubjaceat in pari caſu Sacerdos Regularis.

R. affirmat. ſic enim habet Tridentinum ubi ſupra: *Si quis Parochus vel alius Sacerdos, ſive regularis, ſive ſecularis, etiamſi id ſibi ex privilegio* 404

vel conſuetudine immemorabili licere contendat alterius Parochiæ ſponſos, ſine illorum Parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tandiu ſuſpenſus maneat, quandiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat .'. abſolvatur. Quin & Viennenſe Concilium temerariis hujuſmodi Regularibus excommunicationem ipſo facto indicit, ut videre eſt Clement. I. *De privilegiis & exceſſib. Privilegiat.* Cenſent equidem nonnulli ſeveriorem hanc pœnam mitiori Tridentini Concilii abrogatam eſſe. Sed obſiſtit Navarrus Lib. 5. Conſil. Conſil. 5. nec dubium quin duplex a duplici auctoritate eidem delicto pœna conſtitui poſſit. *Nec obſtat quod levior pœna legis novæ corrigat duriorem* legis *antiquæ: quia hoc intelligendum eſt .'. in pœnis, quæ ab ipſo Judice inferuntur, non in iis quæ ipſo jure incurruntur;* Ita Barboſa de offic. & poteſt Epiſc. Allegat. 32. n. 192. quem ſequitur Collator Andegav.

405 Quod ſpectat ad alterum Caput de Matrimonio clandeſtino, advertendum eſt clandeſtinum magis vel minus proprie dici illud conjugii genus, quod vel omiſſa bannorum promulgatione, vel ſine teſtibus, vel abſente Parocho, vel eodem materialiter tantum præſente celebratur. Ex his nullum eſt quod a gravi peccato immune ſit, & reſervationis materia eſſe non valeat. Hæc autem reſervatio quoque Sacerdotem ſpectat; quandoque contrahentes. Cum vero nulla hinc exurgat ſpecialis difficultas, videndum unicuique quid ferant Diœceſis ſuæ leges. In his ſi reſervatio matrimonia tantum clandeſtina feriat, eidem non ſubjacet, qui ſolam bannorum promulgationem omittit, quia hac etiam neglecta poteſt matrimonium & a vero Parocho & coram legitimis teſtibus celebrari, quod clandeſtinitatis proprie dictæ notionem abigit.

406 Tertiam, in matrimonii materia, reſervationis ſpeciem nonnullis in Diœceſibus incurrunt, qui conjugio junguntur *poſt votum caſtitatis, aut in gradu probibito ſcienter, vel priori uxore adhuc vivente.*

407 De prima caſus hujuſce parte hæc ſtatuimus cum Capeavillæo p. 2. Cap. 13. 1. graviter peccat quæ poſt caſtitatis votum nubit; niſi ante diſpenſata ſit ab iis quorum intereſt; de quo vide quæ dixi Tom. 2. hujus Operis ubi de voto.

408 2. Si ab ea quæ ſimplex emiſit caſtitatis votum interrogetur Confeſſarius, an valide nuptura ſit: Reſpondebit libere, valere quidem id genus connubia, ſed cum mortali peccato & onere non petendi debiti conjugalis.

409 3. non incurrit caſum hunc, etſi alias letaliter peccat, qui matrimonium init poſt emiſſum votum vel non nubendi, vel Religionem amplectendi, vel Ordines ſacros ſuſcipiendi. Idem eſt ſi nubat animo Religionem ingrediendi ante matrimonii conſummationem, juxta Cap. *Commiſſum 16. De ſponſal. & Matrim.* Modo poſtremum iſtud juſta de cauſa faciat: quod in praxi multum haberet difficultatis, ut dixi Tom 2. de diſpenſ. Ep. 12. n. 5.

410 4. Neque etiam hunc incurrit. qui emiſſo caſtitatis voto, aliquam cognoſcit, facta etiam futuri conjugii promiſſione, quia ex hypotheſi reſervatur duntaxat peccatum ejus; qui poſt caſtitatis votum nuptias init, non ejus qui aliquam cognoſcit, aut cum ea ſponſalia contrahit.

411 An incurrat, qui caſtitatem vovit impubes, an item mulier cujus caſtitatis votum conſtante matrimonio factum a marito irritatum eſt, ambigunt

gunt Theologi. Negat idem qui ſupra Scriptor. Aliter opinamur quoad ſecundum Caput, quia non credimus hujuſmodi votum, poſt mariti tantum mortem implendum, nihil proinde ejuſdem juribus adverſum, ab eo poſſe irritari. Quod ſpectat ad primum Caput de impubere, qui dubitat num tempore voti habuerit ſufficientem rationis uſum, credimus hunc, ſi uxorem ducat, non ſubjacere reſervationi; licet enim in hujuſmodi dubio poſſit quis ad executionem voti obligari, niſi diſpenſationem obtineat, quia tamen dubium illud eſt dubium facti, in quo incurri non ſolet reſervatio, ideo nec tunc incurri videtur.

Subdit prædictus Auctor ibid. pag. *369*. caſum hunc incurri ab iis om- 412
nibus, *quæ ut liberius Deo ſerviant, votum caſtitatis etiam apud ſe ſolas, etiam ſola mente emiſerunt*, modo de facto nubant; ſupple, & matrimonium conſumment. Ratio eſt, quia licet votum tunc temporis ſit pure mentale, ipſa tamen ejus tranſgreſſio vere eſt exterior, etſi per accidens non innoteſcat.

De altera ejuſdem caſus parte docet idem Theologus, 1. eos qui matri- 413
monium ſcienter contrahunt in gradu prohibitio, ſubjacere excommunicationi latæ Clement. Unic. *De conſang. & affin.* modo gradus ille ſit conſanguinitatis vel affinitatis: qui enim in gradibus prohibitis cognationis legalis vel ſpiritualis contrahit, nulla afficitur cenſura. Ceterum dicta mox excommunicatio Jure communi non eſt reſervata.

2 Eoſdem reſervatione aliquando plecti ab Epiſcopis, & merito: quia 414
& mortaliter peccant; & a gemino Judice gemina pœna puniri poſſunt.

3. Ubi reſervationi ſubjacent ii tantum qui *ſcienter* in prohibitis gradi- 415
bus contrahunt, excuſare, ſi minus a peccato, ſaltem a reſervatione ignorantiam craſſam; quia non facit *ſcienter* qui ex ejuſmodi ignorantia operatur. Aliud quidem præſumi poteſt in exteriori foro: *ſed hic ſumus in foro conſcientiæ, in quo ſola veritas attenditur*.

4. Idem docet quantum ad reſervationem, non quantum ad cenſuram 416
de iis qui vivente uxore aliam ſcienter ducunt. Subdit autem ea quæ de marito dicuntur, de uxore pariter eſſe intelligenda: quia Regula quæ odioſa reſtringi jubet, non currit in correlativis. Ceterum an ad ſecundas nuptias tranſire debeant, quibus nondum certo conſtat de morte conjugis, expendimus in citato de diſpenſationibus Tractatu.

XVIII. *Miſſæ celebratio indebita*, caſum hunc in Tractu Pariſienſi cum 417
ſuſpenſione ipſo facto, eaque reſervata incurrit, 1. *qui Miſſam celebrat non indutus veſte talari*. 2. *alterius Diœceſis Sacerdos, qui in hac celebrat abſque obtenta licentia DD. Archiepiſcopi, & honorarium recipit, poſt dies ab acceſſu in hanc Diœceſim quindecim*.

Circa primum una tantum eſt difficultas, an nempe ſubjaceat reſer- 418
vationi, qui ex aliqua neceſſitate celebrat ſine veſte talari.

R. id pendere ex gradu neceſſitatis, unde a pœna ut a culpa liber eſt, non is tantum qui hoc modo celebrat ut ſibi vel alii Viaticum præſtet, ſed & is etiam qui celebrat ne in inſigni Feſto plebs Miſſam omittat, ne grave ſcandalum præbeat, &c. His enim de cauſis omitti poſſent cingulum & manipulus. Is autem tantæ ad minus neceſſitatis eſt, quantæ talaris habitus.

Circa ſecundum quæritur an qui toto menſe in hac Diœceſi celebrat, 419
ſed honorarium non recipit, ſubjaceat reſervationi.

R. 1. iis qui ad Miſſam Ornamenta præbent, cavendum ſedulo ne ignotos Sacerdotes, niſi ad hunc effectum approbatos, admitterent. Durum quod alicubi Sacerdos etiam Parocho notus, ſine ſpeciali Epiſcopi licentia ad Sacra admitti nequeat, ſicque vel ipſo Paſchatis die inſtar laici communicare teneatur; at legem hanc invexit miſeranda temporum conditio.

420 R. 2. ponderatis Edicti verbis non videri obnoxium cenſuræ, qui celebrat ſine ſtipendio. Ad quid enim honorarii mentio, ſi ſola celebratio per ſe ſuſpenſionem inducat? In his autem caſibus excuſat aliquando bona fides, unde olim declaratum eſt piiſſimum Sacerdotem, qui licet in amplo Sodalitio viveret, nihil de hac lege per menſes quatuor audierat, nullam, quæ ſoli gravi peccato debetur, ſuſpenſionem incurriſse. Curandum tamen ut qui novam ingreditur Diœceſim, ea ejus Statuta reſciat, quæ ad functiones ab ipſo peragendas ſpectat. Sane extat Pariſiis Lex antiquior quæ generatim vetat ne Miſsa ſine obtenta prius licentia celebretur.

421 Alicubi quoque reſervatam ſuſpenſionem incurrunt, qui ſine Epiſcopi permiſsu Sacra faciunt, vel in privatis ædibus, vel in Capellis aut minime benedictis, aut ſub columbario poſitis, aut necdum annuo reditu dotatis, aut Feſtis anni majoribus, quod ultimum ubique pene in uſu eſt.

Monetæ falſæ crimen. Vide ſupra n. 402. *Crimen falſi.*

422 XIX. *Oppreſſio tenellæ prolis*: ſed ut habet Pariſienſe Mandatum *Negligentia gravis in oppreſſione parvulorum, ex qua parvulo nondum ratione utenti accideret vulnus, malumve aliud grave.* Caſum hunc alii, ut Andegavenſes, ſic efferunt: *Suffocatio etiam fortuita infantis poſiti in lecto, antequam habeat annum completum.* Alii ſic cum Rituali Burdigalenſi pag. 134. *Faire coucher les enfans avec ſoi dans le même lit, avant l'an & jour depuis leur naiſſance; avec excommunication, s'il y a eu ſuffocation.* Supponunt poſtrema hæc duo Decreta, matrem quæ parvulum in eodem ſecum lecto reponit lethalis peccati continuo ream eſse, ſeu vi legis quæ id prohibet ob funeſtos exitus; quod in hiſce materiis difficile eſt; ſeu ex natura rei, quod multo difficilius videtur; cum multæ ſint matres ſomni admodum tranquilli: multæ quæ vel ex penuria, vel in itineribus, prolem alibi quam in proprio ſtrato collocare nequeant; multæ quæ gravibus oppreſsæ malis vix ac ne vix quidem e cubili exurgere valent, ut infantis vagitus compeſcant. Hæc equidem a metaphyſico facile eluduntur, ſed plerumque angunt in praxi. Unde

Quæres 1. an neganda ſit his in partibus abſolutio matri vel nutrici, quæ una cum tenella prole in eodem lecto quieſcit.

423 R. 1. cum Stephano V. Cap. *Conſuluiſti* 20. II. q. 7. generatim loquendo *monendi ſunt & proteſtandi parentes, ne tam tenellos ſecum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente ſuffocentur, vel opprimantur, unde ipſi homicidii rei inveniantur.*

424 R. 2. cum Capeavillæo hic p. 2. Cap. 10. Navarro Cap. 15. num. 13. aliiſque gravibus Theologis, non poſse matrem letalis peccati ream judicari, præciſe quia ſecum prolem in eodem lecto reponat. Ratio eſt, 1. quia id communi magnarum Diœceſeon praxi repugnat; 2. quia fieri poteſt ut nullum hic ſubſit ſuffocandæ prolis periculum, ſaltem grave & proximum; puta ſi amplum ſit cubile, ſi non altum, ſi mulier jugi experimento compertum habeat ſe inter dormiendum nec agitari, nec loco moveri; ſi facile evigilet.

Nec

by Google

Nec obeſt quod ſemel contingere poſſit, quod nuſquam accidit. Neque enim remota hæc, & extra omnem veri ſpeciem poſita, attendi debent. Sane contingere poteſt ut mulier tranquillæ ceteroquin indolis per ſomnum & ſomnium e lecto præceps exurgat, infantem etiam in cunis poſitum, monſtri inſtar vel furis enecet, &c. Ex his autem quorum forte non deforent exempla, quis practice argumentetur? 425

R. 3. mortalis peccati ream eſſe, prohinc abſolutionis exſortem feminam, quæ cum infante dormit in oppoſitis circumſtantiis; præſertim dum ſuo vel alieno teſtimonio reſcit, ſe huc atque illuc moveri, brachia quoquo verſum agitare; ſomniare, terribilia quæ totā corporis molē excutiant, &c. 426

Quæres 2. quibus in caſibus incurratur reſervatio ex oppreſſa prole.

R. id pendere e ſpeciali locorum Lege, quæ attente ponderanda eſt. Sic etſi leniora videntur Pariſienſis Diœceſis Statuta, hic tamen latius patet, & facilius quam in aliis pleriſque locis incurritur reſervatio. Andegavi enim mulier quæ infantem anniculum vel in eodem ſecum lecto; vel anno minorem in lecto alio aut in cunis ex negligentia opprimit, licet non a peccato, immunis tamen eſt a reſervatione. Contra vero Pariſiis reſervationem incurrit mulier, cujus ex negligentia puero necdum ſeptenni (videtur enim ætas illa initium rationis) non modo mors, ſed & grave vulnus, aut grave aliud quidpiam malum contingit. Idem eſt de iis, non matribus tantum, ſed & aliis quibuſcumque, quæ id genus infantes vel aſportant in Eccleſiam ubi a turba offenduntur; vel in iis collocant locis ubi uruntur gelu, vorantur a beſtiis; latere ex tectis decidenti graviter cæduntur; item & de iis, perperam renitente Capeavillæo, quæ pinguioris eleemoſynæ intuitu, prope nudos objiciunt frigori & imbribus: vel jam gradi incipientes, non eo quo par eſt modo tutantur, ſi ea propter morbo gravi corripiantur, in ignem aquamve cadant; aut impingant in lapidem, &c. Aliud fuerit, ſi matris aut nutricis negligentia fuerit levis aut leviſſima: puta ſi id tantum omiſerit, quod faciunt diligentiores quæque: ut ſi dum apud vicinam ignem quæritat, domus ſuæ oſtium apertum relinquit, & interim ædes ſubit canis vel ſues, cujus nulla erat eis in locis ſuſpicio. Ita qui Turonenſes caſus explicuit, pag. 94. 427

Quæres 3. quid juris, ſi mater quia inops, exponat infantem, quem hinc mori contingat. 428

R. inde contrahi reſervationem, ſi interveniat, ut facile poteſt, gravis negligentia. Sane quæ Moyſen expoſuit, per ſororem ſuam vigilabat, ne quid pateretur mali. Quod ſi abſit negligentia, & fortuito caſu pereat infans, alicubi, ut Turonibus incurretur reſervatio: alibi minime, ut advertit Collator Andeg. Tom. 3. quanquam fortuitus Turonum caſus omnino fortuitus eſſe non poteſt.

XIX. *Ordinum ſuſceptio illegitima*, puta præcipue cum quis *ordinatur ab alieno Epiſcopo abſque licentia Ordinarii ſui; aut a proprio Epiſcopo, ſuppoſita alia perſona ad ſubeundum examen; aut ſuppoſito titulo ad majores Ordines requiſito*. Annexa eſt ipſo facto, in Diœceſi Pariſienſi, cenſura ſuſpenſionis, eaque reſervata. 429

Circa primam hujuſce caſus partem duplex tantum moveri poteſt difficultas, 1. quis proprius ſit Ordinarius, ſine cujus licentia non poſſit quis canonice ordinari. 2. an ordinari cenſeatur, qui prima tantum donatur Tonſura.

Digitized by Google

429 R. quoad 1. non cenſeri ſemper ab alieno Epiſcopo ordinatum, qui Ordines recipit ab alio quam originis Epiſcopo, cum ii canonice, etiam in Gallia, a domicilii vel Beneficii Epiſcopo recipi valeant, ut bene probant Gibert Tom. 2. Conſult. de Ordine, Conſult. 7. & Babin in collat. de eadem materia, q. 3. menſis Maii pag. mihi 146. At ab alieno Epiſcopo reipſa ordinaretur, proinde reſervationem incurreret, qui citra verum domicilium, aut ex ficto, ſibique tantum ad tempus dato Beneficio ordinaretur. Sed de his plenius in Tract. de Ordine.

430 R. quoad 2. receptionem Tonſuræ non inducere reſervationem de qua loquimur: quia ſola donatus Tonſura ſuſpenſioni ſubjacere nequit; cui ne ipſi quidem minoribus quatuor Ordinibus donati, juxta hodiernam diſciplinam: quoad Ordinum ſuorum functiones ſubjacent, ut dixi Tom. 2. ubi de ſuſpenſione art. 3.

Secunda ejuſdem caſus pars nihil habet difficultatis.

431 Circa tertiam quæritur quinam hunc incurrant caſum.

R. hunc ab iis incurri, qui vel reipſa titulum non habent, vel valoris habent minores, quam qui diœceſani Lege conſtitutus ſit.

432 In primo ordine ſunt, 1. qui Beneficium obtendunt, quod ſimoniace poſſident, vel quod necdum habent, ſed tantum ſperant vi indulti; vel quod ſibi quidem præſentatum eſt, ſed non collatum, aut pacifice poſſeſſum; vel quod reipſa beneficium non eſt, ſed præſtimonia quædam ad nutum vel poſt certum tempus amovibilis, 2. qui exhibent patrimonium vel quod non exiſtit, vel quod ſuum non eſt; vel quod ficte ſuum eſt, puta quia conceſſum videatur ab aliquo, cui pollicitus ſis contraſcriptorem ejus eidem ſalvam fore, ita ut niſi pro inverecundo haberi velis, re illa nuſquam frui valeas.

433 In ſecundo ordine ſiti ſunt, qui ut ab omni onere liberam exhibent domum quæ gravata eſt hipothecis: qui agri reditus libris octoginta minores ad libras centum attollunt, &c. Et is caſus admodum frequens occurrit, cum gravi ſalutis Ordinandorum ac teſtium diſcrimine: hi enim multis in Diœceſibus excommunicatione plectuntur. Quæ autem tunc ab Ordinatis incurritur ſuſpenſio, tandiu manet donec verum titulum obtinuerit Ordinatus; de quo vide quæ dixi in Tract. Gallico de diſpenſat. Lib. 2. p. 6. Cap. 2. §. 3.

434 Quæres 1. quid juris ſi in titulum aſſignetur hæreditas debitis chirographariis obnoxia.

R. nullam tunc incurri ſuſpenſionem, quia ex quo non obſtiterunt creditores, jam Ordinatum inſequi non poſſunt, ut hæreditatem ſibi aſſignatam vendat. Ita Pontas V. *Titre* &c. caſ. 2. Supponit deciſio hæc titulum illum cum debitis formalitatibus promulgatum fuiſse: alias enim creditor non eſset in culpa. *Imputari enim non debet ei per quem non ſtat, ſi non faciat quod per eum fuerat faciendum*, ex Reg. 41. Juris in 6.

435 Quæres 2. an domus Clerico aſſignata in titulum, ſed cujus partem poſt obitum patris idem Clericus fratribus ſuis, alioqui *legitima ſua* carituris refundere tenebitur, veri tituli locum habere poſſit.

Affirmat Collator Andegavenſis Tom. 2. pag. 471. cui reluctari non auſim. Satius tamen & æquitati conſentaneum magis judicavero, ſi res tota Epiſcopo candide renuntietur. Quid enim ſi veri admodum ſimile ſit,

ſit, quod aperta poſt aliquot annos hæreditate, nihil ferme remaneat penes Clericum. Sane aliud fuerit, ſi id ſibi oneris aſſumant teſtes, ut defectum, ſi quis futurus ſit, compenſent.

Quæres 3. an fraudulentum titulum præbere cenſeatur, qui confidit reditum ejus a Clerico exactum non iri. 437

R. negat. cum eodem: modo nulla de hoc extet promiſſio; ſemperque Ordinando liberum ſit ſua ſibi jura vindicare. Si tamen res iis in locis ageretur, ubi communi more receptum eſſet, ut nemo fructum tituli, citra infamiæ notam, aut capitis periculum exigere poſſet, aliter ſtatuendum videretur.

Quæres 4. an qui fraudulentum titulum exhibuit, ſuſpenſionem incurrat, ſi vel titulum rejici, vel hominem ab Ordinibus repelli contigerit. 438

R. negat. quia haud completum eſt peccatum ſuſpenſioni obnoxium: neque enim plectuntur, qui falſum titulum exhibent, ſed qui *ſuppoſito titulo ordinantur*.

Quæres 5. an titulum alienare liceat.

R. non licere ſine Epiſcopi conſenſu. Ideo enim titulum exegerunt jura Canonicum & Civile, ne Sacerdos ex penuria, vel mendicare, vel ad victitandum indecora moliri cogeretur. Atqui recurreret incommodum iſtud, ſi cuipiam liceret ſuo ſe titulo exuere. Non abs re igitur alicubi plectuntur excommunicatione qui patrimonialem titulum vendunt aut emunt. 439

Sed quid ſi *titularem* domum vendat pater, filius autem ex reverentia non contradicat? Quid rurſus ſi Sacerdos præter hanc domum ſat habet boni ut commode vivat? Quid 3. ſi parens bona quæcumque ſua in titulum aſſignet, & hæc ad titulos decem ſufficiant? Quid demum, ſi domus quæpiam in titulum data ſit donec Clerico de ſufficienti beneficio proviſum ſit.

Ad 1. reſpondet Pontas hic *caſ.* 9. immunem eſſe a peccato filium, qui ne patri ægre faciat, eidem titulum alienaturo non obſiſtit. At ſatius duxerim patrem ſubmiſſe & reverenter moneri, ne id faciat; niſi hominem fingas iracundum, & moniti cujuſcumque impatientem. 440

Subdit idem Caſuiſta, Sacerdoti licitum eſſe tunc temporis ab emptore tituli proventus exigere, ſalvo emptori recurſu in venditorem: quia ex Sanctione Aurelianenſi, menſe Januario a Carolo IX. emiſſa, titulum alienari prohibitum eſt * Sed quid hinc tandem continget, præſertim ſi venditor ære alieno gravis ſit? Hoc certe unum, ut pater & qui ei tacite conſenſit filius, triſtem hominum malæ frugis notam ſuſtineant, & ubique pro doloſis habeantur. Satagendum igitur filio ut vel parentem ab hujuſmodi venditione modeſte deterreat, vel emptorem de hypotheca, fundo quem emere cogitat, annexa moneri curet. 441

Ad 2. vetuit Senonenſe Concilium ne is etiam titulum Clericalem vendat qui aliunde ſat bonorum habet: in eo tamen caſu facile haberi poteſt conſenſus Epiſcopi. 442

Ad 3. nulla lege cautum eſt ne in hoc caſu pater aliquam boni ſui partem abalienet. Idem eſt in quinto caſu, quia tunc de Epiſcopi conſenſu deſinit eſſe titulus id quod primum titulus fuerat.

XXI. *Percuſſio patris, matris, avi, aviæ, aut alterius ex aſcendentibus, item ſoceri ac* 443

ri ac

* Avons déclaré le revenu temporel *du Titre* inaliénable, & non ſujet à aucunes obligations & hypothéques créés depuis la promotion du Prêtre & durant ſa vie, *Ordonnance d'Orleans art.* 12.

ri ac ſocrus: ita habet Pariſienſe Mandatum. Quoniam vero erga nos rationem patrum habent ſpirituales præpoſiti, idcirco quandoque ſpeciatim prohibita eſt percuſſio proprii Parochi. Generatim vero annexa eſt ipſo facto excommunicatio reſervata percuſſioni gravi, licet non atroci Clerici vel Religioſi, ſaltem in ſacris Ordinibus conſtituti. De his omnibus ſigillatim & breviter differendum. Itaque

444 Quæres 1. an parentum percuſſio ubique eodem modo reſervata ſit.

R. negat. ut enim alias omittam Diœceſes, quarum praxim indagare longum fuerit, Andegavi ea ſolum percuſſio reſervata eſt, quæ *facta* fuerit *cum exceſſu aut ſcandalo*, neque illic reſervatur percuſſio ſoceri aut ſocrus. Lutetiæ contra ſiletur de exceſſu & ſcandalo; reſervatur autem percuſſio ipſius etiam ſoceri, &c.

445 Quæres 2. an igitur Pariſiis reſervata ſit quæcumque prædictorum percuſſio.

R. eam ſolum reſervari quæ peccatum mortale ſit, quod in hac materia facile contingit, ut ſi quis patrem vel alapa cœdat, vel pedis ictu aut bacculo feriat.

446 Quod ſi percuſſio levis ſit, ut cum filius verbera declinans, ex aliquo etiam iræ motu matrem aſperius tangit & repellit, non eſt locus reſervationi, ut docet Collator Andeg. Tom. 3. pag. 68. Si tamen percuſſioni etiam de ſe levi accederent injuriæ graves, incurreretur pœna: quia lex non tam actionem quam injuriam actionis prohibet: Ita idem Scriptor ibid. pag. 65. & 66. Et hæc iis congruunt quæ Tom. 2. diximus de Clerici percuſſore, part. 2. Cap. 1. art. q. 4. Concinnunt Navarrus, Ricardus & Capeavilleus p. 2. cap. 4. pag. mihi 245. quia tamen in his nonnihil difficultatis ſubeſt, cum methaphyſice expenduntur, non abs re fuerit Superiorem interrogare.

447 Neque etiam ſubjaceret reſervationi, qui ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, violentas, quod ſummopere dolendum, & pro viribus cavendum, in parentem manus immittit, ob vitandam mortem, vel mutilationem, vel vulnerationem; aut heu! ruinam pudicitiæ. Ita Collator Ambianenſis & alii paſſim. Idem docet Capeavillæus de eo, *qui in parentes manus injicit, ut illos a delinquendo arceat, vel ab inimicis eripiat, vel ſimili incommodo præſervet*; ſi ſcopum aliter obtinere nequit. Idem etiam erit, ſi quis vel erret circa perſonam patris, vel ex motu, quem primo primum dicunt, in eum injiciat manus, quas ſtatim retrahit.

448 Ceterum quia percuſſio etiam minime gravis ſcandalum præbere poteſt, poteſt etiam ſubjacere reſervationi. Atque id pro Diœceſi ſua docet Collat. Andeg. pag. 66. Quin & juxta principia ſuperius poſita, eadem percuſſio, ut pote non parum injurioſa, reſervationem inducere videretur.

Fruſtra animadverterim id quod de filio in genere dicitur, de prole etiam ſpuria eſſe intelligendum: cum nulla ea de re moveri poſſit difficultas.

449 Quod ſpectat ad percuſſionem Clerici, & quæ ea pejor eſt, proprii Parochi, repetendum id quod de ea diximus in Tractatu de cenſuris part. 2. Cap. 1. art. 4. Unum optarim ut in hac materia mille difficultatum capaci nitide & perſpicue loquantur Reſervatores: quod ſi in ipſo

ipſo caſuum indice, quem uſus brevem fecit, fieri non poteſt; at in ipſorum expoſitione paulululum diffuſa utiliter efficeretur.

Popinæ aditus vel *frequentatio*, vide V. *Violatio ſanctitatis Clericalis*.

XXII. *Raptus virginum, vel mulierum honeſte viventium. Quo caſu* ait lex Pariſienſis n. 13. *raptor ipſe, ac omnes conſilium, auxilium, aut favorem illi præbentes, includuntur: cum cenſura excommunicationis ipſo facto*. Ad hujuſce caſus intellectum. 450

Not. 1. raptum definiri crimen, quo femina e loco tuto extrahitur, & transfertur in locum, ubi raptoris poteſtati ſubeſt, idque libidinis explendæ, vel matrimonii contrahendi cauſa. Quam definitionem late expoſuimus Tom. 2. hujus Operis ubi de diſpenſationib. p. 2. Cap. 2. 451

Not. 2. raptum eſſe duplicem, alterum *violentiæ* quo mulier invita & renitens e loco tuto abducitur, &c. Alterum *ſeductionis*, quo mulier blanditiis, perſuaſionibus, illecebra voluptatis, ſpe matrimoni injecta, aut alio quocumque deluſa motivo, iis a quibus ipſa pendet invitis, deceptorem volens ſequitur. Jam 452

Quæres 1. an utraque raptus ſpecies ſubjaceat cenſuræ. 453

R. affirm. quia raptus nomine non is ſolum qui violentiæ eſt, ſed & ille etiam qui eſt *ſeductionis* intelligitur potiſſimum in Gallia, imo ab Angelico doctore 2. 2. q. 154. art. 6. uti loco mox citato oſtendimus. Atqui cenſetur quiſquis reſervatos caſus inſtituit, Regionis ſuæ & ſaniorum DD. mentem ſequi. Ut minimum ergo conſulendus eſt in hoc caſu Legiſlator.

Quæres 2. an raptus ejus quæ virgo eſſe creditur, cum non ſit; aut quæ honeſti eſt nominis, licet clanculum corrupta ſit, cenſuram inducat. 454

R. affirm. neque enim exigit aut exigere poteſt cenſura, ut rapta mulier, ſancte & honeſte coram Deo vivat, quod uni Deo notum eſſe poteſt, ſed ut integræ ſit famæ coram hominibus. Talis autem eſſe poteſt, quę ſecreto vitioſa ſit. Unde etiamſi vitium illud deinceps innoteſcat, ſtabit ſemper cenſura, ut quæ vere contrahatur, cum quis mulierem honeſtam rapit. Hic autem honeſta cenſetur, quæ nullam ſibi libidinoſæ vitæ labem inuſſit.

Quæres 3. quid juris, ſi rapiatur mulier, olim quidem liberior, ſed publice ad meliorem frugem reverſa. 455

R. Tunc quoque incurri cenſuram: quia rapta eſt mulier hic & nunc honeſte vivens: nihil autem ultra exigit Mandatum.

Quæres 4. an ad cenſuræ hujus effectum raptor ſit, qui virginem abduxit, ſed ea minime abuſus eſt. 456

Negant plures, quia raptum prout eſt impedimentum matrimonii a raptu prout eſt ſpecies luxuriæ diſtinguunt cum Polmano: & poſteriorem hunc tantum reſervari ſolere contendunt: Ita Capeavillæus part. 2. Cap. 12. qu. 2. Unde, ait, qui virginem abducere tentavit, ſed non potuit, vel abduxit quidem e domo paterna, ſed pœnitentia ductus, aut ultra progredi non auſus, integram remiſit ad parentes, caſum hunc non incurrit. Idem eſt, inquit, de eo, qui virginem per verba de futuro ſibi deſponſatam, per vim abduxit, & cognovit. Ratio eſt, quia quamvis peccaverit, vim inferendo, excuſatur tamen a raptus crimine; tum quia ex S. Thoma ib. art. 7. ad 3. ſponſus ex ipſis ſponſalibus aliquid in ſponſam juris habet; tum quia ex Cap. *Lex illa* XXXVI. qu. 1. raptus erga eam ſolum committi dicitur, *de cujus nuptiis nil actum fuerat*. At de iis

omni-

omnibus adeundi ſunt Superiores, qui utinam, toties rogati, omnia ſic exponant, nihil ut ſuperſit ambigui.

457 XXIII. *Sacrilegium*, quod in genere eſt alicujus ſacri violatio, aliud eſt in res ſacras, aliud in perſonas, aliud in loca, aliud immediate in Deum. De his omnibus ſuo ordine dicendum.

458 *Sacrilegium in res ſacras* vel eſt quælibet extra indignam communionem *profanatio, ſeu impius uſus Euchariſtiæ, Chrimatiſve, aut alterius Olei ſancti;* vel *matrimonium abſque benedictione Sacerdotali & aliis ſolemnitatibus ad celebrationem Matrimonii præſcriptis* contractum *per verbâ de præſenti coram Parocho ſeu ejus vices gerentes, ac teſtibus:* & tunc a teſtibus ac notario Actum conficiente, ut a contrahentibus incurritur excommunicatio reſervata. Vel *furtum rei ſacræ in quovis loco, aut rei profanæ depoſitæ in loco ſacro*. Ita Pariſienſe ſtatutum quod hic e veſtigio ſequimur. De his hæc ſtatuenda:

459 1. Profanat Euchariſtiam, qui ipſa ad nefarias operationes, puta magicas, vel ad uſus medicos, ſive hominum, ſive animalium, vel ad obſignandam Epiſtolam ſacrilege abutitur. Idem eſſe videtur, ſi quis Sacramentum e pixide trahat, pedibus conculcet, canibus projiciat. Hæc enim omnia & profanationem, & atrum aliquem rei ſacratiſſimæ uſum important. Idem cum proportione dicendum de pari Chriſmatis, Oleive ſancti abuſione.

460 Profanatur etiam utcumque Euchariſtia, cum ad extinguenda incendia defertur. Idque Pariſiis ſub pœna ſuſpenſionis reſervatæ prohibitum eſt, & merito, cum fieri nequeat ut in medio flammarum tumultu ſuus Chriſto præſenti honor habeatur, & ad hujus modi finem inſtituta non ſit Euchariſtia.

461 2. Graviter etiam in res ſacras delinquunt, qui præſente, ſed tacente Parocho, ſe invicem in conjuges accipiunt. Hæc enim Gominiano more contrahendi ratio, & Sacramenti dignitatem graviter lædit, niſi ſubſtantiam perimit, & legibus ſevere prohibita eſt. Sed de his uberius ſuo loco.

462 3. Si furtum non adeo grave a Magiſtratu quandoque capitali pœna plectitur; æquum ſane eſt ut non impunis maneat rei quodammodo ſacræ deprædatio, quam Deus terribili ultus eſt exemplo. 2. Macab. 3.

463 Porro rei ſacræ nomine non ea tantum intelligitur, quæ vel conſecrata fuerit ut calix, vel benedicta ut lintea altaris, ſed quæ ad Eccleſiæ uſus deputata eſt, & iis fixa ac conſtanti ratione inſervit, etſi alioqui non ſit benedicta. Unde qui lampades, candelabra, cereos, Miſſalia & alia id genus quæ benedici non ſolent, ſubripit, cenſeri debet reſervationi obnoxius, niſi aliud declaret Superior. Quod ſi quis calicem huic vel illi Eccleſiæ deſtinatum, ſed necdum confectum, vel traditum ab aurifice, in hujus domo furetur; non videbitur is reſervationi ſubjacere: quia aliud eſt rem eſſe actu ſacram, aliud rem ad eſſe ſacrum deſtinari. Si quis vero calicem exauratum ſed reſarciendum ab artifice auferat, reſervationem incurret: quia accidens non tollit rationem rei ſacræ. Aliter dicendum, ſi calix ille aurifici datus ſit, ut eo liquato, quo vellet modo uteretur.

464 Reſervatur etiam pluribus in locis furtum rei profane in loco ſacro depoſitæ. Unde qui ſupellectilia belli tempore in ſacris locis depoſita ſubripit, ſubjacet reſervationi. Idem eſt de eo qui injectam in gazophilacium pecuniam compilat. Hæc enim quoddam eſt depoſitum in gratiam viduæ & orphani.

Sed

Sed quid precor, nomine loci ſacri intelligendum.

R. hujus definitionem a Superioribus neceſſario eſſe repetendam: quam 465
ſane aliter expedient. *Loca ſacra impræſentiarum, ſecundum antiquam Diœceſis Turonenſis Statuta, ſunt, non Cœmeteria, non Eccleſiarum port cus & veſtibula, non Monaſteriorum clauſtra, non Xenodochia, & alia loca tranſeuntibus & agentibus omnibus aperta: neque vero privata & domeſtica oratoria; ſed Eccleſiæ duntaxat, Capellæ & Sacella ab Epiſcopo benedicta in quibus ſacra peraguntur: atque in Eccleſia non ſolum adyta, ſed & veſtiarum, erarium ſacrum ſeu fabricalis arca, ſacriſtia, chorus, navis, & quidquid ſeptis templi clauditur*: ſeptis, inquam, interioribus, quæ nimirum a pavimento ad fornicem, & a limine ad extremum Sanctuarii protenduntur. Qui enim fornicem inter & tectum ſuperius cujuſpiam murſupium furaretur, a reſervatione foret immunis; ſicuti Eccleſiam non pollueret, qui ibidem fornicaretur.

Sed quæ quantitas ad reſervationem hanc neceſſaria erit. Ea ſane 466
quæ ad letale peccatum ſufficit: imo & ea quæ preciſa rei ſacræ circumſtantia non ſufficeret. Minus enim in eo caſu ſpectatur quantitas rei, quam injuria Deo illata, ſeu ſactilegium. *Tanto autem ſacrilegium eſt gravius*, ait S. Thomas, *quanto res ſacra in quam peccatur, majorem obtinet ſanctitatem*. Unde qui modicam chriſmatis portionem ſubripit, ut peccato gravi obnoxius eſt, ſic & reſervationi. Idem erit, juxta viros graves, ſi quis ex pio etiam affectu ſacras Reliquias furetur. Hic tamen, ſi exiguum quid auferatur, non parum bonæ fidei occurrere poteſt, quod & a tanto, forte etiam a toto excuſet.

Sacrilegii *in perſonas ſacras* triplex in Pariſienſi Decreto genus ſecernitur. 467
1. nempe *gravis, non atrox, percuſſio Clerici vel Religioſi, in ſacris Ordinibus conſtitui*: & huic annexa eſt excommunicatio ipſo facto, eaque reſervata. 2. *concubitus Confeſſarii cum Pœnitente, & Pœnitentis cum Confeſſario. Item Parochi cum Parochiana* & viciſſim 3. *Concubitus cum ſanctimoniali*. At primum expoſuimus ſupra n. 445. & ſeq. ſecundum v. *Inceſtus*, n. 383. porro ex ibi dictis facile intelligitur tertium.

Sacrilegium *in loca ſacra* inducunt 1. *atrox violenta ac injurioſa percuſſio in* 468
Eccleſia aut in alio loco ſacro. 2. *fornicatio, ſub qua*, ait Lex Pariſienſis, *adulterium & alia graviora cum puella aut quavis muliere crimina comprehenduntur, in Eccleſia, aut in alio loco ſacro*. 3. *exuſtio, aut cum ſpoliatione effractio Templorum, aut Ædium ſacrarum; quandiu incendiarius, aut effractor ac ſpoliator non eſt publice denuntiatus*: cum cenſura excommunicationis ipſo facto. 4. *violatio clauſuræ Regularis per ingreſſum externarum cujuſcumque ſexus perſonarum intra ſepta Monialium abſque licentia;* cum ſimilis excommunicationis cenſura. *Item egreſſus Monialium extra ſepta clauſuræ regularis; aut ſecularem utriuſque ſexus abſque licentia, aut legitima cauſa intra ſepta clauſuræ regularis admittere;* cum excommunicationis cenſura. 5. *Magia*, ſub qua *comprehenduntur maleficia, veneficia, divinationes, totiuſque artis magicæ exercitium*, cum cenſura excommunicationis. *Item magos ac divinos, non per jocum & ex levi curioſitate; ſed ſerio & adhibita iis fide conſulere*. Ex his quædam facile intelliguntur, quædam fuſiori indigent expoſitione. Itaque 469

Reſervati ſacrilegii reus eſt 1. qui atrociter, violente ac ſimul injurioſe aliquem percutit in loco ſacro. Proinde qui alium cædit, vel leviter,

ter, ut tenui ictu, vel gravius quidem, ſed non injurioſe, puta ut eum ab aliquo ſcelere certo & efficaciter retrahat, reſervationi non ſubjacet, niſi modum ac fines excedat. Ceterum quæ erga unum mediocris foret percuſſio, ut inflicta juniori ruſtico alapa, hæc erga Parochum aut Judicem atrox præſumeretur. Hic autem locus ſacer ad ipſa etiam cœmeteria extendi mihi videtur: hæc enim, niſi diſertim excludantur, nomine loci ſacri venire ſolent; unde non ſecus ac templa ipſa polluuntur.

470 2. Qui aliquod ex recenſitis ſupra criminibus in loco ſacro committit etiam cum meretrice, ſecus ſi hæreat in peccatis fornicatione minoribus: etſi hæc veri ſacrilegii rationem habent, cum in loco ſacro miſere peraguntur.

471 3. Qui exurit ædem ſacram, eamve effringit ſimul ac ſpoliat: nam utrumque conjunctim ad cenſuram requiritur. Jam monuimus ſupra, incendium poſt denuntiationem Apoſtolicæ Sedi eſſe reſervatum.

Longe gravior eſt difficultas circa violationem clauſuræ regularis, magiamque & ejus appendices.

472 Primum Caput, quod ad clauſuram ſpectat, ſatis jam expendimus Tom. III. hujus Operis, ubi de præcipuis Religioſorum obligationibus, art. 3. Unde in præſens annotare ſufficiat, 1. cenſuram de qua hic ſermo eſt, non incurri ab iis etiam mulieribus, quæ Religioſorum ædes ingrediuntur: quia de iis altum eſt in tota Lege ſilentium. 2. Eas tamen vi juris communis excommunicari, ut bene probat R P. Petitdidier e Soc. Jeſu, in Gallico ea de re Tractatu, Nancei edito an. 1742. quod jus in pluribus Galliæ Provinciis viget; ubi tamen cenſura hæc, etiam publice contracta, ab Epiſcopis ſolvi conſuevit; licet R. Pontifici ceteroqui reſervata; vide n. 475. infra. 3. Reſervationi ſubjacere, tum & adultas cujuſcumque ſexus perſonas, quæ hujuſmodi Monaſteria ingrediuntur, tum & Moniales, quæ eaſdem ſine licentia vel juſta cauſa admittunt. 4. In lege probabilius includi eas quæ intra Monaſterii Septa admittunt pueros etiam ſeptennio minores, quin & lac ſugentes, niſi excuſet ignorantia; prout ex Clemente VIII. probat & reſolvit Comitolus Lib. 6. q. 22. Utique praxim hanc velut abuſum proſcripſit Card. Noallius in Mandato dato die 27. Septemb. an. 1697.

473 Ab hac lege liberi ſunt, 1. viri ac feminæ Principes regii ſanguinis, quos ſequi ſolent, qui poſſunt: quinquam optandum ut ei incommodo mederi dignentur; 2. fundatores, ac eximii benefactores, ſi jus illud ſibi vel ſuis de conſenſu Epiſcopi reſervaverint: niſi illud vi legis in loco receptæ habeant ex natura rei. 3. qui ratione officii ſui Monaſteria hæc ingredi ſolent, quales ſunt Medici, Chirurgi, Hortulani, &c. Qui vero horum ſpeciem & habitum induunt, ut ementita forma introducantur, nec a peccato, nec a cenſura immunes ſunt. Idem eſt de iis qui ingrediendi licentiam ex falſis rationibus extorquent. Si cui vero citra juſtam cauſam permittat Superior, ut domus illa introeat, erit is ab excommunicatione liber; quia non violabit proprie clauſuram. Tunc vero & ipſe delinquere poterit, & certo delinquet Superior.

474 Sed quid ſi Monaſterium ingreſſus cum licentia, vel in eo diutius commoretur, vel alio ſe ferat, quam quo vocatus eſt: puta ſi Medicus, vel ad ſepulturam vocatus Sacerdos, totam domum inviſant, &c.

Non

Digitized by Google

Non deſunt qui in eo caſu peccari credant, & quidem graviter, ſi mora gravis ac diuturna fuerit. Alii tunc occaſionis domum abſque peccato etiam veniali per tempus aliquod decurri poſſe opinantur: quod tempus ad quadrantem limitat Sanchez apud Dianam. Priorem ſententiam ut tutiorem in praxi, fundatiorem, & ab omni periculo remotam magis commendat Sambovius Tom. 2. caſ. 74. eique adhæret Pontas V. *Monaſtere*, caſ. 7. Vetat tamen idem Sambovius, ne condemnentur qui aliam opinionem ſecuti fuerint. Neque igitur eos condamnabo: præſertim cum brevis inſpectus Refectorii, medicamentariæ officinæ, ac dormitorii nihil præter licitam & uſitatam curioſitatem involvere videatur. Aliud fuerit, ſi quis in eo pietatis ſeceſſu, malo fine ac perdiu commoretur. Sed neque tunc ſubjaceret cenſuræ; quia hæc, ut ferri ſolet, eos tangit, non qui vitioſe ſteterint in hiſce domibus, ſed qui eas ſine licentia ingreſſi fuerint.

Quæres obiter annon etiam peccent, & cenſura plectantur, tum mulieres quæ Religioſorum ædes ſubeunt; tum & qui eas libenter admittunt Religioſi. 475

R. Et introducentes & introductas graviter peccare: ac de jure communi incurrere cenſuram, quæ lata eſt a Pio V. per Bullam *Regularium perſonarum*, datam die 24. Octob. an. 1566. quæque ad feminas omnes, demptis nonnullis caſibus ibid. aſſignatis, extenditur, prout declaravit idem Pontifex die 6. Junii an. 1670. per Decretum ab his incipiens verbis: *Decet Rom. Pontificem*: ut tandem revocata priori ſua opinione agnovit Suarez Tom. 4. de Relig. Lib. 1. Cap. 7. quod totum lege. Idem decrevit Pii V. ſucceſſor Gregorius XIII. per Bullam *Ubi gratiæ*, die Junii 13. ann. 1573. Id ipſum & plus aliquid ſanxit Benedictus XIV. per conſtitutiones die 3. Januarii an. 1742. editas, quarum fragmenta exhibuimus Tom. 3. p. 102. unde certo conſtante debet vetitum eſſe jure communi ne feminæ proprio marte, aut ex Religioſorum invitatu *Monaſteriorum clauſtra ſepta, cœnacula, cubicula; aliaſque officinas* ingrediantur. Quin nec eis Chorum prope altare poſitum, aut ſacriſtiam tam intus quam extus apertam introire permittit Bonacina q. 5. de clauſura punct. 1. n. 4. Bened. XIV.

Etſi autem conſtat feminas non ſubjacere cenſuræ huic, niſi in locis ubi vel ab Epiſcopis receptæ ſunt prædictæ Conſtitutiones, vel cenſura eadem ab ipſis Decreta; dubio procul fieri poteſt ut eidem pœnæ ſubjaceant Regulares vi Pontificiarum conſtitutionum: ii præſertim qui cum ab Apoſtolica Sede immediate pendeant; ut ab ea ditantur privilegiis, ſic & ab ea leges oneroſas ſortiri debere videntur. At de his penes alios eſto judicium.

Quædam hic annotaſſe ſufficiat, 1. Canonicos Regulares, non ſecus ac Monachos & Mendicantes prædicta lege adſtringi, ut patet ex Bulla *Regularium*, 2. per eandem Bullam a Pio V. conceſſum eſſe, ut mulieres clauſtra Religioſorum ingredi poſſint, 1. cum *in eis Miſſa & divina Officia celebrantur*; 2. cum ibidem *proceſſiones fiunt*; 3. cum *Fidelium cadavera ibi ſepeliuntur, ac pro eis ſuffragia fiunt*; 4. cum *tantus eſt populi concurſus, ut commode ingredi & egredi non poſſent per principalem portam, Eccleſiæ .... dummodo recto tramite accedant ad portam qua exitur e Monaſterio. Sicque volumus, pariter & indulgemus*: Ita Pius V. Hos quidem uſus redarguit & omnino improbat Benedictus XIV. unde optandum ut aliquando deſinant. Verum ubi ab Epiſcopis tolerantur, nullus eſt cenſuræ locus. Utique con- 476

traria

traria agendi ratio grave non raro præjudicium inferret Mendicantibus, uti obſervat Petitdidier ubi ſupra pag. 32.

477 Violant active clauſuram Moniales, cum *extra ſepta* ejus prodeunt, vel ſine licentia, vel, quod in idem redit, cum licentia doloſe & mendaciter obtenta; vel cum licentia ab incompetenti Superiore conceſſa; vel demum cum licentia latius interpretata.

478 In primo ordine ſunt eæ omnes, quæ ex proprio cerebro prætergrediuntur ſpatium illud quod clauſa janua, muriſve & aliquando ſepi continetur, quodque ſecularibus ingredi prohibitum eſt. Unde quæ ad domos Monaſterio contiguas, eas etiam in quibus tantum habitant feminæ colligendis eleemoſynis, aliiſve Monaſterii obſequiis deſtinatæ, accedunt: eæ item quæ exteriorem aream, occluſis etiam foribus, ingrediuntur: eæ demum omnes, quæ ad unum vel duos pedes trans januam domus exeunt, licet ſtatim regrediantur, clauſuram violant, teſte Bonacina in Compendio V. *Moniales* nu. 14. Etſi autem cenſet idem Theologus Monialem, quæ rotam * ingreſſa ipſam convertit ad partem ſecularibus apertam, non omnino violare clauſuram, quamdiu e rota non egreditur: ſanior tamen eſt & tutior videtur opinio contraria, præſertim cum ſecularis per eandem ingreſſus rotam, clauſuram infregiſſe cenſeatur, ubi ad partem ſolis Monialibus liberam acceſſit. An autem in his caſibus a cenſura excuſet materiæ levitas non convenit inter Doctores. Ut minimum tutius fuerit Monialem in hoc caſu abſolvi ad cautelam.

* Le Tour.

Hic quidem vix aliud redargui poteſt quam levitas animi, & curioſitatis motus. Verum hæc Virginibus Deo ſacris tunc potiſſimum interdicta ſunt, cum regulas graves labefactant, & ſenſim ad graviora trahere poſſunt.

479 In ſecundo verſantur gradu, quæ morbos graves fingunt pro levibus, quæ ex venalis Medici teſtificatione Plombarias, aliaſve ejuſdem generis aquas ſibi prorſus neceſſarias eſſe clamitant; quæ agunt ut ab alia Abbatiſſa, quaſi negotiorum aut alicujus artis peritæ, ad tempus expetantur. Quæ porro tunc iiſdem indulgetur diſpenſatio, nec a culpa, nec a pœna liberat, imo nec ſæpius a gravi Sororum ſcandalo.

Sed quibus de morbis e Clauſtro exire Monialibus licitum?

480 Duos tantum aſſignat Pius V. in Conſtitutione *Decori & honeſtati*, an. 1570. edita, lepram ſcilicet & epidemiam. Utrique his in partibus ex uſu junguntur morbi alii graves; idque non in eo tantum caſu, ut Monialis valetudo Monaſterio toti neceſſaria judicatur; ſed tunc etiam cum de privato bono agitur. Quanquam privatum illud Monialis alicujus bonum in totam refunditur Communitatem, cui durum eſt & moleſtum, quod aliquando per annos plures languidam Sororem habere, nutrire, pati etiam teneatur. Adde quod ſeverior erga infirmas agendi ratio ſæpius ſcandalo ſit extraneis & domeſticis, quæ duritiei tribuunt id quod uni regularis obſervantiæ ſtudio tribuendum foret.

481 Hic tamen animadverti cupiam, 1. non eſſe permittendum e Monaſterio egreſſum, ſive iis quæ ei cuicumque ſolatio vi profeſſionis ſuæ renuntiaverint: ſicut nec Carthuſienſibus permittitur comeſtio carnis: ſive iis etiam quæ intra Monaſterium, ut extra poſſunt ſanari, aut non extra magis quam intra, 2. poſſe eam, cui ex aquarum beneficio ſanitatem

ſpon-

Google

ſpondent Medici, favorem hunc abjicere; prout nec ſine laude fecit Monialis una e familia Viſitationis; cujus conſanguinei facultatem hanc a Clemente XI. obtinuerant. Si tamen aliud videbitur Superioribus, erit obtemperandum; 3. licitum eſſe egredi e Monaſterio, tum ad amplectendum in alio ſtrictioris vitæ genus, ad quod opus eſt Epiſcopi conſenſu; tum ad alterius Monaſterii regimen, reformationemve, vel fundationem: cum id æquum judicant Superiores, &c.

Etſi autem in citata Conſtitutione Pius V. ultra morbi caſus ſolum incendii caſum inter egreſſus Monaſtici cauſas recenſet; eſt tamen in confeſſo apud omnes, iis etiam quæ clauſuram ſeveriorem voverunt, licitum eſſe egredi ob aquarum, vel hoſtium diluviem, &c. 482

In tertia male exeuntium claſſe ſunt eæ quæ ab incompetenti Superiore egrediendi licentiam obtinent: qua de re multiplex olim fuit Epiſcopos inter & Ciſtercienſes Abbates, & ipſam Fontis Ebraldi Abbatiſſam controverſia, vincentibus aliquando qui aliquando victi fuerant. At demum litem hanc compoſuit Ludovicus XV. per Declarationem die 10. Februarii an. 1742. datam, & relatam in Acta tum Majoris Conſilii, tum & Pariſienſis Senatus! Sic illa: *Faiſons très-expreſſes inhibitions à toutes les Religieuſes des Monaſteres exempts, ou non exempts, d'en ſortir .·. ſi ce n'eſt pour cauſe legitime, & jugee telle par l'Archeveque ou Eveque Diocesain, en vertu de ſa permiſſion par ecrit .·. Les diſpoſitions de notre preſente Ordonnance ſeront execu'ees .·. a l'egard de tous les Ordres Monaſtiques, ou Congregations Regulieres, meme de l'Ordre de Fontevrault, de S. Jean de Jeruſalem, & autres.* 483

Eſt tamen e communi bono, & debita rerum ordinatione, ut Monialis nulla ad Epiſcopum, niſi conſultis antea Superioribus ſuis recurrat: & id diſertim præcipit Pius V. cit. Conſt. *Decori*. Quod ſi diſſentiant inferior & ſuperiores, rem totam ad Epiſcopum deferri, æqua lance ponderari, amice componi oportebit. 484

Sed quid de quarta claſſe, illarum videlicet, quæ exeundi facultatem ſibi conceſſam latius interpretatæ, vel ultra præſcriptum tempus extra Conventum morantur; vel ut amicam inviſant, a rectiori tramite deflectunt? 485

R. in his duo ſpectanda eſſe, quæ multum ab indole Superioris, & Inſtituti natura pendent, 1. an lex ſevere adeo indicta fuerit, ut ad ſtrictos juris apices eſſet urgenda; 2. an gravis fuerit mora, graviſve a via deflexio. Si ſic: in utroque caſu graviter peccatum eſt: nec tamen, ut opinor, contracta cenſura, quæ tardiores ad redeundum non ferit, ſed exeuntes ſine licentia. Si ſecus, nihil peccatum fuit, quia ubi non agitur tyrannice, parum pro nihilo reputatur. At cave ne *parum* iſtud longius protendas, ut facere videtur Bonacina, juxta quem *aliquantulum* duntaxat *deflectit*, quæ 20. *aut* 25. *milliaribus deflectit, ut conſanguineos inviſat, aut piam aliquam ob cauſam.* Fatendum tamen milliaria decem pluris æſtimari in breviori itinere, quam in perlongo.

Jam de magia & aliis ſacrilegii ſpeciebus diſſerendum. Eæ autem in Pariſienſi Mandato ſunt *maleficia*, *veneficia*, *divinationes*, divinorum ſeria interrogatio, &c.

Magia prout in præſenti accipitur, eſt ratio mirabilia quædam operandi 486

ope dæmonis expreſſe vel implicite invocati, ſeu per ſigna ab eo inſtituta, & cum ejus invocatione ſaltem tacita. Si magia ad noxium quid referatur, vocabitur maleficium aut veneficium: ſi ad curioſitatem, divinatio.

487 *Maleficium* eſt operatio ſuperſtitioſa, qua quis nocet alteri in ſe vel in ſuis. Seu eſt invocatio ſaltem implicita dæmonis ad mali noxiique operis perpetrationem.

488 *Divinatio* eſt inquiſitio cognitionis ſoli Deo debitæ, ſcilicet rerum quę naturaliter hominibus ignotæ eſſe debent, quales ſunt, vel contingenter futuræ, vel præſentes quidem, ſed quæ in alterius animo vel aliter latent. De his, & aliis ſuperſtitionis ſpeciebus relege quæ dixi Tom. 1. ubi de Religione, p. 3. Cap. 2. Jam quoad hujuſce caſus reſervationem.

Quæres an ad eam incurrendam requiratur, vel ut dæmon expreſſe invocatus fuerit, vel ut magus effectum intentum obtinuerit.

489 R. ad 1. negat. niſi lex formalem & explicitam dæmonis invocationem requirat. Ratio eſt quia magicæ operationes ut ſic reſervatæ ſunt. Stat autem operationem vere eſſe magicam, tametſi dæmon explicite non invocetur; imo etſi operans cuicumque cum dæmonibus pacto abrenuntiet: quia ſtatim ut ſciens & volens ponit opus, quod nec ex natura rei, nec ex Eccleſiæ vel Dei inſtitutione ullam habet cum effectu proportionem, neceſſum eſt ut eumdem effectum a dæmonis auxilio expectet. Unde renuntiatio ejus, utpote facto contraria, mera eſt illuſio.

490 R. ad 2. varias eſſe eode caſu Theologorum opiniones, ac Diœceſeon diſciplinas. Unde vel conſulenda ſunt locorum Statuta, vel interrogandi Superiores. Nobis multo videretur potior ipſius etiam magici conatus reſervatio; tum quia is per ſe crimen eſt grave ſatis ut reſervetur. Tum quia opere pretium eſt, ut, quantum fieri poteſt, omnis ad dæmonem recurſus prohibeatur; ad quod ipſa etiam tentamina prohiberi receſſum eſt. Tum denique quia ſæpius incertum eſt an is vel ille effectus, puta mors animalium, filii ſanitas & ſimilia, dæmoni vel naturæ adſcribi debeat.

491 Quæres iterum an qui Bohemis manum exhibent, ſpecula per noctem pulvinari ſupponunt, &c. ut futuros vitæ ſuæ caſus ediſcant, obnoxii ſint reſervationi.

R. hanc eſſe hujus Diœceſis praxim, ut qui *Magos ac Divinos, aut eos qui Divinos ſeu Magos agunt, ſerio & adhibita eis fide, non autem ex joco, ex levi curioſitate, aut per ignorantiam* conſulunt, reſervationi, non autem cenſuræ ſubjaceant. Idem eſt de divinantibus, niſi quod iis lex cenſuram minatur. Ex his autem petenda eſt propoſiti caſus reſolutio.

492 Unum hic caute quin & cautiſſime ponderari deprecor, nempe ut iis qui ſe magos, & ut ajunt, ſortiarios, & qua tales ſabbatho interfuiſſe confitentur, vix unquam ulla habeatur fides; ſed in primis ſanetur cerebrum. Hæc enim ut plurimum vacui ac deliri capitis ſomnia ſunt & figmenta, quibus ſi ſemel crediderit Paſtor, germinabit in Parochia ejus numeroſa ſagarum phalanx; ita ut unaquæque mulier id eſſe ſe putet, quod aliam eſſe audierit. Neque tamen contra Scripturæ, Traditionis ac experientiæ fidem, cum prætenſis hujus ſeculi geniis, aniles inter fabulas recenſuerim quidquid de maleficis ſpargitur. Quode videris Brigenſium Pecuariorum litem apud R. P. le Brun e Congregatione Oratorii Tom. 4. Hiſtoriæ ſuperſtitionum, pag 451. & ſeq. ſed & vide opus inſcriptum:

Recueil

Recueil de Lettres au ſujet des malefices, par le ſieur Boiſſier, Pariſiis apud Oſinont, an. 1731.

XXIV. *Simonia realis in Ordinibus, aut Beneficiis. Item confidentia.* Utraque ſi occulta ſit, ſolis reſervatur Epiſcopis; ſi autem publica, Apoſtolicæ Sedi. Utriuſque definitiones fuſe exhibuimus Tom. 1. hujus Operis in ſpeciali ea de re Tractatu, quem adi, ſi lubet. 493

Hic quædam annotanda, 1. nullam in Lege mox recenſita fieri mentionem de ſimonia in ingreſſu Religionis. Nec profecto ubique viget quæ contra eam a Rom. Pontificibus lata eſt excommunicatio, prout de Diœceſi ſua obſervat Collator Andegav. Tom. 2. pag. 54. 494

2. Simoniam vel mentalem, vel pure conventionalem, vel ſemirealem, ſeu ex una tantum parte, nondum autem ex altera completam, prædictæ reſervationi non eſſe obnoxiam: quia lex ſimoniam realem exigit. Non eſt autem realis niſi quæ utrimque completa eſt, nimirum traditione Beneficii, & refuſione vel tota vel inchoata pretii. Quæ fuſe a nobis ſunt expoſita in cit. Tract. de ſimonia, & a Clariſs. Auctore mox adducto approbantur. 495

3. Ad ſimoniam realem non requiri munus *a manu* ſtricte ſumptum pro pecunia vel merce: ſed ſufficere munus *ab obſequio*: ut ſi Dominus quipiam ſpondeat Beneficium præceptori, ea conditione, ut filium gratis edoceat atque informet. 496

4. Fieri poſſe ut munus *a lingua* materiam conſtituat realis ſimoniæ; puta ſi cuipiam Beneficium ea lege polliceatis, ut te tuoſque commendet Principi, facta tua celebret, &c. Ut minimum in hoc caſu exploranda erit intentio Superioris. 497

5. Dubium eſſe apud Theologos, an qui chirographum obligatorium, nihil autem ſummæ in eo contentæ tradit, ſimoniam compleviſſe cenceatur; rem proinde totam Epiſcopo aperiendam eſſe; præſertim cum Antiſtes quidam ea de re conſultus in affirmativam partem propenderit. 498

6. Simoniæ pœnas non in ea tantum contrahi, quæ divino juri, ſed & in ea quæ Legi Eccleſiaſticæ adverſatur. Ita vulgo Theologi, a quibus, niſi id moneant, recedere non ſolent caſuum reſervatores. 499

7. Immunes eſſe a pœna eos qui cum bona & inculpata fide ſimoniam exercent: quod in ſecularibus multo facilius contingit, quam in Clericis: tametſi & in his quoque occurrere poteſt; cum omnium Theologiæ partium ſcientiam ab initio aſſequi non poſſint: Beati ſi temporum lapſu competentem aſſequantur. 500

De his quæ longum eſſet proſequi, necnon & de confidentia, vide quæ dixi tum cit. loco, tum & fuſe ſatis in Gallico Tract. de diſpenſat.

XXV. *Sodomia*, & quæ ipſa gravius eſt crimen *Beſtialitas*, reſervationi etiam ſubjacent. Id autem & prudentiſſime habet Lex Pariſienſis, quod ea pœna plectat ſodomiticum crimen, *non modo conſummatum, ſed & actu ad id per ſe ducente tentatum*. Sapientiſſime, inquam, quia ſi completum crimen reſervetur, vix quidquam in immani illa materie reſervatur; cum fere nunquam perfici valeat. Hæc ratio ut plurimum in Beſtialitate deficit: optarim tamen ut par foret utriuſque quantum ad hanc partem conditio. 501

Una hic exurgit difficultas, an nimirum reſervationi obnoxia ſit, non ea tantum ſodomiæ ſpecies, quæ *perfecta* dicitur, quæque eſt congreſſus 502

maris cum mare, vel feminæ cum femina: annon ea etiam quę dicitur *imperfecta*, quęque eſt congreſsus viri cum femina, ſed extra vas naturale. Placeret pars affirmans ob hujus etiam ſceleris atrocitatem: quia tamen aliter vulgo ſentiunt Theologi, quorum aliquot adduximus To. 3. pag. 501. & quibus hic, jure quidem, accedit Collator Andegavenſis, mitiori huic ſententię adhęrendum eſt in praxi, donec aliud ſe intendiſſe ſignificent Epiſcopi.

503 Circa utrumque hoc crimen quędam prędicto loco annotavi, quę a Confeſsariis revolvenda erunt. Neque illud omittendum, ſodomiam imperfectam, quę cum propria uxore committitur, gravius eſse peccatum, quam ſi committatur cum ſoluta; quia non modo totam criminis hujus malitiam habet, ſed & Matrimonii ſanctitatem, ac connubialis thori munditiam inſigniter offendit. Quapropter exprimendum in ſacro tribunali num ſcelus illud cum propria uxore commiſſum ſit: item an cum ea renitente, vel conſentiente. De his adi Sanchez lib. 9. de Matrim. diſp. 18.

Stuprum, vide infra V. *Violatio virginis*.

504 XXVI. *Teſtamenti ſuppreſſio*. Caſum hunc adjecta etiam excommunicationis ipſo facto cenſura reſervarunt Epiſcopi plures. Nec mirum, cum crimen illud quo perimitur ſuprema hominum voluntas, & morte plecterent Romani, & anathemare percuſſerint Concilia, ut Sanronenſe an. 1282. Rothomagenſe an. 1311. Cap. 31. Circa hunc caſum nonnulla expendi juvat.

505 Quæres itaque 1. an reſervationi ſubjaceat, qui Teſtamentum exhibet intra tempus a lege præſcriptum, octiduum videlicet: ſed Codicillum ſupprimit.

R. affirm. quia Codicillus, ut pote extremas defuncti voluntates continens, quædam eſt ſpecies Teſtamenti. Unde Concilium Turonenſe an.
Tom. 15. Conc. 15. 1043. 1583. Tit. 18. *Eos qui legata pia defunctorum aut negant, aut ſolvere recuſant, illorumve Teſtamenta ſeu Codicillos celant ∴ ex Concilio Agathenſi excommunicationi ſubjacere decernimus*.

506 Quæres 2. an qui Teſtamentum non ſupprimit prorſus, ſed ad tempus celat, eidem obnoxius ſit pœnæ.

R. id pendere tum ex modo Legis adverſus ejuſmodi ſuppreſſores latæ; tum ex diuturnitate temporis per quod reconditur Teſtamentum; tum & ex motivis quæ ad hanc agendi rationem determinant. Optime ſibi in his caſibus conſulit, qui cum hic & nunc Teſtamentum exequi non valeat, recurrit ad Superiorem, eique actionis ſuæ cauſas candide & ſubmiſſe aperit, & ſapientibus ejus monitis obſequitur. Ceterum ubi non prohiberetur ſimplex Teſtamenti celatio, ſeu occultatio, prout Andegavi prohibetur, qui Teſtamentum, utique cum gravi hæredum ac pauperum diſpendio, ad longum tempus occultaret, non poſſet a pœna immunis cenſeri. Sane qui non facit, cum debet & poteſt, omiſiſſe judicatur.

507 Quæres 3. an qui Teſtamentum celat, ſed illud ad amuſſim exequitur, prædictæ Legis pœnam incurrat.

R. in hac agendi ratione eſſe aliquid quod a culpa, quandoque etiam gravi excuſari vix poſſit. Et vero quid ſibi vult Teſtator, dum de bonis ſuis cauſa mortis diſponit? Hæc profecto; 1. ut benevolum ejus animum, ſæpe etiam miſericordem, & ab omni ſimultatis ſenſu alienum agnoſcant conſangui-

ſanguinei ejus; 2. ut in amicorum memoria vivat; 3. ut eorum ac pauperum ſuffragiis juvetur. Porro nec primum nec ſecundum habet, dum alius, non ipſe, donator videtur. Tertium vero non eodem modo habet, ut rem attendenti patebit. Quia tamen primaria ejus intentio adimpletur, haud ægre credam prædictum. Teſtamenti executorem non ſubjacere reſervationi; quod & docet Collator Andeg. pag. 488.

Quæres 4. quid juris de eo qui Teſtamentum de ſe invalidum ſupprimit.

R. 1. generatim cavendum ne hæredes, aut alii quorum intereſt, ſibi 508 aſſumant judicium de Teſtamenti invaliditate: quam enim ceteri purioribus oculis non detegerent, hanc illi primo intuitu haberent indubiam.

R. 2. Teſtamentum, ſi nullum ſit, vel quia revocatum eſt, vel quia 509 licet olographum, propria Teſtatoris ſubſcriptione caret; vel quia nihil aliud eſt quam informata animo Teſtamenti futuri ſpecies; vel quia ab iis receptum ſit aut conditum, quibus id a Lege vetitum eſt; poſſe tunc ſupprimi, ut rem quæ evidenter nullius ſit valoris. Quanquam malim omnia palam exponi; cum inde nihil immineat periculi hæredibus, & nonnihil juvetur memoria defuncti, qui honeſta multa intendiſſe videbitur, quæ fato præventus perficere non potuit.

Tituli Clericalis ſuppoſitio, vide ſupra V. *Ordinum ſuſceptio illegitima*, num. 424.

Violatio clauſuræ Regularis, vide ſupra V. *Sacrilegium* n.472.

XXVII. *Violatio jejunii vel etiam abſtinentiæ ab Eccleſia imperatæ.* Caſum 510 hunc in dies frequentiorem Epiſcopi plures ſibi reſervarunt; alii non reſervandum duxere, ne linum fumigans extinguerent.

Reſervationi ſubjacent qui jejunium vel abſtinentiam per mortale peccatum infringunt. Qui autem in eo verſentur caſu, faciliime intelligi poteſt ex iis quæ dixi tum in primo hujus Operis Volumine, ubi de temperantia; tum & in ſexto, ubi actum eſt de ſecundo & tertio Eccleſiæ præcepto. 511

Unum hic repetere ſufficiat, nimirum quaſdam eſſe volucres de quibus 512 eruditos inter controvertitur, an intacto abſtinentiæ præcepto comedi poſſint. Permittuntur paſſim ranæ, cancri, lutræ *loutres*, fulicæ, *macreuſes*, *pilets*, locuſtæ, cochleæ ſeu limaces, teſtudines etiam terrenæ. Alibi gallinæ aquaticæ, anates marini, &c. quæ aliis in Diœceſibus ſevere prohibentur. Circa hæc videndum eſt quæ ſit in unoquoque loco piorum conſuetudo, ab Epiſcopis non improbata. Sane in his, quæ unus admittit, alter rejiciet *. Unde nullus erit ſcrupulorum finis, niſi teneatur locorum conſuetudo utcumque approbata; quia conſuetudo vere mala nunquam approbabitur.

Quæres an ii quibus juſta de cauſa permittitur quadrageſimali aut alio 513 ſimili tempore carnium eſus, a jejunii lege ſolvantur, ſi quamvis piſces & alia hujuſmodi comedere nequeant, poſſint tamen jejunare.

* Hæc ſcribit R. P. Berthelet in ſuo de abſtinentia Tractatu pag. 264. „ En 1708. les „ Chartreux firent conſulter la faculté de Médicine de Paris, pour ſcavoir ſi les pilets „ ou les blairus étoient chair on poiſſon ∴ il fut décidé par la faculté aſſemblée à ce „ ſujet le 14. Décembre, que les oiſeaux en queſtion ne pouvoient paſſer pour poiſſon „. Num idcirco vel pios Regulares, qui hujuſmodi aves mihi appoſuere, damnabo; vel ab iis mihi credam abſtinendum, in iis ſaltem locis, ubi de expreſſa Epiſcoporum licentia comeduntur; prout refert nec improbat pius Coll. Andeg. Auctor, Tom. 3. pag. 121.

Gravis ea de re in variis Lombardiæ partibus circa an. 1736. exarſit controverſia, quæ plures utrinque libros peperit. At litem hanc diremit Benedictus XIV. tum Epiſtola ad omnes Catholicos Epiſcopos data an. 1741. tum variis quas ad particulares Epiſcopos ſcripſit Litteris an. 1742. & 1744. ubi hæc ſtatuit, 1. *Concedentes facultatem veſcendi carnibus tempore vetito ſub gravi teneri, eaſdem facultates non aliter dare, quam geminis hiſce conditionibus, videlicet unius in die comeſtionis, & non permiſcendarum epularum*, ſeu non utendi carne & piſcibus; 2. *non licere* iis quibus conceſſum eſt veſci carnibus, in veſpertina refectiuncula, ea quantitate carnis veſci, quæ quantum ad alios cibos jejunantibus permittitur; ſed iis utendum eſſe *eo cibo, eaque potione, quibus utuntur homines rectæ ac meticuloſæ conſcientiæ;* 3. & iis ſervandam eſſe horam aliis præſcriptam; 4. piſces non interdici iis, *quibus datur tantum facultas adhibendi ova & lacticinia:* iis vero interdici quibus carne veſci conceſſum eſt; 5. præceptum illud non miſcendi utrumque epularum genus, dies quoque Dominicos Quadrageſimæ complecti; 6. denique duo hæc præcepta, unius videlicet refectionis, & non miſcendarum epularum, in diebus jejunii *urgere extra Quadrageſimam*.

514 Ex his colliges eum, cui conceſſum eſt veſci carnibus, & cui aliunde veſpertina cœnula ſatis eſſe poteſt, fracti jejunii reum, proinde reſervationi ubicumque viget, obnoxium eſſe. An idem dicendum ſit de eo qui epulas miſcet, incertum mihi eſt; præſertim cum plus ex quadam mollitie peccet, quam ex exceſſu in cibo. Imo ſi quis e gravi morbo convaleſcens, peneque impatiens cibi, parum quid carnis & piſcis manducet, quod palatum nonnihil acuat, neutiquam is tenui meo judicio reus erit. Hæc tamen ſuis ſunt limitibus arctanda; ſicque emollienda Sylvii deciſio, quam amplexus ſum Tom. 1. ubi de temperantia art. 2. Sect. 3. in fine.

515 Quæres rurſus an omnis abſtinentiæ violatio reſervationem, ſicubi lata eſt, inducat.

R. negat. debet enim violatio hæc ad mortale, atque ideo ad certam quantitatem aſſurgere. Quæ vero quantitas notabilis æſtimanda ſit, ex iis utcumque colligitur quæ dixi Tom. 1. ubi abſtinentia, pag. nunc 216.

Venatio a Clericis exercita. Vide infra n. 528.

Veſtis talaris omiſſio in celebratione Miſſæ. Vide ſupra n. 417.

516 XXVIII. *Violatio feminæ cujuslibet*, præcipue autem *ſtuprum*, ſeu *defloratio virginis*. Utraque hujus criminis pars certis in Diœceſibus reſervatur: poſterior tantum in quibuſdam.

Circa primam partem hæc moventur dubia, 1. an in ſenſu legis vim inferat, qui fraudem & dolo feminæ conſenſum extorquet; 2. an feminæ vocabulo in præſenti veniat etiam meretrix, vel concubina, vel ipſa uxor; 3. an cui vis primum inferri cœpit, ſed quæ demum precibus ac blanditiis victa eſt, violenter oppreſſa cenſeatur; 4. an idem de ea dicendum ſit, in quam facto impetu irruitur, ſed quæ non reſiſtit, aut minus renititur, quam poterat; 5. an ſufficiat crimen attentatum, an vero requiratur conſummatum; 6. an violentiæ complices eidem ſubjaceant pœnæ, cui ipſe criminis conſummator; 7. quæ per ſacros Canones hujuſmodi oppreſſoribus conſtituta ſit pœnitentia.

517 R. ad 1. negat. niſi aliud expreſſum ſit a Superiore: tum quia fraus & dolus

Digitized by Google

dolus a vi proprie dicta longe differunt; tum quia pene ſemper ambigi poteſt, an quæ ſe Matrimonii promiſſione deceptam eſſe clamitat, non ante propriæ libidinis æſtu decepta fuerit. Quandoque tamen reſervatur ea etiam virginis defloratio, quæ fit *vi aut dolo ſub prætextu Matrimonii*. Unde quo tempore ſcribebat Capeavillæus, reſervatum erat Leodii ſtuprum, *quo virgo precibus importunis, promiſſis magnis, donis & aliis exquiſitis & compoſitis modis allecta, defloratur & corrumpitur*.

R. ad 2. verba hæc *feminæ* cujuslibet & meretricem & concubinam, quę dubio procul feminarum nomine veniunt, complecti: non vero uxorem, quicum, dum etiam reſiſtit, maritus ob ſua in eam jura, nec fornicari proprie, nec adulterium committere poteſt. 518

R. ad 3. ſubjacere reſervationi eum etiam, qui injecto mortis, verberum aut infamiæ metu exteriorem elicit conſenſum, quem alioqui non obtinuiſſet. Et is enim vere cogit ad ſcelus, & mulieris uſum violentiæ debet. Atque id verum puto, tametſi minas inter & coitum aliquod tempus effluxerit: modo is harum effectus merito judicetur; quod ex circumſtantiis haud ægre definiri poteſt. 519

R. ad 4. vim proprie non inferri volenti: eſſe porro volentem, quæ, cum poteſt, nihil aut parum, ac ſpecietenus reſiſtit. Aliud eſt ſi ſerio reluctetur mulier, licet non omni quo poſſet modo. 520

R. ad 5. paſſim requiri crimen plane conſummatum: atque utinam, ſi fieri poteſt, impediant Epiſcopi, ne per novum ſcelus eludatur reſervatio. 521

R. ad 6. optandum profecto ut tetri adeo criminis complices, eidem ſubjaceant pœnæ, cui auctores ipſi. At in pœnalibus *ſolvo* vel ipſos *mandantes*, ubi lege vel fixo uſu non comprehenduntur. 422

R. ad 7. cum oppreſſio majus ſit crimen quam fornicatio ſimplex, pari *ad minimum* pœna plecti debet. Porro *præfinitum* erat *in quatuor annis fornicatoribus ſupplicium. Oportet eos anno primo a precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ. Secundo ad auditionem admitti, tertio admitti ad pœnitentiam. Quarto ad congregationem cum populo, abſtinentes ab oblatione*. Ita S. Baſilius Ep. ad Amphiloch. Can. 22. Tom. 2. Conc. p. 1747. 523

Quæ de mulieris oppreſſione violenta diximus, a fortiori de violenta virginis defloratione, quæ ut oſtenſum eſt Tom. 6. hujus Operis, ſpeciale eſt crimen, intelligenda ſunt. Unde hæc ſæpius & ſola reſervari conſuevit. Hinc autem reſervationem incurrunt, non quidem ille cui paupercula ſui copiam fecit, ſperans ab eo dotem. Sed nec ille, qui ſciens ſe a puella diligi, eam, poſt exhibita amoris indicia, cognovit. Sed nec is, cujus conſpectui ſe multoties obtulit virgo, quemque de amoris ſui æſtu per epiſtolas, lenaſve certiorem fecit: etſi hæc deinceps nonniſi grandibus promiſſis ceſſerit, quia, inquit Capeavillæus part. 2. Cap. 11 p. 338. *nullo pacto cenſeri poteſt virginem ab eo per preces importunas vim pati, quem prius in ſui amorem precibus*, aut alia ratione *pellexit*. Sed neque is demum, qui longa ſollicitatione ad coitum allexit, eam quæ virgo reputabatur, ſed non erat. Bene vero, qui gravibus minis, aut, ſi ita lex ferat, Matrimonii promiſſione, honeſtam virginem, quæ frequentius reſtiterat, allexit ad crimen, etiamſi hæc mediocris eſſet fortunæ, modo honeſta foret, bene educata, & alias nunquam crimini conſenſura. Item & qui ſponſam de futuro ad crimen induxit, comminatus ſe ceteroqui aliam 524

eſſe ductorum. Et hæc quidem, ut patet, in his ſolum locis vigent, ubi ad reſervationem ſufficit violentia interpretativa. Mihi quidem propter ambages quæ hic ſcaturiunt, ſatius videbitur eam ſolum vim reſervare, quæ in exteriori niſu & oppreſſione poſita fuerit.

525 XXIX. *Violatio Statutorum Eccleſiaſticorum* in certa materia, eorum videlicet quibus interdicuntur, 1. ludi aleæ, 2. certa venationis ſpecies, 3. frequentatio popinæ, & locorum hujus generis, 4. omiſſio veſtis talaris in celebranda Miſſa. De hac paucis, ſed ſatis dixi v. *Miſſæ celebratio indebita*. Cetera hic obiter proſequi juvat.

526 Circa primum, conſtat ludos aleæ merito Clericis prohiberi. Etſi enim de ſe liciti ſint, ut dixi Tom. 1. p. 2. Cap. 10. *de contractibus*, nemini dubium eſſe poteſt quominus in iis multipliciter peccetur, prout & oſtendi Tom. 3. pag. 14. & ſeq. Atque hinc olim nec ſemel ipſis etiam ſecularibus interdicti fuere.

527 Unum hic inquiri poteſt, num ſcilicet ubi alea ſubjacet reſervationi, hanc ſemper incurrat, qui alea ludit.

R. ab ea excuſare, quidquid a mortali excuſat. Excuſare autem videntur & tenuitas ſummæ huic ludo expoſitæ, & brevitas temporis in eundem impenſi. An qui uno taxillorum jactu aureos decem exponeret, fieret reſervationi obnoxius, definire non auſim. De hac materia, ut de ceteris pleriſque utiliter legetur Tractatus de Diœceſana Synodo SS. DD. N. Benedicti Papæ XIV. Lib. 7. Cap. 61. ubi vel ipſo ſchaccorum luſu Clericis, niſi privatim fiat, interdicit.

528 Circa ſecundum Caput, venationis ſcilicet, eod. Tom. 3. oſtendimus eam Clericis non uno titulo prohibitam eſſe. Unde & conſtat, velint nolint Clerici venatores, eam ſub pęna ſuſpenſionis ab Antiſtitibus interdici poſſe: cum res innumeris Canonibus vetita, ratione ſcandali ac frequentiæ, hac vel majori pęna plecti poſſit. An autem venatio omnis, non ea tantum quę clamoſa eſt, Clericis, præſertim ſacris vel Beneficiatis, prohibita ſit, non convenit inter Theologos. In ſeveriorem partem non parum propendet Benedictus XIV. ib. n. 8. Etſi hanc communem minus, minuſque apud Doctores receptam fatetur. Ut eſt, qui venditioni quietæ indulget, immunis eſt a reſervatione, niſi hæc generatim & illimitate feratur: quod ab Epiſcopis rariſſime faciendum opinor.

529 Circa poſtremum Caput de popinarum frequentatione nulla ſeria moveri poteſt difficultas, uti patebit relegenti paucula quæ ea de re ſcripſimus cit. Tom. 3. pag. 18. Hæc admonuiſſe ſufficiat, 1. cauponæ nomen hic proprie ſumi, nimirum pro loco ubi omnibus apponitur menſa ad bibendum; ſive hæc in ipſa domo, ſive in hortis contiguis a domo pendentibus apponatur; 2. haud proinde intelligi Caffea, aliave id genus loca, niſi ea lex exprimat; 3. nec intelligi ædes ſupellectibus inſtructas *, ubi vel ſibi quiſque dapes parat, vel eæ a communi coquo parantur domus incolis, eorumve amicis, non quibuſcumque convenientibus. 4. inopibus Clericis qui aliter victitare non poſſunt, permitti ut in taberna reficiantur. 5. & id ſapienter certis in locis permitti, ut qui vel a caupone, dum modo viro frugi, & raro invitante, ad dapes vocantur, cum ipſo in loco privato comedere poſſint. Idem eſt ſi ſemel & iterum a viro ſpectato illuc tranſeunte invitentur. Quod ſi hoc lex expreſſe non permittat, nihil faciendum inconſulto Superiore.

* *Hotel garni.*

Circa

Digitized by Google

Circa Epiſcopalem caſuum reſervationem hæc notanda cum Benedicto XIV. in Tract. de Synodo Diœceſ. 1. poſſe Epiſcopum *ſemper & quandocumque voluerit*, ubi conceſſa ſibi a Deo caſuum reſervandorum poteſtate. 530

2. *multis tamen nominibus decere, ut* poteſtatem *illam potius in Synodo, quam extra Synodum exerceat*. 1. quia *cautius ſe geret*, dum *probos atque longa experientia edoctos Sacerdotes in conſilium* adhibebit, *quos profecto nuſquam melius & commodius, quam in Synodo habere poteſt*. Quanquam & tunc *curandum eſt, ut conſilium illud maxima circumſpectione & cautela petatur; atque præſtetur, ne arctiſſimum ſacramentalis confeſſionis ſigillum ulla ex parte videatur violari*. 2. quia alioqui conquerentur *Parochi ſuam ordinariam poteſtatem, ipſis prorſus inſciis* nimium *coarctari*. *Quamvis enim Epiſcopus poſſit juriſdictionem abſolvendi, quam aliis Sacerdotibus delegat, omnino pro libito limitare, & ad pauciſſimas cauſas reſtringere, tanta tamen poteſtate non potitur quoad Parochos, quorum juriſdictio, etſi Epiſcopo ſubjaceat, non eſt tamen delegata; ſed ordinaria; nec poteſt ſine legitima cauſa, aut prorſus auferri, aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat. Omnis autem querelarum occaſio præciditur, cum reſervatio fit in Synodo, ubi ſi ea plus æquo aucta & extenſa videatur, ſtatim poſſunt Parochi reclamare, &* diſſenſus ſui *cauſas Epiſcopo exponere*.·. *quibus auditis aut Epiſcopus ſententiam mutabit, aut alias urgentiores rationes adducet, propter quas peccata illa reſervanda exiſtimat, quibus Parochi acquieſcent*. 531

Subdit idem Pontifex reſervationem in Synodo factam induere naturam Legis, quæ proinde perpetua eſt, & quandiu non revocatur, perſeverat, cum e contra dubium ſit apud Theologos an extra Synodum facta reſervatio poſt Epiſcopi mortem perſeveret: aliis negantibus cum Gavanto in Manuali Epiſcoporum v. *caſus reſervati* n. 16. Zerola, & Caballutio Lib. 1. Theor. & praxis, Cap. 14. aliis affirmantibus cum Capeavillæo part. 1. Cap. 5. in fine. Verum in Galliis ubique receptum eſt, ut reſervationes per modum Statuti generalis, ſeu in Synodo, ſeu extra Synodum factæ, quales eæ etiam ſunt, quæ tranſmiſſo quoquoverſum caſuum reſervatorum Indice exprimuntur, poſt Epiſcopi ceſſum vel deceſſum perdurent. Sane, ut obſervat Gibert in prædictum Caballutii locum, *poſtremum de caſibus in Diœceſi Pariſienſi reſervatis Mandatum, non coacta Synodo factum & publicatum eſt*, & tamen poſt Card. Noallii mortem ſemper viguit, idque conſtanti uſu in aliis Diœceſibus obſervatur. 532

Quod ſi præter morem, caſus aliqui reſervarentur *ab homine*, ſeu per prohibitionem privatam, deſineret reſervatio hæc per ceſſum vel deceſſum Epiſcopi, quia *Mandatum* hujuſmodi ſolvitur *morte* mandantis, leg. 26. *ff. Mandati vel contra*. An autem vacet Sedes, cum Epiſcopi loco ſuo cedentis Succeſſor *præconizatus* eſt a Cardinali Patrono, an ſolum a die *propoſitionis*; quæſtio fuit an. 1722. graviter agitata. Priorem partem tuitus eſt D. Le Mere Cleri Gallicani Cauſidicus; atque ejus opinio in Acta Cleri ejuſdem relata eſt Tom. 2. Tit. 3. p. 386. At re in arbitratu poſita, poſteriori parti adhæſerunt Epiſcopi Meldenſis & Ebroicenſis; quibus præiverat Rom. Pontifex. Huic autem, ſi cuipiam, compertum eſse debet quo tempore Epiſcopi cedentis dimiſſionem acceptet. Unde reſervatio *ab homine* Diœceſim ſuam dimittente facta tunc ſolum expirat, cum ſucceſſor ejus propoſitus eſt. 533

SECTIO QUINTA.

De caſibus apud Regulares reſervari conſuetis.

534 SEMPER & enixe cavit Apoſtolica Sedes, ut pauci, iique atrociores, aut ad *Chriſtianam diſciplinam retinendam* magis neceſſarii caſus ab Epiſcopis reſervarentur, prout late probat Benedictus XIV. in Opere pluries citato Lib. 5. Cap. 5. n. 4. Idem nec immerito conſtitutum fuit quoad Regulares, quorum aliqui proterve dominantes in Clero ſuo, obvia quæque & reſervationi & anathemati ſubjiciebant Ut ei tantæ tyrannidi præcluderetur aditus, ſanxit Clemens VIII. die 26. Maii 1593. ne plures quam undecim caſus in Religione reſervari poſſent, niſi *generalis Capituli* pro *toto Ordine*, *aut Provincialis* pro *Provincia*, *matura deciſione & conſenſu*. Neque tamen eos adſtrinxit ad ſanciendam horum omnium undecim reſervationem. Sunt ii porro.

535 1. Veneficia, incantationes, ſortilegia.

2. Apoſtaſia a Religione, ſive habitu dimiſſo; ſive retento, quando eo pervenit ut extra ſepta Monaſterii ſeu Conventus fiat egreſſio.

3. Nocturna ac furtiva e Monaſterio ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

5. Juramentum falſum in judicio regulari ſeu legitimo.

6. Procuratio, auxilium ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.

7. Falſificatio manus ſigilli Officialium Monaſterii aut Conventus.

8. furtum de rebus Monaſterii ſeu Conventus in ea quantitate quæ ſit peccatum mortale.

9. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

10. Occiſio aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ.

11. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores.

Circa hos caſus, qui omnes, teſtibus Bonagratia, v. *Caſus reſervatus* n. 76. & Henno pag. 275. in Religione Seraphica ſunt reſervati, non pauca exurgunt dubia, de quibus vix alii ſecure conſuli poſſint, quam pii & eruditi Monaſteriorum Prælati, aut qui probatius de iiſdem ſcripſere.

Hos inter eminet Suarez Tom. 4. de Religione Lib. 2. Cap. 18 n. 4. & ſeq. hæc ille docet circa prædictos caſus, quæ paucis contraham.

536 Circa 1. idem & nihil ultra Regularibus prohibetur, quam quod paſſim ceteris Fidelibus ſub reſervatione vetitum eſt.

537 Circa 2. ea ſolum apoſtaſia reſervatur, quæ opere conſummata eſt eo modo quem indicat Pontifex. Unde qui habitum ſæcularem induit, ut exiret, de facto autem non exivit, ſeu quia mutavit animum, ſeu quia non potuit, reſervationi non ſubjacet. Vide ſupra n. 282.

538 Circa 3. ea ſolum reſervatur egreſſio, quæ ſimul & nocturna & furtiva fuerit; eſt autem furtiva, quæ fit ſine licentia Superioris, vel *ſine legitimo ejus conſenſu*. Unde ipſe etiam Superior reſervationem hanc incurrere poteſt; quia licet non habeat præſentem Prælatum, cujus voluntate regatur, *habet tamen Regulam*, & ut minimum *voluntatem totius Religionis*. Adhit

dit Henno pagin. 276. non cenſeri nocturne egreſſum, qui exiit, ſeu cum veſperi dieſcere deſineret; ſeu cum mane dieſcere inciperet: *quia*, inquit, *licet phyſice loquendo, computetur nox ab occaſu ſolis ad ortum, non tamen moraliter.*

Circa 4. una hic movetur quæſtio, quæ nimirum quantitas in materia proprietatis ad peccatum mortale pertingat, *Qua in re*, ait Bonagratia ibid. n. 77. *cum tot fere ſint ſententiæ, quot capita, eo tandem plerique deveniunt ut id judicio & arbitrio boni* ac prudentis *viri relinquant, pro temporum, locorum Religionum, perſonarum & aliarum circumſtantiarum diverſitate.* Vide quæ de his ſcripſi Tom. 3. pag. 82. Unum hic animadverterim cum Suare ibid. Tom. 3. Lib. 3. Cap. 11. n. 4. eſculenta & poculenta, ſi tantum ad proprios & actuales atque tranſitorios uſus a Religioſis accipiantur, regulariter ad lethalem culpam non ſufficere, niſi religioni inferatur damnum gravius, & in re extraordinaria atque pretioſiori. *Et licet id Prælatis diſpliceat, non tamen ita ſunt involuntarii, ut illam reputent materiam gravem in ordine ad paupertatem, ſed ſolum in ordine ad decentiam & perfectionem Religionis.* Ita idem Bonagratia ibid. 539

Circa 5. per judicium legitimum eo loco intelligitur *judicium forenſe, ſecundum Leges vel Canones* habitum. Unde qui non interrogatur legitime, vel qui a legitimo judice non interrogatur; etſi perjurus ſit, liber eſt a reſervatione, quia non jurat falſum *in judicio regulari.* Suar. Tom. 4. Cap. 8. n. 7. 540

Quæ ad 6. ſpectant, intelliguntur ex dictis ſupra n. 251. & ſeq.

Circa 7. is manum falſificare dicitur, qui imitando ſcripturam alterius 541
obedientiales Litteras, Dimiſſorias item & alias id genus ejuſdem nomine, ipſo inſcio, ſubſcribit. Is vero ſigillum falſificat; qui vel alienum furatur, vel aliud idem ſimile effingit, quo ſcriptum aliquod conſignat, quaſi Monaſterii Officialis. Officiales autem in præſenti ii ſunt, qui ex munere habent ut ſoli certo modo conſignent, ut Vicarius, Subprior, & a fortiori Provincialis & Generalis. Unde a reſervatione liber eſt, 1. qui privatum Officialis alicujus ſignum apponit, quia non eſt ſignum Officialis ut ſic, neque habet auctoritatem Religionis; 2. qui etſi publicum Religionis ſigillum ſuſtulit, necdum eo ad conſignandum uſus eſt; 3. & is, ſaltem juxta Henno, qui perditas Superioris ſui Litteras gravi de cauſa aſſimulat; puta vel ut inter neceſſarium conficiat, vel ne pro apoſtata habeatur: *quia*, inquit, *tunc poſſet præſumi de Superioris voluntate.* An qui familiarem Epiſtolam, non autem ſcriptum ad res Officialis aut Monaſterii pertinens falſo conſignat manu vel ſigillo ejuſdem Officialis, reſervationem incurrat, expendit Suarez ubi ſupra n. 10. & tandem affirmative reſolvit, modo actionis hujus materia ad mortale peccatum ſufficiat, quia actio hæc, non modo perſonæ, ſed & Officio injurioſa eſt. Quod quidem mihi ex circumſtantiis dijudicandum videtur. 542

Circa 8. redit difficultas ſuperius n. 539. propoſita, & eodem ſolvitur modo, id eſt dubio admodum & incerto. Unum inſuper quæritur, an qui quidpiam ſubripit non Monaſterio, ſed Religioſo ex rebus ipſi ad uſum conceſſis, in hunc caſum incidat. Ad quod reſpondendum affirmative, tum quia ita definiiſſe dicitur ipſe Clemens VIII. tum quia quod uni e fratribus ad uſum conceditur, non deſinit eſſe Monaſterii. Imo & Monaſterii eſſe perſeverat, ſeu quoad proprietatem, ſeu quoad adminiſtrationem, donec de 543

Supe-

Superiorum licentia cuipiam extra Religionem detur. Unde ad hanc uſque rei traditionem, vel aliquid traditioni æquivalens, ſemper incurritur reſervatio.

544 Circa 9. docent vulgo Regulares per lapſum carnis opere conſummatum intelligi non fornicationem modo, & quid ea gravius; ſed quamcumque voluntariam molitiem, unde non ſufficiunt oſcula, tactuſve, ipſave muliebris vaſis penetratio, niſi ſequatur intra vel extra ſeminis effuſio. Sed ambigunt an neceſſe ſit ad reſervationem, 1. ut quis peccatum illud directe intenderit; 2. ut illud in ſemetipſo, non autem in alio committat.

545 Et quidem lubenter crediderim contra Henno, eum qui turpia legendo, loquendo, aut cogitando polluitur, etſi id non intendat, ſubjacere reſervationi: quia qui vult cauſam, eam ſaltem quæ in pluribus facile effectum parit, effectum hunc velle cenſetur: *quantumvis actu elicito* eum *averſetur*, vel potius videatur averſari: Ita Baſſæus, Bonagratia, &c. * Mihi magis dubium eſt quod docet idem Capucinus, incurri prædictam reſervationem non ab eo tantum qui ſe ab alio pollui, ſeu in mollitiem trahi permiſerit, quod certum arbitror: ſed & ab eo qui alium (cujuſque ſexus) in pollutionem pertraxerit. Ut enim, nec inepte, notat Henno pag. 277. ſi caſum hunc comprehendere voluiſſet Clemens VIII. dixiſſet: *Pollutio in ſe vel in alio procurata*. Et vero aliud eſt crimen conſummari, ſeu plene & integre committi; aliud crimen procurari. Poſterius iſtud dubio procul latius patet quam prius; nec auctorem ſolum, ſed & ejus ſocios complectitur. Ergo cum Pontifex verbo *conſummandi* uſus ſit, non aliam quam Religioſi ipſius mollitiem reſervari voluit. Mirum ſane quod circa Legem ambiguam, & quæ proh dolor! fictitios caſus non reſpicit, necdum conſulta fuerit Sedes Apoſtolica.

546 Circa decimum caſum nihil eſt quod ſpeciali egeat inquiſitione; conſtat nimirum ſermonem hic eſſe de occiſione graviter culpabili, qualis vel non eſt, vel in jure non præſumitur, quæ ad propriam fit defenſionem intra juſtos æque tutelæ limites.

Circa caſum 10. obſervat Suarez ibid. n. 13. ponderari debere vocem hanc *Malitioſum*; ex qua colligitur non incurri reſervationem, ſi prædicta retardatio fiat vel bona fide, vel etiam imprudenter, & cum gravi negligentia, quia *malitioſum* directam & intentam retardationem importat. *Exiſtimo etiam*, ait idem Theologus, *illud verbum conjungendum eſſe etiam cum apertione Litterarum*, eam proinde ſolum reſervari quæ ex malitia fit. *Ad hoc autem ſatis erit, quod fiat intelligendo aut præſumendo id eſſe contra voluntatem Superioris; nam tunc ſufficiens malitia intervenit.*

Ut plenius intelligatur prædictum Clementis VIII. Decretum ſimulque Regularium poteſtas, & ejus poteſtatis limites,

547 Quæres 1. an Superior quandoque poſſit ſubditorum confeſſiones audire. R. ſanxiſſe Clementem in eodem Decreto, *ne liceat Superioribus Regularium, confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte aut proprio motu id ab eis petierint*.

Præ-

* Refert is tamen definitum eſſe in Capitulo generali Capucinorum an. 1633. *Lapſum carnis ex ſolo viſu, vel ex imaginatione provenientem, non reſervari, licet mortale peccatum ſit*. Hujus deciſionis ratio eſt quod pollutio ut reſervetur, debeat *opere* fieri, Fieri autem opere eſt, ut volunt, fieri vel contactu manus, vel alio *medio externo* ad effectum hunc procurandum efficaciis. At de hoc ii judicent quorum intereſt. Aliud ſentire videtur Henno pag. 276, eique aſſentirem.

Præcipit idem Papa ut *Superiores in ſingulis Domibus deputent duos, tres, vel quatuor Confeſſarios pro ſubditorum numero majori vel minori, iique ſint docti, prudentes & charitate præditi, qui a non reſervatis eos abſolvant; & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius judicaverit*. Quod ſi Superior hanc abſolvendi facultatem deneget ordinario Confeſſario, qui eam concedi debere judicet, poterit Confeſſarius hac vice pœnitentem Regularem, ſine licentia Superioris abſolvere, prout ex ejuſdem Pontificis Declaratione refert Lugo diſp. 20. n. 40. Imo toties quoties licentia hæc ita petita fuerit & negata; prout ex Decreto Sacræ Congregationis de conſenſu Urbani VIII. docent Pelliſarius & alii quos citat Diana p. 3. Tract. 2. reſol. 126. quem adi ſaltem in Compendio v. *Caſus reſervatus*, n. 16.

Quæres 2. an poſſit Capitulum Generale vel Provinciale reſervare peccatum aliquod pro una vel altera domo, non pro toto Ordine, totave Provincia. R. affirm. nec enim exigit Clemens VIII ut reſervatio fiat, vel pro toto Ordine, vel pro tota Provincia; ſed ut nulla fiat, niſi vel a Capitulo Generali, vel a Provinciali, &c. Lugo ibid. n. 44. 548

Quæres 3. an non obſtante Clementis VIII. Decreto poſſit Prælatus Regularis quibuſdam Caſibus, nec a Clemente, nec ab ullo Ordinis Capitulo deſignatis, excommunicationem annectere, eamque ſibi reſervare. Affirmat Suarez n. 13. eumque ſequuntur plures apud Lugo ibid. n. 47. At Congregatio Regularium contrarium definiit die Julii 7. an. 1617. Et vero hac arte facile eluderetur Bulla Clementis, nullus enim eſſet caſus quem eo modo ſibi reſervare non poſſent Regulares Prælati: quia ſatis foret ut unicuique cenſuram ſibi reſervatam annecterent. 549

Quæres 4. an in Religione, ubi reſervatur peccatum inobedientiæ expreſſæ, reſervationem hanc incurrat, qui præcepto ſibi facto ſed non *in virtute obedientiæ*, parere recuſat. Negat Sanchez Lib. 6. in Decalog. Cap. 4. n. 72. quia in hac hypotheſi peccatum illius qui clare dicit; *Nolo parere*, non eſt inobedientia ſtricte ſumpta, nec directe repugnat voto obedientiæ. Aliter prorſus ſentit Lugo cit. diſp. 20. n. 49. Ratio eſt quia ad peccatum mortale, proinde ad reſervationem, ſufficit gravis contemptus, atque irreverentia in Superiorem ut Superior eſt. Hæc autem occurrunt cum quis aliquid ad mortale ſufficiens facere juſſus, petulanter dicit ſe id nolle. Ergo etiamſi contra obedientiæ votum non peccet, ſatis peccat contra obedientiæ virtutem, ut fiat obnoxius reſervationi, niſi hæc feratur contra eos duntaxat; qui obedientiæ votum fregerint. Hæc, ut opinor, ex intentione Legiſlatoris & locorum conſuetudine plurimū pendent. 550

SECTIO SEXTA.

Quinam a reſervatis abſolvere poſſunt. Ubi præcipue de Confeſſariis Sæcularibus.

PRÆNOTANDUM I. juriſdictionem aliam eſſe ordinariam, aliam delegatam. 2. caſus alios eſſe reſervatos Papæ, alios Epiſcopis, alios Regularibus. 3. e Confeſſariis alios eſſe ſeculares, alios Religionem aliquam profeſſos. 4. utriſque agendum vel cum Secularibus, vel cum Religioſis. 5. & id utriſque etiam competere, ut aliquando cum ſanis 551

nis agant, aliquando cum morientibus. 6. quandoque etiam fieri poſſe ut utrique ex imperitia, vel inadvertentia eos abſolvant, quos de jure abſolvere non poſſunt. Ex his dubia plura exurgunt, quæ ut pro modulo ſolvantur, ſit

Conclusio I. a reſervatis abſolvere poteſt virtute ordinaria; 1. qui reſervavit: 2. ejuſdem ſucceſſor, 3. & ejus in foro pœnitentiæ Superior; Poteſt vero poteſtate delegata, tum qui ad hoc approbatus eſt legitime; tum Sacerdos omnis in articulo mortis.

552 Prob. 1. pars: Qui poteſt ligare, poteſt & ſolvere, niſi quid obſtet; cum generatim per quaſcumque cauſas res naſcitur; per eas diſſolvi poſſit. Porro qui caſus ſibi reſervat, ligare poteſt. Ergo; niſi præpediatur, quod hic locum non habet, poteſt & ſolvere.

553 Prob. 2. pars, tum quia eadem eſt ſucceſsoris poteſtas, quæ prædeceſſoris; cum prior poſteriori manus ligare non potuerit. Cum quia alioqui mortuo Papa, qui quoſdam ſibi caſus reſervaverit, nemo jam ab iis quotidie abſolvere valeret.

554 Prob. 3. pars, quia Superior in eodem foro plus poteſt quam Inferior. Hinc abſolvere poteſt Rom. Pontifex a caſibus quos ſibi Epiſcopus reſervavit, non tamen Archiepiſcopus, qui quantum ad hoc nihil poteſt in foro Pœnitentiæ; cum ſit duntaxat Superior quoad forum exterius; excepto viſitationis caſu, quæ in Gallia non viget.

555 Prob. 4. pars, quia Eccleſiæ intereſt ut qui reſervat; facultatem abſolvendi communicare poſſit, & hæc eſt totius Eccleſiæ praxis. Videndum tamen ut poteſtas hæc *legitime* ſeu valide communicetur. Aliquando enim remanente poteſtatis ſubſtantia, tollitur exercitium ejus in Epiſcopo, puta ſi publice denuntietur excommunicatus, &c.

556 Ceterum cui datur delegata, imo & ordinaria quædam, ut Parochis, facultas audiendi confeſſiones, non ideo datur poteſtas abſolvendi a reſervatis; ſed hæc expreſſim concedi debet. Neque cui datur generalis facultas ab iiſdem reſervatis abſolvendi, ideo ſemper datur facultas ab univerſis prorſus abſolvendi, cum aliquos nonnunquam ſibi ſpecialiſſime reſervent Superiores. Nec demum cui ſpecialiſſima hæc facultas tribueretur, hanc ideo ſemper quoad omnes exercere poſſet; puta quoad Sanctimoniales. Imo qui in hoc Ordine, non ideo in alio quovis Ordine profeſſas abſolvere poteſt.

Pars quinta uberius infra expendetur.

Circa hæc quædam multi momenti exurgunt dubia. Unde.

Quæres 1. an Confeſſarius *communis*, id eſt pro reſervatis minime approbatus, Pœnitentem *alienum*, ſeu, ut hic intelligimus, alterius Diœceſis, abſolvere poſſit, vel a caſibus qui in Diœceſi Pœnitentis reſervati non ſunt, vero reſervati in Diœceſi Confeſſoris; vel a caſibus qui in Diœceſi Pœnitentis ſunt reſervati, non autem in Diœceſi Confeſſoris. Supponimus alienigenam hunc non veniſſe animo mutandi domicilium, quia alioqui jam obnoxius non eſſet legibus antiqui domicilii, ſed novi.

557 R. ad 1. negat. Ratio eſt 1. quia tota Confeſſarii juriſdictio ab eo dimanat, cujus in Diœceſi confeſſiones excipit. Atqui is nullam pro præſenti caſu juriſdictionem tribuit; 2. quia extraneus, & quiſquis ſine fraude iter agit, ſortiri debet forum pœnitentiale loci in quo judicatur; prout conſtat

ſtat ex tacito ad minus Ordinariorum conſenſu; quin & ex Eugenii IV. Decreto, ut teſtatur Cajetanus in Summa, v. *abſolutio*, & id eo magis æquum eſt, quod alienigenæ ad tempus ſubditi fiant, ſaltem quoad receptionem Sacramentorum, Ordinariis locorum per quæ tranſeunt; 3. quia qui in certa hypotheſi commodum ſentit, in alia onus & incommodum ſentire debet. Is porro de quo loquimur in hypotheſi contraria commodum ſenſit, ut ex proxima reſponſione innoteſcet. Interim ex priori iſta colliges, eum qui peccatum aliquod ante commiſit quam reſervaretur, ab eo poſtmodū reſervato abſolvi non poſſe niſi a Sacerdote pro reſervatis approbato. Jā

R. ad 2. affirmat. 1. quia id a contrario probant rationes mox allatæ, 2. 558
quia licet anceps ea de re fuerit Sambovius Tom. 1. caſ. 18: noſtra tamen opinio jam ab omnibus paſſim Theologis tenetur; & ut minimum * nititur tacita Epiſcoporum approbatione, 3. quia ſic ſe gerunt in praxi, nemine reclamante, qui piorum peregrinatorum in locis B. Virgini, vel alio cuipiam Sancto devotis confeſſiones excipiunt.

Objiciuntur duo, 1. id Authenticæ *Qua in Provincia*, Cod. Lib. 3. Tit. 559
15. *Qua in Provincia quis deliquit, illius etiam juri ſubjaceat, quod jus perpetuum eſt*. Unde ſequitur eum qui Meldis crimen ibidem reſervatum admiſit, ubicumque juxta Meldenſem diſciplinam judicari debere; 2. Parochum, qui ſubditum ſuum a caſu Meldis reſervato abſolvere non poteſt poſſe eundem abſolvere Pariſiis, ubi idem peccatum non ſubjacet reſervationi; Quod abſurdum videtur. Verum hæc duo parum officiunt.

Non 1. objecta enim Lex eos tantum ſpectat caſus; qui in exteriori fo- 560
ro dijudicari debent. Ab hujus autem forma & modo non raro differt forum pœnitentiale; multoque magis, cum in id conſentiunt, penes quos eſt ejuſdem fori directio; ut in præſenti contingit. Sic enim habet Clemens X. cit. toties Conſtitutione *Superna; Poteſt Regularis Confeſſor in ea Diœceſi in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi, a peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere; niſi eos pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe*. Quæ porro ibi dicta ſunt de Regularibus, ad alios extendi jubent cauſæ paritas & conſuetudo.

Ad 2. neg. ſequelam. Cum enim Meldenſis Parochus ſubditum ſuum Pa- 561
riſiis abſolvat, non vi juriſdictionis Archiepiſcopi Pariſienſis, ut ſupponimus, ſed vi juriſdictionis a proprio Epiſcopo receptæ, nihil plus in illum poteſt Pariſiis, quam in propria ſua Diœceſi, prout diſertim ſtatuit idem qui ſupra Maclovienſis Antiſtes. Pari & ſimul contraria ratione poterit idem Parochus ſubditum ſuum item abſolvere a caſu Pariſiis, non autem Meldis reſervato, ut bene & conſequenter docet Lugo cit. diſp 20. n.73. Unde rurſus credo contra Salmanticenſes hic Tract. 6. Cap. 13. num. 27. Confeſſarium, qui juriſdictionem tantum delegatam habet in Diœceſi pœnitentis, in qua caſus non eſt reſervatus, non poſſe eum abſolvere in Diœceſi ubi confeſſionem ejus excipit, & in qua idem caſus reſervatus eſt: quia confeſſionem hanc non audit vi juriſdictionis ſibi ab

alio

* Dico *ut minimum*: ſic enim loquebatur Ill. Mareſius, Maclovienſis Epiſcopus: “ Approbatus a nobis quilibet Confeſſarius poteſt abſolvere a peccatis in aliena, non in noſtra Diœceſi reſervatis, ſi non ſit in pœnitentibus fraus, quam quidem Confeſſarii præcavere debent. ” *vide infra* n. 564

* Deſmarets.

alio Epiſcopo datæ, ſed vi juriſdictionis ſibi collatæ ab Epiſcopo loci in quo miniſterium ſuum exercet. Alioqui enim qui Carnuti approbatus eſt, poſſet Aureliæ ubi approbatus non eſt, Carnutenſes abſolvere; quod de Parocho ſolo admittitur.

562 Ex his colliges, Meldenſem, qui Lutetiæ admittit crimen in Diœceſi ſua reſervatum, non poſſe, cum ad ſua redierit, a communi Confeſſario abſolvi.

563 Quæres 2. an eadem ſit ratio caſus cum cenſura reſervati, quæ caſus ſine cenſura, ita ut ſicut poſterior a quocumque Sacerdote *communiter* approbato, ſolvi poteſt in alia Diœceſi ubi reſervatus non eſt, ſic & poſſit prior dimitti. R. affirmat. atque id timide olim in Gallico noſtro de diſpenſationibus Tractatu aſſertum, eo nunc audentius profitemur, quod & ab Epiſcopo præſtantis ingenii, nullo in contrarium per tot annos mutiente, approbatum ſit, & Diœceſis Andegavenſis, qua vix ulla peritior fingi queat, calculo comprobatum. *Lib. 1. c. 3. n. 8.*

564 Cave autem ne hæc intelligas de cenſura ab homine per ſententiam ſpecialem; qualis ea etiam dici poteſt, quæ a *Monitoriorum* contemptoribus incurritur. De quo vide quæ dixi in ſpeciali ea de re Diſſertatione ad calcem Voluminis ſecundi, nunc tertii de diſpenſationibus. Cave & rurſus juxta Conſtitutionem *Superna*, ne deciſionem hanc ad eos extendas qui ad alienam Diœceſim *in fraudem reſervationis* migrant, id eſt ut fugiant abſolutionis difficultatem, correctioniſque, & remediorum quæ tunc præſcribi ſolent, ſeveritatem. Nemini enim ſua fraus & dolus patrocinatur; nec dignus eſt Eccleſiæ indulgentia frui, qui leges ejus eludere nititur. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, ait Reg. 64. juris in 6. Sed an cenſetur venire in fraudem, qui ad vicinum alterius Diœceſis Sacerdotem, more ab Epiſcopis approbato, recurrit, vel quia ei confiteri ſolet; vel quia neminem habet in domicilio ſuo, ejuſve vicinia, qui eum a reſervatis abſolvere queat. Negant nonnulli, quorum opinio pro priori parte tuta mihi videtur; ad minus vero incerta quantum ad ſecundam. Quia ſi in domicilio meo lociſve eidem finitimis neminem pro reſervatis approbatum reperire valeo; at facile reperiam qui abſolutionis mihi impendendæ licentiam obtineant. Si tamen urgeret hic & nunc gravis neceſſitas vel celebrandi, vel ad ſacram ſynaxim accedendi, pene arbitror; prout nunc ſum affectus, futurum ut in hoc caſu abſolverem, quantum mihi liceret; hac lege ut denuo eadem peccata rite approbato ſubjicerentur a pœnitente, neque id a Deo mihi imputandum exiſtimarem. De hac difficultate, ſed ſub alio reſpectu conſiderata, rurſum diſſeram n. ſeq. Hic tantum animadverto eum qui in aliena Diœceſi peccatum in propria ſua Diœceſi reſervatum, ordinario ſuo Directori confitetur, idem reſervationem hanc aperire debere, ut pœnitentia paulo graviori afficiatur. Idemque, quantum fieri poteſt, ab iis præſtandum qui extra Diœceſim ſuam peccata deponunt. Haud tamen id in confeſſionibus moræ longioris videtur ſtricte neceſſarium; quia quædam fit compenſatio, quatenus quæ apud te reſervata non ſunt, iſtic plectentur ut reſervata.

Quæres 3. a quo abſolvi poſſit, qui hic & nunc abſolvi indiget, puta Parochus, cui imminet gravis feſta die celebrandi neceſſitas: quique nec ad vicinam Diœceſim, ut in præcedenti caſu, nec ad Superiorem, aliumve quempiam ab eo approbatum recurrere poteſt.

R. 1.

R. 1. optandum ſummopere ut Superiores in eo anguſtiarum caſu re- 565
ſervationem ſuſpendant. Id enim dubio procul poſſunt; neque hinc periclitabitur diſciplina; cum e contrario idem peccatum bis aperiri debeat primum quidem ad abſolutionem; ſecundum vero ad exequenda Superioris, aut ejus delegati mandata. Neque id in Eccleſia inſolitum eſt, ut ex iis patet quæ de cenſuris ſub *reincidentia* diximus Tom. 2.

R. 2. triplicem eſſe ea de re ſententiam. Prima eorum eſt qui cenſent 566
tunc confitenda eſſe Confeſſario communi cetera præter reſervatum peccata, quæ dum directe abſolventur, reſervatum abſolvetur indirecte. Secunda docet tunc confitendum eſſe peccatum reſervatum cum aliis, ſive venialibus, ſive mortalibus, vel nondum remiſſis, ſi quibuſdam forte gravatur Pœnitens; vel jam remiſſis, ſi alia non habeat; ut ſic abſolvetur, quidem a non reſervatis, indirecte vero a reſervatis, niſi, ajunt aliqui, hæc annexam habeant cenſuram. Tertia demum vult ut Pœnitens eo in caſu ſe gerat perinde ac qui Confeſſarii copiam non habet proinde ut acrem contritionis actum præmittat; & inconfeſſus celebret.

Prima opinio, quam tenet Alexander; quæque Majori & P. Soto pro- 567
babilis apparet, communiter rejicitur a Theologis, & a D. Thoma juxta quem Suppl. q. 9. a. 2. ad 3. *ſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tamen tenetur Pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat, &c.* Porro ut bene notat Suarez diſp. 31. Sect. 3. n. 8. *in re morali*, eaque tanti momenti, non eſt a communi, peneque unanimi via recedendum. Sane, ajunt Salmanticenſes cit. Cap. 13. *Debet Miniſter diſpoſitiones* Pœnitentis *examinare, & ideo jus habet cognoſcendi totam cauſam, & totam conſcientiam Pœnitentis, & omnes occaſiones, vel obligationes ejus*, quantum moraliter fieri poteſt, *ut poſſit illum abſolvere*. Hac igitur rejecta opinione, videndum quæ e ceteris tenenda ſit.

Secundam admitunt Suarez ibid. n. 3. Coninch, Layman, Bonacina & 568
alii plures, quos ſequitur Fromageau hic caſ. 2. num. 4. pag. 495. 1. quia præſumi non poteſt piam matrem Eccleſiam in caſu tam urgenti negare juriſdictionem, qua non reſervata, directe; reſervata vero indirecte abſolvantur. Unde, ait Habert, Cap. 7. q. 6. *non ſine fundamento præſumitur Superiorem, non tantum excepturum fuiſſe, ſi prævidiſſet (quod ex dictis non ſufficit) ſed revera excepiſſe hunc neceſſitatis articulum, qui non eſt ita extraordinarius, poteſtas enim reſervandi caſus conceſſa eſt in ædificationem & utilitatem Fidelium.*

2. Quia ad valorem Sacramenti neceſſe non eſt, ut Confeſſor juriſdictionem habeat in omnia peccata mortalia quibus reipſa ligatus eſt Pœnitens. Conſtat enim eum qui non reſervata quædam confeſſus eſt, & reſervatum aliquod ex inculpata oblivione reticuit, ab omnibus valide abſolvi, cum nemo propter invincibilem ignorantiam reprobari poſſit. Quin & receptum videtur, eum qui reſervati minime oblitus, hic & nunc illud gravi de cauſa reticere poteſt; ab eo indirecte per communem Confeſſarium abſolvi. Ergo idem in propoſito caſu dicendum: Ita Suarez ib. n. 9. quem ſequuntur Salmanticenſes ubi ſupra. Unde deducunt num. 75. id locum habere cum caſui reſervato annexa eſt excommunicationis cenſura. Hæc enim ut dixi in Tract. de cenſuris, p. 2. Cap. 1. non obeſt per ſe Pœnitentiæ valori, ſed tantum prohibet ſuſceptionem ejus, cum non

urget neceſſitas. At ſtante eadem neceſſitate, ſicuti non impedit communionem, ſic nec pœnitentiam. Hæc illi, quæ tamen non minimis obnoxia ſunt difficultatibus, ut ſtatim patebit.

569 Tertiam igitur opinionem tenent Sylvius in Suppl. q. 20. art. 2. pag. 95. Ethica amoris Lib. 5. n. 2730. Pontas V. *cas reſervè*, n. 21. Collator Andeg. Tom. 1. pag. 356. adeoque docent, *ſi qui non poteſt abſque gravi ſcandalo prætermittere quin celebret aut communicet*, id agendum *quod ageret ſi foret excommunicatus, nec haberet copiam Confeſſarii valentis eum abſolvere*. Unde *communicabit aut celebrabit ſine confeſſione & abſolutione*: ſed non ſine gravi & intenſa, quantum poterit, de peccato ſuo contritione.

Sylvius.

570 Probatur autem hæc opinio, 1. quia, uti jam pridem diximus in Tract. de cenſuris, p. 1. Cap. 4. ſi poſſet Pœnitens cuipiam pro reſervatis non approbato, propter gravem aliquam celebrandi vel communicandi neceſſitatem confiteri, ei etiam qui nullatenus approbatus erit, in eodem caſu poterit confiteri. Quidni enim pia mater Eccleſia in uno non ſecus ac in alio caſu juriſdictionem conferre dicatur? Profecto, ubi de ſola præſumptione agetur, quæ quiſque pro priori caſu afferet, hæc alius pro poſteriori merito ſibi afferre videbitur. Atqui tamen poſtrema hæc præſumptio citra grave periculum admitti non poteſt.

571 2. Generatim decernit Synodus Tridentina Seſſ. 14. Cap. 7. *nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam juriſdictionem non habet*; quod quidem quantum ad reſervatos caſus attinet, *non tantum in externa politia*: *ſed etiam coram Deo vim habere* declarat. Atqui Sacerdos in præſenti caſu nullam etiam ſubdelegatam juriſdictionem habet. Hæc enim vel ab homine foret, ſeu ab Epiſcopo, qui caſus ſibi reſervavit, vel a jure. Atqui nec *ab homine* eſt; cum ſupponamus nihil hoc in puncto a Superioribus fuiſſe conſtitutum; nec eſt *a jure*, cum jus, Tridentinum ſcil. quo nullum in iſta materie clarius haberi poteſt, ſolum a generali regula caſum mortis excipiendo, ceteros omnes, eum prohinc de quo nunc agimus in eadem regula incluſiſſe cenſeri debeat.

572 3. Ea ſolum reſervari ſolent *crimina*, quæ *atrociora* ſunt *& graviora*, ut ait ibid. Tridentinum. Vel ergo qui in eorum aliquod incidit, in ipſum incidit diebus aliquot ante Feſtum, quo urgebat celebrandi aut communicandi obligatio; vel pridie Feſti. Si 1. imputet ipſe ſibi, quod, cum liceret per tempus, ad Superiorem, aliumve quempiam ab ipſo delegatum non recurrerit. Si 2. vix unquam decet ut qui heri *atroci* peccato indulſit, hodie ſub primum mane ab ipſis etiam approbatis reconcilietur.

573 En præcipua hujuſce opinionis momenta, quæ præcedentis ſententiæ rationes adæquant, vel excedunt. Prima enim quæ e pia Eccleſiæ voluntate deducitur, non magis pro præſenti caſu probat, quam pro ſimilibus prope innumeris, in quibus nativa quadam commiſeratione id factum eſſe velimus, quod nec Chriſtus; nec Eccleſia factum voluere. Secunda vero evincit quidem in hoc noſtro caſu abſolute fieri potuiſſe, quod in caſu oblivionis inculpatæ factum eſt: at non probat id reipſa factum eſſe. Et ſic utrumque hujus opinionis fundamentum ſatis convellitur; ut ea tranquillo animo teneri vix poſſit. Quin & primam Haberti rationem improbat Suarez.

Hinc

Hinc Epiſcopi non pauci, ne dum diſciplinæ conſulunt, famæ vel ſaluti Diœceſanorum ſuorum nocerent promiſerunt ut in his aut aliis ejuſmodi caſibus cuilibet a quolibet communi Confeſſario abſolutio tribueretur. Sic Vivarii nulla eſt reſervatio quoad feminas uno ante partum menſe: nulla quoad deſponſatas quæ in ordine ad Matrimonium confitentur; nulla quoad infirmos qui lecto tenentur. Sic Bellovaci, juxta manuale ann. 1637 editum: nulla erat reſervatio quantum ad eos, qui citra ſcandalum & infamiæ notam a communione certæ cujuſdam diei abſtinere non potuiſſent. Eadem erat Macloviensis Tractus diſciplina. Utrobique tamen præcipiendum erat pœnitentibus ſic abſolutis, ut ab Epiſcopum aut poteſtatem ejus habentes, ſtatim ut liceret ſibi, recurrerent. Idem quantum ad aliquid ſanciunt Inſtructiones tum Diœceſis Bleſenſis an. 1730. editæ pag. 96. tum Diœceſis Ebroicenſis an. 1733. pag. 210. & 211. qua de re conſulat quiſque Epiſcopi ſui Leges & Statuta, non antiqua, quæ ſæpius abſoleverunt, ſed recentiora, quæ prioribus derogant, niſi eadem commendent. Interim ſemper optare liceat, & humiliter deprecari, ut ibique valeat Suareſii opinio, quæ prodeſſe multum poteſt, vix unquam nocere. Ceterum in hac opinione Pœnitens ſic abſolutus, tenetur ſub mortali quam primum moraliter poteſt, ſiſtere ſe Superiori, vel ejus delegato. Si Superiori ſiſtat ſe, ſatis erit, ut in genere dicat ſe peccatum reſervatum commiſiſſe, a quo in tali circumſtantia fuerit abſolutus. Poteſt enim reſervatio a Superiore tolli extra Tribunal Pœnitentiæ. Si delegato; erit ei peccatum in ſpecie confitendum ſacramentaliter, quia nihil poteſt extra Tribunal. 574

Quæres 4. an qui apud communem Confeſſarium peccata depoſuit, & reſervati cujuſpiam oblitus eſt, peccatum iſtud, cum in memoriam redit, Sacerdoti pro reſervatis approbato aperire teneatur. R. affirmat tum quia hæc eſt generalis Theologorum ſententia; tum quia qui non ſatisfecit legi & ſcopo reſervationis, eidem deinde ſatisfacere debet, niſi Lex contrarium ſtatuat, quod in præſenti locum non habet. 575

Sed quid ſi Pœnitens apud Superiorem, vel alium ab eo pro reſervatis approbatum confeſsus fuiſset? Cenſet unanimis pene Doctorum turma cum Sylvio ubi ſupra, Navarro Manual. C. 26. n. 13. Pontas hic caſ. 25. alias 23. & fuſe Lugo diſp. 21 n. 85. & ſeq. reſervationem eſse tunc ablatam, adeoque ſatis eſſe ut peccatum illud communi etiam Confeſsario declaretur. 576

Opinionem hanc, quam, ut loquitur, *torrente Auctorum quodammodo abreptus*. in praxi Pœnitentiaria ſecutus erat Habertus, *re maturius diſcuſſa* ex parte retractavit; unde in Tract. de Pœnit. Cap. 7. q. 10. docet tolli equidem reſervationem, *cum Superior quibuſdam indiciis manifeſtavit* ſe eam tollere velle. *Si vero*, inquit, *Superior nequidem cogitavit de aliis peccatis, præter ea quæ ipſi ſacramentaliter ſunt expoſita, nulla lex, nullave efficax ratio proferri poteſt, ex qua concludere liceat ejuſmodi peccata omiſſa, non eſſe amplius reſervata*, Idem docebat an. 1695. Collator Ambianenſis, quem ultra progreditur Auctor Reſolut. Paſtor. Diœceſis Genevenſis. Is enim Tom. 2. p. 4. Cap. 3. reſol. 4. contra ceteros contendit ab hac lege ne eos quidem eximi, qui bona fide per Jubilæi tempus confeſſi, reſervatum aliquod inculpate omiſerint. 577

Mihi quidem prima opinio & practice ſecura, & oppoſita probabilior videtur. 1. quia non ſolent Epiſcopi in Statutis ſuis a graviorum Theo- 578

logorum *torrente* recedere, niſi id exprimant. Et vero ubi legum ab ipſis ſancitarum ſenſus inquiretur, niſi in probatioribus Magiſtris quorum lectionem aſſidue commendant? Quis vero ad unius Sylvii, vel Pontaſii qui alios magni ponderis plures adducunt, inſpectum, in præſenti negotio hæreat?

579 2. Conſtat ex Haberto reſervationem in præſenti caſu tolli, ſi abſolvens eam tollere velit, idque aliquibus indiciis manifeſtet. Atqui vult de facto, & id manifeſtat ſatis; cum tritam abſolvendi formulam ſecutus, declarat ſe *ab omni vinculo excommunicationis* abſolvere *in quantum poteſt*, & indiget Pœnitens; quæ verba ex uſu communi ad oblita peccata ut & ad confeſſa extenduntur.

580 3. Ideo tunc maneret onus reſervata confitendi apud Superiorem aut ab eo delegatum, quia ceteroqui reſervatio ſuo caret effectu, qui talis eſt ut Pœnitens pro tali crimine ad Superiorem recurrat, ejuſque monitis humiliter obſequatur. Atqui hæc ratio vel nulla eſt, vel tanti non eſt ut propter eam turbanda ſit Pœnitentis conſcientia. Alioqui ſequeretur, 1. eos qui per Jubilæi tempus abſoluti fuere, ab oblito quopiam peccato deinceps non poſſe abſolvi niſi per Sacerdotem pro reſervatis approbatum; 2. parum vel nullatenus ſibi conſtare Epiſcopos, qui reſervationem in præſenti caſu auferunt. Atqui neutrum recte dicitur. Non primum; etſi a Reſolutore Genevenſi admiſſum; quia reclamant ceteri pene Doctores, a quibus durum eſt recedere. Non ſecundum; quia durius eſt Paſtores primarios, velut imperitos & ſibi male cohærentes inſequi.

581 4. Quia noſtram hanc opinionem paſſim amplectuntur Epiſcopi, necut ſibi propriam amplecti videntur. Sic Inſtructiones Diœceſis Bleſenſis Joannis F. P. de Caumartin pag. 95. *Celui qui en ſe confeſſant a un Pretre qui a le pouvoir d'abſoudre des cas reſervés, en auroit omis quelqu'un de bonne foi, ſans qu'il y eut de ſa faute, ne feroit plus obligé, en cas qu'il s'en ſouvint, de recourir à lui, quoique cela convint davantage; Mais il pourroit en etre abſous par tout autre Pretre approuvé.* Idipſum & iiſdem verbis habent Inſtructiones Diœceſis Ebroicenſis pag. 213. Idem tradit Pariſienſe Mandatum numer. 3. de caſibus reſervatis, ſed tunc tantum quando Pœnitens reſervati qui ſibi exciderat caſus *memor factus, non facile poteſt ad eundem cui prius confeſſus eſt, regredi*. Quod argumento eſt recurſum hunc non adeo neceſſarium eſſe ſecluſa ſpeciali locorum lege, ut omitti non poſſit; præſertim cum Confeſſarius in hoc caſu quaſi deputetur ad ſolvendam hujuſmodi reſervationem; nec minus congrua Pœnitenti monita tradere poſſit, quam ſi ſpecialem, ut quotidie fit, per litteras facultatem a Superiore recepiſſet.

582 Quod ſi cui dubiæ videbuntur noſtræ probationes, is utique partem alteram ſequi tenebitur, quam tradunt non modo Antonius hic Cap. 3. art 2. q. 6. ſed & multa ex parte Suarez diſp. 21. Sect. 4. n. 18.

583 Quæres 5. an admiſſa ſecunda hac tutiori opinione Pœnitens ſemper teneatur regredi ad Superiorem, ſeu ad Confeſſarium pro reſervatis approbatum. R. negat neque enim ad id tenebitur, 1. cum expreſſe recurrit ad Superiorem ut ab eo ſolveretur a reſervatis. Tunc enim eadem eſt Confeſſarii intentio quæ Pœnitentis. Unde ſicut is ad Superiorem vel delegatum ejus recurrit, ut quantum fieri poteſt ab omni peccatorum gravami-

vamine liberetur; ſic & ille gravamen illud, quantum de ſe eſt, tollere intendit: adeoque *quamvis tum aliquis caſus reſervatus propter oblivionem taceatur*, Pœnitens *liber manet a reſervatione*: ita Suarez ibid. n. 15. 2. nec tenebitur, renitente perperam contra cetero Genevenſi Reſolutore, quando tempore Jubilæi, indulgentiam lucratus fuerit, quia tunc mens eſt Rom. Pontificis, ut quiſquis privilegio illo uti volet, a Confeſſario ſecundum plenitudinem poteſtatis ipſi tunc conceſſæ abſolvatur, eademque eſt expreſſa Pœnitentis intentio. Ergo, ait ibid. Suarez n. 20. *licet per accidens propter oblivionem non fuerit directe abſolutus ſacramentaliter a peccato reſervato intra illud tempus, tamen, ut ita dicam, acquiſivit jus per ipſum Jubilæum*, ut poſſet poſtea libere, ſeu cuivis etiam communi Sacerdoti *confiteri tale peccatum, ſeu conſecutus eſt libertatem ab ipſa reſervatione*.

Atque hinc ſequitur præfatam regulam locum habere, etiamſi quis cenſuræ reſervatæ oblitus ſit. Cum & caſus Papæ reſervati, qui Jubilæi virtute dimitti poſſunt, reſervatam id genus cenſuram complecti ſoleant; & ii qui majorem v. g. Pœnitentiarum data opera conveniunt, id unum inquirant ut omnimode liberentur, quod & dubio procul intendit Pœnitentiarius.

Quæres 7. an tollatur reſervatio; cum Pœnitens confeſſionem defectu 583
diſpoſitionis invalidam emiſit apud aliquem pro reſervatis approbatum.

Affirmat Cabaſſutius Lib. 3. Cap. 12. n. 3. poſt. S. Antoninum, Cajetanum, 584
Armillam & Suarem cit. Sect. 4. n. 9. modo, ait n. 4. *Pœnitens, quantumvis aliunde indiſpoſitus, accedat cum bona fide, hoc eſt, ſciens & volens non abutatur confeſſione*. Idem ſentit Lugo diſp. 20. n. 107. etiamſi *defectu fuerit in integritate* confeſſionis, modo *non circa peccatum reſervatum, ſed circa alia.* Concinit Fromageau ibid. n. 3. licet, inquit, confeſſio ex doloris defectu invalida ſit, modo tamen bona fide fiat. Hi porro ſuam hanc opinionem probant, 1. quia Pœnitens ille ſatisfecit fini reſervationis, qui non eſt alius, quam ut Superiori vel delegato ejus ſe præſentem ſiſtat, quo melius dirigi, & monita ſalutaria cum pœnitentiali ſatisfactione ſuſcipere poſſit. Hæc porro præſtitit Pœnitens iſte, atque adeo ablata reſervationis cauſa tolli debet effectus, ſeu ipſa reſervatio; 2. quia ſic abſolvens intendit abſolvere quantum poteſt ſecundum præſentem confitentis diſpoſitionem, quæ quidem eſt incapax abſolutionis a peccato, ſed eſt capax abſolutionis a reſervatione; 3. quia cum tot tamque graves Auctores hoc aſſerant, nec Superiores ac Prælati Eccleſiæ ullatenus contradixerint, cenſentur conſentire. Nec enim hic agitur de ſententia *junioris* cujuſdam & ignoti Scriptoris, quæ male diceretur per Pactorum ſilentium approbari; ſed de recepta apud ſaniores Magiſtros opinione.

Alii nodum hunc aliter expediunt. Vel enim, ajunt, confeſſio nulla 585
eſt ex defectu mortaliter culpabili, ut cum Pœnitens lethale aliquod peccatum reticet ſeu ex verecundia, ſeu quia non ſatis conſcientiæ ſuæ examini vacavit. Vel nulla eſt ex defectu nullatenus aut leviter culpabili, ut cum credit Pœnitens ſe dolore ſupernaturali moveri, licet naturali tantum motu quatiatur. His poſitis docent in prima hypotheſi reſervationem nec a delegato tolli, utpote qui ſacramentaliter tantum a reſervatis abſolvere valeat; nec probabiliter ab ipſo etiam Superiore; quia is licet extra Sacramentum a reſervatione abſolvere queat; cum tamen in ipſo

Digitized by Google

Sacramento abſolvit, ſecundum communes ſacri tribunalis regulas operari velle cenſetur; adeoque dolo & fraudi favere nolle.

586 Opinionem hanc adſtruere videntur plures Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopi. Sic Maclovieſis Antiſtes; *Si Pœnitens invalidam & ſacrilegam ſua culpa confeſſionem emiſerit, de novo recurrat ad Superiorem neceſſe eſt.* Sic Mandatum Pariſienſe tit. de abſol. a caſib. reſerv. n. 3. *Si confeſſione voluntarie nulla non ſatisfit præcepto confeſſionis ab Eccleſia lato, ut nec ſacrilega corporis Domini manducatione præcepto communionis annuæ; minus æquum eſt putari aliquem confeſſione* pariter *invalida gratiam indulgentiamque Eccleſiæ promereri. Quare qui, ſeu Jubilæi, ſeu alio quocumque tempore, caſus reſervatos confeſſus eſt habenti facultatem abſolvendi ab eis: & hanc invalidam & ſacrilegam culpa ſua confeſſionem emiſit, tenebitur eadem peccata rurſum confiteri habenti facultatem abſolvendi ab illis, nec poterit a non habente hanc facultatem abſolvi.* Sic inſtructiones Diœceſis Bleſenſis pag. 96. *Quand la confeſſion eſt nulle par la faute du Pènitent, alors il eſt obligé de ſe confeſſer de nouveau à un Pretre, qui ait le pouvoir d'abſoudre des cas reſervès.* Idem habent inſtructiones Diœceſis Ebroicenſis pag. 214. hic porro cum non præcipiatur recurſus ad Superiorem, niſi cum confeſſio vere ſacrilega eſt, & nulla *ex culpa* Pœnitentis, non obſcure ſupponi videtur recurſum hunc neceſſarium non eſſe, cum Pœnitens confeſſionem bona fide nullam emiſit. Alioqui haud neceſſum fuiſſet de confeſſione *ſacrilega* loqui, quod faciunt priores duo, vel confeſſionem *ex culpa* Pœnitentis invalidam commemorare, quod faciunt duo poſteriores: ſed generatim præcipere ut qui confeſſionem quocumque modo invalidam emiſerit, nullatenus a reſervatione liber cenſeatur.

587 Mihi ſecunda hæc opinio tuta videtur, ubi nihil oppoſitum privata Diœceſeon lege ſancitum fuerit. Unde nec Cabaſſutio adhærerem, niſi alicubi recepta eſſet ab Epiſcopis ejuſdem ſententia. Nec generatim ſtatuerem, ſecluſa ſcilicet ſpeciali locorum Lege, quod ſtatuere videtur P. Antonius hic art. 2. q. 7. reſervationem nulla unquam tolli abſolutione quæ ſit nulla. Si enim ad reſervationis ſublationem requireretur valida abſolutio, vel ex natura rei, adeo ut Superior ne quidem velle poſſet ut a reſervatis abſolveretur, qui hic & nunc ab ipſo peccati reatu abſolvi non poteſt; vel ex libera Superioris voluntate, qui licet velle aliter poſſet, aliter tamen legitimis quibuſdam de cauſis facere nollet. Primum dici non poteſt. Quis enim neget diu viguiſſe S. Antonini, Cabaſſutii, &c. opinionem; proinde tunc temporis ſublatam fuiſſe ex abſolutione omnino nulla reſervationem, quæ ex natura rei ab abſolutione non pendet, ſed id unum exigit ut Superior de crimine certior factus ſalutaria reo monita tribuat. Si autem admittatur ſecundum, jam præſens controverſia ex legitime præſuppoſita Superiorum intentione definiri debet. Atqui Superiores receſſerunt quidem a prima veterum Theologorum opinione, prout hæc docere videbatur reſervationem tolli per confeſſionem formaliter ſacrilegam: ſed hactenus non videntur tetigiſſe alteram hujus opinionis partem; quin hanc excipiunt ſatis expreſſe in textibus ſupra adductis. Horum quidem nonnulli, ut Epiſcopi Bleſenſis & Ebroicenſis ſubdunt demum reſervationem in hoc caſu non tolli, quia *confeſſio fuerit invalida.* At voces illæ ſenſu prius ab iiſdem Præſulibus aſſerto intelligi debent; prohinc de confeſſione quæ ex Pœnitentis *culpa* invalida ſit, exponendæ.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi non placeat exemplum confeſſionis bona fide invalide ſupra n. 585. allatum, per me non ſtabit quominus aptiora quædam inquirantur. Sane apud univerſos receptum eſt dari confeſſiones quæ ſic invalidæ ſunt, ut ſacrilegæ non ſint.

Ex his, quæ ut alia mea; Lectoris pii & eruditi judicio ſubmiſſa velim, duo colligam, 1. Curandum iis qui caſuum reſervatorum indicem texunt, ut nitide, perſpicue, raro ſevere loquantur, 2. eos qui Pœnitentiario, vel alii cuipiam pro reſervatis approbato olim confeſſi, dubii aliquid circa præteritas ſuas confeſſiones patiuntur, poſſe; ſi eas iterent a quocumque etiam communi Sacerdote abſolvi. Eo ipſo enim, ait Collator Andeg. Tom. 1. p. 396. quo confeſſiones hujuſmodi *non ſunt evidenter ſacrilegæ, in earum favorem præjudicari debet*. Unde porro? niſi ex nota Superioris voluntate, qui licet a repetitione confeſſionis dubiæ, qualis ſæpiſſime eſt, quæ non eſt evidenter ſacrilega; diſpenſare non poſſit, a reſervatione tamen in hujuſmodi caſibus diſpenſat; vel potius eam confeſſione etiam nonnihil dubia ſublatam fuiſſe ſupponit. 588

Quæres 8. quo pacto gerere ſe debeat Confeſſarius communis, qui in confeſſione audit reſervatum aliquod. R. Monendum eſſe Pœnitentem, ut vel Superiorem, aliumve ab ipſo delegatum adeat, ſi hic & nunc urgeat quædam celebrandi aut communicandi neceſſitas; vel expectet donec neceſſariam abſolvendi facultatem acceperit ipſe a Superioribus. Tunc autem vel obtinenda eſt generalis poteſtas a ceteris qui forte in decurſu occurrent caſibus abſolvendi; vel interrogandus Pœnitens circa alios caſus reſervatos (quæ methodus quia confeſſionis ſeriem abrumpit, difficilis eſt, & raro neceſſaria), vel expectandus confeſſionis finis, ut ſimul & ſemel omnium abſolvendorum facultas obtineatur. 589

At, inquies, neceſſaria eſt juriſdictio, non ad abſolutionem modo, ſed & ad excipiendam confeſſionem; R. neg. ant. Utpote conſtanti, ſaltem in his partibus. Confeſſariorum praxi adverſum. Hi enim a capite ad calcem audiunt eos, quibus nunc non poſſent, ſed poterunt demum impetrata facultate, abſolutionem largiri. Qui ſecus agere velit, non raro Pœnitentem gravi exponeret periculo. Et vero an ſine juriſdictione confeſſionem excipit, qui reſervatum peccatum nonniſi in fine prolixæ confeſſionis audiit? Si res ita foret, quoti Pœnitentes bis vel ter eadem peccata eidem confiteri tenerentur? 590

Quæres 9. quid agendum Confeſſario, qui pro reſervatis minime approbatus; quempiam reſervatis ſeu caſibus, ſeu cenſuris obnoxium abſolvit?

Reſpondent aliqui apud Dianam, Eccleſiam tunc tacite dare juriſdictionem; *ſive Sacerdos peccet*, ut cum mala fide abſolvit; *ſive non peccet* ut cum longa confeſſionum ſerie obrutus, ex inadvertentia abſolvit. Mihi, fateor, occurrit vir omni ſenſu gravis qui ita ſentiret. Quin & magni nominis Præſulem hortari auſus ſum res ita conſtitueret, ut nullus bonæ fidei Pœnitens ob Confeſſarii oſcitantiam, vel malitiam, hac reſervatorum caſuum occaſione, æternæ damnationis periculum unquam ſubiret. Non me fugit, ſtatim objici poſſe, tolerandam igitur pari de cauſa abſolutionem, quæ a Sacerdote nullatenus approbato tribueretur Pœnitentibus bonæ fidei. At duo reſponderi poſſent; 1. poſteriorem hunc caſum 591

raro evenire; qui enim hodie, licet non approbati, confeſſiones clanculum excipiunt, non omnium profecto, ſed paucorum qui decipi amant, excipiunt, 2. ſatagendum ut qui mala omnia avertere nequit, ea ſaltem avertat, quæ ſine gravi incommodo averti poſſunt. Interim ſancire poſſet Epiſcopus, ut qui ſic abſolutus eſſet, idem peccatum, detecta rei veritate, Superiori vel ejus delegato aperire denuo teneretur.

592 Quoniam vero nec vota noſtra, nec communiter rejecta, quorumdam opinio juriſdictionem conferunt, dicendum, rebus ut nunc ſunt poſitis, 1. irritam eſſe hujuſmodi abſolutionem; 2. enitendum eſſe Confeſſario, ut qua poterit ſagaciori via, & conſulendo tum ſuo, tum & præſertim Pœnitentis honori, eum ad ſe revocet; vel ſaltem petita humiliter & obtenta licentia eum alloquendi de re ad præcedentem ejus confeſſionem neceſſaria, commoneat erroris a ſe inadvertenter commiſſi, & vel apud ſe, vel apud alium Sacerdotem reparandi. 3. Si id præſtare nequit; ſeu quia Pœnitentem a ceteris ſecernere non poteſt, ſeu quia prævidet eum inde graviter commotum iri, & forſan horrorem ſacri Tribunalis eſſe concepturum; hinc quidem debet ingemere coram Deo, eumque ſupplex deprecari; ne quid alter ex errato ſuo patiatur detrimenti; inde vero Pœnitentem bonæ ſuæ fidei dimittere ſub ſpe juſtificationis ab eo in ſequenti confeſſione obtinendæ. In hac enim Pœnitens & a non reſervatis quæ deponet, directe abſolvetur; & indirecte a reſervatis & aliis quæ vel oblitus eſt, vel invalide confeſſus fuit. Ita enim habet communis ſententia, *cui* ait Habertus cit. Cap. 7. quæſt. 7. *eo ipſo conſentire cenſentur Superiores, quo ei non contradicunt; cum eam ignorare non poſſint.* Et vero, juxta Tridentinum, peccata quæ poſt diligens examen memoriæ non occurrunt, per abſolutionem indirecte remittuntur. *Porro*, ait idem Doctor, *ſi Deus ſic peccatoribus indulget, nec ratio nec juſtitia dubitare ſinunt, quin fuerit eadem Superioris intentio, cum caſus ſibi reſervavit, ut ab eo caſu Inferior indirecte abſolveret, qui inculpate e memoria excidit;* quemve Pœnitens prudenter confidit ſibi eſſe remiſſum.

593 Addit Henno pag. 293. Confeſſarium qui abſolvit Pœnitentem a cenſura reſervata, poſſe, *obtenta ad id licentia* ſpeciali, *ipſum neſcientem, imo abſentem abſolvere*; quia abſolutio hæc Pœnitentis præſentiam non requirit ſicut ſacramentalis abſolutio.

594 Objic. ex modo dictis poſt Habertum, Pœnitens qui reſervati cujuſdam oblitus eſt invincibiliter, ab eo per communem Confeſſarium indirecte abſolvitur, dum ab aliis peccatis abſolvitur directe. Neque id mirum; cum peccata quæ poſt diligens examen memoriæ non occurrunt, in eadem confeſſione includantur, ut ait Tridentinum. Alioqui enim Pœnitens ille, ſi nuſquam reſervati ſui peccati recordetur, & eodem ad mortem uſque utatur Confeſſario, nec perfectam eam gerat contritionem quæ extra Sacramentum juſtificat, miſere damnabitur, ſicque reſervatio, quæ ex inſtitutione ſua bona eſt, mortem ei, & quidem ſine culpa ejus affert, quod vel cogitatu horrendum eſt.

Ergo pari ratione ea quæ quis bona fide confeſſus eſt Sacerdoti ad eorum reſervationem non attendenti, indirecte etiam remitti debent. Abſurdum eſt enim ut melior ſit conditio illius, qui peccatum ex oblivione penitus recutit, quam ejus qui idem peccatum bona fide confeſſus eſt.

R. Hac

R. Hac quidem ratione moveri poſſe Epiſcopos, ut mitiorem quam num. 591. propoſuimus ſententiam amplectantur. Verum donec id aperte declaraverint, non licet ob *convenientias* tametſi graves a trita ſemita recedere. Sane in Concilio Baſileenſi, ubi teſte S. Antonino 3. p. tit. 17. cap. 12. agitata fuit hæc quæſtio, exiſtimatum eſt, Confeſſario qui a reſervatis imprudenter abſolvit, curandum eſſe ut legitimam a Superiore abſolvendi facultatem obtineat, *qua habita vocet* Pœnitentem, *& per aliquem modum coopertum interroget de aliquibus quæ ſibi confeſſus eſt, quaſi volens melius informari, ac ſi non plane intellexiſſet, & ſi quæ alia commiſit crimina poſtea, & ſic abſolvat ab omnibus iterum, & tunc & prius alias auditis.* Ergo tunc irrita judicabatur ejuſmodi abſolutio, licet in ſecundo criminis invincibiliter obliti caſu, vix ob rationes num. præcedenti adductas invalida judicari potuerit. Sed quæ demum tantæ hujus diſparitatis ratio? Hæc, niſi fallor, quod Sacerdos, cui non ſubjicitur directe niſi materia quæ ejus juris eſt, indirecte ab omnibus aliis innoxie ſuppreſſis abſolvat: contra vero Sacerdos cui directe ſubjicitur materia in quam nihil poteſt, nec de ea judicium directum, nec conſequenter de aliis indirectum ferre poſſit. Unde conceſſo antec. neg. conſeq. Nec ideo melior eſt conditio obliti, quam memoris. Is enim & congrua ſibi ſalutis monita recepit, & per facultatem a Confeſſario ſuo impetratam plane abſolutus eſt: ille vero, nec, ut decebat, monitus eſt, quod grave eſt malum ſincere pœnitenti; nec immunis eſt a reſervatione; cum ſi deinceps peccati ſui meminerit, ad Superiorem aut ab eo delegatum recurrere teneatur. 595

Quæres 9. an Superior a reſervatis abſolvere poſſit, & ad Inferiorem pro communibus remittere. R. cum Pontaſio hic caſ. 16. hanc partiendę duos inter confeſſionis methodum olim multo in uſu fuiſſe; ita ut vel Superior a reſervatis abſolveret, remittendo ad Inferiorem pro non reſervati, cum ſibi per tempus non vacabat ſingula hæc audire; vel Inferior a non reſervatis abſolveret, ad Superiorem remittendo pro reſervatis: quam praxim a S. Antonino, Soto, aliiſque veteribus multi propoſitam commendat S. Carolus Borrom. 4. p. Act. Eccleſiæ Mediolanenſis, ubi de Inſtruct. Pęnit. Sentiebant hi porro vel ex utraque abſolutione unum totale fieri Sacramentum, quod abſurdum eſt, & integritati cujuſcumque confeſſionis a Chriſto præceptæ adverſatur; vel reſervationem tolli a Superiore, aut ab eo concedi ut Inferior a reſervatis abſolveret, impoſito Pęnitentibus onere, ut eadem peccata denuo aperirent Superiori ad correptionem. Qui modus pro prima parte etiamnum alicubi viget: pro ſecunda vero parte id ſolum habet incommodi, quod omnibus communicet facultatem a reſervatis abſolvendi ſub conditione adeundi poſtea Superiori. At jam pridem communi uſu receptum eſt, ut vel Superior ejuſve delegatus a reſervatis & non reſervatis ſimul abſolvant; vel communiter tantum approbatus, cum reſervata detegit, aut ad Superiorem vel alias approbatum remittat; aut eam quæ ſibi deeſt reſervata dimittendi facultatem impetret. Nec jam aliter valeret abſolutio ab eo impenſa, niſi forte in caſibus neceſſitatis ſupra deſcriptis n. 565. Quod ſi Superior reſervata ſola audire velit, etſi tunc non a culpa, ſed a ſola reſervatione abſolvat, nihilominus ad ſigillum tenetur; quia hæc confeſſio quadantenus eſt ſacramenta- 596

lis:

lis; cum & uſum clavium importet, & ad confeſſionem ſacramentalem poſtea perficiendam ordinetur.

597 Quæres 10. an ſi Superior concedere nolit facultatem alteri confitendi reſervata, teneatur Pœnitens ei confiteri. R. affirm. cum Capeavilleo p. 1. Cap. 9. diff. 3. ſi enim ex Lateranenſi Concilio *tenetur quiſque proprio Sacerdoti confiteri*, ita ut nonniſi de licentia ejus alieno confiteri valeat; palam eſt eum qui reſervata habet, loquendo de rigore juris, adigi poſſe ut hæc, ſive intra Tribunal, ſive extra, Epiſcopo ſuo declaret. Ita contra Sambovium Pontas hic caſ. 17. Et hanc praxim ſervatam vidi a Superiore, cui nec pietatis, nec ſcientiæ defectus objici queat. Hujus methodi ratio hæc afferri poteſt, quod reſervatio prout nunc viget, uni pene tantum Confeſſario incommoda ſit; quatenus ei incumbit cura ad Epiſcopum, ejuſve Vicarios ſcribendi, ut ab hoc vel illo caſu abſolvat: dum interim id ſolum oneris habet Pœnitens, ut dies aliquot reſponſum expectet. Addebat Vicarius quidam generalis ſe hujuſce agendi rationis in ſpeciem acerbæ utilitatem aliquando fuiſſe expertum. At ſi expertus ſimul eſſet murmura, oblocutiones, receſſum a Tribunali Pœnitentiæ, ſacrilegia, ipſum etiam aliquando recurſum ad Apoſtolicam Sedem, quæ ex ea praxi ſcaturiebant; ſenſiſſet forſitan, quod vetus fert adagium, *nihil boni magis eſſe inimicum, quam melius*. Dicendum igitur cum eodem Capeavillæo ibid. *Superiorem noniſi ex gravi*, forſanque ex graviſſima *cauſa* ſic agere debere. Neque tamen reſervatio, poſitis rebus ut ſunt, nihil omnino prodeſt. Conſtat enim 1. plures ex iis qui non omnem pietatis ſenſum exuerunt, a crimine per ipſum reſervationis nomen deterreri; 2. graviter pleriſque incommodum eſſe quod pluries ob eandem culpam ad Tribunal accedere teneantur; 3. eoſdem graviori ſubjici pœnitentiæ, cum reſervati quid commiſere; 4. immania quædam eſſe ſcelera propter quæ ſanciri poſſit ut ſemper ad majorem Pœnitentiarium remittantur, niſi hæc accuſaverint ſub finem confeſſionis, quam ægre admodum ſint iteraturi. His, ſi non ſufficiant, nihil vetat quominus alia adjici poſſint: dummodo ſemper caveatur, ne nimia mole gravatus Pœnitens deficiat ſub onere, & verum fiat quod dixit Gerſo, innumeros eſſe qui propter caſuum reſervationem damnentur. Sane tametſi conſtat eum qui caſus nimio plures reſervat, valide reſervare, prout cum aliis docet Layman Cap. 12. n. 5. fatentur tamen non pauci, eum mortaliter ideo peccare. Quidni igitur peccet, qui acerbius reſervat?

598 Quæres 11. an Confeſſarius, qui a Superiore obtinuit facultatem abſolvendi ab inceſtu aut alio caſu pœnitentis, poſſit eum non ab illo tantum peccato abſolvere, ſed & ab aliis quorum Pœnitens recordatus fuit, aut quæ poſtmodum commiſit. R. ponderanda eſſe verba quibus in hujus facultatis conceſſione uſus eſt Superior. Si verba generalem ſenſum præferant, ut iſta quæ frequenter adhibentur: *Licet Confeſſario latoris præſentium ipſum a caſibus reſervatis, pro hac vice abſolvere*: poterit is Pœnitentem, non ab inceſtu tantum, ſed & aliis quæ commiſerat, aut poſtea commiſit reſervatis ſemel abſolvere, cum ſcilicet eum abſolutioni maturum judicabit. Si vero Superior reſponderit, *fiat ut petitur*, ſeu ſignificet ſe id tantum indulgere quod poſtulatum eſt; tunc videndum an crimen quod poſtea meminit aut commiſit Pœnitens, idem ſit ſpecie cum eo

quod

quod accuſaverat, ac proinde numero duntaxat diſtinctum; an vero ſpeciei ſit diverſæ. Si primum, ab eo abſolvere poterit Confeſſarius (niſi Superior facultatem ſuam ad numerum ſibi expoſitum limitaverit.) Qua de re argue a pari ex iis quæ dixi Tom. 2. de diſpenſat. p. 3. Cap. 1. n. 13. Si ſecundum, non poterit; quia ex veteri effato, *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum*: qui autem pro caſu iſto licentiam dat, non vult dare pro alio, de quo nequidem cogitat.

Duo hic moventur dubia, 1. an qui incaute petiit licentiam abſolvendi 599
a caſu non reſervato, vi facultatis hujus abſolvere poſſit ab alio caſu reſervatiſſimo, quem poſtmodum detexit in Pęnitente. 2. An qui licentiam obtinuit abſolvendi aliquem a caſu reſervato, poſſit, ſi eum deinceps non abſolvat, vi facultatis hujus alium quempiam ejuſdem peccati reum abſolvere.

R. ad 1. negat. poſito quod caſum hunc diſtincte expreſſerit Superiori; 600
quia nihil eſt cur præſumatur hæc ejus intentio fuiſſe. Quod autem Confeſſarium ab errore ſuo non retraxerit, inadvertentię tribui poteſt, niſi ut ſæpius Romæ contingit, id factum dicatur ad pacandam vel Pęnitentis, vel ipſius etiam Miniſtri conſcientiam. Idem dixerim, etiamſi caſum hunc non expreſſerit Confeſſor, modo hunc deſignate animo conceperit. *Siquidem*, ait apud Pontaſium hic caſ. 23. Pellizarius, *conceſſio fit juxta tenorem petitionis, ac proinde cum Confeſſarius intenderit petere facultatem abſolvendi a caſu reſervato, quem tunc animo deſignaverat, licet exterius non expreſſerit; hujus facultatem Superior intendit concedere, & non alterius.*

R. ad 2. negat. contra Bail. ſequitur ex modo dictis: Si enim Supe- 601
rioris intentio ad intentionem Confeſſarii relativa ſit, nihil aliud voluit Superior, quam quod voluit Confeſſarius ipſe, cum abſolvendi facultatem petiit. Porro facultas hæc talem numero perſonam ſpectabit, non aliam. Et vero quis obtenta Titio irregularitatis occultæ diſpenſatione, hanc Paulo in Titii defectum applicare auſit?

Quæres 12. an qui ex ſpeciali Superioris licentia ſibi Confeſſarium ele- 602
git, per eum poſſit a reſervatis abſolvi. R. negat. ex Cap. *De Pœnit. & remiſſ. in 6.* ubi ſic Bonifacius VIII. *Si Epiſcopus ſuo ſubdito conceſſerit, ut ſibi poſſit idoneum eligere Confeſſorem: ille quem is elegerit, in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur, nullam habet penitus poteſtatem.* Et vero ad minus dubia eſt & incerta Epiſcopi voluntas in hoc caſu. Atqui dubiam Superioris voluntatem interpretari, ipſius eſt ſolum non alterius, ex Lege *inter*, Cod. *De Legibus.*

Quæres 13. an poteſtas a reſervatis abſolvendi expiret per ceſſum vel 603
deceſſum Superioris. Affirmant poſt S. Antoninum Pontas hic caſ. 13. & Nat. Alexander Cap. 5. art. 5. Reg. 36. non quidem quoad Majores Pęnitentiarios, quorum facultas ſine gravi multitudinis damno expirare non poſſet per mortem delegantis; ſed quoad alios Sacerdotes. Verum deciſio hæc, quæ nobis grave olim poſt mortem Em. Card. Noallii dubium movit, omnino rejicienda eſt; 1. quia nulla ſolida ratione nititur; 2. quia graviſſima traheret incommoda. Quid enim ſi Pariſiis vel Romæ moriatur Epiſcopus, & tota quindena paſchali notos & ignotos a reſervatis abſolvant delegati ejus; 3. quia pari de cauſa expiraret poteſtas a communibus etiam peccatis abſolvendi; cum hæc tantum ſit delegata; 4. quia ex Reg. 16. Juris in 6. *Decet conceſſum a Principe beneficium*

eſſe

eſſe manſurum; nec expirare *re etiam integra per obitum concedentis*, ex Cap. 36. *De Præb. in 6.* quod ipſe Pontaſius in dimiſſorialibus litteris admittit, v. *Dimiſſorie*, caſ. 2. Vide quæ de his & ſimilibus dixi Tom. 3. ubi de Legibus, Cap. 6. in fine, & animadverte id quod contra definierat clariſ. D. Babin in Collat. Andeg. bis fuiſſe retractatum, prout hic videris apud eruditum ejus Continuatorem, Tom. 1. pag. 450. Quod objicit Pontas, non eſse penes Epiſcopum, ut gratiam Succeſsori ſuo noxiam concedat; nullius omnino eſt momenti: cum Epiſcopus ſtatim ut Sedis ſuæ poſseſſionem iniit, quidquid in hoc vel ſimili caſu a deceſsore ſuo indultum eſt, revocare valeat.

604 Saltem, inquies, poteſtas delegata non in genere conceſsa, ſed in gratiam perſonæ particularis, re integra, ſeu nondum incepta hujus confeſſione, ceſsare debet, ſi delegans excedat e vita vel ab officio. Hęc enim gratia non eſt *facta*, ſeu completa, ſed tantum *facienda*, donec uſus ejus fuerit inchoatus. Et vero Bonifacius VIII. cit. Cap. 36. *De præb.* Statuit quod *ſi ſuper proviſione certæ* cuidam *perſonæ facienda*, *ſit poteſtas* alicui *data, non ob ſuam*, *ſed ejus cui provideri mandatur*, *gratiam* ∴ *illa quidem expirat omnino*, *ſi concedens re integra moriatur*.

605 R. cum Suarez & aliis quos citat & ſequitur Cabaſsut Lib. 9. Theor. &c. Cap. 14. n. 8. parem eſse conditionem gratiæ quæ delegato vel generatim, vel in favorem particularis perſonæ conceditur; 1. quia huc faciunt rationes omnes ſuperius allatæ; 2. quia ſi Prælatus cuipiam tribuerit facultatem eligendi ſibi quem volet Confeſsarium, facultas illa poſt Concedentis mortem ſtabit, juxta communiorem Theologorum ſententiam; & tamen gratia hæc particulari perſonæ conceſsa erat; 3. quia Cap. 36. *de præb.* quod pene ſolum in præſenti objicitur, reipſa nihil probat. Tum quia in eo agitur de cauſis fori externi, e quibus ad forum conſcientię nulla eſt illatio; tum quia in eo ſermo eſt de re admodum odioſa, nempe de mandato conferendi Beneficium ad nutum Papæ, contra vel præter voluntatem Epiſcopi: porro odioſa hæc reſtringi debet. At vero in præſenti materia ſermo eſt de re admodum favorabili. Ita ferme Cabaſsut.

606 Ex his deducere eſt conceſsam alicui facultatem excipiendi confeſſiones, ſeu Monaſterii totius, ſeu hujus ſpeciatim Sanctimonialis, re etiam integra per Epiſcopi obitum non expirare. Multominus expirabit per mortem Vicarii generalis: is enim non ſuo, ſed Epiſcopi nomine approbat.

607 Quæres 14. an reſervationem incurrant, qui vel ab Epiſcopis juriſdictione immunes ſunt, vel in loco exempto aut nullius Diœceſis, peccatum ab eodem Epiſcopo reſervatum perpetrant.

R. ad 1. negat. is enim ſolum per reſervationem vel cenſuram ligari poteſt, in quem Epiſcopus juriſdictionem habet. Hanc autem non habet in eos qui ab ipſa immunes eſse ſupponuntur. Unde ſi aleam aut venationem reſervaverit, aut cenſura affecerit Epiſcopus, neutram incurrent Canonici ab ejus juriſdictione exempti. Hi tamen, ſi grave in Dięceſi ſcandalum preberent connivente Capitulo, ab Epiſcopo per cenſuras coerceri poſsent; quia ad eum devolvitur juriſdictio, cujus in gravi caſu exercitium negligunt Superiores immediati. Ita Fromageau v. *Exemption*.

608 R. ad 2. non parum eſse diſcriminis locum inter exemptum, & locum nullius Dięceſis. Exempta enim loca nihilominus cenſetur in Diœceſi: contra

contra vero loca *nullius Diœceſis*, licet forte intra Diœceſis limites poſita ſint, juris tamen fictione cenſentur prorſus a Diœceſis finibus diſſita & avulſa *, uti notat Cabaſſut Lib. 1. Cap. 10. n. 1. & plenius SS. DD. N. Papa Benedictus XIV. in Tract. de Synodo Diœceſ. Lib. 2. Cap. 10. n. 2. & ſeq. His præmiſſis generatim docent Auctores plerique, poſt Sylveſtrum v. *excommunicatio* II. n. 12. Armillam eod. V. n. 30. Avilam p. 2. de cenſuris Cap. 3. diſp. 2. dub. 5. Layman de Legibus Cap. 11. n. 5. nullam tunc incurri vel cenſuram, vel reſervationem. Ratio eſt quia locus exemptus & locus extra territorium æquiparantur; unde tametſi locus exemptus eſt intra territorium quantum ad ſitum, non tamen quantum ad juriſdictionem. Porro ex trita juris regula: *Extra territorium jus dicenti non paretur impune*, Cap. 6. *De conſtit. in 6.* Idem fuſe & ſolide probat Suarez diſp. 7. de cenſuris Sect. 4. n. 5. At ubi ad rem devenit, magnam partem ceteris adverſatur: *Intelligendum cenſeo*, ait n. 6. *per locum exemptum, non Eccleſias aut Monaſteria Religioſorum exemptorum; quæ nonniſi ratione talium perſonarum exempta vocantur, & ideo ſi aliæ perſonæ ſubditæ Epiſcopis intra ea frangerent Statuta Epiſcoporum, cenſuras eorum ſine dubio incurrerent. Loca* igitur *exempta proprie dicuntur Parochiæ aliquæ aut oppida, quæ quoad ordinariam juriſdictionem Eccleſiaſticam exempta ſunt.* At reſtrictionem hanc uti aliis paſſim Theologis ignotam rejicit Laymanus ubi ſupra.

* De Membrès.

609 Fateor, hic, ut in pluribus, hærere mihi aquam. Non deſunt hodieque quibus tuta videatur Laymani opinio, 1. quia receptior & communior; 2. quia, rebus mature inſpectis, nihil habet Oppidum, unde melior ſit conditio ejus quam Monaſterii; 3. quia qui in certa hypotheſi ſentit onus, debet in hypotheſi contraria ſentire commodum. Porro ex natura rei; & præciſis Regnorum uſibus, qui in Monaſterio Libros ſubriperet, excommunicationi, ſi quæ contra ejuſmodi fures legitime ſancita eſſet, ſubjiceretur. Ergo a contrario, &c. 4. quia nihil hinc detrimenti pateretur diſciplina Diœceſis in qua jacet Monaſterium. Qui enim in eo caſum Diœceſana Lege reſervatum commiſiſſet, extra limen a nemine niſi pro reſervatis approbato ſolvi poſſet. Haud equidem incurriſſet cenſuram; at ea *ab homine*, quod gravius eſt, percelli poſſet.

Verum hæc flatu oris ſui diſſipat Gabriel Concinna ubi infra pag. 570. *Hæc opinio*, inquit, *evidenter falſa eſt, & nimium laxa.* Nihil ſane nocuiſſet aliquantula aſſertionis hujus probatio. Ut eſt, ſi cui ſcrupulum faceſſat deciſio iſthæc a nobis timide, & quaſi repugnanter propoſita, ſponte ſuadebimus, ut obtenta ad id licentia, abſolvat ad cautelam. Et vero concubitus cum Sanctimoniali, nulla facta loci diſtinctione, multis in Diœceſibus reſervatur.

Quæres 15. an ſæcularis Sacerdos a reſervatis abſolvere poſſit Regularem.

610 Non procedit hæc quæſtio de Regularibus Epiſcopo ſubjectis: hi enim ab ipſo vel per ipſum habere debent ſuos proprios Sacerdotes a quibus abſolvantur; uti notat Suarez Tom. 4. de Relig. Tract. 8. Lib. 2. Cap. 15. n. 2. pag. mihi 129.

611 Sed neque de iis exemptis ſermo eſt, qui actu in Clauſtro degunt, aut quempiam e grege ſuo habent cui confiteri valeant: ii enim cum ab Epiſcopo quantum ad juriſdictionem non pendeant, ſed a ſuis tantum Superioribus, ab iis duntaxat, aut eorum delegatis, ſive hi Regulares ſint, ut eſſe

ſolent,

ſolent, ſeu Seculares, non autem ab approbatis ab Epiſcopo ſolo, poſſunt valide abſolvi. An idem dicendum ſit de Novitiis controvertitur, & ideo tutius fuerit eoſdem ad ordinarios ſuos Confeſſores, vulgo Novitiorum Magiſtros, remitti: cum per eos a caſibus ipſi etiam Epiſcopo reſervatis, quos in ſeculo incurrerunt, abſolvi valeant: (quod & ad Poſtulantes extenditur) de quo adi Pontas v. *Approbation*, caſ. 15.

612 Neque etiam agitur de iis, qui, ut factum vidi, ſpecialem obtinuiſſent a Papa, vel a Superiore ſuo licentiam confitendi apud Secularem: Hi enim a Sacerdote etiam per Epiſcopum minime approbato abſolvi poſſent; niſi aliud exigeret facultas ipſis indulta, quæ attente ponderanda foret. An autem is qui hanc a Papa obtinuiſſet facultatem, Superioris ſui aſſenſum petere teneretur, dubitari poteſt; Sic enim præcepiſſe videtur Clemens VIII. per Bullam *Romanis Pontificis*, 24. Nov. 1599. Quia tamen grave id plerumque ac moleſtum foret Superioribus, iis præſertim qui miſerum hominem oderunt; quique ſe ſuoſque deſpici conquererentur: auctor ſum illis qui in hoc anguſtiarum caſu verſantur, ut ab ea Clementinæ Conſtitutionis parte diſpenſari curent. His ergo prætermiſſis.

Bullarii Tom. 3. p. 100.

613 Dubitatur 1. An ſecularis ab Epiſcopo deputatus ad excipiendas Monialium exemptarum confeſſiones, ſeu quia iis Confeſſarios præfixo per Tridentinum tempore deneget Superior; ſeu quia eas in ſpiritualibus regat Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus; poſſit eas a reſervatis abſolvere, ſi pro his ſpecialiter non ſit approbatus.

614 Videtur quod ſic; quia Moniales illæ, utpote ab Epiſcopi juriſdictione exemptæ, nullam ejus reſervationem incurrunt. At, inquis, peregrinus qui in propria ſua Diœceſi deliquit, a juriſdictione Pariſienſis Archiepiſcopis immunis erat, nec tamen Pariſiis a communi Confeſſario ſolvi poteſt. Fateor ita eſſe: ſed peregrinus ille jam eſt in loco, ubi viget reſervatio: prædicta vero Monialis eſt in loco ubi eadem non viget. Saltem, ais, limitata eſt prædicti Confeſſarii juriſdictio: juriſdictione autem quoad caſus reſervatos limitata nemo in iiſdem caſibus uti poteſt. At quidni dixerim, limitatam eſſe hanc poteſtatem erga perſonas & loca minime exempta, non quoad iſthæc, in quibus non agit virtute ordinaria, Epiſcopus, ſed vi delegata:

615 Aliter ſentiunt Sylvius in Reſolutionibus variis v. *Caſus reſervatus* 2. Pontas hic caſ. ult. Collator Andeg. Tom. 1. pag. 475. iiſque adhærendum, tum quia tutior ſit eorum opinio; tum quia qui virtute Epiſcopi agit, juriſdictionis ejus modum ſequi debet. Ut autem omne ſuſpicionis, vel generalis etiam infamiæ periculum vitetur, ſatius fuerit, ut qui præſertim mali quid certis in Communitatibus ſubodoratur, facultatibus neceſſariis ſe ſe curet inſtrui, priuſquam operi incumbat.

616 Sed num poterit idem Sacerdos pro reſervatis non approbatus, Moniales præfatas abſolvere a caſibus in earum Ordine reſervatis? Poterit, quia habebit ſe quaſi qui excipit confeſſionem Pœnitentis territorii alterius. Is porro ex dictis ſupra poteſt eum abſolvere a peccatis quæ in illa Diœceſi, non autem in Confeſſoris Diœceſi reſervata ſunt: ita idem Coll. Andeg. p. 476. Quia tamen deciſio hæc nonnihil difficultatis habet, malim recurri ab Epiſcopum, qui ut S. Sedis delegatus facultatem hanc impertiri poteſt.

617 Dubitatur 2. qua ratione gerere ſe debeat ſæcularis Sacerdos cum Regulari qui ad eum de Superioris ſui licentia accedit.

R. Vi-

R. Videndum quid Superior permiſerit Inferiori. Si permiſit ut a peccatis in Ordine reſervatis abſolveretur, utique poterit ab iis abſolvi, quia hanc facultatem commiſit Superior. Imo & a peccatis in Diœceſi reſervatis a communi Sacerdote poterit abſolvi; quia non intendit Epiſcopus, quoad ejuſmodi perſonas limitare juriſdictionem Confeſſarii: cum ipſæ de Superioris ſui auctoritate Sacerdotem etiam ab Epiſcopo nullatenus approbatum eligere poſſent, niſi obſiſterent Sedis Apoſtolicæ vel Ordinum Decreta. Quod ſi Superior nullam caſuum in Ordine reſervatorum mentionem fecerit, curandum erit ut eam obtineat Pœnitens, niſi ſatius judicet ad Apoſtolicam Sedem recurrere. Quanquam mavult Sambovius Tom. 2. caſ. 177. n. 7. ut, ſecluſa gravi cauſa, Regularis reſervato cuipiam in Ordine caſui obnoxius, ad Monaſterii ſui Confeſſarios remittatur. Poterit tamen Epiſcopus, ait idem Doctor, licentiam hanc largiri, ſi Regularis ad eam Diœceſim non confugerit in fraudem reſervationis hujus. Sed ad quid Epiſcopi licentia, ſi reſervatio non ſequitur Pœnitentem, & is hic & nunc jus habeat confitendi?

Dubitatur 3. quid faciendum Sæculari, quem ſtationis tempore adit 618
Regularis, ut ab ipſo reconcilietur.

Reſpondet P. Antonius, interrogandum eſſe hujuſmodi Pœnitentem, quid ferant Religionis ſuæ Statuta, quid negent, quidve concedant. Sane, ait Cap. 3. art. 1. q. 3. n. 4. *Religioſi a domo ſua abſentes* didiciſſe debent *ex Superioribus ſuis, vel ex Statutis Religionis ſuæ, vel ex recepta conſuetudine, quibus* & quatenus *confiteri poſſint. Quod ſi circa hoc nec Superior, nec Religio aliquid ſtatuerit, cenſetur permittere ut confiteantur cuilibet Sacerdoti approbato, ſi non habeant ſocium ſui Ordinis Sacerdotem*. Si autem exigit Religio ut Regularis ei tantum qui ab Epiſcopo approbatus ſit, confiteatur (etſi ex natura rei *non requiritur Epiſcopi approbatio ad audiendas confeſſiones Religioſorum*, ſed Monialium duntaxat, ut paulo ante ait idem P. Antonius) exigere poteſt, ut Regularis qui reſervatum caſum incurrit, nonniſi a Sacerdote pro reſervatis approbato ſolvatur. Sic autem corruet difficultas quam in fine nu. 617. movebam adverſus Sambovium. Sed num Sæculari pro reſervatis per Epiſcopum approbato facultatem hanc tacite tribuit Superior Regularis? Negare videtur Martinus Wigand e Prædicatorum familia, in ſuo Tribunali Confeſſariorum, Tract. 13. n. 84. pag. mihi 646. *tum quia caſus ſpeciales, uti ſunt qui reſervantur, non veniunt in generali conceſſione, niſi exprimantur: tum quia extranei Confeſſarii non poſſunt plus quam intranei, ſeu Ordinis*: Hi autem ſine ſpeciali Superioris licentia *non poſſunt* abſolvere a reſervatis. Vel ergo ad Superiorem recurrendum erit, ſi res moram patiatur; vel ad ſpecialem Epiſcopi licentiam, ut ſupra innuebat Sambovius.

Dum hæc ſcribo, commodum occurrunt mihi hæc quæ nodum omnem 619
ſolvunt Benedicti XIV. verba in Tract. de ſacrificio Miſſæ Lib. 3. Cap. 11. nu. 8. pag. mihi 323. *Cum comperiſſemus in quantis nonnunquam anguſtiis* Religioſi, qui *vel in itinere ſunt, vel in aliquo morantur loco cum bona Superiorum venia* .... *Litteris noſtris ſub forma Brevis die 30. Martii 1742. cuilibet eorum, ſive Sacerdoti, ſive Converſo, dum extra clauſtra moratur, cum bona venia, & in loco, ubi non alius quiſpiam ex eorum Ordine reperiatur, facultatem conceſſimus confitendi peccata & abſolutionem recipiendi a quocumque Sacerdote, qui*

vel

vel Sæcularis a ſuo Ordinario, vel Regularis a ſuo Superiore ad confeſſiones audiendas ſit approbatus. Quam facultatem extendimus etiam ad caſus juxta Conſtitutionem Ordinis reſervatos, & ad cenſuras in quas inciderint; addita obligatione tamen, ubi primum potuerint coram Superiore ſe ſiſtendi, & nova ab illis caſibus & cenſuris abſolutionem impetrandi.

Monet ibid. Wigand n. 83. quod ſi Regularis Confeſſarium Ordinis ſui habere poſſit, ejus apud Sęcularem confeſſio ſit nulla; quod, inquit, de Dominicanis clare patet ex eorum conſtitutionibus. Sed eane Lex in Ordinibus univerſis recepta ſit, mihi incertum eſt.

620 Quæres 16. quam incurrant pœnam qui ſine licentia abſolvunt a reſervatis. R. ex Clementina I. *De Privilegiis*, Regulares, *qui excommunicatos a Canone .·. vel a Sententiis per Statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis .·. abſolvere quemquam* ſine licentia *præſumpſerint*, *excommunicationis* Rom. Pontifici reſervatæ *ipſo facto incurrere ſententiam*; a qua, utpote quæ *præſumptionem* exigat, excuſant bona fides & ignorantia, modo non affectata. Ita Suarez de cenſuris diſp. 21. in fine.

621 An autem feriat cenſura iſthæc eos, qui a cenſuris in Bulla Cęnæ contentis abſolvunt, pendet a quæſtione an Bulla illa rationem habeat Canonis, an ſententiæ vel proceſſus ab homine. Poſtremum admittunt plures, quia Bulla hæc perpetua non ſit, ſed annis ſingulis promulgari indigeat. Reclamat utcumque Suarez cit. diſp. Sect. 1. n. 2. Quæ quia ad nos non ſpectant, latius non proſequimur. Ubi vero eadem viget Bulla*, qui a caſibus in ea contentis abſolvere præſumunt, ſeu Religioſi ſint, ſeu Sęculares, excommunicationem ipſo facto, ſed minime reſervatam incurrunt, teſte eod. Suarez, ibid. Sect. 3. n. 6. Nec obeſt quod Canone 17. ejuſdem Bullæ reſervatam excommunicationem incurrant, qui Eccleſiaſticam uſurpant juriſdictionem, quod faciunt, qui a reſervatis ſine juriſdictione abſolvunt. In eo enim Canone non agitur de juriſdictione pure ſpirituali, ſed de juriſdictione Eccleſiaſtica, prout temporale dominium importat. Fertur enim in eos qui *juriſdictiones*, *ſeu fructus*, *reditus & proventus uſurpant*.

622 Quod ſpectat ad ſeculares Presbiteros extra ſpheram Bullæ *in Cœna* poſitos, nullam ii, a reſervatis temere abſolvendo, pœnam incurrunt de jure communi; quia nulla eis conſtituta eſt. Ita Pontas hic caſ. 24. qui tamen male id poſt S. Antoninum ad Regulares ipſos extendit, ſi ſermo ſit de abſolutione caſuum, quibus annexa ſit excommunicatio, ut patet ex cit. Clementina; quam ut in uſu poſitam commemorant Regulares.

SECTIO SEPTIMA.

De poteſtate Regularium quantum ad caſus reſervatos.

REGULARES in Tribunali qui vel aliquos aliquaſve ex Ordine ſuo regunt, vel Regulares alterius Ordinis, vel utriuſque ſexus ſeculares. Quid poſſint ſub triplici illo reſpectu paucis inveſtigandum.

Quæres

* „ Adverte, ait Henno, pag. 275. Bullam Cœnæ eſſe hic in vigore, quidquid dicant „ aliqui volentes non eſſe debite publicatam & receptam. Quandoquidem Congregatio „ ſupremæ & univerſalis Inquiſitionis condemnaverit anno 1657. hanc aſſertionem ut ſchiſ„ maticam, ſcandaloſam, falſam, &c. Idem tamen pag. 296. contrarium utcumque in„ nuere videtur.

Digitized by Google

Quæres itaque 1. quid poſſint Regulares quantum ad familiam ſuam.
Prænot. per familiam Regularium intelligi, vel Religioſos Ordinis jam 623
profeſſos, vel Novitios & Poſtulantes; vel eos qui licet Sæculares in perpetuum eorum domibus ſunt alligati; vel famulos, qui iis ad tempus pro ſuo vel Dominorum nutu deſerviunt. His poſitis,

R. 1. Monachi, aliique Regulares, qui mutuo ſe percuſſerint, poſſunt 624
abſolvi a ſuo Prælato, ex Cap. *Monachi* 2. *De ſentent. excom.* Idque *in Religionis favorem, & ut evagandi*, Romanam Sedem adeundo, *materia ſubtrahatur*, Cap. 32. eod. tit. extenditur etiam ad eos, qui ante ingreſſum Religionis, tale quid commiſerunt, *niſi exceſſus ipſorum extiterit difficilis & enormis*, de quo infra n. 626.

R. 2. Prælati Regulares exempti, ſaltem Mendicantes, & qui cum eis 625
in privilegiis communicant, a caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, ſubditos ſuos abſolvere poſſunt, modo iidem caſus non ſint enormes. Ita nimirum Dominicanis, iis proinde qui cum iiſdem in privilegiis communicant, indulſit Pius V. per Bullam *Rom. Pontificis*, quæ inter Bullas ejus eſt n. 132. ſic ille: *Quia ſacrum œcumenicum Concilium Trid. conceſſit Epiſcopis, ut abſolvere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout Seſſ. 24. Cap. 6. habetur* ∴ *Superioribus Prælatis, ut ipſi per ſe ipſos idem omnino poſſint in Fratres & Moniales dicti Ordinis*, nempe Dominicani, *ſibi ſubditos, tam quoad abſolvendi & diſpenſandi hujuſmodi, quam alias quaſcumque facultates, eiſdem* ∴ *tenore etiam perpetuo, concedimus, &c.*

Idem ferme quoad Religionem ſuam tradit Anaclet. Reiffenſtuel, 626
Ordinis S. Franciſci, eruditus Canonici Juris interpres, in tit. *De hæreticis* ubi ſic, n. 421. *ex Apoſtolica conceſſione poſſunt Generales & Provinciales, eorumque Vicarii & Cuſtodes in ſuis Cuſtodiis, Fratres ſibi commiſſos, vel* Fratres *ad eos undequaque declinantes*, (qui hoſpites dicuntur) *ab omnibus caſibus in quos inciderint, ſive ante, ſive poſt ingreſſum Ordinis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, (hæreticis relapſis,) Schiſmaticis, Litterarum Apoſtolicarum falſificatoribus, ad partes Infidelium prohibita deferentibus, Bigamis & homicidis voluntariis exceptis ;* (qui ſunt enormes caſus de quibus ſupra) *abſolvere, ac etiam in quibuſvis ſententiis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, a jure, vel ab homine generaliter promulgatis, ac etiam diſpenſare in irregularitatibus propter dictas ſententias, aut ob celebrationem divinorum in locis interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſitis, vel ob ſuſceptionem Ordinum cum prædictis cenſuris contractis, & ab iiſdem caſibus a propriis, quos ſibi elegerint, confeſſariis diſpenſari.* Pergit idem canoniſta: *Ita verbatim ſonant Statuta noſtra generalia noviſſime recognita, a Sede Apoſtolica confirmata, & a Reformata Provincia Bavariæ acceptata*, quibus *omnino inſiſtendum cenſeo*. Eadem ferme videris apud Emmanuelem Rodericum tom. 1. qq. Canon. & regul. q. 20. art. 1. ubi eandem facultatem Carmelitis conceſſam eſſe animadvertit, quod & alii advertunt quoad Benedictinos, alii quoad Cœleſtinos &c.

Dixi 1. *Prælati*, quales ſunt Generalis in toto Ordine, Provincialis in 627
diſtrictione ſua, Prior conventualis in ſuo Conventu, ejuſque abſenti Vicarius, hoc tamen diſcrimine quod priores duo delegare poſſint; poſterior vero non item, ſaltem in quibuſdam Ordinibus: qua de re quiſque Religionis ſuæ leges conſulere & exequi debet.

628 Dixi 2. *Religioſi exempti:* qui enim Epiſcoporum juriſdictioni ſubjacent nonniſi a Sacerdotibus per eos approbatis abſolvi poſſunt, ut ſupra nu. 610. animadverti ex Suarez: Quod ſi, ait idem ibid. *circa hoc habuerint aliqua ſpecialia privilegia, juxta illa debent quoad hanc partem, ſeu juriſdictionem, ab Epiſcopis gubernari.*

629 Dixi 3. *Saltem Mendicantes:* Religioſi enim, qui recentius ſcripſere, & quos, utpote in his materiis exercitatos, præ ceteris conſuli oportet, de quibuſcumque Regularibus loqui videntur. Sic idem Anacletus ibid. nu. 419. generatim ait: *Regulares Prælati, Generales & Provinciales, poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, a quibus poſſunt Epiſcopi ſuos abſolvere de jure communi. Ita communis Doctorum, quos citat & ſequitur Herincx.* Idem nec minus generaliter tradit Henno, & probat, tum *ex praxi ubique recepta, ſecundum quam inauditum eſt, Regularem aliquem exemptum pro alicujus criminis abſolutione, ad Epiſcopos recurriſſe, ex quo fuerunt ab eorum juriſdictione ſubtracti S. Sedis auctoritate.* Tum quia *jam in confeſſo eſt apud omnes,* Majores Religionum Prælatos habere *in ſuos juriſdictionem quaſi epiſcopalem:* quod quidem traditur cap. *Abbates* 3. *De privilegiis in* 6. Ad quid vero tanta hæc juriſdictio, quæ ut notat Anacletus, ab Epiſcopis translata eſt ad Regulares per eorum exemptionem, niſi id quoad ſubditos ſuos poſſint, quod Epiſcopi erga Diœceſanos.

630 Concinunt ceteri ejuſdem inſtituti Auctores: *Certum eſt.* ait R. P. Felix Poteſtas, in Opere pluries impreſſo, cui titulus: *Examen Eccleſiaſticum* tom. 1. part. 4. cap. 5. *Prælatos Regulares poſſe ſuos ſubditos & Novitios abſolvere ab omnibus caſibus, ſive ab homine, ſive a jure, reſervatis Papæ extra Bullam Cœnæ;* imo & intra Bullam hanc, ſi eidem Auctori ſit fides. Idem obiter tradit notus ille Daniel Concina in fulmineo de Pœnitentia Tractatu Lib. 2. Diſſ. 2. §. 2. n. 8. Romanis typis edito an. 1750. Sic ille generatim pag. 571. *Prælati Regulares jure ordinario, in quantum ſcilicet ſunt Paſtores ordinarii, poſſunt vi ſui muneris ſubditos ſuos ab omnibus culpis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis abſolvere, & in iis omnibus diſpenſare, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſubditis ſuis: quia Prælatis Regularibus juriſdictio quaſi Epiſcopalis competit.*

Dixi 4. *& qui cum eis communicant in privilegiis,* id eſt qui a ſancta Sede illud recepere privilegium, ut gratiæ uni Ordini conceſſæ, ad ſuum quoque Ordinem ſtatim pertineant, de quo late Interpretes in tit. 33. Lib. 5. Decretal. Conſtat porro Ordines quotquot ſunt Mendicantes *abſolutam, perfectam, & pleniſſimam* habere *communicationem privilegiorum; prout omnes Doctores hac de re ſcribentes unanimiter docent, atque ex variis Conſtitutionibus Pontificiis, præſertim Julii II. Leonis X. & S. Pii V. manifeſte patet.* Ita idem Anacletus in tit. *De privilegiis* n. 55. qui & id n. 64. extendit ad ea etiam Societatis Jeſu privilegia, quorum diplomate cautum eſt, ne communicentur: quia clauſulam hanc revocavere ſubſecuti Pontifices.

631 Sed num ego præfata a caſibus Papæ reſervatis abſolvendi licentia careant Regulares Prælati, qui nec ſpecialia habent privilegia, nec ſunt e Mendicantium grege?

R. 1 Mihi quidem nihil jam eſt dubii quin Regulares exempti ea poteſtate præditi ſint; tum quia id probant rationes ſupra n. 629. allatæ; tum quia id generatim docent Auctores: atque licet voculam, *præſertim Mendi-*

Digitized by Google

Mendicantes, adhibeant eorum nonnulli, quod & nos fecimus, nemo tamen jus illud ceteris abjudicat, qui & eorum quidam, qui cum laude citantur ab aliis, facultatem illam diſerte adſcribunt omnibus; Sic, qui materiam hanc inepte verſat Auctor Examinis Eccleſiaſtici pag. mihi 177. & 178. edit. fol. *His*, inquit, *privilegiis abſolvendi a Pontificiis caſibus*, *gaudent per communicationem omnes alii Regulares, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, ſeu Monachales. Regulares enim ex pluribus Juribus apud Rodrig. in compendio reſol. 116. communicant in omnibus privilegiis conceſſis aut concedendis, tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus*. Demum qui unus pro millibus eſt Benedictus XIV. Lib. 3. de Sacrificio Miſſæ, cap. 11. n. 7. generatim & indiſtincte, *nemo eſt*, inquit, *qui neſciat Regulares Præſidibus ſuis, quos communi nomine Superiores vocant, in foro ſacramentali eſſe ſubjectos: Superiores autem auctoritate abſolvendi ſibi ſubjectos, plerumque non uti niſi in caſibus reſervatis &c.* Quin & Suarez; qui timide loquitur in Tract. de Pœnit. diſp. 30. ſect. 2. n. 7. ſtatuit nihilominus tom. 4. tract. 8. de Relig. Liv. 2. Cap. 20. n. 8. & 9. 1. quod Prælatus Religionis, partim jure communi, partim ex privilegio, poteſt abſolvere ſubditos a cenſuris reſervatis Papæ, quæ in jure commiſſæ ſunt Epiſcopis. Jure quidem ordinario, quia in ſubditos juriſdictionem habet Epiſcopalem: ex privilegio autem ob citatam ſupra Bullam Pii V. in qua facultas illa conceditur Prælatis Ordinis Prædicatorum, *quo*, inquit, *privilegio aliæ etiam Religiones per viam communicationis uti poſſunt*. Quin & ibid. n. 12. refert privilegium Benedictinis conceſſum, quo ab iis etiam caſibus abſolvere poſſint, qui enormes adeo forent, ut propter eos Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda. Quod tamen privilegium quia *exorbitans*, aliis Ordinibus, imo nec forte univerſis Benedictinorum portionibus communicari crediderō.

632 Et hæc ad pii cujuſdam Novitiorum inſtitutoris levamen dicta ſunt, ſicut & ejus cenſuræ ſubjecta. Quod ſi facultatem hanc ſuſpectam habere pergat, poterit is vel ab Apoſtolica Sede jus inconcuſſum Ordini ſuo impetrare; vel recurrere ab Epiſcopum, qui quidquid poteſt benigne communicet. Regulares enim, ajebat Suareſius, re, ut videtur, nondum bene inſpecta, *quoad hæc favorabilia Epiſcopis ſubjecti cenſendi ſunt*, & multo magis ſi nihil habeant juris a Rom. Pontifice; ne alioqui deterioris ſint conditionis quam ceteri Fideles, quibus in omnibus ferme caſibus promptum ab Epiſcopis, eorumve generalibus Vicariis præſto eſt remedium.

633 Circa hæc tamen quædam notanda. Namque 1. non poſſunt Regulares vi privilegiorum abſolvere ſuos a cenſuris ab homine per ſpecialem ſententiam latis; ita idem Anacletus in tit. 39. Lib. 5. Decret. num. 257. quæ intelligo de Sententia ab alio quam a Superiore Regulari lata, puta ab Epiſcopo in caſu in quo ſaltem ut Sanctæ Sedis delegatus in Regulares per cenſuras animadvertit, quod & bene notavit Suarez Tract. 8. de Relig. Cap. 20. n. 4. pag. mihi 148. *quia*, inquit, *in eo actu Epiſcopi revera ſunt Superiores Prælati reſpectu Prælatorum Religionis*: ſeu agant ut delegati Sedis Apoſtolicæ; quia tunc ſunt quodammodo ſupremi, utpote qui utantur juriſdictione Pontificia ſibi delegata; ſeu agant ex propria auctoritate, quia tunc Regularibus ſua aufertur juriſdictio, quoad talem caſum. Hæc ille apud quem vide Privilegium a Nicolao IV. ea in materia Regularibus conceſſum.

634 R. 2. Nec poſſunt iidem Regulares abſolvere ſuos ab interdicto locali; quod proinde, ut ceteri ſervare tenentur: de quo alibi.

635 An autem poſſint Regulares abſolvere ſuos a cenſuris in Bulla Cœnæ contentis, magno animorum æſtu inter eos controvertitur. Negat Suarez cit. mox Cap. 20. n. 10. idque habet *pro indubitato*. Aliter cenſet qui materiam hanc fuſe & perite verſat Auctor Tribunalis Eccleſiaſtici ubi ſupra. Alii hærent ancipites cum Henno, qui tamen partem Regularibus favorabilem magis amplectitur. Hujus quantum ad Galliam quæſtionis deciſio penderet ab iſta, num ſcilicet Regulares, qui privilegia ſua habent a Romanis Pontificibus, eorumdem privilegiorum limitationem ab ipſis habere non debeant. Si enim res ita ſit, Bulla Cœnæ, quia in hoc Regno ab Epiſcopis minime promulgata, non ligabit Sæculares: at per eandem coarctabuntur Regularium jura; præſertim cum qui uno in puncto commodum ſentit, onus in puncto contrario ſubire debeat. Verum de hac difficultate penes eruditos ſit judicium.

636 R. 3. Prælati Regulares poſſunt Novitios ſuos, quin & Poſtulantes abſolvere, tum a caſibus Epiſcopo reſervatis, tum & ab iiſdem caſibus a quibus Profeſſos abſolvunt. Ratio eſt, 1. quia ita habet communis Doctorum ſententia, cui conſentit uſus Religionum. 2. quia Novitii in favorabilibus veniunt nomine Religioſorum; unde gaudent privilegio non Canonis ſolum, ſed & fori ac propriæ exemptionis, ut ait ibid. Suarez Cap. 17. in fine. Imo dubitat ibid. Suarez an valeat Novitii confeſſio apud extraneum facta. Vide ſupra n. 611.

637 Hic tamen duo notanda. 1. non poſſe Novitium a caſibus in ſæculo contractis abſolvi, ſi Religionis habitum induiſſet animo ejuſdem poſtea deſerendæ, quia fraus & dolus nemini patrocinantur; 2. nec eum, ſi in caſus Bullæ in Cœna ante ingreſſum Religionis incurrerit, ab iis poſſe ſolvi, etiamſi forte ab iis ſolvi poſſint Religioſi: ob Decretum Clementis VII. ann. 1530. Ita Henno pag. 295. Refert quidem Bonagratia v. *abſolutio quoad fratres* RR. PP. Capucinis Provinciæ Helveticæ ſpeciali Privilegio conceſſum fuiſſe, ut *Superiores, aliique Fratrum Confeſſarii Novitios & Sæculares Ordinem ingredi volentes, ſi ſint ex partibus in quibus hæreſes impune graſſantur, abſolvere ab omnibus & ſingulis caſibus, peccatis & exceſſibus Sedi Apoſtolicæ etiam in Bulla Cœnæ ∴∴ reſervatis pro una vice tantum in foro conſcientiæ* abſolvere valeant. Verum exceptio hæc regulam firmat.

638 Sed quid de Poſtulantibus? Reſpondet Sylvius ib. v. *Confeſſio* 1. Virgines illas & juvenes, *qui aliquot menſibus ante ſuſceptionem habitus habitant in Monaſteriis, ea intentione ut habitum ſuſcipiant*, abſolvi non poſſe ſine prævia Epiſcopi approbatione; *niſi per privilegium a Pontifice dimanatum aliter diſponatur*; quia *adhuc ſunt Sæculares: unde qui eos percuteret, non incideret in Canonem, Si quis ſuadente, &c.* At illud quod quærebat Sylvius privilegium, teſte ibid. Bonagratia, conceſſum eſt a Clemente IV. itemque Paulo III. pro Societate Jeſu; ab utroque autem hac lege, ut *niſi mox* Religionem *ingrediantur, eo ipſo in priſtinas ſententias, a quibus abſoluti fuerint, reincidant*. Vixque mihi dubium eſt quin diſciplina hæc paſſim ſit in uſu. Pontas v. *Approbation* caſ. 15. ſub finem.

639 R. 4. Prælati Regulares per ſe ſuoſve poſſunt ſine Epiſcopi licentia audire

dire confeſſiones illorum Sæcularium, qui inibi ſunt vere de familia & continui commenſales, non autem illorum qui tantum ipſis deſerviunt. Ita Clemens X. Bulla *Superna*, die 21. Junii 1670. atque hæc ultima verba ſummopere ponderanda ſunt ab iis, qui opinabantur ſe nulla quoad Monaſterii famulos indigere Epiſcopi approbatione. Vide Pontas V. *Approbation*, caſ. 15. & 16. & Sylvium in Reſol. V. *Confeſſarii approbatio*, ubi vir ſcriptis clarus, clarior modeſtia: *Meo*, inquit, (*ſalvo tamen meliori*) *judicio R. D. Abbas* Ordinis Ciſtercienſis, *melius & ſecurius faceret curare per Epiſcopum approbari eos Religioſos quos deputat confeſſionibus* hujuſmodi Sæcularium.

Quæres 2. quid poſſint Religioſi quantum ad irregularitates. R. eos 640
poſſe cum ſubditis ſuis diſpenſare in omni irregularitate, excepta ea quæ oritur ex homicidio injuſto voluntario, non caſuali; vel ex injuſta & voluntaria mutilatione; vel ex bigamia ſeu vera ſeu interpretativa, exceptis item irregularitatibus ex defectu animi vel corporis, quandiu durat defectus. At nihil nunc tale poſſunt quoad ſeculares, ex Decreto Clementis VIII. Ita P. Fœlix p. 239. vide ſupra n. 626.

Quæres 3. quid poſſint iidem Regulares Prælati quoad Moniales ſibi, 641
non autem Epiſcopo ſubjectas. R. eaſdem poſſunt ab iis omnino caſibus abſolvere, a quibus poſſunt Religioſos ſuos. Et vero a quibus de lege communi abſolverentur, quæ nulli alii ſubjacent? Excipit R. P. Fœlix Poteſtas caſum clauſuræ Regularis, in quo Moniales Epiſcopis ſubeſſe docet n. 3436.

An autem qui a Prælato ſuo præficitur Monialium directioni, eo ipſo 642
pro reſervatis caſibus approbatus cenſeatur, pendet a locorum diſciplina: *Inauditum eſt*, ait Henno pag. 299. *ſaltem in Provincia noſtra, quod Monialium Confeſſarii aliquando pro caſibus præfatis recurrant ad ſuos Provinciales. Certe*, inquit, *ſpecialem eſſe hic conceſſionis rationem fatebitur omnis ille, qui Monialium diſpoſitionem, clauſuram, communiones communes adverterit. Unde non ſatis prudenter facultas illa Confeſſariis ordinarii denegaretur.*

Subdit idem Theologus, eandem facultatem in Ordine ſuo competere, 643
1. a fortiori Confeſſariis extraordinariis qui ea plus indigent; 2. & iis qui Confeſſoris ordinarii abſentis aut infirmi vices gerunt ex Guardiani mandato; 3. & Confeſſario omni, quem ex Provincialis licentia quandoque vocant Moniales de Superioriſſæ conſenſu; niſi Provincialis facultatem illam reſtringat; 4. non ideo Regularem quempiam admitti ad excipiendas Monialium confeſſiones, quia pro Fratribus ſuis, vel pro Sæcularibus approbatus fuerit; idque ubilibet obſervari confido. Sed de his adeat quiſque Ordinis ſui Conſtitutiones.

Hic tamen duo cum eodem animadvertenda, 1. Monialium Superio- 644
riſſam non poſſe vi officii ſui permittere inferioribus ſuis, ut alteri confiteantur, quam qui vel a Provinciali deputatus eſt, vel ab Epiſcopo, in caſibus ubi a juriſdictione ejus dependent; 2. ponderanda a diverſis reſpective Prælatis verba hæc Tridentini Seſſ. 25. Cap. 10. *Præter ordinarium Confeſſorem alius extraordinarius ab Epiſcopo & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat*; non quod omnes peccata ſua confiteri teneantur, ut declaravit S. Congregatio; ſed quod nulla confiteri volens excludi debeat. Debent tamen omnes ſe ſe offerre, vel ad benedictionem, vel ad declarandum ſibi hac vice neceſſarium

non eſſe Confeſſoris extraordinarii opem; ne aliæ vel ex verecundia; vel ex inani quodam metu ordinarium Directorem offendendi, ab extraordinario illo tribunali abſcedant.

Ceterum poteſt in hoc caſu Confeſſor domum ingredi, ſi præ morbo quædam ad cratem aut Confeſſionale accedere non valeant. Interdum plus eget ſolatio infirma, quam quæ ſana eſt animo & corpore.

645 Quæres 4. quid poſſint Regulares unius Ordinis erga Regulares vel Ordinis ejuſdem, vel alterius Inſtituti, qui extra Monaſterium ſuum legitima de cauſa verſantur.

646 R. 1. generatim in his omnibus conſulenda eſſe Ordinum Statuta, quorum alia aliis benigniora ſunt, alia rigidiora. Unde nulla hic certa & univerſalis regula conſtitui poteſt.

647 R. 2. ad 1. quaſdam eſſe Religiones, in quibus qui approbatus eſt pro Conventu Pariſienſi, non poſſit in alio ejuſdem Provinciæ Monaſterio excipere confeſſiones alumnorum ſecundi hujus Monaſterii; quin & ſi uno poſt menſe ad Pariſienſe Cœnobium revocaretur, nova ad confeſſiones ſuorum audiendas indigeret Superioris approbatione. Poſſet tamen is cum alio Pariſienſis domus alumno iter faciens, eum, vi approbationis Pariſiis receptæ, *ubique terrarum abſolvere*, ait Henno pag. 307. Si *ubique terrarum*; ergo & in alio ejuſdem Inſtituti Conventu, donec uterque ad deſtinationis ſuæ locum deveniſſet: quod tamen, niſi certa vigeat & indubia ea de re conſuetudo, facere nolim, quia hoſpites, qua in domo degunt, ejuſdem Superiori omnino debent ſubjacere de lege communi.

648 R. ad 2. Religioſos unius Ordinis nihil plus poſſe in Religioſos alterius Inſtituti, quam in ſeculares. Unde licet forte ſatius ſit ut apud Regularem, quam apud ſecularem confiteantur, cum utriuſque copiam habent, & nihil obſtat; tamen ne valide quidem Religioſo alterius Ordinis confiteri poſſunt, cum deputatum habent Ordinis ſui ſocium. Quod ſi confiteantur Regulari in Ordine ſuo pro reſervatis approbato, haud tamen per eum a reſervatis ſuis abſolvi poterunt, niſi forſan indirecte in iis anguſtiarum caſibus, de quibus ſupra. Hæc paſſim Regulares, qui ante relatum ſupra Benedicti XIV. Decretum ſcripſerunt. Vide ſupra n. 618. in fine.

649 Ceterum etſi neceſſe eſt ut Regularis ſeculari per Epiſcopum approbato confiteatur (niſi ſpecialem in contrarium habeat licentiam Superioris ſui, qui *quidem pro ſubditis ſuis Sacerdotem ſimplicem extraneum approbare poteſt*) poteſt tamen confiteri apud Regularem a proprio tantum Religionis ſuæ Præſule approbatum: ita Auctor Examinis Eccleſiaſtici Tom. 1. p. 4. Cap. 5. n. 3449. qui n. præcedenti monet generalem cuivis Sacerdoti approbato confitendi licentiam implicite contineri *in ipſa itinerandi licentia*. De his adeat Religioſus quiſque ſui potiſſimum Ordinis Scriptores. Interim pios & eruditos Regulares, qui Opellam hanc noſtram inſpicere dignabuntur, precor ut ſi quid improvide ſcripſimus, id nos commonere velint, adductis præſertim auctoritatibus, quæ Lectores noſtros a mala quam inierint via ad meliorem revocent.

650 Quæres 4. quid poſſint Religioſi erga ſeculares extraneos.

R. Regulares exempti, a Superioribus ſuis legitime præſentati, & ab Epiſco-

Epiſcopo loci ubi confeſſiones excipiunt approbati; poſſunt vel dotius po-
tuerunt *quorumcumque utriuſque ſexus Chriſti Fidelium, ad eos undecumque ac-
cedentium confeſſiones audire, & confeſſionibus diligenter auditis, ipſos & eorum
ſingulos ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis,
quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & a
quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis
(exceptis contentis in Bulla Cœnæ,) abſolvere.* Ita habet privilegium a Paulo
III. die 3. Junii an. 1545. Jeſuitis conceſſum, *in quo quidem* privilegio,
ait Fœlix Poteſtas, *communicant omnes Regulares*, exempti ſcilicet, vel alius
excipiendi Fidelium confeſſionibus deputati. Quæ ut exponantur, ſimul
& graviter limitentur, præcipuas hujus reſponſionis partes evolvere juvat.

Dixi itaque 1. Regulares exempti, qui enim Epiſcopis ſubjacent, totam 651
ſuam ab ipſis juriſdictionem mutuantur. His tamen aliquando, quin &
ſæcularibus quibuſdam Sodalitiis, ſpecialia quædam a Rom. Pontificibus tra-
duntur privilegia, quibus, modo ab Epiſcopis approbati ſint, ut poſſint.

Dixi 2. *a Superioribus præſentati.* Unde ſi Regularis quipiam invito Su- 652
periore ab Epiſcopo approbaretur, eandem ad Summum reciperet juriſdi-
ctionem, quam Sæcularis quilibet in pari caſu, non vero juriſdictionem
Pontificiam, quæ a Papa ad inferiores nonniſi Superiorum miniſterium de-
volvitur. Imo dubium eſt an tunc temporis valeret Epiſcopi approbatio.
Longe minus, vel potius nullatenus ſuſpecta foret, quæ inſcio Superiore
conferretur ab Epiſcopo; puta ſi is Regularem ſibi notum ad aliquod
tempus detineat in Parochia, dum interim ad Provincialem ſcribet. &c.

Dixi 3. *& ab Epiſcopo loci ubi confeſſiones excipiunt, approbati.* Etſi enim 653
Regulares a Papa per Præpoſitos ſuos juriſdictionem accipiunt, conſtat
tamen ipſos citra Epiſcopi approbationem, nec licite nec valide opera-
ri, & ſic prædicto Pauli III. privilegio inſigniter, nec in hoc tantum ca-
pite derogatum eſt, ut ſtatim patebit.

Dixi 4. *Fidelium ad eos undecumque accedentium confeſſiones audire:* ad id 654
autem requiritur, ut non obſtent vel Religionis Statuta, vel Decreta S.
Pontificis, vel mandata Epiſcopi. Unde 1. fieri poteſt ut Regulares multi
ne quidem Ordinis ſui Moniales valide audiant, quia id ipſis per Statuta
ſua a Rom. Pontifice approbata, omnino prohibeatur; 2. ut qui ſuos
aut ſæculares valide abſolvit, vel nullas, vel unius tantum Cœnobii Mo-
niales abſolvere poſſit, quia pro his vel nullatenus, vel limitate tantum
fuerit approbatus. Et ita ſanxit Clemens X. in Conſtitutione *Superna*;
3. ut nihil amplius poſſint Regulares in hac Diœceſi approbati in ſub-
ditos vicinæ Diœceſis, quam ſæculares: quia vicinus Antiſtes gravibus de
cauſis prohibuerit, ne ſubditi ſui extra Diœceſim ſuam cuipiam, extra
itineris & moræ caſum, confiteantur. Eſto tunc non limitetur Regula-
rium poteſtas: At deerit ex Fidelium parte bona fides, citra quam ſicut
a caſibus in Diœceſi ſua reſervatis abſolvi non poſſunt in vicina Diœceſi,
ubi eadem reſervata non ſunt; ſic nec ſimpliciter a peccatis abſolvi poſſe
videntur. Quanquam in hoc caſu deeſſe penitus juriſdictionem docent non
pauci, quos inter Pontas v. *Approbation* caſ. 21. ubi id adducit Conſtitu-
tionis *Superna* Clementis X. *Religioſos ab Epiſcopos ad confeſſiones Sæcularium
in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi
Diœceſani approbatione audire: quamvis Pœnitentes ſubditi ſint ejus, a quo ipſi*

Religioſi jam fuerant approbati. Quæ tamen extra rem eſſe videntur. Aliud enim eſt quod Pariſiis approbatus, confeſſionem Pariſini in Carnutenſi territorio excipere nequeam, ſi in iſto minime approbatus ſim: aliud quod in territorio Carnutenſi approbatus, Pariſinum ad me bona fide venientem audire non poſſim. Neſcit nemo moris eſſe in finitimis pleriſque Diœceſibus, ut utrimque admittantur Pœnitentes; neque tunc tamen qui in una ſolum approbatus eſt, ſi in aliam tranſeat, ejus quem pridie audivit, confeſſionem excipiet.

655 Dixi 5. *& a peccatis quantumcumque enormibus abſolvere, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, &c.* Clauſula, hæc quæ pene ſupremam Regularibus in Tribunali poteſtatem tribuebat, parumper imminuta eſt temporum decurſu; 1. enim vetuit Congregatio Epiſcop. & Regular. de Mandato Clementis VIII. ne iſti abſolverent, 1. a violatione immunitatis Eccleſiaſticæ; 2. a violatione Clauſuræ regularis ad malum finem; 3. a crimine provocantium & pugnantium in duello; 4. a violenta Clericorum percuſſione; 5. a ſimonia reali ſcienter contracta; 6. demum a confidentia Beneficiali. Quanquam nec inde plurimum gravantur Religioſi, quia mox adductum Clementis VIII. Mandatum eos tantum reſpicit, qui intra Italiam & extra Urbem (Romam) non autem eos qui extra Italiam aut in Urbe, ejuſve ſuburbiis operantur. Ita toties in ea materia citatus Auctor Examinis Eccleſiaſtici n. 3475. neque hinc recedit Henno, qui & praxi nititur pag. 315.

656 2. Limitata eſt eadem facultas quoad caſus in Bulla Cœnæ contentos. Id quidem ſatis conſtabat ex Pauli III. privilegio; ſed ob lites ea de re motas denuo ſancitum eſt a Clemente VIII. Unde, ait Henno ibid. ne quidem poſſunt Regulares ab occultis Bullæ in Cœna caſibus abſolvere, ut patet ex condemnatione hujus Propoſitionis ab Alexandro VIII. ann. 1666. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque Sæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.*

657 3. Et inſigniter limitata eſt quoad caſus Epiſcopis reſervatos: idque, ait Henno, *modo certum eſt, & in praxi omnino tenendum*: 1. quia Urbanus VIII. in Decreto 18. Nov. 1628. emiſſo ſanxit, *Regulares cujuſvis Ordinis, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationis eorum, quæ vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, poſſe quemquam abſolvere a caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſervatis; ac ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas atque irritas fuiſſe aut fore*; 2. quia proſcripta fuit ab Alexandro VII. propoſitio iſthæc n. 12. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate*. Idem habet Conſtitutio *Superna*, ubi definit Clemens X. *habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedis Apoſtolicæ reſervatis, non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere poſſe*. Merito igitur cit. ſupra Theologus, *Tot*, inquit pag. 316. *tot Decreta, tot Declarationes, tot Conſtitutiones etiam Papales circa hoc prodierunt, ut dicendum ſit vel Papam non poſſe poteſtatem illam a Regularibus tollere, quod hæreticum eſt, vel de facto ſuſtuliſſe. Dico ſuſtuliſſe: quia illam obtinuerant a Sixto IV. & aliis Pontificibus*. Hæc ille, quæ ſolide & invicte confirmat Benedictus IV. in Opere de Synodo Diœceſana lib. 5. cap. 5. ubi poſtquam dixit n. 6. quod *niſi* Regularium *conatibus obſtitiſſet Apoſtolica Sedes Epiſcoporum juriſdictionem fere labefactaſſet*; hæc ſubjungit n. 7. *Cumque Nos ſacræ Congregatio-*

nis

nis Concilii Secretarium ageremus, *inſtante Archiepiſcopo Electore Colonienſi*,
ejuſdem ſacræ Congregationis examini ſubjecimus ſequens dubium; An Confeſ-
ſarii Regulares poſſint Sæculares, extra mortis periculum, abſolvere a
caſibus Ordinario reſervatis. *Ad quod die 16. Novemb.* 1720. *reſponſum
fuit*, Negative.

Dixi *6. & a quibuſvis ſententiis*, *cenſuris & pœnis*.˙. *abſolvere;* quæ quia 658
generaliter prolata ipſas *ab homine* ſpeciales ſententias comprehenderent,
cum grano ſalis eoque multiplici veniunt intelligenda. Et quidem 1.
conſtat Regulares non poſse extraneos abſolvere *pro foro fori;* cum vel
ipſum Pauli III. privilegium de ſolo conſcientiæ foro loquatur; ut hæc
ejus indicant verba: *Confeſſionibus auditis*, &c. 2. nec minus certum eſt
eoſdem non poſse abſolvere a cenſuris nominatim inflictis, aut æquiva-
lentibus, puta quæ ob denegatam *Monitorio* obedientiam incurruntur, tum
quia praxis militat in contrarium, ut fatetur P. Fœlix n. *3462*. tum quia
id genus cenſuræ ſemper Epiſcopo reſervatæ ſunt; ab his autem quæ Epi-
ſcopo reſervantur, abſolvere non poſsunt Regulares. Idipſum confirmant
hæc Clementis VIII. verba in bulla, *Quæcumque* 115. data 7. Decemb.
1604. ubi ſic: *Ab aliis etiam caſibus*, *tam a nobis*, *quam a*.˙. *locorum Ordina-
riis reſpective reſervatis*, *& pro tempore reſervandis*, *& etiam a quavis ex-
communicatione ab homine lata abſolvere*, *& ſuper irregularitatibus*, *tam ex
aliquo defectu provenientibus*, *quam occaſione delicti contractis*, *cum aliquo Sæcu-
lari diſpenſare*, *prætextu dictorum privilegiorum nullo modo poſſint*. Faxit Deus
hæc jam viam habeant perpetuæ leges, ne deinceps alius Sedis Apoſto-
licæ Princeps cum Benedicto XIV. cogatur rurſum dicere: *Tot ac toties re-
petitis ſanctionibus minime perterriti Regulares*, *illas*, *ſi non prorſus evertere*,
ſaltem debilitare, *novo molimine ſtuduerunt*, *dictitantes nimirum*, *robur non ha-
bere extra Italiam; &c.*

Quæres 5. annon Roſarii Confratres, aliive id genus, privilegium ha- 659
beant in quibuſdam anni ſolemnitatibus eligendi ſibi Confeſsarium, a
quo poſſint abſolvi a caſibus Epiſcopo reſervatis.

R. negat. *Statim* namque ac *ſacra Congregatio illorum falſam perſuaſionem
detexit*, *eam radicitus evellere ſtuduit pluribus Decretis*; ita idem Benedictus
XIV. ibid. n. 8. quem nuſquam pigebit conſuluiſse.

Quæres 6. quo loco & tempore Regulares exempti fidelium confeſſio- 660
nes excipere valeant.

Reſpondet Henno ib. p. *312.* & *313.* id eos poſse, tum *omni tempore*,
nullo excepto, *adeoque nec Paſchali*, *nec articulo mortis;* tum *ubivis terrarum*,
adeoque non tantum in ſuis Eccleſiis, *ſed etiam in locis privatis*, *imo in Ec-
cleſiis Parochialibus*, *ſi adſit licentia*, *ſaltem fundate præſumpta*, *Parochorum;
quia*, inquit, *licet ipſis contradicentibus poſſint quidem valide abſolvere ob
expreſſam conceſſionem Summorum Pontificum*.˙.˙. *illicite tamen fieret*, *quia
hoc natum eſſet cauſare confuſionem*. Quapropter; ait, poſt Henricum a
S. Ignatio, *hæc clauſula*, *quam aliqui Belgii Epiſcopi ponunt in ſuis admiſſio-
nibus*, De conſenſu eorum, quorum intereſt, *non reddit invalidam abſolu-
tionem Regularis abſolventis ſine Parochorum conſenſu*: *quia non eſt veriſimile*,
Epiſcopos erga Sanct. Sedem obſervantiſſimos, *velle contrarium Apoſtolicis
conſtitutionibus & privilegiis*, *quibus conceſſum eſt Regularibus*, *ubique &
quovis tempore* quorumque confeſſiones audire; abſque ulla Parochorum

venia:

venia: *verba ſunt Clementis X.* Hæc ille, quibus cave ne ultra modum confidas; ſed indictam ab Epiſcopis legem circa tempus & locum ſequere incunctanter. Alicubi enim clauſula, *De Parochorum conſenſu*, meram prohibitionem ſonat, alicubi plenam invaliditatem.

661 Nec obeſt ſumma erga S. Sedem obſervantia Epiſcoporum: ſicut nec ea obfuit, quominus acriter reclamaverint adverſus facultatem Regularibus conceſſam abſolvendi a caſibus unicuique Epiſcopo reſervatis. Quod niſi ſtrenue feciſſent, corruebat tandem omnis Epiſcoporum juriſdictio, vel ſaltem *pene labefacta* erat, ut ſupra ajebat Benedictus XIV.

662 Nec nocet rurſum, quod in hac hypotheſi facere poſſit Parochus, *ut omnium Parochianorum confeſſione a Regularibus exceptæ, ſive in infirmitate, ſive in Paſchate, ſive alio tempore, ſtatim ſint invalidæ; quod*, inquit idem Henno, *hactenus in Belgio fuit inauditum*. Non nocet, inquam, hac modici ponderis objectio; 1. quia nulla erit invalida confeſſio, ubi nulla excipietur confeſſio, nulla autem excipietur, ubi deerit conditio, ſub qua ſola excipi potuit. An ergo contra clauſula *De conſenſu Parochorum*, (quam ſi minus *ad validum*, ſaltem *ad licitum*, obſervari debere fatentur pii quique Religioſi) confeſſiones excipient? Sane ingens illud confeſſiones excipiendi ſtudium haberet aliquid ſuſpecti. Non ambit vera pietas onus formidandum, ſed illud ſubit humero renitente. 2. Quia ſi Parochus quipiam ſancti & docti Regularis miniſterium dedignatur, alii numero plures, iique commendandi magis, opem ejus efflagitabunt. 3. Quia tollent indubie Epiſcopi clauſulam, qua contra eorum mentem abutantur moroſi homines, qui plerumque nec bene agunt, nec ab aliis bene fieri patiuntur. Servanda igitur enixe clauſula *De conſenſu Parochorum*, alicubi quidem ut ſolum prohibens, allibi vero ut irritans; uti diximus Cap. 5. An vero hanc apponi conveniat, meum non eſt perpendere; at pauca hæc referre poſſum e Benedicto XIV. in Tract. de Synodo Diœceſana Lib. 7. Cap. 42. n. 8. *Sibi licuiſſe autumabat quidam Epiſcopus in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus prohibere, ne ullus Regularium, etſi ceteroquin a ſe approbatus, accederet ad domum ſecularium ægrotantium, ut confeſſiones eorum inibi exciperet, ſine ſpeciali licentia Parochi proprii ejuſdem ægrotantis. Diſplicuit hæc Conſtitutio Regularibus, eo quod ea non tam imminui, quam prorſus ipſis auferri videretur facultas audiendi ſecularium confeſſiones. Neminem quippe facile reperiri ajebant, qui velit ſanus eligere Confeſſarium, a quo nequeat ægrotans, & mox fortaſſe deceſſurus* abſolvi. Unde S. Congregatio Concilii die 14. Decemb. 1658. *cenſuit*.'. ut *liberum quidem eſſet Regularibus jam ab Epiſcopo approbatis accedere ad domos ſecularium, ibique Sacramentum Pœnitentiæ iiſdem adminiſtrare, hac tamen adjecta Lege, ut tenerentur excepta confeſſionis atteſtationem in ſchedula ſcriptam in eadem domo relinquere, qua certior fieret Parochus de peracta ab infirmo ſacramentali confeſſione*. Idem argumentum denuo verſans prælaudatus Pontifex ibid. cap. 64. non minus quoad paſchalem confeſſionem favet Regularibus. Atque hæc utinam inter utrumque Cleri ordinem fœdus æternum ſanciant; aſt interim ſequatur quiſque in eo ubi degit loco leges Epiſcopi. Minimum eſt quod quis confeſſiones non excipiat: multum quod invalide vel dubie excipiat.

SECTIO OCTAVA.

De juriſdictione in articulo mortis.

QUæſtionem hanc paucis, tantumque ad inſtituendum aliquod doctrinæ corpus expedire cogitaveram; quia de ea ſat pene dixi in Tract. de cenſuris p. 1. c. 5. art. 1. quia tamen nonnihil anceps hæſeram, ſatius viſum eſt eam quantum ad potiſſimum caput revolvere. Sit igitur

CONCLUSIO. Quilibet Sacerdos, etiam ab Eccleſia nominatim præciſus, degradatus, ſchiſmaticuſve vel hæreticus, quemlibet pœnitentem a quovis peccato abſolvere poteſt in articulo mortis.

Prob. 1. ex Tridentino Seſſ. 14. Cap. 7. ubi ſic; *Verumtamen pie admodum ne hac ipſa*, caſuum ſcilicet reſervatorum, *occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt*. In eo textu vox *omnes Sacerdotes* tam late patet, quam vox *omnes* ſeu *quoslibet pœnitentes*. Atqui vox *quoslibet* ipſos etiam excommunicatos &c. comprehendit. Ergo a pari. 663

Confirm. ideo Eccleſia omnem in articulo mortis reſervationem ſuſtulit, ne quis *hac occaſione periret*. Atqui ſuum hunc ſcopum non aſſequeretur, ſi facultas abſolvendi in eo anguſtiarum caſu nemini excommunicato, vel hæretico competeret. Utique enim perirent, quibus a nullo præter excommunicatum ſuccurri poſſet; qui caſus, etſi rato in Galliis, multo frequentius in Batavia, & in Oriente contingit.

Prob. 2. Ex S. Thoma Suppl. q. 8. art. 6. O. *Quilibet Sacerdos, quantum eſt ex virtute clavium, habet poteſtatem indifferenter in omnes, & quantum ad omnia peccata; quod* autem *non poſſit omnes ab omnibus peccatis abſolvere, hoc eſt quia per ordinationem Eccleſiæ habet juriſdictionem limitatam, vel omnino nullam*. Ergo ut in articulo mortis abſolvere poſſit, ſatis eſt ut Eccleſia conceſſam ipſi *ex virtute clavium in omnes & quantum ad omnia peccata* juriſdictionem non reſtringat in illo neceſſitatis caſu. Atqui nulla ſolida ratione probatur juriſdictionem hanc in eo caſu reſtringi. Imo contrarium hinc erui poteſt, 1. quod in Eccleſia, ſicut ubivis locorum, *Quod non eſt licitum in Lege, neceſſitas facit licitum*, ex Reg. 4. Gregorii IX. 2. Quod juriſdictionem tunc temporis conferri doceant, hodie ſaltem, omnes pene Theologi, nullo jam reclamante. Ergo. 664

Prob. 3. ex Inſtructione pro Catholicis fœderati Belgii an. 1711. compoſita * ab Archiepiſcopo Anconitano, Sedis Apoſtolicæ iis in partibus Nuntio cum poteſtate Legati de latere. In ea porro ſic legere eſt ſub finem. *Serio monendi ſunt boni Catholici, quod ſicuti ſemper vitare debent Refractarios Sacerdotes*, Janſeniſtas nimirum, quorum aliqui ut Mattias Torch excommunicatione nominatim percuſſi erant, *ſic cavere debent ne ex tali reflexione exponant ſe periculo moriendi ſine Sacramentis: ac propterea in proximo mortis periculo conſtituti, ſi factis opportunis diligentiis habendi Sacerdotem morigerum*, id eſt edictis contra Janſenii doctrinam Conſtitutionibus rite obtemperantem, *uti debent opera cujuſcumque Sacerdotis, etiam refractarii, cum in tali* 665

caſu

* Extat Inſtructio hæc ad calcem Hiſtoriæ Eccleſiæ Ultrajectenſis in Appendicibus pag. 151.

Digitized by Google

caſu ſufficiat caracter Sacerdotalis ad valide impertiendam abſolutionem ſacramentalem, ſine qua nullomodo decedere debent. Atqui hic expreſſim in hæreticis etiam publice denuntiatis agnoſcitur facultas in articulo mortis abſolvendi. Ergo etiamſi ea de re olim dubitatum ſit, nihil jam ex hac parte ſcrupuli remanere debet.

667 Objic. 1. Si Sacerdos etiam præciſus in Articulo mortis abſolvere valeat; vel jure Divino, vel Eccleſiaſtico. Neutrum dici poteſt.

668 R. neg. min. imo utrumque dici poteſt juxta D. Thomam: primum quidem, quia ex S. Doctore *quilibet Sacerdos, quantum eſt ex virtute clavium*, ſeu, ut ſtatim loquebatur Anconitanus Archipræſul, *ex caractere ſacerdotali, habet poteſtatem indifferenter in omnes* &c. Hæc enim ſeu clavium, ſeu caracteris ſacerdotalis poteſtas ab ipſo divino jure profluere videtur. Secundum vero; & melius; 1. quia juxta Doctorem Angelicum ib. ad 1. *Eccleſia acceptat ut quilibet Sacerdos abſolvere poſſit in articulo mortis*. Quod autem ab Eccleſiæ acceptatione pendet, in jus Eccleſiaſticum refundi poteſt. 2. Quia, ut bene advertit Suarez diſp. 26. de pœnit. ſect. 4. n. 7. nulla in Ordinatione confertur juriſdictio 3. Quia alioqui Sacerdotes omnes in articulo mortis pares eſſent, adeoque neceſſum non eſſet ut alter alteri (ſecluſo peccati vel cenſuræ cognitæ ſtatu) præferretur, cum juriſdictio divinitus collata omnibus ex æquo competat. Atqui tamen in eo etiam caſu aliquis inter Sacerdotes ordo ſervari debet, ita ut approbatus communiter, ſeu pro caſibus non reſervatis, vel in alia tantum Diœceſi, præferatur ei qui nullatenus approbatus ſit; niſi aliud ferant diœceſanæ Leges. Quia igitur, ait ibid. Suarez in hujuſce juriſdictionis uſu ſervandus erat aliquis ordo & modus, actualis ejuſdem conceſſio, non eſt immediate facta a Chriſto, ſed ejus Vicariis commiſſa.

669 Inſt. ſi res ita ſit, juriſdictio hæc a Papa tolli poteſt. Atqui abſurdum conſequens. Alioqui penes eum foret efficere ut innumeri quotidie perirent.

670 R. neg. maj. Papa enim non dicitur poſſe; id quod ſolum poteſt de rigore juris, ſed id quod attentis juſtitiæ ac caritatis legibus poteſt. Atqui non poſſet Papa illæſis caritatis ac juſtitiæ legibus juriſdictionem ſaltem omnibus tollere in mortis articulo. Cum *ex præcepto divino, imo etiam naturali caritatis teneatur in hoc* caſu *ſufficienter providere neceſſitatibus fidelium*. Suarez ibid.

671 Dixi, *ſaltem omnibus*. Si enim conſtaret e Presbyteris duobus, qui in oppido dura lue infecto ſoli commorantur, unum eſſe qui mellifluis artibus morientes ad hæreſim flectat, huic ſane ſua, qua miſere abutitur, juriſdictio poſſet auferri.

672 Obj. 2. Noſtra hæc aſſertio tota innititur Concilio Trid. Atqui Tridentinum nec hæreticis nec præciſis tribuit facultatem abſolvendi in articulo mortis. 1. Enim Sacerdotes quibus Tridentinum dat facultatem abſolvendi in articulo mortis, ii ipſi ſunt qui extra eumdem articulum abſolvere prohibentur vi reſervationis; ut patet ex ipſo Capitis titulo, qui eſt *de caſibus reſervatis*. Atqui hæretici, vel præciſi abſolvere prohibentur, non vi reſervationis, ſed vi, ut ita loquar hæreſis ſuæ vel præciſionis. 2. Sacerdotes quibus Tridentinum facultatem in articulo mortis abſolvendi concedit, ii ipſi ſunt quorum juriſdictionem in eo extremitatis caſu ſemper agnovit Eccleſia; juxta citatum iſtud; *In Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum*

fuit

Digitized by Google

fuit &c. Atqui non ſemper pro eo neceſſitatis caſu juriſdictionem in hæreticis & præciſis agnovit Eccleſia, cum ante Tridentinum exiſtimarent nobiliores Theologi, Sacerdotes præciſos hoc in caſu abſolvere non poſſe; imo & vetuerit Illiberitana Synodus ne præciſi eos abſolverent qui in adulterium relapſi fuerant. Ergo.

R. ad 1. 1. neg. maj. dempta enim Tridentini auctoritate crederet pars Theologorum maxima, id quod, non omnes quidem, ſed plures ante Tridentinum credidere, nimirum vel juriſdictionem Sacerdotibus quibuslibet in articulo mortis competere ex jure divino, aut ſaltem Apoſtolico; vel piam matrem Eccleſiam, ne ſuorum quis miſere & in æternum pereat, jura ſua, fidelibus alioqui exitialia, moderari. Eſto igitur Tridentinum minus dicat quam dicimus nos: at certe ex totius, vel pene totius Eccleſiæ theſim noſtram approbantis conſenſu efficaciter argumentari poſſumus. 673

R. 2. neg. min. primi Syllogiſmi ad 2. 1. neg. maj. licet enim Tridentini verba primo intuitu ſolum videantur ſignificare, eos qui aliqui a reſervatis abſolvere non poſſunt, in articulo mortis abſolvere poſſe, conſtat tamen ea latiori ſenſu intelligenda eſſe; ita ut, quemadmodum ex S. Bonaventura Auguſtinus *plus* aliquando *dicens*, *minus vult intelligi*, ſic a contrario ſacra Synodus, minus utcumque dicens, plus intelligi voluerit neque id temere aſſertum: 1. Quia alioqui Tridentinum iis duntaxat permitteret in articulo mortis abſolvere, qui jam pro communibus peccatis eſſent approbati; ii enim ſoli ſunt qui vi reſervationis præciſe abſolvere prohibeantur. Atqui nec Fagnanus, nec alius quiſpiam adverſariorum id contendere auſit. Cum ubique ſemper ratum fuerit, valere in puncto mortis abſolutionem a quocumque Sacerdote datam; ſaltem ſi is nec hæreticus foret, nec præciſus. 2. Quia poſtquam dixit Tridentinum, nullam eſſe reſervationem in articulo mortis, ſubdit generaliter *omnes Sacerdotes poſſe quoslibet pœnitentes* in eodem articulo abſolvere. Porro qui dicit *omnes* neminem etiam præciſum excipit. Unde verba hæc, *atque ideo*, quæ forte appoſita ſunt, ne quæſtio inter Theologos libere hactenus agitata dirimeretur; vel abſolutum & independentem a præcedentibus ſenſum efficiunt; vel ſaltem abſoluto illo ſenſu ab univerſis ferme mundi. Epiſcopis intelliguntur; quod in idem pro adſtruenda juriſdictione recidit. 674

Ad 2. 2. neg. maj. neque enim, quod caute ponderandum eſt, dicit ſacra Synodus, *ſemper in Eccleſia cuſtoditum* fuiſſe, *ut nulla eſſet reſervatio* caſuum *in articulo mortis; atque adeo Ut omnes Sacerdotes* in eo articulo *abſolvere poſſent;* ſed quod hinc multum diſcrepat, ſtatuit 1. nullam unquam fuiſſe reſervationem in articulo mortis, 2. quod ideo POSSUNT *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes* in eodem caſu *abſolvere*. Unde bipartita eſt Tridentini propoſitio, & ex juris antiqui conceſſione piam ac juſtam eſſe novi juris conceſſionem ſubindicat. Idem ergo ſibi vult, ac ſi dicat: Nulla unquam fuit in articulo mortis reſervatio, & id quidem *pie* conſtitutum eſt, ne quis pereat. Ergo eadem de cauſa conſtituendum eſt, ut Sacerdotes omnes poſſint pœnitentes quoslibet abſolvere. 675

Quod ſpectat ad Illiberitanam Synodum, 1. vetuit ea ne ab ullo Sacerdote mœchis & relapſis daretur in exitu communio. Ergo nihil hinc contra præciſos inferri poteſt. 2. Verba ejus de communione Euchariſtica intelligi poſſunt, & de facto ab Innocentio I. Ep. 3. Cap. 2. eo ſenſu intellecta fuere. 676

Ergo,

677 Ergo, inquies, definiit Tridentinum quæſtionem inter Theologos libere agitatam. Atqui id ab ejus mente prorſus eſſe alienum multoties animadvertimus.

678 R. neg. maj. ſi quid enim, ex his certe alterutrum definiit Sacra Synodus ſcilicet vel poſſe Eccleſiam ipſis etiam hæreticis & præciſis juriſdictionem in articulo mortis conferre; vel juriſdictionem hanc ipſis aliquando fuiſſe conceſſam. Neutrum porro definiit. Non primum, quod non indigebat definiri, cum nemo ſuam hoc in puncto poteſtatem Eccleſiæ abnegaverit. Non ſecundum; quia aliud eſt præciſis adſcribere Juriſdictionem in certo caſu, aliud aſſerere ipſos juriſdictionis hujus ſemper fuiſſe participes. Prius fecit Tridentinum; de poſteriori nequidem cogitavit.

679 Objicies 3. auctoritatem tum S. Thomæ, a quo certe non receſſit Tridentinum; tum ſacræ Congregationis Concilii, quæ apud Fagnan. Tom. 3. in Cap. *Non eſt vobis* 11. *De Sponſalib. & Matrim.* declaravi excommunicatum denuntiatum *non poſſe pœnitentes in articulo mortis conſtitutos a reſervatis abſolvere*.˙. quia id negare *videtur communis opinio*.˙. *Nec obſtat caput* 7. Tridentini Concilii *de caſuum reſervatione: quia debet intelligi de omnibus Sacerdotibus in unitate Eccleſiæ viventibus: referendumque ad eos Sacerdotes, de quibus eod. Cap.* 7. *in prima & ſecunda parte agitur, qui habent vel originariam, vel delegatam poteſtatem*. Hactenus ſacra Congregatio, cujus verba eo plus habent ponderis, quod ei præfuerit Joannes Cardinalis Moronus, qui paulo ante fuerat Apoſtolicus Legatus in Concilio; quem proinde Concilii mens latere non potuit.

680 R. ad 1. cum Sylvio 3. p. q. 82. art. 7. mentem S. Thomæ eſſe, quod hæretici, quamvis impœnitentes maneant, licite Baptiſmum conferre poſſunt; quia *poſſunt agere non ut perſonæ ad hoc deputatæ, ſed ut ſubſervientes neceſſitati:* at vero nullum aliud Sacramentum poſſint licet conferre, niſi ſaltem in corde pœniteant, quia in aliorum Sacramentorum adminiſtratione necesſarium eſt ut ſe exhibeant tanquam Miniſtro Chriſti ad hoc ſpecialiter deputatos. Ceterum, ait Duacenſis Theologus S. Thomas in Suppl. q. 8. art. 6. docet pœnitentem in articulo mortis a Sacerdote quolibet abſolvi poſse.

681 Ad. 2 Reſpondet neotericus Scriptor citatam *Congregationis Declarationem non eſſe authenticam, ut innuit ipſe Fagnanus* 1. *Monit. ad Lectorem: ab aliis vero citatur ex Fagnano. Imo neque citatur ut definitio, vel declaratio, ſed ut quædam diſcuſſio quæſtionis referendo vario Auctores ita ſentientes*. Verum ſolutio hæc videtur eſſe hominis qui Fagnanum non legit. Is enim ne obiter quidem inſinuat ſibi ſuſpectam videri præcitatam Declarationem eamve eſse puram quæſtionis indefinitæ diſcuſſionem. Quin & non patitur Fagnanus *in dubium revocari*, quin *deciſionem hanc* ad Gregorium XIII. pro more retulerit Sacra Congregatio. Ceterum monitionis primæ vel ſecundæ ad Lectorem nullum eſt veſtigium in editione mea Colonienſi an. 1682. quam licet typis parum elegantibus expreſsam, nemo truncatam eſse conqueſtus eſt. Interim primo & ſecundo Lectorem monitum velim, quod pluries monuiſse potueram, ne ullam in factis fidem habeat certis Scriptoribus.

682 R. Itaque corruiſſe jam pridem fundamentum, cui innitebatur Sacra Congregatio, nempe quod *communis opinio* præciſis Sacerdotibus in ipſo

etiam

etiam mortis articulo juriſdictionem negaret. Cum enim jam invaluerit contraria, eamque ubique pene approbent Epiſcopi; conſequens eſt eos ſimul neceſsariam tunc temporis juriſdictionem largiri. In his autem diſciplinæ quæſtionibus, quæ uno tempore falſa ſunt aut dubia, alio tempore jus certum conſtituere poſsunt. Adde quod certo quidem contendat, ſed nullomodo probet Fagnan, Declarationem hanc a Papa fuiſse approbatam. Eo enim fatente *ex Libris publicis Congregationis non apparet hanc deciſionem fuiſſe relatam Gregorio*. An porro Sacra Congregatio Apoſtolicæ Sedis approbationem omiſiſset, quæ tanti ea in re fuiſset momenti? Ceterum Cardinalis Moronus, qui anno tantum 1563. ad Concilium miſsus eſt, non interfuerat Seſſioni 14. quæ an. 1551. habita fuit: Iſti porro interfuerat Melchior Canus; qui opinionem noſtram tuetur.

Quædam hic emergunt dubia. I. An Regularis in eo caſu citra Superioris licentiam abſolvere poſſit. II. An qui a Superiore abſolvendi licentiam obtinere poteſt, eam petere teneatur: III. An qui tunc a reſervatis abſolutus eſt, Superiorem adire debeat, ut ab eo iterum abſolvatur. IV. An approbatus, qui ſcit pœnitentem multo libentius apud minime approbatum exomologeſim facturum eſse, teneatur morienti miniſterium ſuum offerre. V. An poſſit pœnitens minime approbatum præferre approbato. VI. An in periculo eſse credendus ſit, is de quo incertum eſt evadere queat.

R. ad 1. Affirm. Quia tunc Regularis abſolvendi poteſtatem habet a Superiore Superioris ſui. 683

R. ad 2. affirm. Cum Capeavilleo p. 1. Cap. 7. pag. 77. quia Eccleſia non videtur juriſdictionem conferre velle, niſi cum legitime approbatus haberi non poteſt; aut is ægre admitteretur a pœnitente: de quo ſtatim. 684

R. ad 3. negat. Quia ſecluſa ſpeciali locorum lege, nihil opus eſt ut qui rite abſolutus eſt a peccatis, ab iis denuo abſolvatur. Non idem eſt ubique de cenſuris; ut dixi Tom. 2. ubi hæc fuſius expenſa reperies. 685

R. ad 4. Generatim loquendo melius eſse ac tutius ut pœnitens approbatum Sacerdotem accerſat, quam alium quemcumque. Quia tamen vereri eſt ne qui renitente animo cuipiam confitetur, male confiteatur; exiſtimo non male facturum, qui ut plenam morienti libertatem tribuat, ab eo tunc recedet, Hinc Pariſiis non approbatus morientis confeſſionem excipere poteſt, cum *prudenter* judicat *moribundum ægre nimis laturum*, quod advocetur alius qui facultatem habeat *abſolvendi a caſibus reſervatis*. 686

R. ad 5. negat cum Sylvio ubi infra, propter rationem ſupra allatam in reſp. ad 2. At ex dictis num. præc. infero; Sacerdotem approbatum, qui præſentit miniſterium ſuum impatienter ferri ab ægroto, facturum melius ſi quam primum abſcedat; tunc enim eligi poterit alter qui plus placet; niſi is hæreticus ſit, vel excommunicatus denuntiatus; præſertim cum iſtorum juriſdictio non ſit prorſus indubia; & idcirco exiſtiment viri graves factam iis confeſſionem, ab infirmo, ſi convaleſcat, eſse iterandam. Quod quidem in his partibus ubi invaluit opinio opioni Fagnani adverſa exigere non auſim. 687

R. ad 6. affirmat. Unde infirmis peſſime conſulunt, qui docent, Sacerdotem in morbis inexpertum, quique periculum mortis a mortis articulo ſecernere neſcit, expectare debere donec accedat Sacerdos approbatus. 688

batus. Quoti enim ea ſpe deluſi vel nullam abſolutionem darent morienti, vel tunc tantum darent, cum monitis congruis deſtituta, multo minus prodeſſet? De tota hac materia, quæ moribundi abſolutionem ſpectat, vide Sylvii orationes ſecundam, tertiam & quartam, ubi vir pius æquæ & eruditus præcipuam noſtram opinionem late & ſolide confirmat, Tom. 5. pag. 745. & ſeq. Neque id omittendum quod ibid. pag. 744. docet, eum videlicet a quovis Sacerdote abſolvi poſſe, cui non equidem mors immineat, ſed amentia, quæ *vel perpetua, vel diuturna videatur futura*: quia *cum factus amens confiteri nequeat: periculum amentiæ eſt quaſi periculum mortis.* Et vero cum *in ejuſmodi periculo divinum de confeſſione præceptum obliget*, æquum eſt ut qui in eo verſatur: eodem gaudeat privilegio, quo ceteri propter periculum mortis.

ARTICULUS QUINTUS.

De dotibus Miniſtri pœnitentiæ.

CONfeſſarii numeris omnibus abſoluti dotes, aliæ reſpiciunt ipſam Miniſtri perſonam, aliæ pœnitentem, aliæ utcumque ceteros Fideles. In primo ordine ſunt juriſdictio, ſcientia, ſanctitas vitæ, præſertim in actu miniſterii, ſpiritus orationis, qui in pœnitentem alliciat gratiam, quæ vel ſaxeum pectus emolliat, vel calefaciat tepidiorem animam, vel jam calentem novis ignibus adurat. In ſecundo gradu primas tenet æqua methodus dimittendi & retinendi peccata. Ad tertiam partem pertinet Sigillum confeſſionis, quo ſevere cautum eſt, ne cuipiam reveletur confeſſio pœnitentis. Quæ ad primum & ſecundum hujus diviſionis caput ſpectant, ſat pene expoſuimus Tom. III. hujus Operis, in appendice de obligationibus Confeſſariorum. Horum tamen nonnulla in præſenti refricare juvat; quibus & alia non minimi momenti adjungemus.

SECTIO PRIMA.

Quibus concedenda ſit, neganda vel differenda abſolutio.

689 CErtum eſt 1. illud ante omnia Confeſſario curandum eſſe in Tribunali, ut diſtinctam peccatorum pœnitentis quoad numerum, ſpeciem & circumſtantias etiam aggravantes confeſſionem eliciat. Quod ut aſſequatur, operæ pretium eſt ut certam in interrogationibus ſuis methodum ſequatur, cujus ope ſingula Dei mandata, præcepta Eccleſiæ, capitalia delicta, obligationes ſtatui pœnitentis annexas decurrat. Hæc vero methodus, ſi fieri poteſt, aperienda erit pœnitenti ante confeſſionem, quo facilius conſcientiæ ſuæ examen inſtituat. In ipſo autem confeſſionis decurſu ad unum quodque peccatum certo vel dubie mortiferum, curabit Confeſsarius inquirere *quoties* admiſſum ſit, *quoties* item animo propoſitum fuerit antequam admitteretur. Si quibuſdam lentior videbitur hæc procedendi ratio, meminerit is, ubique, ſed præſertim coram ſummo Judice, *ſat cito fieri, quod ſat bene.* Non deſunt certe e rapidis illi confeſſionum expeditoribus, qui opus ſuum tam male præſtent, ut illud Parochi a ſeve-

ritate

ritate nimia procul diſſiti, ipſo pœnitentium hortatu, totum redintegrare coacti fuerint. Circa quædam ex iſtis relege quæ dixi Tom. III. pag. 27. 53. &c. & Tom. 2. ubi de circumſtantiis.

Certum eſt 2. nuſquam majori opus eſſe prudentia & præcautione, quam in iis quæ ad ſextum Decalogi præceptum pertinent. Hic addenda, junioribus præſertim puellis, fiducia, quæ dæmonem mutum abigat; & ſtandum inter moderatæ interrogationis limites, ne doceantur quæ forte neſciunt. De his adi quæ dicta ſunt Tom. III. pag. 532. 690

Certum eſt 3. & in id nitendum Confeſſario ut ſuperflua quæque a confeſſionibus reſecet, ut proinde nec ſinat Pœnitentem quoquoverſum digredi, nec vanis inquiſitionibus propriæ ſuæ curioſitati indulgeat. Quin & ad confeſſionis calcem remitti debent, quæ fuſiori indigent examine, qualia ſunt præſertim quæ ad reſtitutionem, ſimoniam, irregularitates & alia hujuſmodi pertinent. Ubi animadvertendum inauditos debere dimitti eos e Clero, qui gravibus obſtricti peccatis, a celebrando abſtinere nolunt, quanto tempore neceſſum erit ut probentur. Quoniam vero ſua ſe penuria tueri ſolent, pie & religioſe huic mederi incommodo curabit Confeſſarius. 691

Certum eſt 4. contritionem eſſe potiſſimam hujus Sacramenti partem, ut quæ ceteras ſuppleat, & a nulla ſuppleri poſſit. Ad eam igitur omnimodis adducendus eſt Pœnitens; ad id autem prodeſse poterunt quæ diximus ſupra Cap. 4. in fine. 692

Certum eſt 5. concedendam eſse abſolutionem Pœnitenti, quem ſatis probatum, aut nulla egentem probatione, Confeſsarius moraliter judicat hic & nunc rite diſpoſitum eſse. Habet enim qui vere pœnitens eſt, jus quoddam ad reconciliationem; nec dubium quin majoris ſint pretii opera quæcumque ab eo in ſtatu gratiæ elicita. Sicut tamen quæ hodie prodeſſet medicina, ad aliquot dies differtur aliquando, quia creditur profutura magis: ſic & quandoque jam diſpoſito poteſt ad aliquod tempus ſuſpendi abſolutionis beneficium; cum prudenter judicatur futurum hinc ut & magis a peccando revocetur, & largiori prece majorem gratiæ copiam accerſat; nec vereri eſt quin animis concidat, aut nimium affligatur. Interim conceſsa abſolutione differri nonnunquam poteſt ſacra Communio, ut mage magiſque ad eam ſe diſponat Pœnitens. 693

Certum eſt denique differendam eſſe, quin & aliquando negandam abſolutionem iis quorum nulla eſt vel dubia converſio; iis item qui quædam ſcitu neceſsaria culpabiliter ignorant. Quia vero non ſatis conſtat, quinam in eo ordine cenſeri debeant, juvat præcipuas, quæ hic difficultatem movent, claſses perſcrutari. In his paſſim numerantur, 1. qui in occaſione peccandi; 2. qui in criminis habitu ſeu conſuetudine; 3. qui in funeſta quapiam animi diſpoſitione; 4. qui in libera vel etiam coacta certarum rerum inſcitia verſantur. Quæ omnia; ſed ordine retrogrado, hic veniunt expendenda. Sit igitur, 694

§. I. *An & quibus propter ignorantiam deferri debeat Abſolutio.*

Conclusio I. Neganda eſt vel differenda abſolutio iis qui præcipua Fidei Chriſtianæ myſteria, Deique & Eccleſiæ præcepta ignorant; aut ab

iis quorum curam gerunt, puta filiis vel domeſticis, ignorari patiuntur.

695 Prob. 1. pars, 1. quia Innocentius XI. propoſitionem iſtam n. 64. an. 1679. reprobavit: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum fidei; & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis D. N. J. C.* quam propoſitionem rurſum an. 1700. proſcripſit Clerus Gallicanus ut *contumelioſam in Chriſti Mediatoris nomen, erroneam & hæreticam.*

696 2. ex S. Carolo Borromæo in Inſtructionibus Confeſſorum: ubi hæc Cap. 12. *Quicumque rationis uſum attigerit, ſub reatu peccati mortalis omnes Symboli Apoſtolici.·. Articulos ſcire tenetur, ſaltem quoad ſubſtantiam. Item Dei & Eccleſiæ præcepta, quæ ſub peccato mortali obſervanda ſunt.·. Si Confeſſarius Pœnitentem reperiat iſtorum omnium ignarum, nec ad ea quam primum diſcenda diſpoſitum, non debet eum abſolvere. Imo ſi ad ea diſcenda ſe paratum exhibuerit, ſi alias a Confeſſario ſuo, vel eodem, vel diverſo, aut a ſuo Parocho ſit admonitus, nec debitam diligentiam adhibuerit, ut ea ſecundum ingenii ſui modum captumque addiſceret, differatur illi abſolutio, donec huic obligationi aliqua ſaltem ex parte fecerit ſatis. Si vero ea de re nuſquam antea monitus fuerit, ipſum,* modo aliunde ſufficienter diſpoſitum, *abſolvat, præmiſſa ſemper inſtructione de his rebus neceſſaria, ut ſit impræſentiarum abſolutionis capax.* Quæ verba & theſim noſtram & ejus modum continent. Vide Pontas v. *Foi* caſ. 2.

697 Prob. 2. pars, quæ Patres familias, Præceptores, ipſos, etiam Parochos ſpectat; 1. ex 1. ad Timoth. c. 8. ubi Apoſtolus; *Si quis ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit & eſt infideli deterior.* Porro quemadmodum ſuorum curam non habet, qui iiſdem gravi correptis morbo neceſſaria ad corporis ſanitatem non providet; ſic & potiori jure qui iiſdem circa animæ neceſſaria non invigilat.

698 2. ex eod. S. Carolo ibid. Cap. 13. ubi ſic juxta editionem a Sylvio notis illuſtratam. *Si Patres aut Matresfamilias fuerint, qui curæ ſuæ ſubditos, ſive filios & filias, ſive ſervos & ancillas (quæ particulatim interrogare meminerit Confeſſor) cum rudimenta fidei non teneant, addiſcere non compellunt, vel non advigilant ut Decalogi & Eccleſiæ Romanæ præceptis obediant; vel, quod pejus eſt, ab eorum obſervatione eoſdem prohibeant, ut faciunt qui ſervos & ancillas uſque adeo occupatos diebus profeſtis detinent, ut propria neceſſitate urgente diebus feſtis operari quodammodo cogant; vel temporis tantum non tribuant, ut ſecundum Eccleſiæ præceptum ſacro Officio Miſſæ intereſſe queant: aut qui neſcientes quinam eorum qui in familia ſua degunt, legitimum habeant impedimentum, promiſcue tempore quadrageſimali, aut aliis jejuniorum diebus cœnam, vel tempore antemeridiano eſcam ante horam debitam in ædibus ſuis præbent, vel dari patiuntur; aut ſi quando hæc præcepta tranſgrediuntur, eos non reprehendunt nec corrigunt; vel ſi ſervi corrigi nolint, & ceteris ſcandalo ſint, e domo ſua non quamprimum eos ablegant: in omnibus his peccatis, niſi reipſa præſtent officium ſuum, negligentiamque in familiæ adminiſtratione commiſſam, quantum ad ea quæ dicta ſunt attinet, in poſterum emendare promittant, nullo modo eos abſolvat. Quod ſi in ſe recipiant, ſeu polliceantur, ea ſe facturos, nec horum admoniti unquam a Confeſſario vel Paſtore, præſcripto modo fuerint, poterit eos abſolvere;* dummodo ex tota eorum agendi ratione prudenter judicet, ſe iis fidem habere poſſe. *Quod ſi ſæpius fuerint reprehenſi, nec ſeſe*

cor-

Digitized by Google

torrexerint, tandiu abſolutio differatur, donec promiſſa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis ſpatio oſtenderint. Hæc paucis ſanctus Pontifex, quæ pleroſque Magnatum Confeſſarios terrere debent; cum vix dici poſſit quo uſque negligatur famulorum cura, quibus nec ſatis identidem attendunt vel ipſi Sacerdotes, vel ipſæ etiam Communitates.

Objic. ſi vera ſit pars prima Concluſionis noſtræ, dicendum erit 1. hominem, qui in articulo mortis accuſat ſe, quod primaria fidei Myſteria præ negligentia oblitus ſit, aut ediſcere omiſerit, ne in eo quidem caſu abſolvi poſſe, ſi ob imminens letum ea non poſſit edoceri. Porro durum & æquo durius conſequens; 2. iterandas eſſe confeſſiones omnes, quas quis in eo ignorantiæ ſtatu emiſerit. Id porro nimiam ſeveritatem redolet. Ergo modo negligens ille ſpondeat emendationem, jam tunc abſolvi poterit; ſicut abſolvi poteſt, qui ex culpabili negligentia alienæ rei reſtitutionem omiſit; cum promittit eam ſe illico reſtituturum. 699

R. ad 1. 1. vix fieri poſse; ut qui ſuam Myſteriorum ignorantiam accuſat, Myſteria hæc breviter edoceri nequeat; cum ad id parum temporis & moræ requiratur. 700

2. Neg. ſeq. maj. poterit enim is in eo dubii caſu duplicem ob cauſam abſolvi, 1. quia pie præſumitur Spiritum Sanctum, qui ad hujus ignorantiæ deteſtationem movit, id per ſe docere, quod jam homo docere non poſſit; 2. quia dempta fide Dei remuneratoris, quam medii neceſſitate neceſſariam eſſe conſtat, quæque vix homini confitenti deeſſe poteſt; ambigunt Theologi an Trinitatis & Incarnationis fides ſit neceſſaria in eodem genere; quibuſdam hodieque contendentibus eam ex præcepto ſolum eſſe neceſſariam. Quæ autem ex præcepto ſolum neceſſaria ſunt, cum impleri actu non valent, abſolutionis nullitatem non inducunt. Quia tamen multo certius eſt utriuſque Myſterii fidem neceſſariam eſse neceſſitate medii, Pœnitens non eſſet tunc niſi conditionate, *ſi capax ſit*, abſolvendus. 701

R. ad 2. neg. min. iterandæ enim ſunt confeſſiones ut minimum dubiæ, tales porro ſunt confeſſiones hominis Trinitatem & Incarnationem neſcientis, etiamſi utriuſque fides ex præcepto ſolum neceſsaria eſse ſupponatur. Equidem in hac ſuppoſitione poſset abſolvi qui actu Myſteria illa ignorat, modo quam primum illa ediſcere ſtatuat; ſicut quandoque abſolvi poteſt qui alienum habet, cum reſtitutionem promptam pollicetur; & ita docuit Marchantius, quem non omnino improbat Viva in 64. Propoſitionem Innocentii XI. Verum abſit ut propter ſuppoſitionem penitus incertam quiſpiam abſolvatur extra caſum neceſſitatis. 702

Sed quid facto opus erit, ſi Pœnitens quædam ignoret, quæ certo conſtet ſolum de neceſſitate præcepti ſcienda eſse aut credenda.

Videndum an ignorantia illa invincibilis fuerit, annon. Si primum, haud neceſsum erit ut iterentur præteritæ confeſſiones; quia ubi eſt ſubſtantia fidei, ibi eſse poteſt & charitas. Unde etiam juxta S. Carolum, hic & nunc abſolvi poteſt Pœnitens aliunde diſpoſitus, ſi hic & nunc quantum ſatis eſt a Confeſsario erudiri poſſit; quod ut plurimum difficile eſt. Si ſecundum, iterandæ erunt factæ in eo ſtatu confeſſiones, & accuſanda, præter hujus ignorantiæ peccatum, earumdem confeſſionum & 703

communionum ſacrilegia, Item eſt cum prudenter ambigit Confeſſarius an ignorantia graviter culpabilis fuerit. Id autem, licet non ſemper, at ſæpius ſuſpicari poteſt Miniſter; cum ignorantia articulorum fidei plerumque a libero Concionum vel Catechiſmi neglectu, & ſalutis incuria originem ducat.

Sed quid rurſum, ſi Pœnitens habes adeo ſit & rudis, ut neceſſaria etiam neceſſitate medii addiſcere non valeat.

R. cum Leonardo Van-roy in Praxi pœnitentiali Cap. 7. q. 4. pag. mihi 242. explorandum eſse an hebetudo illa oriatur ex prava mentis ac cordis diſpoſitione, quæ interiorem oculum obſcuret; an ex ingenii imbecillitate.

704 Si primum, quod ſæpe contingit, ſenſim excutiendus erit teter ille animi affectus, qui facit ut homo videns non videat, & audiens non intelligat; ita ut dum etiam de terrenis rebus ſplendide diſcurrit, quantum ad ſpiritualia palpet ut cœcus in meridie, & quia bene agere noluit, ſimilis fiat jumentis inſipientibus; *Ad hæc* autem *quis tam idoneus*? utique hoc dæmoniorum genus non ejicitur, niſi in jejunio oratione, & eleemoſynis. Quibus quoniam parum incumbunt hujuſmodi homines, curandum Directori, ut tum per ſe, tum per Pœnitentis, ſeu potius peccatoris amicos, fratres, ſponſam; matrem, ut aliam Monicam, iiſdem ſedulo incumbat.

705 Si ſecundum, 1. nulli Parochus, aut qui ejus hac in re vices gerit, labori parcere debet, ut hiſce rudibus fidem obtinendæ ſaluti neceſſariam inculcet; tum *quia vel maximus centum etiam annorum labor cum unius animæ pretio conferri nequit;* tum *quia ſanguinem animarum defectu inſtructionis pereuntium de manu Paſtorum requiret Deus:* Neque hi earumdem imbecillitate tueri ſe poterunt, (niſi hæc perpetuæ dementiæ ſtatum importet) quia non opimas tantum, ſed languidas enim oves eorum curæ commiſit, qui pro omnium ſalute ſanguinem fudit.

706 2. Si poſt repetitas Catecheſes perſeveret ſupina illa mentis hebetudo, diſpiciendum erit an Pœnitens acre diſcendi ſtudium demonſtret, an ceteroqui Chriſtiane vivat, an ab iis declinet vitiis, quibus natura ſola ſufficit. Si res ita ſe habeat, *quamvis ſe verbis explicare, & fidei Myſteria ſub conſuetis locutionum formulis profiteri nequeat, non videtur* omnino *Sacramentis privandus*. Quia *ſtabilis*, ut eſſe poteſt, *Chriſtianæ vitæ tenor interna fidei ſignum eſt*. Ita idem Van Roy.

707 3. quantum ad eos in quibus ſenium hebetudinem illam parit, neque is etiam *ſubtrahenda videntur Sacramenta; ſi conſtet quod congruam antea Myſteriorum illorum notitiam habuerint, & chriſtiane cum timore Dei converſentur*. Neque eſt quod in eo caſu Paſtor moras nectat ſpe futuri profectus quia illa intellectus debilitas creſcit cum tempore, nedum minuatur. Confer quæ dixi Tom. III. pag. 218. & eos etiam ſenes & anus, qui diu in oblivione Dei vixerunt, interroga circa primaria fidei capita; perſuaſus, quod experimento compertum eſt, eos etiam qui in terrenis ceterorum duces eſſe ſolent, non raro ſui etiam Catechiſmi prorſus eſſe oblitos. Quod propter rei gravitatem ratus ſum denuo eſſe admonendum.

Quæres an ad iterandas confeſſiones adigi debeat, qui grave aliquod, puta mollitiei vel uſuræ peccatum reticuit, quia malitiam ejus ignorabat.

708 R. pendere id a natura & gradu ignorantiæ, cum qua & ex qua peccatum eſt. Si enim hæc invincibilis fuerit, vel vincibilis quidem ſed per

eam

eam tantum diligentiam, quam attentiſſimi adhibere ſolent; non idcirco iterandæ erunt confeſſiones. Et vero quot multæ etiam pietatis homines circa contractus decipiunt; & decipiuntur eo dolo, qui juxta Leges *dolus non eſt:* Quot Magiſtratus bona fide, & S. Thomæ principiis innixi inſontem ſecundum allegata & probata morti addicunt, quem alii condemnare nolint? Si vero ignorantia cum ſolitis gratiæ & naturæ auxiliis propelli potuerit, utique nec a ſacrilegio, nec prohinc ab iterandis confeſſionibus excuſabit. Talis autem ut plurimum eſſe videtur ignorantia malitiæ pollutionis, ut docet Pontas v. *Ignorance* caſ. 1. Dico *ut plurimum:* ſi enim juvenis quiſpiam a miſero Caſuiſta, forſan & a corrupto Paſtore audiiſſet, actionem illam merum eſſe naturæ levamen de ſe licitum; & alia etiam graviora confitendo & ſincere dolendo, ſic fuiſſet affectus, ut & iſtud confiteretur, ſi malitiam ejus cognoſceret, aliter ſtatuendum videretur.

CONCLUSIO II. Iis etiam neganda eſt abſolutio, qui neceſſaria ad officium ſuum vel profeſſionem ignorant, niſi aut officio cedere parati ſint, aut eam qua indigent ſcientiam quamprimum comparare & interim ab officio abſtinere.

Prob. quia Confeſſarius v. g. Judex, Medicus & hujuſmodi, qui artis 709 ſuæ regulas ignorant, immane, ſuo quiſque modo, publice rei detrimentum afferunt, dum alter animas jugulat, alter cœco impetu fortunas civium ſubvertit, alter corpora imprudens enecat. Quis porro publicas ejuſmodi peſtes abſolvere auſit? Neque vero ſatis eſt ut ſpondeant ſe debitam ſcientiam eſſe comparaturos; Videndum enim 1. an ejus capaces ſint; 2. & exigendum ut dum comparabunt, quod utique non eſt menſis unius, ab officio ſuo abſtineant; 3. & id curandum, ut illata hactenus proximo damna reſarciant. Id quidem poterit Judex reſtituendo; at qui poterit Confeſſor vel Medicus? Uterque tamen ſæpe ad reſtitutionem tenebitur; prior quidem erga illos, quos a debiti ſui conſecutione impediit: poſterior vero erga uxorem, liberos, &c. quibus ſponſum vel patrem auferendo, fortunam ſuam abſtulit. Sed de his Tom. 1. ubi de jure & injuria.

Quæres an & quando teneatur Confeſſarius admonere Pœnitentem, qui ex ignorantia facit aliquid illiciti.

R. Explorandum eſſe 1. an Pœnitentis ignorantia vincibilis ſit, an invincibilis. 710 Dum autem id ex tota Pœnitentis agendi ratione expendit Sacerdos, ſingulari eget prudentia, *ne prius quam oportet dubium moveat Pœnitenti, tollatque bonam fidem in qua eſt:* 2. videndum quoque an ignorantia *Garner. ubi inf.* illa ſit facti vel juris; ſi juris; an naturalis, an divini vel humani; 3. expendendum inſuper an ignorantiæ ablatio fieri poſſit citra ſcandalum aut grave damnum: 4. an ex Confeſſarii admonitione fructus aliquis ſperetur, an nullus. His poſitis.

Dico 1. moneri debet Pœnitens, quoties error ejus vel ignorantia vincibilis eſt; 711 etiamſi nullus hinc ſperetur ſucceſſus, ſed potius ſcandalum Pœnitentis, Ita Sanchez Lib. 2. de Matrim diſp. 38. n. 2. Garnerius de officio Confeſſarii Sect. 2 art. 3. §. 2. Antonius Cap. 3. art. 3. q. 3. Ratio eſt quia ignorantia hæc & peccatum eſt, & cauſa peccati; utrumque autem a Pœnitente ſuo pro viribus avertere debet Confeſſor. Nec obeſt quod hinc non ſperetur fructus. Saltem enim proderit admonitio iſtæc, ut Pœnitens malum

in quo verſatur ſtatum cognoſcat; ut aliquando conſcientiæ ſtimulis agitetur, & reſipiſcat; ut non conqueratur abſolutionem ſibi inique denegatam. Ita idem Sanchez.

712 A fortiori monendus eſt Pœnitens. 1. cum dubitat num hæc vel illa actio ſua vacet a peccato, eaque de re Sacerdotem interrogat; tum quia alioqui directe vel indirecte mentiretur Confeſſor, tum quia taciturnitas ejus Pœnitentem ſeu in errore confirmaret; 2. cum error Pœnitentis eidem eſt perniciofus, puta cum pro gravi peccato habet id quod vel leve peccatum eſt, vel nullum. Ita idem Garnerius ibid. & alii paſſim.

Sed qua demum ratione deteget Confeſſarius an vincibilis ſit necne Pœnitentis ignorantia.

713 R. cum Sanchez ibid. n. 3. videndum eſſe an Pœnitens nullum in re de qua agitur ſcrupulum vel dubium habeat, & eatenus ſe credat in bono ſtatu. Quod tamen, meo quidem judicio, erga eos duntaxat locum habet, qui non obtuſæ ſunt aut eſſe incipiunt conſcientiæ. Fieri etiam poteſt, ait idem Theologus, ut Pœnitens malæ olim, nunc bonæ fidei ſit; puta ſi quoſdam conſuleri, qui, cum haberentur pro doctis, conſcientiam ejus ſedaverunt.

Sed quid ſi Pœnitens conſultis duobus Theologis deteriorem partem amplexus ſit.

714 Reſpondet Comitolus Lib. 5. q. 17. n. 4. hominem hunc, ſi Theologi opinionem minus toto & veriſimiliter opinantis ſcienter arripuit; extra culpam ponendum non eſſe. Atque idem eſt, inquit, *ſi paria contrariarum rationum momenta erant;* quia *in dubio morali* ea pars amplectenda eſt *quæ periculi atque peccati expers* fuerit. *Si* tamen, inquit, *alter Magiſter alterum vitæ innocentia, uſu rerum, prudentia, ætate, ſcientiæ opinione & doctrinæ gloria ſuperaſſet*, non poſſet reprehendi qui ei præ alio fidem habuiſſet, *licet argumentorum pondera ceteroquin æqualia eſſent. Tot enim adjumentis ſublevata, totque ornamentis altera honeſtata opinio alteram ſibi cedere prope modum cogebat.*

Dico 2. Pœnitens quacumque juris vel facti laboret ignorantia etiam invincibili, erudiendus eſt, 1. cum ex errore ejus ſequitur grave aliquod malum vel ſcandalum publicum; 2. cum error vergit in damnum injuſtum proximi: ſi tamen damnum illud ſine graviori incommodo averti poſſit.

715 Ratio primæ partis eſt, quia publicum bonum bono privato præferri debet. Unde moneri debet Parochus qui bona fide hæreſim pro veritate docet; ruſticus qui remedium multitudini exitiale diſtribuit, &c.

716 Ratio ſecundæ partis eſt, quia malum proximi averti debet, cum poteſt citra incommodum neceſſarium. Unde qui contractum uſurarium fecir, aut iniqua via lucratus eſt, moneri debet, ut reſiliat ab uno, & aliud reſtituat. Quod ſi facere nolit, ipſe ſibi imputare debet, & interim a Confeſſario abſolvi non poteſt; quia *noluit intelligere ut bene ageret*. Ita ferme Antonius ubi ſupra.

717 Mihi tamen hæc ejus Doctrina dupliciter limitanda videtur: 1. ut dixi, cum *damnum proximi ſine graviori incommodo* averti nequi. Sic uxor, quæ a putativo conjuge indigne vapulat, de matrimonii ſui invaliditate moneri non debet, ne a tiranno ſuo recedat cum gravi parochiæ ſcandalo, diſpendio prolis &c. 2. cum monitio quæ hic & nunc omittitur, poſt aliquod tem-

tempus profutura judicatur. Fieri enim poteſt ut qui hodie naſcentem pietatis ſcintillam in ſe potius ſuffocaret, quam uſurarium contractum reſcinderet, poſt menſes aliquot factus vegetior, non modo injuſte parta reſtituat, ſed & propria largiatur. In his tamen, ut in ceteris habenda eſt ratio circumſtantiarum, puta an quem audis, ad te reverſurus ſit: an portas mortis proxime ſubiturus; an (quod rurſus moneo ſolerter & induſtrie explorandum) error ejus ſpectato ejus ſtatu ſit inculpabilis. Hinc, quidquid nuper ſenſerint aliqui, merito quæſitum eſt a Capitaneo, ceteroquin exacte & *doloroſe* confeſſo, an duellum provocatus acceptaret, quia nulla circa diſpoſitionis hujus nequitiam fingi poteſt ignorantia invincibilis. Ego quidem in hoc caſu ut plurimum a limine interrogarem quæ ſit militis circa duellum diſpoſitio. Si reſponderet, ut ſæpius evenit, ſibi fixum eſſe animo id facere quod alii ſolent; hortaret ut ſingulis hujus hebdomadæ diebus flexo genu coram Deipara id per ejus merita a Deo expoſtularet, quod uno ante mortem inſtanti feciſse velit, ſi meliores indueret ſpiritus, audirem perlubenter. Si ſecus, non audirem. Ut quid enim longam excipias confeſſionem, qui poſtmodum abſolvere non poſſis?

Dico 3. cum ex invincibili Pœnitentis errore ſequitur malum aliquod etiam materiale, moneri debet Pœnitens, quoties monitio videtur citra ſcandalum & grave proximi damnum profutura; Alias non. Unde qui Matrimonii ſui nullitatem inculpate neſcit, moneri debet, cum prævidetur futurum ut diſpenſationem petat & obtineat; & interim abſtineat ab ea quam diſcit non eſse ſuam. Alias moneri non debet, ſed differenda erit in aliud tempus monitio.

Ratio primæ partis eſt, tum quia error etiam materialis quoddam eſt malum, quod Confeſsor, ut Doctor & Medicus, avertere debet; cum nihil hinc mali gravioris imminet; tum quia error in hypotheſi facta grave invehit malum, nempe privationem gratiæ ſacramentalis conjugibus adeo neceſsariæ; tum quia quæ hodie invincibilis eſt ignorantia, ſubinde vincibilis fieri poteſt, tuncque rebus in pejus converſis non tam facile mala inde prodeuntia ſanari. 718

Ratio ſecundæ partis eſt, tum quia ad actum inutilem, & gratis exitioſum nemo tenetur; tum quia monitio in præſenti ſe habet ut correptio fraterna; hæc autem ſublata ſpe fructus, & a fortiori dum mali quid ſperatur, omitti debet; tum quia conſultos pari de caſu Innocentius III. ſic Cap. 6. *De conſang. & affin.* reſpondit; *Diſſimulare poteris ut remaneat in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere*. Etſi enim verbum *diſſimulare*, juxta non paucos idem ſit ac *diſpenſare;* conſtat tamen illud in ſenſu reſponſionis noſtræ optime intelligi; ut videris apud Sanchez cit. diſp. 38. n 12. 719

Sed quid ſi conjux alia de cauſa debitum negat ei quem legitimum eſse ſuum conjugem invincibiliter credit; an qui Matrimonii hujus invaliditatem compertam habet Confeſsor, adigere eam poterit ut debitum reddat. 720

Reponit Soto Confeſsarium non poſe præcipere debiti redditionem in individuo, ſed tantum generale, quod ineſt conjugibus hoc in puncto, debitum urgere. *Sed Fateor*, ait ibid. Sanchez n. 9. *me non aſſequi, quid diſtet inter hæc*: Redde debitum. *vel* Uxor tenetur reddere debitum: *Cum uterque loquendi modus ad eundem ſcopum tendat;* & aliunde Pœnitens, utpote 721

qui ratione erroris ſui non reddendo peccet lethaliter, abſolvi non poſſit, niſi deinceps reddere ſtatuat: Tunc igitur rotunde loquendum: Neque mentietur Confeſsor dicens, illum eſse alterius conjugem, cum talis reputetur; *ſicut verum dixit Virgo Luc. 2. cum dixit:* Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te; *cum tamen Joſeph non eſſet verus pater, ſed ſola reputatione*. Hæc ille poſt Ledeſman, Cordubam, &c. Erunt forte qui tunc dicere malint, nihil unquam contra conſcientiam in materia præſertim gravi eſse agendum: Verum is evadendi modus non multum diſtat a præcedente.

§. II. *An & quibus differri debeat Abſolutio propter occaſionem peccati.*

Potiores circa gravem hanc materiam regulas indicavi in Tractatu de peccatis; ex quo repetendæ ſunt occáſionis definitio, ejuſque diviſiones. Sit itaque

Conclusio I. Non poteſt moraliter loquendo abſolvi qui in occaſione proxima ſimul & præſenti ſponte & volens permanet. Neque etiam qui ab occaſione abſente recedere non vult, etiamſi hanc inquirat ſub prætextu boni etiam ſpiritualis, ſive ſui, ſive proximi.

722 Prob. 1. ex Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo* 2. ex Matt. 5. *Si oculus tuus dexter, ſcandalizat te, erue eum*. Circa quæ ſic ſcribit Chryſoſtomus; *Diligentius vim ipſam ſermonis examina. Non enim dixit, A talium ſocietate diſcede, ſed maximam ſeparationem inducens, Erue, inquit, & projice abs te.*

3. ex cenſura ab Innocentio XI. his inuſta propoſitionibus; LXI. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult omittere; quin imo directe & ex propoſito quærit, aut ei ſe immiſcet.* LXII. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit.* LXIII. *Licitum eſt quærere occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali noſtro, vel proximi.* Quas theſes Clerus Gallicanus perſtrinxit ut *ſcandaloſas, pernicioſas, hæreticas, & aperte repugnantes præcepto Chriſti jubentis manum, pedem, oculum quoque dextrum ſcandalizantem abſcindere & projicere.* Præiverat Concilium Romanum V. ſub Gregorio VII. ubi hæc Cap. 7. *Quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod* attenta ſubjecti fragilitate, *ſine peccato exerceri non poſſit: cognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, niſi arma deponat, ulteriuſque non ferat: vel negotium relinquat, vel officium deſerat.* Eccur porro? utique quia ut ſolide & breviter S. Bernardus ſerm. 1. de reſurrectione; *Veræ compunctionis indicium opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis.*

723 *Non ergo*, ait hic Nat. Alexander art. 3. Reg. 11. *a ſanctiſſimis illis Regulis ſinant Confeſſarii ſe abduci falſa miſericordia erga illos qui dicunt: ſi hanc domum, ſi hoc officium, ſi hanc artem deſeram, deeſt unde vivam. Nam contra hujuſmodi excuſationes in peccatis audiendus Dominus qui ait:* Quærite primum Regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Neque magna illorum habenda eſt ratio, qui ut in proximis peccati occaſionibus adhuc ſordeſcant, lamentando dicunt: Si ab iſtius perſonæ vel domus frequentatione me ſubtraxero, ſi hanc ejecero mulierem, quæ conſanguinea mea cenſetur, vel quæ uxori meæ ſervit, veniam in ſuſpicionem criminis;*

Nam

Nam Salvator noſter damnat eos, qui dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Nulla eſt ergo peccandi neceſſitas, quia Una eſt non peccandi neceſſitas, *ut ait Tertullianus.*

Ad pleniorem horum intelligentiam juvat referre prolixum ſimul & 724
utilem S. Caroli locum. Sic ille in Confeſſorum Inſtructione. *Neque hi,* ait, *poſſunt abſolvi, qui ſincerum propoſitum non habent peccata mortalia, & eorum occaſiones fugiendi. Et quia plurimum refert ut Confeſſarii clarius hæc intelligant, paulo fuſius ſunt explicanda.*

Peccati mortalis occaſiones vocantur, quidquid ad peccatum inducit, aut ex ſua natura, aut ex parte Pœnitentis, qui in ea occaſione poſitus ita peccare conſuevit, ut probabile ſit ex ſuo pravo habitu illum in eadem peccata lapſum iri, ſi in illa occaſione perſeveret.

Occaſiones porro quæ ex natura ſua inducunt ad peccatum, iſtæ ſunt: aleatorios ludos profiteri, verb. gr. cartarum & taxillorum: domum hunc in finem paratam habere, ac aleatores recipere: domi retinere aut ſuo aut alieno nomine perſonam quicum peccatur; aut alio modo cum ipſa cohabitare. In eadem converſatione, colloquiis, aſpectibus, amoriſque impudicis ſignificantibus & incentivis perſeverare. Pœnitentem ergo aliqua ex his occaſionibus, aut ſimilibus irretitum, ſi occaſio hujuſmodi ſit præſens, ut retinere concubinam, aut quid ſimile, non debet Confeſſarius abſolvere, niſi prius ab illa occaſione re ipſa diſceſſerit, ſeque ſeparaverit. Quod autem alterius generis occaſiones ſpectat, ut aleæ profeſſionem, mutuos aſpectus, converſationem, nutus impudicos, &c. non abſolvatur Pœnitens, niſi eas dimittere, ea ratione quæ fidem faciat, polliceatur: quod ſi jam alias id pollicitus ſit, nec emendatus fuerit, abſolutio tandiu differatur, donec emendationem perſpexerit.

Et quia contingere poteſt ut Pœnitens nullo ex mediis, quæ ipſi proponit prudens Confeſſarius, extricare ſe poſſit ab occaſione, illamque dimittere ſine ſcandalo & periculo, Confeſſarius hæc adhibere debet remedia.

Primo abſolutionem differat, donec certa ſinceræ emendationis videat indicia. Quod ſi abſolutionem differre non poſſit ſine periculo vel infamia Pœnitentis, & Confeſſarius talia contritionis in eo ſigna perſpexerit, debitamque ad excipienda remedia emendationi ſuæ neceſſaria diſpoſitionem obſervaverit, debet illi proponere quæ magis opportuna & neceſſaria videbuntur, verb. gr. illi præcipere ne ſolus cum tali perſona colloquatur, orationes aliquas, carniſque macerationes illi præſcribere, & frequentem inprimis confeſſionem, aliaque ſimilia, quæ ſi Pœnitens in ſe recipiat, Confeſſarius illum abſolvere poterit. Quod ſi tamen hac jam adhibita aut a ſe, aut ab alio Confeſſario diligentia, Pœnitens emendatus non fuerit, non abſolvatur, donec occaſio illa ſublata fuerit, vel agendum nobis aliter videntur: de quo nobis in eo caſu, celato perſonæ nomine, aliquid ſignificabitur.

Occaſiones peccati mortalis ſecundi generis, ſive quæ tales cenſentur ex perſonæ duntaxat infirmitate, ſunt eæ res, quæ licet in ſe licitæ ſint, prudenter tamen judicatur Pœnitentem earum uſu in eadem peccata relapſum iri, ſi in illis, ut antea, perſeveret. Talia pleriſque ſunt hodie, ſeculi noſtri vitio, bellum, negotiatio, Magiſtratus, Advocatorum Procuratorumque profeſſio, & alia hujuſmodi exercitia, in quibus quis ſæpius mortaliter peccare conſuevit blaſphemiis, furtis, injuſtitiis, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis & aliis ſimilibus, ex quibus novit, quod ſi in his exercitiis perſeveret, eadem illi occurrent

peccandi occaſiones; nec ulla ratio ſuadet adverſus peccatum firmiorem fore quam antea ∴. Ideo qui ſic affecti ſunt, aut debent a profeſſione ipſis periculoſa omnino abſtinere, ut ait Sanctus Auguſtinus, aut certe illam non exercere ſine licentia & ſub moderamine probi alicujus prudentiſque Sacerdotis, qui non debet abſolvere hominem in eo ſtatu conſtitutum, cum probabiliter judicat ad eadem peccata reverſurum, ſi in iiſdem occaſionibus perſeveret: ſed per aliquod tempus emendationem ejus oportet experiri.

Qua in re invigilare eo majus operæ pretium eſt, quod Confeſſariorum hac in parte incuria in omnibus artibus & profeſſionibus regnent plures abuſus, graviſſimaque peccata, ſine quibus jam videtur, a multis ne juſtiſſimas quidem profeſſiones exerceri poſſe. Sic verb. gr. in Magiſtratuum & aliorum Officiorum inſtitutione, ea ſolemni ſæpe Sacramento promittuntur, quæ nuſquam obſervantur. Apud Juriſconſultos, Advocatos & Procuratores Clientum improbitati & injuſtitiæ contra propriam conſcientiam ſervitur. In Militia, duello, odiis, homicidiis, alea, blaſphemiis, rapinis & impudicitiis peccari ſolet. Mercatores uſuras palam exercent, pro ſinceris fucatas merces plerumque proponunt, pretiis longe juſto majoribus omnia vendunt; frequentia ſunt apud eos perjuria, FRAUDESQUE IN SOLVENDIS PEDAGIIS ET VECTIGALIBUS; *aliaque ab illis peccata committuntur. Artifices plurimi feſtis diebus, ut aliis, laborant; ita ut vix cultui divino unquam vacent, & Dei verbum audiunt, & familiam ſuam eodem modo teneat occupatam. Quo fit ut eorum plurimi vitam omnem in peccatis mortalibus traducant, qui proinde abſolutionis non debent capaces æſtimari, niſi primum diligentia omnis adhibeatur ut liberentur ab occaſionibus & fortiores quam antea reddantur. Imo Confeſſarius accuratiori habito examine, forſan inveniet eorum aliquos numquam recte confeſſos fuiſſe: quod ſi ita fuerit, debet eis ſuadere, præter emendationis ſigna quæ dederint, aut profeſſionis ipſius pernicioſæ derelictionem, ut generalem confeſſionem faciant, valentioraque pro ſua ſalute adhibeant remedia.*

Cautior ac ſeverior ſit Confeſſarius neceſſe eſt circa eas actiones & exercitia, quæ Reipublicæ inutilia ſunt, aut minime neceſſaria; quæ licet ad primam ſpeciem occaſionum ex ſe naturaque ſua homines ad mortale peccatum inducentium non referantur, quæ propterea dimitti a quocumque debent, ad malum tamen inclinant, & ſæpiſſime pertrahunt hominem ad diverſa peccata mortalia. Hujuſmodi ſunt choreis intereſſe, cum blaſphemis, rixæ deditis, aliiſque improbis hominibus ſæpius verſari, popinas frequentare, indulgere otio, & id genus alia, quorum occaſione, ſi homo peccare mortaliter conſueverit, abſolutionem non debet impartiri, quin his omnibus renuntiet Pœnitens, & pollicitus fuerit dictam occaſionem ſeipſa dimiſſurum. Si tamen ſpem aliquam, fundatam ſcilicet, neque futilibus verbis, vel lacrymis, quæ ut fluunt, ſic ceſſant, innixam, *Confeſſarius concepit, ſemel iterumque promittentem ſe occaſionem dimiſſurum poterit abſolvere:* ea tamen lege ut *deinceps abſolutionem differat, donec certis & evidentibus indiciis conſtet, illum ab his occaſionibus penitus eſſe ſegregatum.* Hæc ſanctus Pontifex, quæ quia pene totam circa peccati occaſiones doctrinam continent, referenda per longum duximus.

725 Objiciuntur duo: I. ex communi ſententia qui artem ferrarii fabri exercet, licet dives ſit, non tenetur die jejunii a labore ceſſare ut jejunet. Neque qui ad nundinas properat, iter abrumpere die feſto, ut audiat

Sacrum,

Sacrum, ſi interim ab emptionis aut venditionis occaſione excidat. Ergo nec tenetur quis concubinam ejicere, ſi hæc ſibi certo in negotio plurimum utilis ſit; aut ex ea capiat oblectamentum, ſine quo vitam ægre ſit ducturus II. poteſt quis ad hujuſmodi oblectamentum novam famulam acceſſere, quamvis non deſit periculum lapſus. Ergo & antiquam cum recidendi periculo ſervare poteſt. Ita Joannes Sancius.

R. ad 1. permiſſo antecedente, non conceſſo; quia dives faber, etſi 726
non omnino a labore ceſſare, at eum ſaltem minuere tenetur, ut Eccleſiæ præceptis obtemperet; quod ſervata proportione de eo dicendum, qui ad nundinas properat; Neg. conſeq. longum enim eſt diſcrimen inter poſitivas jejunii vel Miſſæ leges, & naturale præceptum vitandi periculum fornicationis. Neque enim intendit Legiſlator, ut ſervaretur jejunium vel audiretur Miſſa, cum neutrum ſine graviſſimo incommodo præſtari poteſt. At fuga rei intrinſece malæ, ut pote ad ſalutem neceſſaria, quocumque tandem emi debet diſpendio, atque ipſius etiam vitæ, ſi malum aliter averti nequit. Unde qui niſi concubinæ domum ingrediatur, aureos ducentos perdet, unde in neceſſitatem extremam conjicietur; niſi poſt jejunia, orationes, & alia ſolitis majora virtutum exercitia, confidat ſe, Deo dante, firmiter reſtiturum; mortem præeligere tenetur, quam domum ejus ingredi, ſeque mortali criminis periculo objicere. Ita Domin. Viva ad propoſit. 41. Alexandri VII. numer. 9.

R. ad 2. 1. non idem eſſe periculum cum nova, præſertim pia quæ ab 727
homine illo quæri debet, ancilla peccandi, ac cum ea quæ jam pudoris limites fregit; 2. ſi herus conjiciat futurum ut novam famulam corrumpat, non modo oblectamento illi, de quo miſere loquitur objectio, renuntiare debet, ſed & cuivis hujuſmodi perſonarum conſortio. Quoti vel in alienæ domo ut convictores, vel in propria ſine ancillis degunt.

Saltem, inquis, licebit gravi peccandi periculo ſe exponere ob ſpiritua- 728
le proximi bonum? Reſp. neg. *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum*, quocumque, etiam ſpirituali modo, *lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*. Hinc qui certus eſt, ſe converſurum eſſe meretricem, ſimulque ſe eam oculo parum pudico intuiturum eſſe, a facie ejus, ut a colubri, fugere debet. Idem eſt de Confeſſario, qui dum duriora quæque corda movet & concutit, ſuum aperit libidini.

Quod de Domino quoad ancillam, idem de ancillis quoad dominos di- 729
cendum. Eæ enim non modo aliquam mercedis ſuæ partem, ſed totam potius perdere debent, quam in proximo ruinæ periculo commorari. Imo etſi, auxiliante Deo, plenam ſibi victoriam pollicentur, quamprimum exire debent e domo, ubi, licet invitæ, ſunt occaſio peccandi. Tunc tamen ne pacta ſibi mercede, ampla potiſſimum, priventur, ad aliquod tempus expectare poſſunt; quia quod præbent ſcandalum, ſi ita loqui fas eſt, acceptum eſt non datum.

Sed quid de iis quæ habitu laſciviam ſpirante, nudatione pectoris, &c. 730
peccandi occaſionem præbent? Unum eſt quod reſpondeam, nempe miſera hæc & efficacia diaboli inſtrumenta plena eſſe inceſſabilis delicti, horrorem cœli, ruinam terræ, ſexus ſui opprobrium. Unde qui iis abſolutionem impendunt, ipſi ſe abſolutione indignos præſtant. Quin & puel-

la,

Digitized by Google

la, quæ nativa ſola nec fucata oris venuſtate profanum amorem invita cuipiam inſpirat, a conſortio ejus, quantum poteſt, recedere, eundem aſpera voce alloqui, eaque etiam, quæ juxta Regionis morem alioqui licita forent, denegare conſtanter tenetur, prout dixi Tom. 3. pag. 505. Idem quoad Pœnitentes ſuas obſervare debent Confeſſarii, cum eas ultra æquilimites ſibi adhærere ſuſpicantur.

731 Dixi in Concluſione, 1. *qui in occaſione proxima & præſente permanet*. Is enim cum ex hypotheſi occaſionem illam ſtatim dimittere valeat, ſatis teſtatur ſe non habere cor a peccato alienum, cum ejus committendi periculum ſponte & volens ſubeat.

732 Dixi 2. *moraliter loquendo*; quia mors aliquando tam proxime imminet, ut abſolvi debeat concubinarius, etſi necdum amaſiam ſuam ejecerit. Tunc autem abſolvi ſolet, quia præſumitur hominem, qui uno tantum paſſu a morte & judicio dividitur, peccata ſua deteſtari. Quod ſi tamen miſeram hanc ejicere valeat hic & nunc, non ante erit abſolvendus, quam ejecerit. Si ex ſubita ejectione timeatur violatio ſigilli, curandum erit ut ſub honeſto quopiam prætextu quaſi ad tempus eliminetur, puta ut peregrinationem inſtituat pro impetranda infirmi valetudine, vel bona morte. Sic enim fiet ut moribundus ab objecti periculoſi intuitu liber, ab immundis, quæ hinc oriuntur cogitationibus ſolvatur.

733 Dixi 3. nec abſolvi poſſe eum *qui recedere non vult ab occaſione abſente*, ſeu extra ſe quæſita, quales ſunt Choreæ, luſoriæ domus, tabernæ, perſonarum abſolute vel reſpective periculoſarum frequentatio, & alia id genus quæ ſupra recenſuit S. Carolus. Qui enim hæc ſibi funeſta rurſum inviſere proponit, amat periculum, adeoque & ruinam periculo annexam. Quod ſi ſpondeat ſe ab his eſſe receſſurum, videndum erit juxta S. Caroli Doctrinam, num idem jam pollicitus defuerit promiſſis; & tunc differenda erit abſolutio, donec idoneo tempore probatus fuerit. Quod ſi primum peccata hæc confiteatur, vel olim confeſſus, haud ſatis de eorum gravitate monitus fuerit, tunc ſi vera ſinceri doloris argumenta exhibeat, hic & nunc juxta S. Carolum, poterit abſolvi. Quia tamen noſtro hoc tempore plerique, juvenes potiſſimum, id omne quod volueris ſpondent, & eadem facilitate retractant, ſibi ſuiſque provide conſulet Director, ſi ad tempus abſolutionem differat. Erit autem temporis hujus diuturnitas, tum ex peccatorum modo; tum ex Pœnitentis conatibus, tum ex aliis perſonæ, loci, Feſti etiam circumſtantiis metienda. Interim penſandum Directoribus, id quod docet S. Xaverius Epiſt. 1. videlicet non eſſe ſtandum ſolis inimicorum, impudicorum, & rei alienæ detentorum promiſſis, donec ea executi fuerint. Unde, inquit, *cum hominibus horum tractatuum, tam promptis & liberalibus ad obligandam fidem, quam ad exolvendam tardis ac ſegnibus, cum arrha tranſigendum eſt*. Merito igitur, poſtquam hæc retulit, exclamat Henno pag. 223. *Vellem hic veritatem hanc omnibus Confeſſariis fortiter inculcare, nempe vix aut ne vix quidem unum, qui mulieri cohabitanti aliquoties mortifere*, ſeu per ultimum crimen, ſeu per tactus vel oſcula, *adhæſit, licet necdum res turpis abiiſſet in conſuetudinem, aut occaſionem proximam; emendatum fuiſſe niſi per ſeparationem. Certe ipſa peccati memoria, objecti præſentia, declarationis recordatio ſæpius in die renovata, ad relapſum pronitas, naturalis ad peccatum hoc propenſio, &c.*

ita

ita ſenſibiliter emolliunt cor hominis, ut non obſtantibus omnibus cautelis, aliquando & ſæpius miſerabiliter labatur.

Neque vero ſemper ſufficit ut qui cum muliere lapſus eſt, ab ejus cohabitatione diſcedat; ſed & ipſum ejus aſpectum effugere, eaque, quę ideam ejus alliciunt, munuſcula procul abjicere debet. Hinc Pontas v. *Abſolution* caſ. 18. negat impertiendam eſſe abſolutionem feminæ, quæ licet cum amaſio ſuo duobus ab annis non peccet, ab eo identidem inviſitur, litteras ejus lubens recipit, & tabellam ipſius conſervat. Atque hinc difficile admiſerim quod docet idem ibid. caſ. 19. eum nempe qui ſemel & iterum peccavit cum ancilla, quam ex tunc nuſquam ſolus ſolam vidit a tribus menſibus, prima vice abſolvi poſſe. Si enim magnum ſit, ut eſſe nemo diffitebitur, in ea cohabitatione periculum; quidni tollatur, ſaltem cum ſine graviſſimo incommodo tolli poteſt. Vide eundem caſ. 22. ubi ſecundo loco validum contra ſe argumentum ſuppeditat. 734

CONCLUSIO II. Si occaſio graviter peccandi proxima ſit præſens, nec phyſice aut moraliter dimitti poſſit, Pęnitens abſolvi non debet, donec eam quibuſcumque poterit mediis, e proxima remotam fecerit.

Prob. ex iis quæ dixi in Tract. de peccatis, quæ conſuli & mature expendi precor. 735

Porro nuſquam pigebit repetiiſſe præcipua occaſionis debilitandæ media eſſe orationem crebram, frequentem confeſſionis uſum, frequentiorem ad Deiparam recurſum, fugam otii ac deſidiæ, Romanenſium Librorum repulſam, piorum lectionem, cogitationem annotum æternorum ſui ipſius diffidentiam, eamque potiſſimum ſinceram humilitatem, quæ omnia petit & conſequitur; humani judicii deſpectum, &c. Hinc quæ conſanguineo etiam Sacerdote, vel impotente marito periculoſe commoratur, neque hic ut ſoror cum fratre (quod jure permiſſum eſt) vivit, aut deinceps victuram confidit, non a thoro tantum, ut debuit, ſed & a domo, qua melioti poterit via, ſeparare ſe tenetur. Specialis cujuſcumque peccati capitalis remedia exhibuimus in eod. de peccatis Tractatu. 736

Quæres an excipi debeat ut in proxima occaſione poſitus, qui ſemel in anno Lugdunum petiit, ibique cum muliere ſibi nota fornicatur. 737

R. cum hujuſmodi homine agendum eſſe juxta methodum ſuperius a S. Carolo propoſitam, ita ut ſi falſo jam promiſerit ſe vel in illam urbem minime regreſſurum, vel ſi ex urgentibus negotiis regrederetur, feminam hanc ne raptim quidem & obiter inviſurum, nec ſteterit promiſſis, conſtanter probandus ſit, donec certo moraliter judicet Confeſſarius futurum ut totam, ſi opus erit, fortunam ſaluti ſuæ poſtponat. Neque tamen ſemper toto anno expectandum erit: quia plena converſio quandoque ſignis tam efficacibus ſe ſe aperit, ut omnem ſuſpicioni vel dubio aditum præcludat.

Quæ hactenus dicta ſunt, a fortiori locum habent in Miniſtris Chriſti, ut ſolide animadvertit Auctor Theoriæ & Praxis Sacram. Tom.2. Cap. 8. §.6. 738

Hinc 1. cavebit Confeſſarius ne Sacerdos, Præceptoris aut Capellani munus acceptet iis in domibus, ubi mulieres laſcive comptas ſæpius proſpecturus ſit; cum fieri nequeat quin volens, nolens, multa intueatur & audiat, quæ pacem animæ excutiant, mentem a Deo avocent, imaginationem phan-

phantaſmatis conturbent. *Averte faciem tuam*, ait Sapiens Eccli. 8. *a muliere compta, & ne circumſpicies ſpeciem alienam.*

739 Hinc 2. & magis, ab iiſdem domibus quamprimum retrahendus eſt, qui jam ſenſit virtutem ſuam labefactari, peneque internæ tentationi ceſſit. Niſi enim ut acerbum illud perſecutionis genus declinet, e civitate una fugiat in aliam, vel aliquando tandem cedet, vel ut minimum ab ea cordis tranquillitate excidet, ſine qua tepeſcit ac languet oratio, mens referta nugis ſit inſtar terræ *ſine aqua*, tandemque cor concidit, & voluptatem inhiat. *Quanti*, ait Auctor Libri de ſingularit. Clericor. ad calcem Operum S. Cypriani, *quanti & quales Epiſcopi & Clerici, ſimul & Laici, poſt confeſſionem, victoriarumque tolerata certamina, poſt magnalia & ſigna mirabilia, noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe. Quantos leones domuit una muliebris infirmitas delicata.*

740 Hinc 3. iidem ſi jam ad converſationes minus pudicas, ad aſpectus vel tactus ejuſdem generis devenerint, etſi forte dolore ac gemitibus primam abſolutionem mereri poſſunt, non tamen ſecundam, niſi exierint, ſi penes eos fuerit exiiſſe.

741 Hinc 4. qui cum muliere, quam pro libito inviſere poteſt, peccavit, ab ipſo etiam oppido recedere debet, ſi, ut ſæpe, grave aliquod novi lapſus periculum impendeat.

Hinc 5. ab audiendis confeſſionibus omnino deterreri debet, qui pluries licet a Directore ſuo reprehenſus, ſat virium non habet ut iis abſolutionem neget, quæ mundano more induuntur, quæ in proxima peccati occaſione degunt, quæ theatra frequentant, quæ, licet non impeditæ, Parochiali Miſſæ continuo deſunt. Idem eſt de eo cui audita in confeſſione nova ſunt in dies occaſio ruinæ.

742 Hinc 6. & is quoque abſolutione privandus, qui vel plebem ſibi commiſſam non paſcit verbo; unde innumera peccata ſcaturiunt: vel Beneficii ſui reditus in aleam, venationem, epulas, & quid forte pejus perpetuo impendit, ſemper promittens meliora, ſemper promiſſorum immemor.

§. III. *An & quibus differenda ſit Abſolutio propter habitum peccati.*

743 Habitus peccati eſt facilitas peccandi, ſeu propenſio in peccatum per ejuſdem actus comparata. Non dico cum quibuſdam, per actus ſæpius repetitos; cum nec actus repetiti ſemper tribuant propenſionem in peccatum, prout in iis liquet, qui mundano tremore pluries quædam faciunt quæ intus exhorrent; nec ad habitum, moraliter ſpectatum ut in præſenti, ſemper requirantur actus pluries repetiti; cum multi ex uno aut altero actu plus ad certum peccatum contrahant facilitatis, quam qui illud pluries commiſere. Quin & aliquando repetiti actus habitum imminuunt; quatenus fruitio tollit novitatis illecebras, & amatæ rei vanitatem atque miſeriam oſtendit: unde ſatietas, faſtidium & ſenſim deſuetudo. Ex quibus colliges, ſi lubet, nec ſemper habendum pro *conſuetudinario*, qui pluries in certo genere deliquit; nec ſemper pro non conſuetudinario habendum, qui ter aut quater tantum peccare incœperit. Utique major ut plurimum eſt in iſtius converſione difficultas, quam in converſione alterius, cui crimen ex ipſo uſu inſipidum evaſerit. His præmiſſis,

miſſis, quæ ſi phyſice accurata non ſunt, moraliter prodeſſe valent, tria inquiruntur, 1. an Pœnitens, qui peccatum aperiendo, conſuetudinem ejus ſilet, circa ipſam interrogari debeat, & reſpondere; 2. an eidem, ſi in habitu phyſice vel moraliter ſpectato verſari deprehendatur, differenda ſit abſolutio; 3. qua ratione a pravo quem induit habitu poſſit avocari. Sit

Conclusio I. Pœnitens ignotus, cum grave quid confitetur, interrogari debet num illud ex habitu committat, & interrogatus reſpondere tenetur.

Prob. 1. pars: Confeſſarius in Tribunali vices gerit Judicis & Medici. 744
Quatenus Judex prudens imprimis cavere debet ne eum præpropere ſolvat, qui ligari meretur; quatenus Medicus non modo præterita vulnera curare debet, ſed & præcavere futura. Atqui neutrum præſtare poteſt, niſi Pœnitentis ſtatum, proinde habitum vel non habitum peccandi apprime cognoſcat. Neque enim eum qui ſemel ex fragilitate vel malitia peccaverit, excipiet eo modo ac qui peccatum velut aquam bibit, qui lætatur, cum male fecerit, qui qua data occaſione exultat in rebus peſſimis. Nec rurſus eadem malo jam obducto præſcribet remedia, quæ malo cujuſvis hodieque urget maxima; nec ſemper abſolutionem pro delicto raptim commiſſo differet, uti pro multis differre tenebitur; nec ad iterandas confeſſiones adiget, cum ſæpe ad eas adigendi ſint, qui malo in habitu verſantur. Ergo

Prob. 2. pars, tum quia correlativæ ſunt in hac materia obligationes 745
Pœnitentis & Confeſſarii, ita ut ſi alter præcipere debeat, obſequi alter teneatur: tum quia Innocentius XI. hanc n. 58. Theſim reprobavit: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*: de qua rurſum ſic ſanxit Clerus Gallicanus. *Doctrina hac propoſitione contenta, falſa eſt, temeraria, in errorem inducit, ſacrilegiis favet, Chriſtianæ ſimplicitati, Miniſtrorum Chriſti, judiciariæ poteſtati, confeſſionis integritati, atque ipſius Sacramenti inſtitutioni ac fini derogat.*

Confirm. 1. quia habitus peccandi quædam eſt circumſtantia peccatum 746
inſigniter aggravans. Atqui hujuſmodi circumſtantias tenetur Pœnitens aperire Confeſſario interroganti, imo etiam non interroganti, ut ex alibi dictis liquido conſtat.

Confirm. 2. quia alioqui, ut ferme advertit Lugo, qui ſemel per hebdomadam peccat cum Bertha per annos triginta, poſſet Dominicis ſingulis ſuum hoc ſcelus velut unicum aperire, & juxta Noviorum Caſuiſtarum praxim abſolvi. Id porro annon horreſcunt aures Chriſtianæ? 747

At, inquit Sancius, nemo idem peccatum bis confiteri tenetur. Bis 748
porro confitetur, qui habitum pandit. En formidanda gentis illius argumenta, ex quibus *falſa temeraria, ſacrilegia*, &c. docent.

Interim neg. maj. & dico cum Viva ad propoſ. 60. Innocentii XI. & 749
Lugo diſp. 14. n. 173. novum non eſſe, quod quis peccata etiam remiſſa denuo clavibus ſubjicere teneatur, non quaſi rurſum ſolvi indigeant, ſed ut aptum de iis relative ad præſentia judicium feratur. Sic qui a peccato cum affine ſua commiſſo abſolutus eſt, ſi deinceps debitum petat, a ſecundo hoc delicto ſolvi non poterit, niſi primum explicet. Sic quoque qui prolem ſpuriam genuit, eamque poſt annos plures hæredem inſtituit, novum hoc peccatum detegere non poteſt, niſi primum detegat, & ſic in aliis pluribus.

Con-

Concluſio II. Regulariter abſolvi non debet, qui mortaliter peccandi conſuetudinem habet, donec idonea emendationis indicia præſtiterit.

750 Prob. 1. ex tota Traditione, quæ feſtinam hujuſmodi Pœnitentes, ſeu potius peccatores abſolvendi praxim, uti Pœnitentium æque ac Confeſſariorum ruinam ſemper exhorruit. Sic Clerus Rom. citata alibi ad Cyprianum Epiſtola: *Ubi* vero, inquit, *indulgentiæ poteris medicina proficere, ſi ipſe etiam Medicus intercepta pœnitentia indulget periculis, ſi tantummodo operit vulnus, nec ſinit neceſſaria tempore remedia obducere cicatricem? Hoc non eſt curare, ſed, ſi verum dicere volumus, occidere.*

Sic S. Cyprianus Lib. de lapſis, qui totus noſtrum hunc in finem collineat: *Si quis præpropera feſtinatione ∴ audet præcepta Domini reſcindere, dans pacem nondum pœnitentia perfunctis, non tantum nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis: provocaſſe eſt iram, non ſervaſſe ſententiam*. Unde juxta S. Martyrem crudelis hæc miſericordia, *hoc* eſt *lapſis quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas & quod navigiis ſæva tempeſtas*. Porro ſi ſemel lapſos tam ſevere probari voluit Cyprianus, quid de vigeſies, trigeſies, centies & eo plus relapſis ſtatuiſſet?

Sic S. Gregorius part. 3. Paſtoralis, admonit. 31. *qui admiſſum plangit, nec tamen deſerit, pœnæ gravioris culpæ, ſe ſubjicit; quia & ipſam, quam flendo veniam potuit impetrare, contemnit, & quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum volvit.*

Sic S. Iſidorus Lib. 2. ſentent. Cap. 13. *Qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quaſi ſi quis lavit laterem crudum, quem quanto magis laverit, tanto amplius lutum fecit.*

751 Idem docent nec aliud docere potuerunt Concilia, quorum inſtar ſit Toletanum III. Can. II. ubi hæc: *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundum Canones, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent: ideo pro coercenda tam execrabili præſumptione, id a ſancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam Canonum antiquorum detur pœnitentia.*

Non alia mens eſt Concilii Nicœni I. *Illud præcipue obſervetur*, ait Can. 18. *ut animus & propoſitum pœnitentium obſervetur. Quicumque enim cum lacrymis perſeverantibus & bonis operibus, omni tempore converſionem ſuam, non ſolo habitu* (ſeu ut habet Iſidori verſio, *non verbis ſolis*) *ſed opere & veritate demonſtrant ∴ merito orationibus communicabunt*. Atqui *verbis* ad ſummum, non *opere & veritate* converſionem ſuam demonſtrant, qui confeſſi licet, moniti, reprehenſi, uti canes perpetuo fere revertuntur ad vomitum.

752 Neque hæc abſolevit diſciplina; ut hinc patet quod eam etiamnum approbet & ſervari velit ſancta Dei Eccleſia. Sic enim habet S. Carolus Borrom. in Confeſſariorum Inſtructione, quæ ab Apoſtolica Sede, approbato Concilio IV. Mediolanenſi, approbata eſt, & repetito juſſu Comitiorum Cleri Gallicani an. 1655. 1656. 1657. pluries impreſſa: *Confeſſarios monitos volumus, ut donec emendationem perſpexerint, abſolutionem iis pœnitentibus procraſtinent, quos veriſimiles eſt ad peccata iterum lapſuros. Hujuſmodi ſunt adoleſcentes otio ut plurimum dediti, qui in ludis comeſſationibus, ebrie-*

Digitized by Google

ebrietatibus & impudicitiis majorem temporis partem impendunt. Iis pariter accenſeri debent blaſphemi detrectatores, turpiloquio addicti, innumerique alii impii, qui ſemel tantum quotannis, tempore Quadrageſimali labente, ſe ſe Sacerdoti ſiſtunt ad confeſſionem: ſicut univerſim omnes, qui multos annos in peccatis ſuis perdurant, & nulla interim adhibita opera ad emendationem vitæ, in eadem peccata iterum atque iterum labuntur.

Idem liquet ex cenſura hujus propoſitionis apud Innocentium XI. numer. 60. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodo*, quod arduum non eſt, *ore proferat ſe dolere & emendationem proponere*. Quod opinionis portentum a Gallicano Clero proſcriptum eſt ut *erroneum & ad finalem impœnitentiam ducens*. 753

Neque alia fuit, aut eſſe potuit, opinio Sanctorum, qui poſtremis temporibus vixere. Hanc inter alios docuit vir manſuetudine ſua Deo & hominibus dilectus Franciſcus Saleſius in Inſtruct. Synodalibus Tit. 9. Cap. 5. ubi his abſolutionem differri jubet, *qui vitioſis habitibus, puta blaſphemiæ, luxuriæ, &c. eradicandis, omnes nervos non intenderunt, in confeſſione alias commoniti aut correpti*. 754

Prob. 2. geminam Miniſtris ſuis clavem dedit Deus, aliam ad ſolvendum, ad ligandum aliam. Atqui ſi ſolvendi ſint, qui nullo efficaci contra vitioſos ſuos habitus remedio huc uſque uſi ſunt, tantumque ore proferunt ſe dolere, una tantum clave indigent Sacerdotes: cum ne unus quidem ex iis qui ad ſacrum Tribunal ſerio accedunt, occurrat, qui non afferat dolere ſe peccatum, & emendationem ipſius proponere. Merito igitur Sanctus Thomas de Villanova Serm. in feria VI. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ. *Quid Eccleſiam Domini perdit, niſi Confeſſariorum & Paſtorum blandiens adulatio? Duas tibi claves Dominus dedit .·. abſolvendi ſcilicet & ligandi, & tu ſine diſcretionis examine neminem ligas, omnes abſolvis, una tantum clave, neque integra quidem, uteris*. Et paulo poſt, *Heu! heu*, exclamat, *in domo Domini horrendum vidi, Paſtores, qui Domini ſui oves jugulabant, Medicos, qui populi ſui ægrotos occidebant*. Et iterum: *Quid ait* de Ninivitis *Scriptura*: Vidit Deus opera eorum, quod converſi ſunt de via ſua mala, & miſertum eſt, &c. *Non ait: Vidit gemitus, vidit lacrymas, vidit ſaccos, vidit cineres. Sed quid vidit?* Opera eorum, quod converſi ſunt, &c. *Si vitia non deſeruntur, fruſtra Dei miſericordia lacrymis imploratur .·. O peccator, ſi vere ploras, fuge concupiſcentiam, dimitte laſciviam, expellæ mulierculam, ſolve catenam: Alias non credo lacrymis;* multo minus verbis ſolis. *Prius ergo vadat, & concubinam e domo pellat, pecuniam alienam reſtituat, contractus uſurarios rumpat, famam proximi læſam, prout poteſt, reſarciat, mercenariorum labores & pauperum debita ſolvat, offenſo fratri reconcilietur & veniam petat; & tunc ad Confeſſarium redeat & abſolvatur. Hic rectus eſt ordo .·. Hunc ordinem ne tranſgrediaris .·. O Medice, cur cui abſolutionis beneficium exhibeas, non diſcernis*. 755

Prob. 3. Confeſſarius neminem de via communi abſolvere poteſt, quin antea moraliter certus ſit de efficaci ejus peccatum fugiendi propoſito. Atqui Confeſſarius moralem hanc certitudinem ex ſola Pœnitentis *conſuetudinarii* aſſertione habere non poteſt: imo pluſquam moraliter certus eſt 756

Pœnitentem de novo eſſe relapſurum. In hac enim quotidiani facti materia multo plus experientiæ credendum eſt, quam ratiocinationi. Atqui experimento compertum eſt eos, qui ſemel potandi, venereis indulgendi, proximos venenato dente inſequendi habitum contraxerunt; in eundem, ubi ſemel & iterum aſpirat occaſio, totis pedibus proruere; quin & aliquando ea ipſa die, qua vel Chriſti corpore refecti ſunt, vel Sacrum celebrarunt. Et id qui in praxi obliviſcuntur Confeſſores, ipſi prędicant e ſuggeſtu, ubi hæc inclamant Scripturæ verba: *Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam &c. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, &c.* Hinc ſapientiores quique Epiſcopi ſortem Sacerdotis vino devoti pene deſperatam habent; & quod mirabere, deſperatam magis quam ejus qui luxuriæ ſervit. Huic enim quandoque oculos aperiunt idoli ſui tyrannis, proborum & improborum ſuſpiciones & murmura, impenſæ quibus vix hirudinem ſuam ſatiat, &c.

757 Prob. 4. Ea opinio exhorreri & procul amandari debet, quæ ſacrilegiis patentem januam aperit, quæ efficaciores Scripturæ adverſus peccatum regulas ſubvertit, quæ peccati pondus & gravitatem imminuit, quæ demum, ut aiebat an. 1700. Clerus Gallicanus, ad finalem impœnitentiam deducit. Atqui talis eſt opinio, quæ pęnitentem, etſi emendationis ipſius ſpes nulla appareat, ſtatim ut ore profert ſe dolere, vult abſolvi.

758 1. Aperit januam ſacrilegiis, nimirum confeſſionibus ſine dolore legitime præſumpto factis, & quæ eas ſubſequi ſolent malis communionibus.

759 2. Efficaciores Scripturæ adverſus peccatum regulas ſubvertit. Sunt enim hæ, quod ad plenam converſionem neceſſaria ſit ea totius hominis transformatio, quæ dominantem Dei amorem dominanti creaturæ amori ſubſtituat; quod ardua ſit & difficilis hæc peccatoris, *conſuetudinarii* potiſſimum & *recidivi*, immutatio; quod proinde rara ſit, & nuſquam, extra caſum miraculi, ſine ingenti labore fieri ſolita. Primum patet vel ex eo breviſſimo textu Matth. 10. *Qui amat patrem & matrem*, & a fortiori illicita quæque, *plus quam me, non eſt me dignus*: unde ſicut peccator qua talis creaturam amat uſque ad contemptum Dei, ſic vere pęnitens Deum amare debet uſque ad contemptum creaturæ, prout docet Auguſtinus. Secundum non minus evidens eſt: id enim adſtruunt noti illi ac celebres Scripturæ textus, Eccle. 1. 15. *Perverſi difficile corriguntur*. Jeremiæ 13. 23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis male* Ibid. 30. 32. *Inſanabilis fractura tua .·. Curationum utilitas non eſt tibi*. Huc faciunt tum illud Luc. 18. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum*; tum & id Hebr. 6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati &c.* quæ etiam mitiori intellecta ſenſu, ut debent, rem certe difficilem demonſtrant. Tertium, e præcedentibus fluit; quæ enim difficilia ſunt, ab iis qui eorum uſum non habent, raro efficiuntur. Atque id quantum ad præſentem materiam ad terrorem uſque inculcant SS. Patres. S. Pacianus Epiſt. 3. ad Sempronian. *Labor ille paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt*. S. Ambroſius Lib. 2. de pęnit. *Facilius inveni, qui innocentiam ſervaverunt, quam qui congrue egerunt pœnitentiam*. S. Auguſtinus Serm. nunc 232. *Abundant hic pœnitentes, quando illis imponitur manus, fit ordo longiſſimus .·. Diſcutio pœnitentes, & invenio male viventes .·. Mutamini,*

mu-

mutamini, rogo ∴. *Quæro unum pœnitentem & non invenio;* id eſt, paucos admodum invenio. Atqui opinio, quam per Innocentem XI. reprobavit Eccleſia, Regulas illas prorſus omnes ſubvertit. Num enim ardua, difficilis, multique ac graviſſimi conatus eget illa hominis transformatio, quæ regulariter una vel altera die facta ſupponi poteſt; quæ tam facile patet, quam ipſe ad crimen redditus; quæ demum contra omnes æqui & veri ac etiam veriſimilis regulas præſumitur, dum nullum ejus veſtigium, imo *nulla* ejus *ſpes apparet*. Faceſſat monſtrum nullo unquam anathemate ſatis obruendum.

3. Eadem opinio peccati pondus & gravitatem imminuit. Curandum 760
enim ut qui frequenti habitu Deum deſeruerunt, damni ſui magnitudinem diſcant, quo ſubinde cautiores efficiantur. Unde id Jeremiæ 2. 19. *Scito & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Atqui jacturam hanc non ſentiet, qui reconciliabitur, ſtatim ut quo ore crimen amaſiæ promiſit, eodem promittit Confeſſario emendationem. Imo fieri nequit ut in eo non impleatur iſtud Ambroſii in Pſ. 118. Octon. 8. *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi*. Sed heu! fatalem veniam, quæ confitentem non ſolvit, & Confeſſarium ligat. Atque hinc

4. Impia hæc opinio ad finalem impœnitentiam ducit; eaque eſt du- 761
bio procul *via*, cujus, etſi forte imperito Directori *juſta videtur*, *noviſſima ad interitum deducunt*. Qui enim nuſquam vere pœnitentiam egit; qui confeſſiones ac communiones geminando, geminavit ſacrilegia; qui aſſuetus credere hominem mira facilitate, peneque per ipſam emendationis promiſſionem juſtificari, id quoque in extremis credet; ille, niſi fallunt Scriptura & ratio, totis pedibus ad impœnitentiam, proinde ad reprobationem feſtinat. Atqui, &c.

Dixi in Concluſione *regulariter* non eſſe abſolvendum, &c. quia in pe- 762
riculo mortis is etiam abſolvitur, qui dubia & æquivoca doloris ſpecimina exhibet. Tunc autem ſi *Sacramenta damus*, at certe *ſecuritatem non damus*.

Poteſt etiam aliquando prima vice abſolvi, qui habitum jam excuſſit, 763
qui a gratia potenter motus, occaſione damni, afflictionis, vel inopiæ mortis eorum quibuſcum peccabat, auſteram pœnitentiæ viam ingreſſus eſt, & in ea conſtanter perſeverat. Verum caſus iſte eſt extra theſim, utpote quæ agat de differenda abſolutione iis qui ſufficientia doloris argumenta non præbent. Quin & aliquando probandi ſunt, nimirum cum ſe ipſos non ſatis probavere, ii quos adverſus caſus ad Deum revocaſſe videtur. Quot feminæ poſt funeſtam conjugis mortem, ſæculo nuntium remiſiſſe perpetuum creduntur, quæ paulo poſt rurſum captæ mundi illecebris, eandem quam prius vitam vivunt. *Igitur ex fructibus eorum* Matth. 7. 20.
cognoſcetis eos; & probabitis *ſpiritus*, *ſi vere ex Deo ſunt*.

Neque probatio hæc quoad eos ſemper ſufficit, qui publicum ſcanda- 764
lum dedere. Hi enim & ſcandali cauſam auferre, & palam pro data populis offenſione ſatisfacere debent, ſecundum Ritualis leges, quandoque etiam, ad præſcriptum Epiſcopi, quem in his caſibus conſuli decet. Quanquam, qui poſt ablatam ſcandali cauſam pie & ſancte perſeverat, conceptam de ſe malam opinionem ſenſim delet & perimit.

Quæres an extraordinaria doloris ſigna exhibere cenſeatur, & ideo abſolvi poſſit, qui longam & difficilem viam confitendi gratia perficit ex-

tra tempus paſchale, ex motu proprio, non ex parentum aut Magiſtrorum juſſu.

765 Affirmat Henno pag. 232. ſi pœnitens ille 1. ſuſpiret, gemat, lacrymetur &c. 2. Si peccatum enorme in aliis confeſſionibus celatum aperiat cum magno pudore & motu proprio. [3. Si faciendæ confeſſionis intuitu, *tempore aliquo* a peccatis ordinariis abſtinuerit, aut jejunia, orationes, eleemoſynas, ſacrificia obtulerit, ut pœnitentiæ ſpiritum attraheret; 4. ſi generalem peccatorum totius vitæ confeſſionem inſtituat; *& alia hujuſmodi ex quibus*, inquit, *firmare poteſt Confeſſarius judicium prudens de legitima ſui pœnitentis diſpoſitione*.

766 Verum hæc, quæ neſcio an diviſim ſumpta prædicto Theologo ſufficiant, mihi nequidem conjuncta ſemper ſufficerent, niſi verba hæc *tempore aliquo* moram includunt legitimæ probationi ſufficientem. Non deſunt, qui peccata ſua confitendo irrugiant, ut Eſau, *clamore magno*; qui hactenus celata tandem aperiant, præſertim ignoto Sacerdoti; qui aliquoties jejunent &c. & qui tamen ſtupenda facilitate poſt hebdomades duas, aut eo minus, ad priora ſua revertantur. Hi ergo juxta habitus gradum, frequentiam occaſionis, genii indolem, nativam in certa vitia propenſionem tentandi ſunt. Sane qui fructus pœnitentiæ exigit Chriſtus, non quoſcumque, ſed dignos exigit.

767 Obj. contra Concluſionem, 1. Chriſtum pluries facto & verbo miſericordiam commendaſſe: *Eſtote miſericordes*, ait Luc. 7. quodque magis ad rem facit, ibid. Cap. 17. præcipit, ut *ſi ſepties in die peccaverit in te* frater tuus, *& ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me*, dimittas *illi* peccatum, ergo.

768 R. neg. conſeq. miſericordes enim dubio procul, & ad veram Chriſti normam miſericordes fuere SS. PP. Atqui hi tamen, nedum flagitioſo cuique emendationem pollicenti abſolutionem darent, hanc e contra nonniſi crudeli miſeratione tribui poſſe crediderunt. Hinc Cyprianus Lib. de lapſis: *Emerſit, Fratres dilectiſſimi, novum genus cladis ∴ Acceſſit ſub miſericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem: temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falſa pax datur, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam ∴ Quid impietatem vocabulo pietatis appellant &c.* S. Ambroſius ubi ſupra: *Sciamus ſecundum verbum Dei, ſecundum rationem, diſpenſandam eſſe miſericordiam debitoribus. Medicus, ſi ∴ cum debeat reſecare vulneris vitium, ne latius ſerpat, tamen a ſecandi, urendique propoſito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit: nonne iſta inutilis miſericordia eſt*, imo exitialis, *ſi propter brevem inciſionis vel exuſtionis dolorem corpus omne tabeſcat, vitæ uſus intereat?* Demum mitiſſimus hominum Auguſtinus: *Qui vitiis nutriendis parcit & favet, ne contriſtet peccantium voluntatem, tam non eſt miſericors, quam qui non vult rapere cultrum puero, ne audiat plorantem, & non timet ne vulneratum doleat vel extinctum;* apud Grat. xxiij. qu. 5. Cap. 38.

769 Nec prodeſt quod objiciunt ex Luc. 17. 1. Quia textus ille intelligitur de privata injuriæ condonatione, adeoque trahi non poteſt ad abſolutionem Sacramentalem. Alioqui ſicut inimico a nobis intus averſo noxam dimittere tenemur, quia tenemur inimicos diligere; ſic & eum,

quem

Digitized by Google

quem intus a Deo averſum eſſe ſciremus, abſolvere teneremur; quod nemo dicere auſit. 2. Quia etſi textus iſte ad abſolutionem Sacramentalem trahi poſſet, ut aliquando factum eſt, non illico tamen abſolvendus foret omnis qui dicit: *Pœnitet me*; ſed is tantum qui, ut in eodem textu fertur, *converſus* dicit *pœnitet me*. Atqui non dicit vere *converſus*, cujus converſio nedum certa ſit, moraliter dubia eſt & pluſquam dubia.

770 Inſt. 1. major haberi debet fides dicenti intra Sacramentum *pœnitet me*. quam dicenti extra Sacramentum. Atqui huic extra Sacramentum plena haberetur fides.

771 R. 1. neg. maj. quod enim extra Sacramentum credam, nihil habet periculi. Quod autem in Tribunali credam, magnum habet periculum, videlicet profanationis Sacramenti.

772 R. 2. neg. min. receptum eſt enim ubique, ut mendaci nequidem verum dicenti credatur in iis quæ ad conſequentiam trahunt: unde nemo furi ſepties agnito marſupium ſuum committet. Atqui in legitimam mendacis ſuſpicionem merito venit, is qui ſepties & ultra, factam Deo promiſſionem fregit; præſertim cum nulla ſinceri magis quam prius animi indicia præbet. Licet ergo huic ex corde culpam dimittere tenearis, quia inde tibi lucrum eſt; at ei practicam fidem non debes. De his adi fuſe ac ſolide differentem Ethicam amoris hic cap. 128.

773 Inſt. 2. ex S. Thoma Quodl. 1. art. 12. In Pœnitentiæ foro credendum eſt pœnitenti *tam pro ſe, quam contra ſe* loquenti. Et vero, ait idem S. Doctor Suppl. qu. 8. art. 5. ad 2. Parochus *non poteſt majorem certitudinem accipere, quam ut ſubdito credat*. Ergo cum aſſeverat pœnitens ſe peccatum dolere vehementer, ſibique animo fixum eſſe, ut non peccet amplius, eidem eſt habenda fides.

774 R. diſt. ant. Credendum eſt pœnitenti quantum ad ea quæ ex ſola ejus confeſſione reſciri poſſunt, puta quod peccatum hoc non commiſerit, quod commiſerit ex ignorantia &c. Tranſeat, quia quandoque certo ſcit Sacerdos pœnitentem id feciſſe quod negat. Credendum eſt quantum ad ea circa quæ ſibi temere blanditur pœnitens, & de quibus prudenter magis judicare poteſt Confeſſor quam pœnitens ipſe, N. Dicat ergo intrepide Miniſter cum B. Thoma Villanovano, *non credo verbis* imo nec *lacrymis*: Ex fructibus de arbore judico.

775 Quod ex Supplemento additur, extra rem eſt. Hic enim ſolum docet D. Thomas a Parocho credendum eſſe ei qui dicit, *ſe alteri abſolvere valenti fuiſſe confeſſum*. An porro, quia circa factum hoc credam Parochiano, (quod tamen non ſemper fecerim) ideo circa internas ejus diſpoſitiones, nullo fultas, quin & multiplici deſtructas experimento, fidem habere tenebor.

776 Inſt. 3. Si non creditur pœnitenti quantum ad ipſius diſpoſitiones, vel quia earum judicatur incapax, vel quia eaſdem ſibi perperam arrogare judicatur: Atqui utrumque male: Primum quidem, quia non repugnat quod qui hactenus malus fuit, a malo ſincere reverti velit. Secundum vero, quia ſic de proximo male ſentitur; quod vetat Charitas Chriſtiana.

777 R. neg. maj. hoc enim ſolum judicat Sacerdos necdum ſibi de efficaci pœnitentis propoſito ſatis conſtare, ut illi conferat Sacramentum, quod ſine morali de propoſito illo certitudine conferri prohibuit Chriſtus.

Hæc autem judicii ſuſpenſio, non tantum licita eſt, ſed & neceſſaria in re Sacramentali, ne ſanctum detur canibus. Quin nec in civilibus ultra progredi jubet Charitas.

778 Obj. 2. Relapſus qui fieri poteſt, vel ex carentia, vel ex mutatione propoſiti, male judicatur fieri ex carentia potius quam ex mutatione propoſiti. Atqui relapſus *conſuetudinariorum*, ac *recidivorum* fieri poteſt vel ex carentia, vel ex mutatione propoſiti. Ergo male dicitur fieri ex carentia potius quam ex mutatione propoſiti.

780 R. 1. Cum ethica amoris ibid. n. 1326. retorq. argum. Relapſus qui fieri poteſt, vel ex carentia, vel ex mutatione propoſiti, male dicitur fieri ex mutatione potius quam ex carentia. Atqui relapſus &c. Ergo dubium eſt annon fiat ex carentia. Ergo dubia eſt conſuetudinariorum & ſimilium diſpoſitio. Atqui in hujuſmodi dubio non licet, extra caſum juſtę neceſſitatis, Sacramentum invaliditatis periculo exponere. Hinc.

781 R. 2. neg. min. prout ſupponit judicari relapſum hunc a carentia potius eſſe quam a mutatione propoſiti. Neque enim unum potius quam aliud judicat, aut in principiis noſtris judicare debet Confeſſarius, ſed ſolum ſibi dubium eſſe an relapſus ab uno potius quam altero oriatur. In hoc autem dubio gradum ſiſtere debet, ne profanandi Sacramenti periculum incurrat. Ceterum relapſus frequens in ea præſertim crimina, quæ ſine plena deliberatione non committuntur, etſi non eſt ſignum metaphyſice certum carentiæ propoſiti, eſt tamen vehemens ac morale illius indicium; nec uſpiam cenſebitur firmum habere propoſitum patris deinceps non affligendi, qui unaquaque hebdomada id ſemel ſpondet, & deciens fidem frangit.

782 Inſt. S. Petrus firmum habebat Domini non abnegandi propoſitum, cum dixit: *Animam meam pro te ponam*, & tamen non diu in illo propoſito ſtetit. Ergo a pari firmum in conſuetudinariis propoſitum eſſe & ſupponi poteſt, dum confitentur; etſi eos paulo poſt relabi contingat.

783 Confirm. ut quis rite abſolvi poſſit, non neceſſe eſt ut etiam probabiliter judicetur deinceps a peccato abſtenturus; ſed ſufficit ut generale concipiat propoſitum deinceps abſtinendi a peccato. Atqui propoſitum illud habere credendus eſt, qui coram Deo proteſtatur ſe illud habere.

784 R. neg. conſeq. ut enim advertit idem qui ſupra Theologus n. 1327. *ex Antecedente ſolum* ſequitur, *quod ſicut lapſus unus ex graviſſima & improviſa tentatione* extortus, *non eſt argumentum fictæ & inſinceræ promiſſionis, ſed fragilitatis humanæ; ſic & recidiva una, non facile, ſed ex graviſſima ſeu extraordinaria tentatione improviſa proveniens &c.* Aſt aliter dicendum *de recidiva frequenti, facileque & cito poſt confeſſionem contingente, non eſſe tentatione graviſſima & extraordinaria, ſed ordinaria, ſeu non alia quam propriæ concupiſcentiæ.*

785 Ad Confirm. dico 1. Haud equidem neceſſum eſſe, ut pœnitens judicetur impeccabilis, imo nec ut judicetur nulli etiam vehementiſſimæ ac extraordinariæ occaſioni ceſſurus: quis enim id de ſe vel de alio confidat? At neceſſum eſſe ut pœnitens judicetur peccatum ſupra deteſtabile quodcumque deteſtari, prohinc ſic affectus ut ejus occaſiones ſedulo fugiat; ut, cum eæ ſponte occurrerint, præſcriptis ſibi remediis utatur &c. Hæc autem de eo ſperari non poſſunt, qui nihil horum hactenus implevit, imo nec ſolide tentavit.

Dico

Dico 2. Sufficere quidem propoſitum generale non peccandi; at tali opus eſſe cui Confeſſarius prudenter inniti poſſit. Certe non eum omnem hic & nunc abſolvere poteſt Sacerdos, quem hic & nunc Deus abſolvit; ut in eo patet, qui licet gravi criminum dolore ſaucius ſit, nulla vel admodum æquivoca ejus ſpecimina exhibet. 786

Obj. 3. Ex doctrina, quæ conſuetudinariis abſolutionem differt, gravia ſequuntur incommoda. Ea enim poſita, 1. multorum ſalus periclitabitur: multi enim inopina morte corripi poſſunt. 2. Erunt plures qui vix ac ne vix quidem unquam abſolvantur. Si enim quis dum præſcripta ſibi remedia exequetur, in peccatum recidat, ad aliud tempus remittendus erit. Quod ſi interim denuo labatur, nova opus erit probatione; quæ dum alia alii ſuccedet, fluet vitæ tempus ſine abſolutione. 3. Parochus, qui in carnis peccatum pluries lapſus erit, vel Miſſam die ſolemni omittere, cum gravi multitudinis offenſione, vel ſacrilege non abſolutus celebrare tenebitur. 4. Abſolvi non poterit, omnibus etiam ad nuptias paratis, qui ex habitu cum ſponſa peccavit; quique hanc ideo ducere vult ut fornicandi finem faciat. Unde vel differendum erit cum immani ſcandalo matrimonium, vel celebrandum ſacrilege. 5. Neque hi etiam abſolvi poterunt, qui venialia frequenter & ex habitu perpetrant. Id autem quis ferat? 787

R. ubi utrinque militant incommoda, ea ſine dubio præligi debere quæ minora ſunt, præſertim cum opinio contraria vulnus non ſanat, ſed tegit. Atqui ad minimum ſic ſe res habent in præſenti. Nimirum id habet mollior Caſuiſtarum Doctrina, quod Sacramentum dubiæ ſaltem profanationi exponat; quod malos peccatorum habitus foveat; quod per lapſus, confeſſiones & relapſus homines ad interitum ducat, &c. Aliunde nulli vere medetur incommodo, num enim melior erit conditio alicujus, quia eum ſacrilege multoties abſolveris; quia, male licet converſus, ad Euchariſtiam pluries acceſſerit, &c. an minus coram Deo mortuus erit, etſi nomen vitæ habeat coram hominibus. 788

R. 2. ad objecta capita ſigillatim. Dico itaque

Ad 1. non eſſe cur moveamur objectione, quam ſenſerunt Patres, quæque non eos tametſi gregis ſui ſalutem anhelantes, deterruit a ſevera ſua erga graviter lapſos agendi ratione. Atqui & objectionem nobis propoſitam ſenſerunt Patres; cum vel minimum attendenti ſe ſe pandat, & tamen in ſeverioris diſciplinæ ad annos plures abſolutionem protrahentis, uſu diu permanſerunt: Rati ſcilicet futurum, ut qui ad Dominum ex totis viribus revertuntur, vel ad abſolutionem perveniant, vel a Deo, ſi in Pœnitentiæ decurſu mors immineat, miſericorditer reconcilientur. *Neque enim*, aiebat Cyprianus, *deſerentur ab ope & auxilio Domini, qui mites & humiles & pœnitentiam vere agentes in bonis operibus perſeveraverint, quominus illis quoque divino remedio conſulatur*. Et vero mirum, quod ſibi tantum ab æterna damnatione timeat vere pœnitens, qui tot annos nihil ab ea timuit immaniter peccator. 789

Ad 2. quæro quid faciant adverſarii erga peccatorem qui ſingulis menſibus confitetur, & in quo poſt multas pollicitationes & gemitus, nulla apparet habitus mali imminutio, nulla magis quam ante ſalutis cura, nulla præſcriptorum ſibi remediorum obſervatio, nulla occaſionum fuga. 790

Quid ergo ſi is prima, ſecunda, tertia vice, ſicque ad annos & annos in eodem ſtatu permaneat, an erit abſolvendus? An qui ei abſolutionem negabit, pœnitentiæ Sacramentum abolere cenſebitur? Nequaquam ſane: Ut quid ergo increpantur, qui non proprie rigidi, ſed cautiores, reconciliationem differunt, donec ſibi moraliter conſtet de ſincera pœnitentis converſione? Id tamen notandum, quod præter juvenes quoſdam, qui ad oculum ſervientes, non proprio motu, ſed ex Magiſtrorum pavore confitentur; pauci ſunt, forte nulli, qui humaniter excepti a Confeſſario, tenere admoniti, ad idonea pœnitentiæ opera benigne animati, non tam ſevere correpti, cum aliquoties recidunt, quam de multiplici in tentationes victoria ſua gratulanter laudati, interim tamen hortati ad meliora; trimeſtri ſpatio non ſic fiant libidine Superiores, ut ei vitæ ipſius diſpendio reſiſtere parati ſint. Tantine vero ſunt comparate ad æternam ſalutem menſes tres aut quatuor, ut illa iſtorum labore emi non mereatur? At communionem ante tempus volunt pœnitentes, volunt & amplius ſæpe Confeſſarii: Hinc in pœnitentibus nulla ferme cordis emendatio: Hinc *appropinquant Deo, quaſi gens quæ juſtitiam fecerit: ſed* & hinc, niſi, quod optem, decipior, multa eorum qui dirigunt & diriguntur, pernicies. Et vero nihil pene dubii quin Joannes Sancius & alii Caſuiſtæ abominandas illas opiniones practice ſecuti ſint, quas demum reprobavit Eccleſia. Optandum ſane ut ex bona fide ſua excuſati ſint Pœnitentes: ſed quid de Confeſſariis, qui novam ſuo etiam judicio methodum abſolvendi fabricabant. Imo quid de iis ſaltem Pœnitentibus, qui diligentiam hujuſmodi directorum ſuſpectam habere poterant? Utique in æternum ſtabit id Chriſti: *Cæcus, ſi cæco ducatum præſtat, ambo in foveam cadent.*

791 Ad 3. ſint qui abſolvant Parochum, qui vel totam noctem pro more indulſit fornicationi; imo, ſi velint, qui tetra hæc ſcelera ex habitu perpetrat, quæ Cælum ultricibus olim flammis punivit; malim ego, ut nunc ſum affectus, vivus comburi, quam vel eum, vel *Abſolutorem ejus* abſolvere. At ingens ſequetur offenſio populi, ingens & Paſtoris infamia, niſi celebret. Sed quæro; tunc alioqui lenis ad ſcandalum, eum abſolvere auſis, ſi centies pari in caſu abſolutus, centies a Miſſa recens ad ſcortuum ſuum fuerit reverſus? Ut quid ergo murmuris & infamiæ incommoda venditas, qui his non obſtantibus aliquando abſolutionem negares? Quod tu pro illo caſu, nos pro noſtro & aliis hujuſmodi reponemus. Dices: *Ipſe ſibi imputet*, & hoc dico. Addes cum S. Damiano Cap. 8. Gomorrhiani: *Salubrius eſſe in conſpectu hominum temporalem pati verecundiam, quam ante tribunal Supremi Judicis æternam ſubire vindictam;* & hoc addo. Subjunges miſerum hunc Paſtorem ipſis pejorem dæmonibus, non hac vice tantum, non hac hebdomada, non uno menſe, ab ara Chriſti eſſe removendum; eique forſan confugiendum eſſe ad eas quas Bernardus commendat *urbes refugii*. Et id quoque, ſi licebit, ſubjungam. Fœlix, ſi in ipſo tandem videatur, quod difficile videtur, Clericus facile pœnitens: *Quis* enim, ait Auctor Operis imperf. in Matth. *quis aliquando vidit Clericum cito pœnitentiam agentem? Sed etſi deprehenſus humiliaverit ſe, nec ideo dolet quia peccavit, ſed quia confunditur, quia perdidit gloriam ſuam.*

Circa

Circa 4. ſcinduntur Theologi etiam rigidiores, non quia Concluſionis 792
noſtræ veritatem in dubium vocent, ſed quia par in eo perplexitatis caſu vident periculum conceſsæ vel dilatæ abſolutionis. Cenſent itaque ex iis nonnulli, hujuſmodi conſuetudinariis, cum dubia & ancipiti contritione non eſſe negandam abſolutionem, ſed permittendum Matrimonium partim ad impediendum in ſolitas fornicationes relapſum; partim ne ex Matrimonii dilatione gravem infamiam ſubeant, & gravia in populo ſcandala oriantur. Ita Van-Roy in pravi pœnitentiali, Cap. 6.q. 5. p. 233. qui tamen tunc abſolutionem conditionate tantum dari vult, *modo*, inquit, *valde probabile ſit* perſonam *ſerio dolore* affici; & hac cautione *ut ipſa quamvis ſic abſoluta non communicet, ne periculum ſacrilegii incurrat; atque poſtea confeſſionem illam, utpote veriſimiliter nullam, reiteret.*

Quoniam vero abſolutio hæc, *utpote veriſimiliter nulla*, Sacramenti Ma- 793
trimonii profanationem non impediet, duplex excogitata eſt malo huic medendi via. Prior eſt *ut Pœnitentes tantum conditionate, ſi nempe bene ſint diſpoſiti, Sacramentum ſuſcipere velint.* Quo quidem, niſi opinio hæc in ſequentem coincidat, abſurdius nihil fingi poteſt. An enim vivent ut maritus & uxor, qui de conditionis hujus veritate incerti, de Matrimonii ſui veritate incerti erunt? An novum exiget pars altera conſenſum, ſi ſola conditionem prædictam appoſuerit? An eum conjux alter jam ſociæ ſuæ pertœſus iterare tenebitur, &c.? Poſterior ergo via removendæ Sacramenti profanationis, quam *non aſſeveranter, ſed propoſitive, id eſt viris doctis* ad diſcuſſionem ſubjiciendo, exhibet Ethica amoris n. 1345. in eo eſt ut Confeſsarius dicat nupturis: *Amici, non bene facitis, quod Matrimonio veſtro moras nectere renuitis; ſi tamen in eo ſtatu in quo eſtis; abſolute vultis jam jam Matrimonio jungi, ſuadeo, ut cum minori potius peccato jungamini, Matrimonium ineundo in ratione contractus, quam cum majori, ſacrilege matrimonium ineundo in ratione Sacramenti. Rationem quippe contractus a ratione Sacramenti valide ſeparare poteſtis (etſi non licite) contractum intendendo, non Sacramentum.* Hanc porro contractus a Sacramento ſeparationem apud ipſos etiam baptizatos nihil habere inauditi probat idem Scriptor ex Staleno Mariani Oratorii Sacerdote, Sylvio, Goneto, & aliis quos plures adducit.

Quoniam vero ſtatim objici poteſt, ſeparationem hanc fieri facile poſſe, ſi contrahentes ſint Miniſtri, non item ſi Sacerdos; ſubjungit n 1346. curandum tunc ut qui Matrimonium celebrabit, omittat formam, *Ego vos conjungo*, &c.

At quidquid ſit de illa Sacramenti a contractu ſeparabilitate, de qua 794
ſuo loco, mihi iſta hæc agendi ratio practice impoſſibilis videtur; 1. quia utrique ſponſo perſuadenda foret; plerumque autem non idem eſt utriuſque Director; 2. quia in Sacramento quotidie adminiſtrato vix omitti poteſt forma recitari conſueta, quin id plures animadvertant, & factum conquerantur; 3. quia nemo Sacerdos id in ſe aſsumere poſſit inconſulto Epiſcopo, qui utique non ſinet rem ſacramentariam immutari; 4. quia plerumque fieret, ut qui incertas Theologiæ ſpeculationes ignorant Matrimonium ſic initum pro nullo haberent; 5. quia ſi Sacerdos, qui hic & nunc, puta a reſervato quopiam, abſolvi nequit; Miſsam celebrare & Chriſti corpus accipere poteſt, præmiſso acri contritionis actu; ſic & in propoſito: cum major non ſit Matrimonii dignitas quam Euchariſtiæ.

R. ita-

795 R. itaque in hoc etiam caſu intrepide negandam abſolutionem iis omnibus, qui ad ipſum Matrimonii tempus in crimine vixerint. Ratio una, ſed efficax, eſt, quod iſtorum actualis impœnitentia longe ſit certior quam converſio, uti jam monuimus Tom. 5. pag. 102 Et vero, non argumenta, ut legenti patet, ſed incommoda afferunt adverſarii. Grave profecto eſt quod nupturi ſacramentali gratia careant; grave, quod omnibus paratis differatur Matrimonium. Sed gravius quod ſacrilege abſolvantur facinoroſi, & in eo ſtatu novum, nubendo, ſacrilegium probabiliſſime admittant. Præterea ſupponantur ambo ſodomiæ addicti, cui noxæ favebit Matrimonium, an ut ſcandalum vel rumor vitetur, erunt ſine qualicumque converſionis experimento abſolvendi? Eorum alter vel uterque dirimens impedimentum contraxerit, an ſub ſcandali prætextu ſinendum erit ut nubant? Ad quid ergo tantus ob ſcandalum rumor, cum ab eo ne ipſi quidem mollioris Ethicæ ſequaces ſemper ſe extricare valeant. Merito igitur certis in Parochiis, iiſque prudentiſſime adminiſtratis, unanimi Confeſſariorum calculo cautum eſt, ne quis ignotus pridie nuptiarum ad Confeſſionem admittatur. Hujuſmodi enim pœnitentium complures non tam de confeſſione ſolliciti ſunt, quam de ſchedula confeſſionem teſtificante, ſine qua paſſim non admittuntur. Atque hinc qui banna ſua promulgari optant, ad minus tunc temporis admonendi ſunt, ut quam primum confiteantur. Quin & optandum ut uno aut altero menſe antea id præſtent.

796 Aſt, inquit aliquis, abſolvi poſſunt, qui contra *recidivam* efficaciſſimum adhibere volunt remedium. Sed qui *antea impudice* converſabantur, Matrimonii ope remedium illud adhibent.

797 Confirm. quia in opinione noſtra neceſſum eſt ad abſolutionem, ut expugnata ſit & victa mali conſuetudo. Atqui id non quadrat cum iſto Apoſtoli 1. Corint. 7. 9. *Si non ſe continent, nubant.* Hic enim præcipit Paulus incontinentibus ut nubant; id vero prohibemus nos, donec incontinentiam vicerint.

798 R. ad 1. neg. min. Ii enim duntaxat efficax adverſus peccata remedium adhibent, qui ea ſincere plangunt, & deteſtantur ſupra quodcumque deteſtabile adeo ut mori malint, quam in eadem relabi. Porro ii de quibus loquimur, a pia illa diſpoſitione tam alieni ſunt, ut ſi forte nuptias eorum ad tempus differri contingat, oculos, ut prius, plenos habeant inceſſabilis delicti, tantumque ab exteriori crimine temperent, cum libera deeſt ejus admittendi occaſio. Eſto igitur in Matrimonio inveniant peccati finem; (ſi tamen peccandi finem inveniant; qui eo tantum fine nubunt, ut paſſioni ſuæ vacent ſicut *equus & mulus*); at certe non inveniunt in eo pii & caſti doloris principium.

799 R. ad 2. neg. min. & nos enim hortamur eos qui arduam ſibi ac difficilem fore continentiam ſentiunt, ut nubant; quia *melius eſt nubere quam uri*. At ſimul volumus ut nubant in Domino, & ad *magnum novæ legis ſacramentum* impudico corde non accedant. Illud porro cordis genus in iis ſuſpicamur, qui nulla certa veri doloris ſigna præbent.

800 Quod additur Apoſtolum velle ut incontinentes nubant, ſi de iis intelligitur, qui etiamnum incontinentiæ addicti ſunt, nec ſuos in hac materia lapſus intus & ex animo ſuper omnia deteſtantur, inſignis eſt in Apoſtolum blaſphemia.

Ne-

Neque tamen generatim & indiſtinċte exigimus ut ante abſolutionem omnino victa ſit mali cujuſcumque conſuetudo. Duplex enim eſt habituum genus; alii ferunt in actiones, quæ quoniam ſine pleno voluntatis conſenſu fieri non poſſunt, gravia ſemper ſunt peccata; talis eſt fornicatio, tale & furtum, ceteraque id genus. Alii ferunt in actiones, quæ incogitanti ſæpius incidunt; tale eſt juramentum per Deum, & incongrua quædam verba, quæ jam pene ubivis locorum audiuntur. Hæ porro cum aliquando non aliam habeant quam cauſæ ſuæ malitiam, non impediunt ne abſolutione donetur Pœnitens, ſtatim ut cauſam hanc ſinceris coram Deo gemitibus, & aliis quæ a pio Confeſſore præſcribi ſolent remediis, congrue tractaverit. Ei enim etiam qui circa ſe ipſum humano more vigilat, multa excidunt quæ ad motus primo-primos pertinent, & quæ non advertit, niſi a quopiam admoneatur: Quo ferme modo Provincialis homo, licet circa aliquod Gallicæ linguæ vitium frequenter deriſus, in idem, tametſi nolens relabitur. Verum aliud eſt prorſus de peccatis, quæ ut adulterium & ipſa mollities ſine multa mentis advertentia committi non poſſunt. Qui enim in ea, etſi minus frequenter, recidit, habet quidem aliquod converſionis initium, ſed nondum firmam illam converſionem, quæ peccatum ſuper omnia deteſtatur. Unde ſimilis eſt homini, qui cum primo quotidiana febri laboraret, eo ſenſim, juvantibus remediis venit, ut quatriduana tantum vexetur. Is porro, etſi utcumque convaleſcere incipit, debet ad tempus aliquod tractari ut æger; nec dubium quin ei noceat eſca fortium, ſi hac improvide donetur. 801

Scio equidem non deeſſe qui contendunt cum La Croix in iis quæ ex conſuetudine fiunt *nullam novam eſſe malitiam*, ſi nulla prorſus ſit advertentia malitiæ. *Quod*, inquit, *verum eſt ſecundum multos cum Dicaſtilo, quamvis illa conſuetudo non ſit retractata*. At per doctrinam illam Philoſophiſmum reduci nemo eſt qui non animadvertat cum P. Concina hic pag. 300.

Saltem, inquies, abſolvi poterit qui de adhibendo remedio necdum fuit admonitus, nec ipſe ſciebat quid foret adhibendum; modo *deinceps aliquod, licet naturæ ſibi relictæ aliquanto durum & difficile, ſit paratus adhibere; & aliunde appareat vere contritus, ac per remedium illud ſperetur corrigendus*. 802

R. eſſe qui ita ſentiunt, præſertim quia S. Carolus permittit abſolvi hominem, qui ſpondet ſe ab occaſione proxima receſſurum, ſi alias id jam non fuerit admonitus. Ita Henno, qui opinionem hanc pag. 232. vocat *ſatis communem*. Verum, ut multo tutior, ſic & longe probabilior videtur praxis contraria. Unde, generatim loquendo, ſtatuendum cum P. Antoine hic pag. 352. differendam eſſe abſolutionem *implicatis conſuetudine peccandi mortaliter, qui nondum efficaciter conati ſunt eam emendare, licet emendationem promittant; donec vitioſum habitum ſic vicerint; ut periculum proximum, ſeu probabile peccandi ſublatum ſit*. 803

1. Quia *vera converſio conſuetudinarii eſt valde rara ac perdificillis*, *nec brevi tempore fieri ſolet*, *ut conſtat ex Patribus & experientia;* quod præcipue certum eſt de adhæſivo luxuriæ peccato. 804

Nec obeſt illud ſeu Eccli. 5. *Ne tardes converti ad Dominum*: ſeu Auguſtini Serm. 16. de verbis Dom. *Cito feciſti rem mortiferam*, *cito remedium inveniſti*. Aliud enim eſt hominem cito poſſe converti, & converſum reconciliari Deo; Aliud eum, cum firmato habitu detinetur, & pridem didi- 805

didicit male facere, paucos intra dies converti. Et vero, ſi conſuetudinarius in hypotheſi præſenti ſecure abſolvi poteſt, quia inquit Henno, *ſi potuit vere dolere de primo habitudinis peccato*, pari jure *dolere* poteſt *de ultimo, de penultimo, & ſic de aliis*. Quidni abſolvit idem Theologus conſuetudinarios omnes, eos etiam qui ſæpius moniti, ſemper relapſi ſunt, modo *remedium aliquanto durum naturæ* amplecti parati ſint &c? Hi enim, ut vere dolere potuerunt de primo habitus peccato, ſic & de ceteris. Quidquid is reponet, id ſibi reſponſum putet. Sane, nemini abſolutionem negamus, quia vel non poſſit converſus eſſe, vel certo judicetur non eſſe converſus, ſed quia nobis incertum eſt an actu & de facto ſatis converſus ſit; id autem, cum *ex communiter contingentibus* ad minus ſuſpectum ſit, ſatius videtur differre medicinam, quam inconſulto porrigere. Unde

806 2. Vel conſuetudinarius de quo in præſens, gratiam recipiet; vel non. Atqui in neutra hypotheſi prudenter abſolvetur. Non in ſecunda, ut per ſe patet. Sed nec in prima: *Confeſſarius* enim *ut Miniſter Sacramenti citra neceſſitatem non debet conferre gratiam, quam prudenter judicat brevi amittendam, niſi eam differat; & ſic ut medicus, debet curare ut ſanitas quam confert, moraliter ſtabilis ſit, nec tam cito amittatur*, præſertim cum ſine majori quam antea malo non amittitur. Porro *gratia Sacramentalis*, quæ forte conſuetudinario conferretur, ſubjaceret *morali periculo proximæ deſtructionis, cum majori pœnitentis damno*. Quandiu enim *durat malus habitus, homo eſt in proximo periculo ſtatim & ſæpe peccandi. Cum prava conſuetudo ſit occaſio proxima peccandi, & eo pejor quod interna eſt*, unde *habitus propenſionem maximam, & neceſſitatem moralem peccandi parit*. Ita Antonius.

807 Atque hinc mitius agere potuit S. Mediolanenſium Antiſtes cum *occaſionario*, ut barbare, ſed brevitatis cauſa, loquuntur, quam cum conſuetudinario: quia prior uno tantum occaſionis, poſterior duplici occaſionis & habitus nexu tenetur. Quanquam erat cur S. Caroli ævo mitius ageretur, quam noſtro tempore. Tunc enim pleraque gregis peccata refundi poterant in Paſtores, qui muti prorſus non exprobrabant populo prævaricationes ſuas; imo tali ſcatebant ignorantia; ut ex iis aliqui nunquam confiterentur, quia aliorum confeſſiones excipiebant. Hinc ubi primum miſeræ illi Regioni affulſit lux Evangelica, inaudito fragore percuſſi populi, eo prope modo alii a perverſis habitibus, alii ab occaſionibus proximis reſipuere, quo vel Judæi ad unam Principis Apoſtolorum, vel Epheſii ad validam Pauli prædicationem. (*Act. 2. & 19.*) Atque id obſervatum eſt tum in Xaverii, tum & in Vincentii a Paulo Miſſionibus, quæ in terris hactenus deſertis & inaquoſis ſucceſſum habuerunt humano majorem. Aſt *voluntarie peccantibus poſt acceptam* vel indigne ſpretam *veritatis notitiam*, (quæ eſſe ſolet hodierna rerum conditio) ſicut majus a Deo judicium incumbit, ſic & major a Miniſtris Dei neceſſaria eſt probatio.

808 Ceterum nemo dubitat, quin, uti docet Havermans in examine Pentagoli pag. mihi 205. abſolvi poſſit homo a mala conſuetudine recens, cum extraordinaria veræ converſionis ſigna edit. *Tunc enim judicari* poteſt, *divinam bonitatem acceleraſſe illi gratiam, & multiplicaſſe cum illo miſericordiam, & per velociorem clementiam extraordinarie compenſaſſe illud ad quod diuturna alias requireretur pœnitentia, & de ſubito ei perfectam dediſſe contritionem, quam alii vix multo tempore conſequuntur*. Verum e caſibus extraordinariis ad vulgares

Digitized by Google

gares non eſt arguendum. Imo generatim loquendo, tutius pœnitenti ſuo conſulet Sacerdos, ſi eum admoneat ut gratia ſibi conceſſa bene utatur; ut peccatorum ſuorum gravitatem perpendat, ut alquot ſaltem diebus præſcriptis ſibi pœnitentiæ operibus ſedulo vacet. Neque reluctabitur pœnitens, cum, uti advertit Contenſon, *genuinus ſinceræ converſionis caracter, ſit cor humiliatum, ſe venia indignum arbitrans, & Sacerdotum judicio ſine repugnantia ulla vel exceptione ſeſe permittent*. Hæc idem qui ſupra Præmonſtratenſis Canonicus.

809 Quoto autem tempore probari debeant, qui in peccati habitu vel occaſione verſantur, nulla certa lege definiri poteſt, tum quia id pendet ex indiciis converſionis, quæ parturiente gratia identidem talia ſunt, ut a conſuetis legibus recedere jubeant; tum quia quandoque plus ſe probat quis mali habitus victorem una vel altera hebdomada; quam alius quiſpiam toto menſe; ut ſi prior ſingulis diebus vocatus ad popinam, conſtanter obſtiterit; poſterior vero eam quidem toto menſe non ſit ingreſſus, ſed quia infirmus fuerit, quia careret pecunia &c.

810 Super eſt ut quintam diſcutiamus objectionem, quæ crebra venialium confeſſione & abſolutione petitur. De hac autem non una eſt opinatio. Itaque

Duo ſtatuit Henno, 1. non ſemper abſolvi debere eos qui in eadem venialia recidunt, ſi nempe plus in confeſſione appareat conſuetudinis quam veri doloris & propoſiti; *quod*, inquit, *accidere poſſet reſpectu aliquarum devotarum, quæ ad hoc Tribunal accedunt, vel ut alias imitentur, vel ut placeat Confeſſario, ejuſque bonam exiſtimationem acquirant*. Ratio eſt quia licet nulla ſit obligatio venialia confitendi, eo tamen ipſo quo clavibus ſubjiciuntur, debet pœnitens verum de his dolorem animo concipere, eorumque emendationem ſibi proponere, ſaltem ſi non ſuppetat alia doloris materia. Addi poſſit, quod hujuſmodi perſonæ, quæ in confeſſione id pene unum inquirunt, vel ut non devotæ minus quam aliæ habeantur, vel bonum habeant nomen a Confeſſario, gravis culpæ reatum incurrere poſſint.

811 Statuit 2. recidivos in eadem peccata venialia, non tantum ſemel, ſed etiam bis vel ter ſingulis hebdomadis poſſe abſolvi, ſi nihil aliud obſtet quam relapſus. Tum quia is eſt piorum ſeu Sacerdotum, ſeu & Monialium uſus, & hanc praxim confirmavit Synodus Trid. Tum quia ex relapſu in venialia hæc non poteſt vere colligi doloris aut propoſiti defectus, ſed multa tantum humanæ naturæ infirmitas.

812 Poteſt id confirmari, quia ut ipſi docent Theologi ſeveriores, in hoc miſeriæ ſtatu venialia ipſis etiam ſanctis maxime ſibi invigilantibus facillime ſubrepunt Aliunde vero veniale unum ſine alio dimitti poteſt; raro autem contingit, ut qui plura confitetur, ex iis nonnulla quæ magis torquent, non exhorreat ſincere, licet hæc ſibi identidem excidant: quia ut loquitur Auguſtinus Serm. 5. in Pſalm. 118. *Adverſus majora vigilantibus, quædam incautis minuta ſubrepunt*. Huc facit quod juvante Deo ſine mortalibus *omnimodo eſſe poſſumus & debemus*, ut ait S. Cæſarius Serm. 141. in Appendice Auguſtini; at vero *quotidiana* ſeu levia *peccata non poſſunt niſi ſubrepere in animam propter fragilitatem humanam*. Atque hinc iſtam quorumdam propoſitionem approbantibus triginta Epiſcopis damnavit Ill. Guido de Seve Atrebatenſis Epiſcopus: *Si conſuetudinarii gravium*

vium criminum non poſſint abſolvi, niſi notabili tempore ab illis abſtinuerint, quia alias n n conſtabit Confeſſario de contritione pœnitentis; etiam conſuetudinarii peccatorum venialium non poterunt abſolvi, niſi diu ab illis abſtinuerint; damnavit; inquam, ut *periculoſam, falſam, ſcandaloſam: temerariam* &c. quapropter hæc Patrum ſententia: *Irriſor eſt non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet*, de lætiferis intelligitur, non de venialibus.

813 Quia tamen ſunt venialia nonnulla, quæ nonniſi ex plena mentis advertentia committuntur, *ut ſunt*, ait Ethica amoris hic n. 1339. *diuturnæ feminarum moræ ante ſpecula, quo ſuæ ſatisfaciant vanitati, viſitationes inutiles, colloquia vana &c.* merito notat. Caſtorienſis Epiſcopus Lib. 2. Cap. 22. *Amoris pœnitentis*, negandam eſſe abſolutionem his qui prædicta ſemper confitentur citra ullam emendationem, *niſi cum iſtis alia in confeſſione addantur venialia, vel mortale aliquod vitæ ante actæ, de quo vel quibus vere & ex toto corde doleat pœnitens.*

Ethica &c.

814 *Tametſi ergo bonum & laudabile eſt venialia confiteri cum ſincero de illis dolore, non eſt bonum nec laudabile illa ſola ſacramentaliter confiteri, quæ ex habitu ſeu conſuetudine ſic committuntur, ut nulla unquam appareat emendatio, nec emendationis ſtudium poſt multa promiſſa; quia vel falſa, vel merito ſuſpecta eſt de iis pœnitentia; ſine qua Sacramentalis confeſſio non eſt ſine peccato, uti ſapienter obſervat Ludovicus Granatenſis*, & alii poſt ipſum. Unde commendatum eſt a Tornacenſi Epiſcopo Gilberto de Choiſeul conſilium illud celebris cujuſdam Capuccini, ut non accuſentur venialia omnia, ſed præcipua ſolum, quæ quis emendare proponit & ſtudet. Hæc laudatus ſupra Theologus, quæ verbis alienis quam meis dicta malim; quia in hac potiſſimum materia erudiri malim; quam erudire.

Idem.

815 Ex his brevem hanc mihi regulam efformavero. 1. Ex eo quod venialia ex habitu committens abſolvi poſſit, non inferam abſolvi poſſe mortalibus ex habitu addictum. 2. Abſolvam non difficulter ab iis etiam venialibus, quæ incautis, quin & ſibi invigilare aſſuetis, præ humana fragilitate irrepunt. 3. Severior ero quoad culpas quæ plenam ſupponunt advertentiam; & abſolutionem, multoque magis ſacram ſynaxim differam, donec aliqua appareat emendatio, niſi eam ante tempus dari exigat gravioris peccati vitandi neceſſitas, aliave quædam hujuſmodi gravis cauſa. 4. Nec ea patiar reticeri peccata, quæ licet ſtent intra lineam venialium, ad mortale facile deducerent. Interim repete & confer quæ dixi tum in Tract. de peccatis p. 2. Cap. 2. art. 3. Concil. 2. tum in Tract. de Euchariſtia p. 1. Cap. 7. art. 2. ſect. 3. Concl. 3.

816 Quæres an conſuetudinarii obligari debeant ad iterandas confeſſiones quas durante habitu fecerunt.

R. quandoque obligari debent, quandoque non. Exemplum ſit in adoleſcente ſecretis incontinentiis miſere & turpiter per tres aut quatuor annos addicto. Is quidem ſi in funeſto illo habitu pene ſemper vixerit, ita ut a crimine, cum urgebat Paſchale tempus, nonniſi una vel altera hebdomada ante vel poſt abſolutionem abſtineret; ad novam pro toto illo tempore confeſſionem adigendus eſt; quia ſicut dubia fuit vera ejus converſio, ſic & dubiæ ſunt, niſi certo malæ, eidem impenſæ abſolutiones. Abſit porro ut ubi æterna ſalus agitur, hujuſmodi dubietates animum Confeſſarii vel pœnitentis tranquillent. Unde ſi pœnitens ſit alienigena

nec

nec tempus habeat debitum conſcientiæ examen ineundi, dimittendus eſt, niſi poſſit Sacerdos per interrogationes ſuas defectum ſupplere; quod aliquando rudibus ſufficit & imperitis, a quibus nihil, niſi attente & patienter interrogando, extundere poſſis.

Si vero idem juvenis poſt abſolutionem ſpatio circiter bimeſtri a mollitie temperaverit; aut eodem pene ſpatio ante abſolutionem, poſt quam relapſus non ſit, niſi ex gravi, nec quæſita, nec vitatu facili occaſione, puta ex improviſo nebulonum ejuſdem ætatis conſortio, qui renitentem pene traxerint in ſcelus; tunc abſolutioni huic inniti poſſe videtur Confeſſarius. Ideo autem in eo qui paulo poſt obtentam abſolutionem recidit, exigo ut occaſioni vividæ ceſſerit; quia licet antea, duorum v. g. menſium ſpatio, fuerit probatus, ſi tamen mox ab abſolutione relapſus ſit, magis ex quadam denegatæ abſolutionis infamia, quam ex vero caſtitatis amore, continuiſſe videtur. Et hæc quidem ſalvo meliori aliorum judicio dicta ſint. Hic ſane ſuum quiſque onus portabit, utinam non alienum. 817

§. IV. *An & quibus ob relapſum differenda ſit abſolutio.*

Illud *conſuetudinarium* inter & *recidivum* diſcriminis a Theologorum vulgo aſſignari ſolet, quod conſuetudinarius omnis ſit recidivus, non e contra, Nempe vero; inquiunt, ut quis conſuetudine irretitus dicatur, neceſſum eſt ut frequenter in ejuſdem ſpeciei peccata proruerit: ut autem recidivus ſit, ſatis eſt ſi vel ſemel relapſus ſit in idem peccatum quod confeſſus erat. Etſi enim *recidiva*, ut poſt, ſic & ante confeſſionem evenire poteſt; in præſenti tamen pro ea ſumi debet quæ confeſſionem ſubſequitur; quæque ante ipſã non ſupponit habitũ peccandi: Alias non ſimplex eſſet recidivæ, ſed conſuetudo. 818

Jam vero eaſdem multi tum conſuetudinariis, tum & recidivis leges conſtituunt; unde utriſque abſolutionem ex æquo concedunt aut denegant.

Ut noſtram ea de re mentem aperiamus, ſupponendum, quod nemini dubium, eſt, peccata alia eſse, quæ ex propenſione animi & guſtu committuntur, cujuſmodi eſſe ſolent venerea; alia quæ animo repugnanti, tantumque ex obſequentia: Talis eſſe poteſt detractio vel ebrietas in homine juſto vel temperanti. Sit jam

CONCLUSIO I. Homini ex guſtu & propenſione in idem ſcelus relapſo abſolutio hic & nunc communiter negari debet.

Prob. quia timere eſt, 1. ne relapſus, præſertim facilis, initium ſit perverſi habitus, qui nonniſi per remedia paululum aſpera ſanari poſſit. 2. Ne confeſſio præcedens legitima contritione deſtituta fuerit; hæc enim etſi hominem non facit impeccabilem; efficit tamen, ut, ſaltem ab ordinariis tentationibus aliquandiu ſe ſe tueatur. 3. Ne facilitas veniæ ſit incentivum denuo peccandi. Profecto *quod facile ſanatur*, aut ſanari creditur, *non multum cavetur; ex difficultate autem ſanationis erit diligentior cuſtodia receptæ ſanitatis*. Hinc Bellarminus Serm. 8. de Adventu: *non eſſet tanta facilitas peccandi ſi non eſſet tanta facilitas abſolvendi*. 819 *Aug. in Pſ. 6.*

Confirm. quia qui datam fidem in re gravi ſemel fefellit, nonniſi ex operibus prudenter judicari poteſt verum & efficax propoſitum habere. Ergo niſi ſincere tactus opera hæc præmiſerit, antequam ſe Confeſſario ſiſteret, per ea a Confeſſario probari debet. *Certum eſt* enim, ait Lugo diſp. 14. 820

ſect.

ſect. 10. *quando dilatio neceſſaria eſt ad implorandum firmum propoſitum pœnitentis*, *de quo* non ſatis conſtat, debere differri abſolutionem.

Dixi *communiter*, ut exciperem non modo caſum mortis, ſed & eum in quo inſolita apparent doloris argumenta.

Conclusio II. Homini, qui in peccatum ſine affectu, & occaſioni quaſi nolens cedendo, relapſus eſt, quandoque impendi poteſt abſolutio.

821 Prob. exemplo alicujus a natura temperantis, qui ad ebrietatem pene coactus ſit a viro iracundo, qui ſenſim vel cedere, vel gravibus injuriis affici, fortaſſis etiam vapulare oportuit. Atqui pœnitens ille, ſi vera ſinceri doloris indicia exhibeat, nec jam eidem obnoxius ſit periculo, puta quia alter ad ſua redierit, vel ita res ſuas pœnitens conſtituerit, ut ejus conſortium omnino ſit declinaturus, hic & nunc abſolvi poteſt. Nulla enim contra ipſum militat ratio ex iis quas in præcedenti Concluſione attulimus.

822 Dixi 1. *quandoque*, ſi quis enim, animo etiam renitente, atro cuipiam facinori, puta Sodomiæ conſenſerit, per tempus aliquod non tam probandus, quam in aſperis pœnitentiæ operibus exercendus erit, ut *peccatum*
Pſ. 50. ejus tunc intervalli ſit *ſemper contra* eum, & profundius ſentiat quam altum animæ ſuæ vulnus inflixerit.

823 Dixi 2. *poteſt;* neque enim ſemper neceſſum eſt ut hic & nunc abſolvatur, qui ſolvi abſolute poteſt. Unde ſi quæ abſolutionis dilatio profutura creditur, poterit abſolutio differri. Verum hæc, ut alia multa, plurimum pendent a circumſtantiis tum perſonæ, tum & pœnitentiæ. Si quis enim horrore criminis extorti percitus ſe ferme deſperationi dedat; ſi gravem ejus admiſſi ſuſpicionem incurrat; ſi ipſum tam amare defleverit, quam trinam ſuam negationem Petrus &c. aliter erit procedendum: raro tamen ſi fieri poteſt, permittendum, ut ejuſmodi homines ſtatim a prima abſolutione ad ſpirituales agni nuptias accedant.

824 Quæres quæ aptiora conſuetudinariis & recidivis poſſint præſcribi remedia. R. ea ipſis ſpeciatim præſcribenda eſſe virtutum opera, quæ deordinatis ipſorum propenſionibus magis contraria ſunt, ut ebrioſis receſſus a taberna, vini parcitas, fuga eorum qui ad bibendum potentes ſunt; & alia quæ paſſim in hujus Operis decurſu, præcipue autem in Tract. de peccatis recenſuimus. Generatim autem omnibus utiliter præſcribetur non tantum quæ a nemine prætermitti debet precatio matutina & ſerotina; ſed & propoſitum a tali peccato abſtinendi, Deo per Angelos cuſtodes cum Cæleſtis auxilii petitione offerendum; frequens, rapidus licet, ad Deiparam recurſus; Miſſæ auditio; quædam miſericordiæ opera; demiſſio ſui ac diffidentia; fiducia in Deum; frequens confeſſio apud eundem, pium modo ac prudentem Miniſtrum; lectio Librorum virtutem, modumque virtutis & bona exempla ſpirantium, ad arbitrium Confeſſarii minime ſuſpecti; pravæ, ſtatim ut ingruerit, cogitationis vel motionis repulſa; punitio quædam, cum aliquod exciderit peccatum; puta aſſis unius largitio; abſtinentia quæpiam a cibo vel potu; examen conſcientiæ circa peccatum magis familiare; vivida de eodem, quoties admiſſum fuerit, contritio cum punitione; gratiarum actio, ſi commiſſum non fuerit; frequentatio Parochiæ; ibique divinis officiis ac ſacræ concioni aſſiſtentia. De his aditum Enchiridium, tum & inſtitutionem a RR. PP. Gaſpare Loarte, & Martino Fornario, utroque Societatis Jeſu.

§. V.

Digitized by Google

§. V. *An & quibus differenda ſit abſolutio propter defectum propoſiti.*

Conſtat ubique gentium negandam eſſe abſolutionem iis omnibus, qui actu adhærent peccato, proinde ſincerum ejus effugiendi propoſitum non habent. At inquiri poteſt quinam in eo ordine cenſendi ſint. 825

Conclusio. Ob boni propoſiti defectum neganda eſt abſolutio, 1. iis omnibus qui aliena retinent, cum reſtituere poſſunt; vel illatam in fama, honore aliiſve bonis proximo injuriam pro viribus non reparant idque quamvis ſpondeant ſe ſatisfacturos, ſi jam ſemel vel a Confeſſario, vel a conſcientia admoniti id omiſerint; 2. & iis qui quam corde gerunt gravem cum proximo inimicitiam deponere nolunt, eique, quantum penes ſe eſt, reconciliari; quive eum alloqui, ſalutare, cum eo Chriſtiane verſari recuſant; quando hinc vel ſequitur ſcandalum, vel majus inimici odium, & ſpes affulget eum aliquo benevolentiæ ſigno placandi. 3. Et iis qui priores fratrem graviter læſerunt, nec tamen eum priores inviſere, atque ei ſatisfacere volunt. 4. His quoque qui publicum dedere ſcandalum, nec hactenus publice emendati apparuerunt. 5. Et iis etiam qui peccandi occaſionem præbent, ſeu picturis laſciviam exhalantibus, ſeu venditione librorum impietatem, hæreſim, vel obſcœnitatem ſpirantium; ſeu obſcœna vultus compoſitione, nuditate pectoris &c. 6. Iis qui illicita commercia vel artes prohibitas exercent, quales ſunt qui vetitas merces, aut licitas quidem, ſed fraudato vectigali introducunt; donec deſierint, item Comœdi, comediarumque Auctores, larvarum pro bacchanalibus artifices, &c. 7. Et iis qui officium licitum vel ſanctum exercent, ſed gravi cum negligentia, ut adoleſcentes plerique; qui otio vel nugis pene toti incumbunt, vix ſtudio; Magiſtratus aliique omnes, qui quæ ſui ſunt officii deſidioſe addiſcunt, & deſidioſius exequuntur. 8. Litigantibus, qui, cum poſſent, nullam pacis viam ſequi volunt, partem adverſam dicteriis fatigant; eandem, cum fieri poteſt ſine periculo, ad amicitiam inviſere recuſant; 9. & iis qui nimio veſtium, ſupellectilium, dapumve apparatu, debita contrahunt, quibus deinceps ſolvendis pares eſſe non valent. 10. Beneficiariis, qui vel nullatenus vel materialite tantum reſident, aut Eccleſiaſticos reditus profane diſſipant; Clericis qui Clericalem habitum non gerunt &c. 11. Confeſſariis omnibus qui prædictos omnes vel horum quempiam ſacrilege abſolvunt 12. Et iis qui minus tutæ ſimulque minus probabili pœnitentium ſuorum opioni aſſentiunt.

Prob. Concluſio 1. auctoritate S. Caroli, qui pene omnia hæc tradit in Inſtruct. Confeſſ. 2. Quia hi omnes nedum ſincerum de peccatis ſuis dolorem, & efficax novæ vitæ propoſitum gerant, actu lethaliter delinquunt, cum ea ſponte in ipſo reconciliationis Sacramento facere detractent, quibus omiſſis ſe ſe in inimicitia Dei confirmant. 3. Quia de his omnibus utcumque dici poteſt id Auguſtini Epiſt. 153. alias 54. *Peſſimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina non prodeſt. Si enim res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur* hic & nunc, vel redditur per partes, cum tota reddi poteſt, *non agitur pœnitentia, ſed fingitur* &c. Unde Neapolitana Synodus an. 1576. a Gregorio XIII. confirmata, Cap. 16. de Sacram. pœnit. *Ne quis*, ait, *cito manus imponens alienis peccatis communicare convincatur, caveant Sacerdotes, ne ante debitam famæ vel pecuniæ ſatisfactionem, ubi reſtituendi facultas fuerit, aliquem abſolvant,* 826

præcipue. ubi pœnitens datum in ſuperiori confeſſione præceptum neglexerit. Ubi ponderanda vox *præcipue*, potiſſimum vero cum res reſtituenda graviſſimi eſt momenti, vel in ſe, vel relative ad ſtatum aut affectum pœnitentis. Tunc enim ordinarie differenda eſt abſolutio, etiamſi antea monitus non fuerit pœnitens, *nam alioqui relinqueretur in gravi periculo non reſtituendi ob difficultatem talis reſtitutionis & propenſionem magnam differendi.*

827 Ceterum ex eodem Neapolitanæ Synodi textu ſequitur eos qui in hoc vel ſimili caſu abſolutionem feſtine impendunt, *alienis*, quæ ex hypotheſi gravia ſunt, *peccatis communicare*. Porro *digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*; & multo magis qui reſiſtere tenentur. Quis ergo, niſi qui eorum etiam peccatis communicare volet, his *abſolutoribus* abſolutionem impendat? (Rom. 1, 32.)

De his adeundi ſunt Tractatus noſtri de juſtitia, de variis variorum ſtatuum obligationibus, de ſcandalo, de luxuria, de peccatis &c.

Circa ultimam Concluſionis partem exurgit dubium, an nempe poſſit Confeſſarius aliquando abſolvere pœnitentem, qui privatæ opinioni innixus id facere renuit, quod contrariæ adhærens opinioni Confeſſarius credit eſſe faciendum. Quæſtionem hanc verſat Lugo Diſp. 22. Sect. 3. ſed, niſi fallor; laxius reſolvit.

828 R. 1. Si pœnitentis opinio, licet in ſpeciem ſpeculativa, in praxim ejus influat, is nullo modo abſolvi debet, cum eadem opinio minus tuta eſt & minus probabilis. Hinc non abſolverem eum qui unum intra annos quinque charitatis actum elicit, quia perſuaſum eſt Deum nihil ultra exigere. Qui voluntarie diſtractus Officium recitat, quia a Caramuele quodam acceperit, internam attentionem nullatenus ad penſum iſtud eſſe neceſſariam.

829 R. 2. Si opinio ſit omnimode practica, & communi graviorum Theologorum judicio minus tuta, minuſque probabilis, haud abſolvi poteſt qui contrariam amplecti mavult. Quemadmodum igitur de ſe ajebat Bourdæſius, ignotam ſibi eſſe artem confeſſiones Parochorum excipiendi; ſic & in hoc caſu modeſte dicerem, ignotam mihi eſſe artem abſolvendi homines tam eruditos.

830 R. 3. Si pœnitens ſit doctus, nec ſuæ adhæreat opinioni, niſi quia ipſam, poſt maturum examen credit probabiliorem eſſe, prout & gravibus aliis plurimis videtur ob rationes multi momenti, non eſt cur ipſi denegetur abſolutio: quia, inquit Antonius hic art. 3. q. 4. licet agere ſecundum conſcientiam bene formatam. Et hoc jam fuſius dixeram in Tract. de conſcientia poſt plures magni nominis Theologos, Cap. 5. ſub finem Concluſionis, n. 787.

Mihi tamen, fateor, opinio hæc gravem injicit ſcrupulum. Si enim Tribunali meo ſe ſiſtant Paulus & Joannes, prior eruditus, poſterior idiota, reum qui Petrum opinioni ſuæ perite & tenaciter addictum abſolvi, Joannem dimittam inabſolutum, niſi meum ad ſenſum accedat? An hujuſmodi ignorantia eo uſque pœnitentium conditionem mutat, ut alter Dei amicus ſit, dum etiam aliud a me cogitat; alter Dei hoſtis, quia cogitat a me diverſum? Hæc qui legent, objuro ut manum præbeant cæcutienti; quæ enim utcumque video vix auſim proferre.

§. VI. *De defectibus a Confeſſario commiſſis.*

831 Not. quintuplici præcipue modo, quantum ad præſens attinet a Confeſſario

ſario peccati, 1. cum ex imperitia, vel humano timore, certo vel dubie indignos abſolvit; 2. cum abſolvit ſine juriſdictione; 3. Cum poſitive, vel ſilentio ſuo inducit in errorem, unde ſequitur præcepti alicujus violatio. 4. Cum reſtitutionem indebitam præcipiti; vel a debita deobligat. 5. Cum male interrogat circa numerum & circumſtantias, circa obligationem ſtatus &c.

Circa primum nulla eſt difficultas, conſtat enim a ſacro miniſterio; 832
negata etiam abſolutione removendum eſſe Parochum, qui defectu ſcientiæ aut firmioris animi, obvios quoſque lata manu abſolvit; donec vel idoneam ſcientiam comparaverit, vel virilem, ut ajunt, duritiam induerit. Sed heu! qua demum ratione inuſtum antea gregi vulnus ſanare poterit?

De ſecundo quantum ſpectat ad caſus reſervatos diximus ſupra n. 591. 833
Quod ſi quis eo deveniſſet furoris, ut ſciens & volens ſine ulla approbatione audiendis confeſſionibus vacaſſet, teneretur is exitialem dolum hunc, omni qua poſſet via reſarcire. Hæc, meo judicio, non inepta fuerit, ut reus, ſi per ſe ipſum culpam ſuam reparare non poteſt, in confeſſione rem totam aperiat Parocho, cujus prudentiæ dimittat hujus ſuæ confeſſionis uſum. Sic enim fieri poterit ut ſub variis prætextibus quædam ſaltem iterentur confeſſiones; aut ad minus pœnitentes nova donentur abſolutione, quæ in confeſſa peccata directe cadat, indirecte vero in alia quæ confeſſa creduntur; & de quibus generalis exigetur contritio. Ceterum, ait Lugo cit. diſp. 22. n. 59. *Licet* ille qui inculpate abſolutionem nullam alicui dedit *non teneatur cum gravi detrimento ſuo vel alterius eum admonere, niſi forte quando ſubeſſet periculum damnationis infirmi, qui morietur cum illa invalida abſolutione, vel in caſu ſimili: exiſtimo tamen illum, qui cum culpæ gravi & mortali, ſive ſcienter, ſive ignoranter ignorantia graviter culpabili, errorem hunc commiſit, debere etiam cum gravi ſuo damno illum corrigere;* non tamen cum damno longe graviori quam *quod ſequitur ex eo quod Sacramentum irritum perſeveret, & peccata illa nonniſi indirecte remittantur per ſubſequentem confeſſionem*. Aliud eſſet de eo qui Baptiſmum vel Ordines invalide contuliſſet; is enim propter damna pene irreparabilia quæ hinc ſequuntur, vix unquam, ſi unquam, etiam ex graviſſimo incommodo excuſari poteſt ab hujuſce defectus reparatione.

Circa tertium caput, dico Confeſſarium, qui pœnitentes ſuos induxit in 834
errorem, ex quo ſequitur præcepti alicujus violatio, puta qui eos docuit ſatis eſse ſi ſemel in vita eliciant actum charitatis, mollitiem nihil habere mali, haud eſſe neceſſum ut Sacro minoribus feſtis interſint &c. Teneri errores illos dedocere; tum quia tenetur quiſque tollere cauſam mali etiam inculpate a ſe poſitam; quia alioqui foret is cauſa cur gravia præcepta violarentur. Idem eſt ſi ſolo ſuo ſilentio in errorem induxerit Confeſsarius, & non monendo, id licitum eſse perſuaſerit, quod illicitum eſt. Nimirum reparari debet periculoſa omiſſio rei ex officio debitæ. Aliunde vero tenetur quilibet ſatagere, ne alii ex actione vel omiſſione ſua, ſcandali occaſionem, aut materialis etiam legum trangreſſionis periculum ſubeant.

Atque hinc circa quartum caput ſequitur, Confeſsarium, qui etiam in- 835
culpate pœnitentem deobligavit a reſtitutione debita, vel ad indebitam obligavit, teneri ſaltem jure charitatis, eum errorem dedocere. An autem & quando ad id teneatur ex juſtitia, non ſine aliquo æſtu Theologos inter controvertitur.

N 2 Ad

836 Ad hujus modi ſolutionem expendunt plures cum Lugo ibid. n. 61. an Confeſsarius a reſtitutione averterit, vel ad eam induxerit poſitive dicens: *Debes, vel non debes reſtituere*; an omiſſive ſolum, quia nimirum in caſu reſtitutioni obnoxio conticuit. 2. An is Confeſſarii error culpabilis fuerit, an inculpatus. His poſitis, ut pedentim progrediamur.

837 Dico 1. cum eodem Lugo Confeſſarium qui *ex gravi culpa*, ſeu, ut loquitur Antonius hic q. 10. *ex malitia, vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia advertendi*, dixit pœnitenti eum non teneri ad reſtitutionem, ad quam reipſa tenetur, teneri errorem dedocere: quod ſi non faciat, vel ſi, dum differt, pœnitens ſit reſtituendo impar, qui monitus reſtituiſſet, tenetur Confeſſarius illi tertio reſtituere. Ratio eſt, eaque clara, inquit Lugo, quia qui furtum ex gravi ſua culpa conſulit, tenetur ad reſtitutionem ſi fur non reſtituat. Ergo qui ſuo conſilio, quod in Tribunali ſemper grave eſt, injuſte rei alienæ reſtitutionem impedit, non minus ad reſtitutionem tenetur. Et vero annon violat Confeſsarius ille jus quod alter habebat, ne a boni conſecutione impediretur? Annon eſt efficax cauſa damni ipſius? &c. Idem eſt porro ſi indebitam reſtitutionem culpate præcepit, quia pœnitentem decipiendo, iniqua fuit damni ipſius cauſa.

838 Quod ſi Pœnitens adhuc par reſtituendo, a te erroris admonitus reſtituere nolit, jam liber es a reſtitutione; quia totam quam poſueras damni cauſam abunde ſuſtuliſti. An idem dicendum ſit, ſi Pœnitens, qui confeſſionis tempore ad reſtituendum diſpoſitus erat, converſa jam in pejus voluntate, non amplius reſtituere velit, nova eſt difficultas, quæ ad omnes injuſtitiæ conſiliarios, aut proximi bonum impedientes ſpectat. Pars affirmans verior mihi eſt. Si enim Medicus ex officio ægrum inviſens, eidem ex ignorantia lata vel ex malitia non conſulat medicinam certo profuturam, certoque ſumendam, ægro mortem intuliſse cenſebitur, etſi ei poſtmodum in phrænefim verſo, jamque remedia omnia abjicienti, pharmacum ſuum proponat. Scire enim debuit utendum eſſe favorabili momento, & hiſce in materiis moram quamcumque plenam eſſe periculi. Hæc autem ratio pro caſu præſenti militat. Sed tu cogita.

839 Dico 2. eum qui ex gravi itidem culpa Pœnitentem obligavit ad reſtitutionem, cui non erat obnoxius, teneri errorem retractare: eive, ſi jam reſtituerit, damnum illud reſarcire, Ratio eſt quia ex Cap. 9. *De injuriis: Si culpa tua damnum vel injuria irrogata eſt.* . *aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt: jure ſuper his ſatisfacere te oportet*, &c. Atqui in hoc caſu illatum eſt Pœnitenti damnum culpa Confeſsarii, ejuſque imperitia vel negligentia.

840 Dico 3. eum qui ex omiſſione graviter culpabili cauſa fuit cur Pœnitens id reſtitueret ad quod non tenebatur, eidem Pœnitenti teneri de damno. Qui enim monere omittit; cum ex officio monere debet, de damno tenetur; cum debeat ex juſtitia, qui ex officio debet: Ita Antonius.

Lis ergo præcipua eſt an qui ex ignorantia, vel negligentia culpabili, ſolum omittit Pœnitenti reſtitutionem injungere, teneatur reſtituere in ejus locum, niſi hunc poſtea admoneat, ut ſaltem ex charitate debet, ſi poteſt.

841 Triplex porro eſt ea de re opinio. Prima docet nullum Confeſsorem, etiamſi ex officio curam habeat animarum, ut primi & ſecundi Ordinis Paſtores; teneri ex juſtitia ad monendum Pœnitentem, adeoque ad reſti-

reſtituendum in locum ejus, ſi interim factus ſit impotens, reſtituere: Ita Ledeſma, Valentia, Daelman, aliique nec pauci nec ignobiles.

Secunda ex adverſo docet quemcumque, etiam ſimpliciter delegatum, ut ſunt Regulares, teneri in hoc caſu ex juſtitia vel monere, vel reſtituere. Ita Molina, Sayrus, Navarrus, Sylvius, Habert, & alii quorum potior eſt in moralibus auctoritas. 842

Tertia inter præcedentes extremas media, quæque Leſſio admodum probabilis eſt, docet eos qui ex officio curam habent animarum, ut Epiſcopi & Parochi, tunc occaſionis ad reſtitutionem teneri; non vero ceteros. Videndum quibus eæ opiniones nitantur momentis; ſic enim forte ad verum deveniemus. 843

Primæ opinionis defenſores arguunt 1. in hunc modum. Sola juſtitiæ violatio inducit obligationem reſtituendi. Atqui Confeſſarius qui ſolum, licet culpabiliter, omittit Pœnitenti reſtitutionem præcipere; ſeu habeat; ſeu non habeat curam animarum, non violat juſtitiam. Non enim aliam violare poteſt juſtitiam, quam quæ debetur creditori pœnitentis ſui. Atqui hanc violare non poteſt. Confeſſarius enim debet quidem ſpirituale Pœnitentis bonum procurare; unde omittendo monitionem peccat; ſed præciſe qua Confeſſarius non tenetur impedire damnum creditoris; cum nullam habeat juſtitiæ obligationem vel officium in ordine ad creditorem, ſed tantum in ordine ad pœnitentem, nec teneatur ex officio temporale creditoris bonum procurare, ſed tantum ſpirituale bonum Pœnitentis. Ergo cum omittens aut tacens nuſquam teneatur de damno quod non impediit, niſi erga eum cujus damnum ex juſtitia impedire tenetur; non eſt cur in præſenti caſu debitum ſubeat reſtituendi. Ita Antonius poſt Suarem diſp. 32. ſect. 6. n. 9. 844

2. Arguunt ad hominem: ex ipſis Navarro & Sylvio cuſtodes, qui non obſtant ne cædantur ligna, vel vectigalia fraudentur, ad damna quidem aut vectigalia tenentur, non autem ad multas, quia non tenentur ex officio præpoſitos ſuos monere in ordine ad multas; ſed tantum ad avertenda damna, vel ſolvenda vectigalia. Ergo a pari in caſu propoſito. 845

Confirm. nulla eſt cujuſpiam ad alium obligatio, niſi ratione pacti ſaltem taciti. Atqui Confeſſarius nullo id genus pacto ligatur quoad creditorem Pœnitentis. Eſto igitur ex juſtitia teneatur ad temporale Pœnitentis bonum, at non tenetur ex juſtitia ad temporale bonum tertii. Subſumo: Atqui ei ſolum debita eſt reſtitutio erga quem violatur juſtitia. Ergo non tenetur Confeſſarius huic tertio reſtituere. Habet quidem iſte jus ut Pœnitens ſibi reſtituat, ſed non habet jus ſtrictum ut Confeſſarius qua talis reſtitutionem illam procuret admonendo; cum ad id ſe non obligaverit; neque dum ſe ſe adminiſtrationi Pœnitentiæ dedit, conſtituerit ſe ex officio procuratorem temporalium cujuſcumque bonorum. Nemo quidem negabit, quin Confeſſarius, ſi Pœnitenti interroganti an debeat reſtituere, nihil reſpondeat, teneatur tunc reſtituere; quia hiſce in circumſtantiis ſilendo, non ſe habet negative tantum ad reſtitutionis omiſſionem, ſed ad hanc poſitive concurrere cenſetur, ut conſulens aut conſentiens, juxta veterem hanc juris regulam; *Qui tacet, conſentire videtur*. Verum aliter ſe res habent in caſu quem expendimus, ubi Confeſſarius negative prorſus ſe habet. 846

Nec eſt quod dicas cum Sylvio Prætorem, qui ſubditos ſuos videt nocere 847

extraneis, neque impedit eum poteſt, ad reſtitutionem teneri, licet extraneorum bonum procurare non teneatur: proinde & ad eam teneri poſſe Confeſſarium in caſu noſtro.

848 Multiplex enim Prætorem inter & Confeſſarium occurrit diſparitas. 1. enim Prætor conſtitutus eſt in ordine ad temporalia, Confeſſarius vero tantum in ordine ad ſpirituale bonum Pœnitentis. Unde obiter ſequitur, Confeſſarium, cujus ex omiſſione ipſe etiam Pœnitens temporale aliquod damnum incurrit, puta majores in reſtituendo expenſas, quas opportune monitus non ſubiiſſet; nequaquam ad damni hujus refuſionem teneri.

849 2 Etiamſi ſupponeretur Confeſsarium quatenus Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrum, ex juſtitia obligari relative ad temporale Pœnitentis bonum; differret tamen inſigniter conditio ejus a conditione Prætoris; quia inter Principes, proinde & Judices ab iis conſtitutos, virtuali & tacito contractu ſancitum eſt, ut extra tempus belli mutuo prohibeant, ne vicini vicinis quidquam inferant damni. Unde qui ſuorum injuſtitiam permittendo, tacitæ huic conventioni deſunt, tenentur de damno. Atqui nulla eſt hujuſmodi conventio Sacerdotem inter & iniqui Pœnitentis creditorem. Ecquis vero ſub lege tam oneroſa ſe ſe Tribunali dedere velit? Hæc ferme Scriptor quidam infimæ latinitatis.

850 Contrariam opinionem, paucis licet, amplexi ſumus in Tractatu de jure, & injuria; eique denuo credimus adhærendum. 1. quia longe minor eſt adverſantium nobis Theologorum auctoritas, quam pro partibus noſtris ſtantium, quibus & adjungi poſſe videtur Collator Pariſienſis Tom. 4. de reſtitut. Lib. 6. pag. 483. Edit. 1740. ubi ſic: *Un Confeſſeur eſt chargé lui-meme de reſtituer, s'il n'a pas obligé ſon Pénitent de faire les reſtitut ons dont il eſt tenu*. Concinit & multo diſertius Collator Andegav. Tom. 2. de contractib q. 4. Menſis Aprilis pag. mihi 221.

851 2 Quia ex adverſariis Confeſſarius, ſi Pœnitenti interroganti an debeat reſtituere, nihil reſpondeat, tenetur reſtituere; quia qui in hac occaſione ſilet, cauſa eſt quadantenus poſitiva cur Pœnitens non reſtituat. Atqui hæc ratio coram Deo expenſa militat pro eo etiam caſu quem nunc expendimus. Annon enim Pœnitens Confeſsarium adit, ut ab eo doceatur qua ratione unicuique reddere debeat quod ſuum eſt? Annon ei ſua quæque pandit, ut *ſcientiam & legem* diſcat *ex ore ejus*? Annon ſe præciſe a reſtitutione liberum credit, quia hanc ſibi non injunxerit Confeſſarius? Ergo idem ſilentio ſuo præſtat Director, quod præſtaret verbis: proinde non minus eſt cauſa damni alieni cum tacet, quam cum reſtitutionem expreſse prohibet.

852 3. Quia ex Antonio & aliis accuratioribus, qui curam habent animarum ex ipſo ſuo ſilentio tenentur ad reſtitutionem, quia utpote Superiores ex officio tenentur pro gubernationis ſuæ modo impedire, ne qui ſibi ſubjacent alii aliis damnum inferant. Atqui onus illud eamque obligationem ſuſcipiunt delegati Sacerdotes, qui ſacrum Tribunal conſcendunt. Cum enim ea ſolum lege a Superioribus conſtituantur judices, ut ipſo Superiorum officio defungantur, nec alia conditione acceptentur a populis, profecto id omne debent, quod ipſi Superiores. Ecquis ferat ſibi in locum Paſtoris ſubſtitui hominem, qui minus ſibi debeat quam ipſe Paſtor? Ergo cum ex S. Thoma 2. 2. q. 92. art. 7. ad 3. *Ille teneatur ad reſtitutionem, qui non obſtat, vel qui non reprehendit, quando ei incumbit ex officio,*

Digitized by Google

ſicio, ad minus dubium eſt an a reſtituendo immunis ſit, qui Paſtoris ad reſtituendum in hoc caſu obligati vices gerit.

4. Quia ex Auguſtino Epiſt. ad Macedonium, *Illud fidentiſſime dicendum eſt, eum qui ad ſe confugientem, quantum honeſte poteſt, ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis*. Atqui nedum ad reſtituendum compellat Miniſter de quo loquimur, imo a reſtituendo tacite avertit, Unde ſi quis rei de qua agitur conſcius, pœnitentem faciendæ reſtitutionis admoneat, is reponet illico ſe ab ea liberum eſse; cum Confeſſarius re tota audita ne verbum quidem habuerit de reſtitutione. 853

5. Quia in dubio pars tutior tenenda eſt, cum pars adverſa non eſt impendio probabilior. Atqui citra dubium tutior eſt opinio noſtra. Aliunde vero opinio contraria ad ſummum ejuſdem eſt probabilitatis. Imo ſi proprius fundamenta ipſius intuearis, meram in his peneque miſeram ſubtilitatem deteges. Unde ut hæc, licet jam ſatis imminuta, mage magiſque concutiantur. 854

Ad 1. nego 1. & 2. min. Ad 3. dico Confeſſarium qua talem teneri de damno cujuſcumque, quoties damnum illud fraudulenter procurat. Atqui fraudulenter procurat, qui circa reſtitutionem virtualiter conſultus ab homine *legem requirente*, virtualiter negat vel ex dolo, vel ex ignorantia craſsa quæ dolo æquiparatur, reſtitutionem eſse faciendam. Unde fatentur ex adverſariis plerique, Confeſsarium, tametſi de ſpirituali pœnitentis bono primario & directe oneratum, ad reſtituendum teneri, ſeu cum pœnitentem male & imperite ad reſtituendum obligavit; ſeu cum interrogatus an ad reſtituendum teneretur, nihil dedit reſponſi. 855

Ad 2. perſuaſum mihi eſt cuſtodes non ſolum de damno, ſed & de mulctis teneri, prout cum viris adverſario gravioribus docui in Tract. de jure & injuria pag. nunc 205. Neque tamen ſub hujus difficultatis onere ſuccumbet Sylvius. Reponet enim ſylvarum cuſtodes, non teneri de mulcta, quia nec directe nec indirecte omiſſioni ejus cooperantur. Contra vero, inquiet, Sacerdos indirecte ut minimum cooperatur omiſſioni reſtitutionis; cum hanc vel ipſo ſuo ſilentio neget eſse faciendam. 856

Ad confirmat. 1. neg. maj. fur enim & alii plerique damnificatores tenentur potius ex rei natura, quam ratione cujuſcumque pacti. Et vero. 857

Ex adverſariis, ſaltem aliquibus, tenetur Confeſſor ad reſtitutionem, cum circa ipſam interrogatus a pœnitente, nihil reſpondet. Quæro igitur an tunc temporis virtuale pactum inierit cum pœnitentis creditore, annon. Si ſecundum; ergo citra pactum poteſt quis ad reſtituendum teneri. Si primum, quidquid hic pacti reperiet adverſarius, id & ego in caſu noſtro reperiam.

2. Neg. min. Parochus enim in Tribunali ſe habet ſicut judex ſtipendio conductus ut legem dicat, tum in ordine ad Deum, tum & in ordine ad proximum: & hoc ejus officium eo eſt gravius, quod quantum ad plebeios ſit pene una, quam timorati conſulant, regula. Ergo nihil ſtupendum eſt ſi dicatur eum, cum oraculi inſtar virtualiter vel formaliter interrogatur, ex officio teneri ad avertenda ſeu pœnitentium, ſeu alterius cujuſcumque damna. Jam vero hanc officii ejus partem induunt, qui in ejus vicem audiendis confeſſionibus vacant. Quod autem grave illud onus ſibi aſſumant imperiti, ipſi ſibi imputent Interim ſi anima eorum 858

pro anima pœnitentium futura ſit, quid mirum, ſi ad temporaneam aliquam reſtitutionem obligari poſſint.

859 En præcipua gravis hujus controverſiæ momenta. Ego quidem ſecundæ adhærendum puto: qui primæ rationibus movebuntur, id ſaltem curare debent, ut aliquid reſtituant; cum ad minus dubium ſit, an nulla hic incumbat reſtituendi obligatio.

860 Supereſt ut quædam dicamus de quinto Confeſſariorum defectu, qui in eo ſitus eſt, quod male circa numerum, & circumſtantias peccatorum circa obligationes ſtatus, circa fraudes in certis profeſſionibus exerceri ſolitas interrogent. Conſtat porro a pluribus in hac parte graviter peccari: cum eatenus cauſa ſint cur ſuæ confeſſioni deſit integritas. Huic ut occurrant malo, ſibi quam pœnitentibus funeſtioris, neceſſum eſt ut circa quodcumque peccatum lethale lethaliſve ſuſpectum, interrogent, conſtanter, 1. quoties mente conceptum ſit, ante quam executioni mandaretur; tum propoſitum & executio non poſſunt una eademque moralis actio cenſeri, 2. quoties exterius perpetratum; 3. coram quibus & quot perſonis admiſſum ſit, præſertim cum de calumnia, detractione, impudicitia ſermo eſt. 4. Annon eis ſtipatum ſit loci, temporis, perſonæ circumſtantiis, quæ vel facinus notabiliter aggravant, vel mutant ejus ſpeciem. De his relegenda erunt quæ dixi in Tract. de peccatis; nec ſatis relegetur Praxis Virdunenſis: iis quidem incommoda, qui paucos intra dies totam quanta eſt Parochiam abſolvere velint; at iis profutura, qui animarum regimen pro arte artium habere ſerio didicerunt.

861 Etſi autem Confeſſarius circa hæc omnia interrogare debet, non tamen omnes, vel eodem modo. Plus enim examinandi ſunt rudes quam periti, & qui raro confeſſionem frequentant, quam qui ſæpius. Neque etiam interrogandi ſunt pœnitentes de his quæ veriſimiliter non commiſerunt. Hinc ante omnia inquirenda eſt ætas pœnitentis, conditio, ſtatus, officium aut profeſſio, examinandumque caute, modeſte & prudenter, num quæ ab ejuſdem ſtatus perſonis frequentius committuntur peccata commiſerit. Ubi obiter animadverterim quandoque interrogandos eſse circa quædam puncta eos etiam qui pie degere videntur; puta Paſtores circa reſidentiam, circa menſæ epulas, circa Beneficiorum pluralitatem &c. Conſtat enim experientia nonnullos ex iis circa hæc quaſi inadvertenter allucinari, Ceterum geminanda eſt attentio, quoties de luxuriæ peccatis agitur, ne ſcandalum fiat pœnitenti, aut quæ ignorat mala doceatur, cum periculo eadem in ſe vel in aliis experiendi. Unde generatim interrogandus eſt num turpe quid cogitaverit, num a cogitatione ad exteriora profecerit &c. de quibus vide quæ diximus Tom. 3. ubi de ſexto Decalogi præcepto art. 10. Id autem Confeſſario cavendum ne inutilia exploret, ne fortunam pœnitentis ſciſcitetur niſi in ordine ad eleemoſynam, ne interroget nomen ejus &c.

Sed & illud curandum Confeſſario, ut generalem, ſed illæſo ſemper confeſſionis ſigillo, notitiam habeat, tum vitiorum quæ in loco ubi degit, dominantur, tum & dolorum qui in certis profeſſionis exercentur. Utrumque autem a piis ejuſdem artis hominibus edíſcet facillime.

Quam agendi rationem ſervare debeat Confeſſarius erga juniores Seminariſtas turpibus vitiis infeliciter mancipatos expendimus eod. tertio Volumine cit. art. 10. pag. 532.

§. VII.

§. VII. *An & quando adigendus ſit pœnitens ad generalem exomologeſim.*

R. 1. averti debent a generali confeſſione, qui pie & chriſtiane viventes, eam tantum ex anxietate quadam iterare volunt, prout ſcrupuloſis contingere ſolet. Hujuſmodi enim confeſſiones præterquam aliæ aliis indefinenter ſuccedunt, nec quæſitam pacem conciliant animæ, 1. multum inſumunt temporis, quod utilius poſſit impendi, 2. multa identidem revocant in memoriam periculoſa; unde, quos vidi, triſtes quandoque naſcuntur exitus. 862

Nec refert quod hinc fieri poſſit ut non iterentur confeſſiones quædam invalidæ. Hunc enim defectum reparaſſent confeſſiones ſubſecutæ; cum pia & ſancta confeſſio incognitis præcedentium confeſſionum defectibus medeatur. De hac materia relege quæ dixi Tom. 2. ubi de conſcientia ſcrupuloſa. 863

R. 2. generatim cum Auctore Libri cui titulus. *Director animarum pœnitentium* Cap. 23. pag. 274. iterandam eſſe mortalium confeſſionem, 1. quoties abſolutio fuit invalida defectu conditionis alicujus eſſentialis. 2. Cum eadem mortalia, vere quidem, ſed indirecte tantum remiſſa ſunt. Unde qui aliquot ab annis ſincere converſus vitam chriſtianam agit, & ex Librorum lectione, aut alia quapiam via detegit, ſe ſuam ante converſionem pluries invalide fuiſſe abſolutum a certis peccatis, quæ vel male expreſſerat, vel falſo ratus eſſe venialia, conticuerat; eadem, licet per pias quæ exhinc bona fide peractæ ſunt confeſſiones dimiſſa, ſimulque ſacrilegia tunc temporis forte admiſſa, denuo clavibus ſubjicere debet. Neque ideo ceteras quas ſubinde fecit confeſſiones iterare tenebitur, conſtat enim confeſſiones poſt confeſſionem nullam & non repetitam factas, aliquando valere, prout monuimus Tom. 5. pag. 112. & ita docent Sylvius in Suppl. q. 9. art. 2. quæſit. 1. Pontas v. *Abſolution* caſ. 53. 864

R. 3. Speciatim adigendos eſſe ad iterandam confeſſionem 1. eos qui vel voluntarie prorſus, vel ex defectu idonei examinis, vel demum ex imperitia notabiliter culpabili, peccatum grave, aut ex ignorantia habitum pro gravi reticuerunt. 2. Et eos qui confeſſionem inſtituerunt quo tempore primaria de quibus ſupra actum eſt, Religionis Myſteria ignorabant. 3. Eos qui confeſſionis tempore cor gerebant male affectum, proinde inconverſum; puta qui creaturæ medullitus adhærebant, aut inimicum odio inſequebantur perſeveranti. 865

Quæres an ad repetendam confeſſionem adigendus ſit, qui injunctam ſibi ſatisfactionem omiſit. R. repetitionem hanc aliquando exigendam eſſe, aliquando non. Et quidem exigenda erit, 1. ſi pœnitens abſolutionis tempore non habuerit ſinceram injunctum ſibi penſum exequendi voluntatem. Non enim vere a peccato converſus eſt, qui præſcripta ſibi contra peccatum remedia adhibere non intendit. 2. Si pœnitens per aliquot tantum dies pœnitentia ſua defunctus ſit. Dubia enim & admodum ſuſpecta eſt converſio, quæ in re graviſſima tam cito, tamque facile deficit. Si quis tamen, puta miles vel famulus, quia alio migrare, & longum iter conficere juſſi ſunt, vel Eccleſias non inviſerint, vel jejunio defuerint &c. aliter judicandum erit. 866

Quod ſi pœnitens & ſinceram tempore confeſſionis habuerint ſatisfaciendi voluntatem, & hanc primum alacriter & pie executus, nonniſi 867

tempo-

temporis lapſu & per partes abjecerit, non erit idcirco ad repetendam confeſſionem cogendus: nec enim quælibet bonæ voluntatis deſitio indicium eſt falſæ converſionis.

868 Quæres iterum an iterandæ confeſſionis oneri ſubjaceant, qui paulo poſt abſolutionem in peccatum relabuntur. Quæſtio de iis eſt qui ad novum Confeſſorem accedunt. R. affirm. communiter loquendo: etſi enim vera eſſe poteſt, attamen in praxi ut plurimum ſuſpecta eſſe debet juſtitia vix perſeverans. *Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt*, ait Apoſtolus 2. Cor. 7. 10. *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur;* & hoc ſenſu *omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*, 1. Jo: 3. 6. 9. Equidem vel ipſi juſti concidunt, ut liquet exemplo Davidis & Petri: At quod annotari meretur, in toto Scripturæ contextu, qui annorum quater millium hiſtoriam complectitur, neminem reperies juſtum, qui æqua lapſum inter & pœnitentiam partitione, frequenter lapſus frequenter reſurrexerit. Et vero juſtitia per abſolutionem vere obtenta eſt habitus. Atqui ex S. Thoma 2. q. 49. art. 1. & 2. ad 3. *Habitus dicuntur illæ qualitates, quæ ſecundum ſuam rationem habent, quod non de facili tranſmutentur, quia habent cauſas immobiles.* Ergo ſaltem dubium eſt an qui poſt abſolutionem *de facili* ad vomitum revertuntur, vere fuerint converſi. Ergo & dubium eſt an peccatorum veniam obtinuerint. In hoc autem dubio quis cum ſalutis diſpendio confeſſionem ſuam iterare negligat?

869 In eo caſu verſari merito judicantur, qui relapſi ſunt quia ab occaſionibus ſibi funeſtis non receſſere, & præſcripta ſibi adverſus peccatum media omiſerunt. Quoad eos vero qui ad tempus fugerunt occaſiones, & injuncta ſibi remedia adhibuere, examinandum erit 1. quoto tempore utrumque hoc præſtiterint; 2. an in his perſeverare facile poſſent; 3. an ceſſerint tentationi, quæ & prævideri debuiſſet, & cum ordinaria virtute poſſet ſuperari; annon econtra ceſſerint improviſæ tentationi, quæque ſine vi extraordinaria vinci non poſſet; 4. quale & quantum crimen admiſerint. Quo enim minus quis in remediorum uſu præſtiterit; quo remedia hæc ſervatu erant faciliora; quo magis ordinaria fuerit tentatio cui obtemperatum eſt; eo ſuſpecta magis videbitur converſio.

870 Dixi iterandam a relapſis confeſſionem *moraliter loquendo*: quia mitius agi poteſt 1. cum iis qui violentæ & extraordinariæ tentationi ceſſerunt; 2. & cum iis qui peccatum a confeſſis diverſum commiſere. Si enim conſtat animum in peccata pluries commiſſa multo facilius prorumpere; at ſimul conſtat hominem vere converſum multo plus cautum ac munitum eſſe debere adverſus peccata, quorum pondus pluries expertus eſt & ingemuit, quam adverſus inexperta.

871 Ex his colliges eos qui raro aut ſemel in anno peccata deponunt, tumque emendationi ſuæ ſerio per notabile tempus allaborant; ſed poſt quatuor aut quinque hebdomadas in eadem recidunt peccata; ſi forte primo anno benigne excepti ſunt a Confeſſore, ſeverius excipiendos eſſe ac diutius probandos annis ſequentibus. Qui enim ſenſit ſe imparibus ad finem medio uſum eſſe, validiora inquirere debuit: quod cum neglexerit, dubium eſt an finem vere & ſincere intenderit. Ita quem utiliter conſules Director animarum pœnitentium cap 11. ubi & nota cum Giberto tom. 2. Conſult. de pœnit. Conſult. 23. non omnem etiam diuturnam ceſſationem a peccato ſufficiens eſſe veræ converſionis indicium, ut ſi puella

toto

toto anno abſtineat a crimine, ut ſanitatem ſuam recuperet, vel propter amaſii ſui abſentiam; aut quia is jam minus ſit liberalis &c.

Quæres 3. an fieri aliquando poſſit ut Confeſſor non teneatur aperire pœnitenti obligationem confeſſionis generalis inſtituendæ. Affirmat Scriptor mox citatus ib. cap. 24. hac duplici conditione, 1. quod pœnitens ſincere converſus ſit, Chriſtiane vivat, & in bona circa præteritas ſuas confeſſiones fides verſetur. 2. Quod prævideat Confeſſor futurum ut penitens ex imponenda ſibi generalis confeſſionis obligatione peccet mortaliter, puta quia nuſquam adduci poterit ut credat ſe ad onus illud teneri; aut quia ex tentatis olim hujuſmodi confeſſionibus, factum ſit ut pluries deliquerit letaliter. Ratio eſt quia pœnitens indirecte abſolutus bonæ ſuæ fidei dimitti debet in his quæ juris ſunt poſitivi, cum a bona illa fide ſine gravis mali periculo averti non poteſt. Atqui pœnitens noſter & indirecte abſolutus eſt in confeſſionibus quæ confeſſionem malam ſubſecutæ ſunt; cum vere ſit converſus & Chriſtiane vivat, & aliunde bonæ ſuæ fidei dimittitur in re quæ jure eſt divini quidem ſed poſitivi: cum confeſſio poſitiva tantum Chriſti lege præcipiatur. Ergo ut putatitii conjuges gravioris mali formidine in Matrimonio etiam invalido conſiſtere permittuntur, ſic & a pari in propoſito. 872

Fatendum tamen, quod & agnoſcit idem Scriptor, frequentius contingere, ut invalida connubia tolerari debeant, quam confeſſiones invalidæ. Ubi autem exigeret prudentia ut pœnitens de alicujus ſuæ confeſſionis nullitate certior non fieret, ei tamen confeſſio plus aut minus generalis per modum conſilii proponenda foret. Quod ſi penitus reluctaretur, ſaltem ſolerter & induſtrie elicienda foret ab eo, quantum fieri poſſet, aliqua generalis confeſſionis ſpecies. 873

Quæres 4. quid præcipue iis commendandum ſit, qui generalem vel extraordinariam confeſſionem meditantur. R. hortandos eos eſſe ſedulo ut longe magis de plena cordis converſione, quam de integra peccatorum accuſatione ſolliciti ſint. Nuſquam male confitebitur vir ſincere & ex toto corde dolens de peccatis: at non raro male confitetur, qui ſingula ſua peccata minutim & ad ſtrictos juris apices recenſet. Unde S. Gregorius Lib. 6. in 1. Reg. Cap. 15. *Signum veræ confeſſionis non eſt in oris confeſſione, ſed in afflictione pœnitentiæ.* 874

Quæres 5. qua ratione peccata confiteri debeant, qui frequenter & graviter lapſi generalem exomologeſim faciunt. R. iis curandum eſſe & ſufficere, ut aperiant graviora cum præcipuis ipſorum circumſtantiis; cetera vero cum eorum etiam circumſtantiis ſecundum uniuſcujuſque ſpeciem certas ad claſſes, certumque ad numerum qui veriſimiliter exiſtimabitur, reducant. Is autem numerus ea etiam complectetur quæ ſe ſe memoriæ non obtulerunt, ſed probabiliter admiſſa creduntur. Et vero ſi pœnitens unumquodque peccatum cum ſuis ſigillatim circumſtantiis aperire vellet, niteretur ad impoſſibile, multam in animo Confeſſarii pareret confuſionem, patentem ſcrupulis aditum reſeraret; vixque aliud tanto e labore quam crebri ſubverſionem conſequeretur. 875

Ceterum curandum eſt ut pœnitens in generali confeſſione exprimat, quæ nam mortalia necdum confeſſus ſit; tum quia alioqui non poſſet Miniſter materiam neceſſariam ſecernere ab ea quæ forte neceſſaria non eſt; tum quia pœnitentiam juſta minorem imponeret, falſo exiſtimans pœniten- 876

nitentem & peccata hæc jam eſſe confeſſum, & pro iis ex Confeſſoris præſcripto ſatisfeciſſe.

877 Quæres 6. qua ratione adduci queat pœnitens ad generalem confeſsionem, a qua plurimum alienus eſt. R. pie & acriter inculcandum eſſe pęnitenti Chriſtianos plerosque eo miſerabiliter perire, quia ſibi falſo perſuadeant ſe peccatorum veniam conſequi, ſtatim ut hæc integre confeſsi ſunt, eorumque abſolutionem obtinuerunt, licet interim mores ſuos vere non emendaverint. Tum demonſtrata ſinceræ converſionis neceſsitate, inquiret Confeſſarius an pœnitens nihil circa præteritas confeſsiones habeat anxietatis. Si reſpondeat ſe generalem confeſsionem jam antea feciſſe, perpendendum erit an extunc per notabile tempus, puta duos treſve menſes chriſtianam vitam & a gravibus, ſaltem conſuetis, immunem duxerit, annon e contra brevi ad priſtina, quæ actu confitetur, peccata redierit. Si I. ſufficiet ut generalem a tempore relapſus ſui confeſsionem peragat. Si II. oſtendetur generalem hanc cui tantopere nititur, confeſſionem, nullius eſſe omnino valoris, aut ſaltem valoris dubii maxime, & qui mentem tranquillare nequeat. Quod ſi pergat ab intento Confeſſarii alienus eſſe, non erit tunc temporis nimiopere urgendus, ſed monendus leniter ut negotium illud coram Deo revolvat; ut cogitet quam melius ſit æternam ſibi pacem ſtruere laboris alicujus diſpendio, quam ejuſdem laboris horrore ſubire æternæ reprobationis diſcrimen. Addetur nihil eſſe quod importune urgeat; conceſſum iri tempus quo indiguerit; non eſſe opus illud tam arduum, quam primo intuitu videatur, affore ſibi opem Confeſſarii qui adjuvet in examine, qui interroget &c.

V. ſupra nu. 866. & ſeq.

878 Quo autem futurum illud examen facilius reddat Confeſſor, monebit pœnitentem, ut, ſecundum dicta ſuperius, Dei & Eccleſiæ leges, capitalia peccata, propria ſui ſtatus munia, diverſa in quibus vixit loca, diverſas quas inviſit ſodalitates, diverſa quæ geſsit officia pervolvat. Poterit autem commode examen iſtud varias in ætates dividi, percurrendo ſcilicet quidquid a primo rationis uſu ad duodenium, a duodenio ad ætatem ſeptemdecim aut octodecim annorum, ab ea ætate uſque ad Matrimonii tempus, inde autem uſque ad tempus viduitatis geſtum ſit mali &c. Quod ſi ordinem hunc præ hebetudine ſequi non poſsint pęnitentes hunc ipſorum loco in interrogando ſequetur Confeſſarius, cui & curandum erit ut pœnitens aliena expendat peccata quæ verbis ſuis, actionibus, exemplo peperit. Sed illud propius inveſtigandum, quod multi negligunt, an pęnitens ſpiritu fidei vixerit, an æterna bona, quod vere Chriſtiani eſt, ſperaverit & ſperando inquiſierit, an magnum Legis pręceptum de adorando Deo in ſpiritu & veritate adimpleverit. Quoniam vero horum defectus ex mala anteactæ vitæ ſtatu non ægre colligitur, efficiendum erit ut profunde intelligat pęnitens quantum a ſcopo ſuo deviaverit, quam ſedulo tempus redimere debeat &c.

779 Quæres 7. an pęnitens, qui generalem confeſsionem inſtituere tenetur, omnia peccata ſua denuo confiteri debeat, ſi ad eum quo ſemper uſus eſt Sacerdotem recurrat. Reſpondet idem Auctor, quam in hac tota materia e veſtigio ſequimur, non eſſe neceſſum ut peccata hæc denuo accuſentur, ſi Confeſsarius aliquam adhuc eorum ideam gerat animo, licet non ita diſtinctam, quem quæ ex confeſsione ante aliquot dies facta exurgit. Unde tunc temporis ſufficit ut Sacerdos recordetur quam inordinata

fuerit

fuerit vita pęnitentis; qui, & quamdiu perſtiterint mali ejuſdem habitus; quam proinde pęnitentiam, quæ remedia ei debeat præſcribere. Hinc autem mihi ſequi videtur, ſatis eſſe pęnitenti cuilibet, ut confuſam hujuſmodi ideam pariat in animo Confeſſarii, qui prorſus, puta ob brevitatem memoriæ, vel temporis diuturnitatem, factæ ſibi confeſsionis oblitus eſset: quod enim uno in caſu ſufficit, in alio ſufficere debet.

Quæres 8. num expediat ut Confeſsor, qui prima vice alicujus confeſsionem excipit, eique generalem confeſsionem neceſſariam eſſe videt, hanc ab initio proponat. R. negat. 1. quia id genus pœnitentes *non* poſſunt *portare modo* tale conſilium, ſed eo territantur, & aliquando a Tribunali plane recedunt. 2. Quia cum necdum ſatis peccatorum ſuorum gravitatem cognoſcant, parumque in melioris vitæ propoſito confirmati ſint, necdum etiam ad grave hujus confeſſionis onus diſpoſiti ſunt; 3. quia vereri eſt ne facta ſtatim generali hac confeſſione nihil non factum exiſtiment, adeoque de dilata ſibi abſolutione conquerantur, & animo primum, tum deinde propoſito deficiant. Satius itaque fuerit ut Confeſſarius idonea præſcribat remedia, quibus ejuſmodi pęnitentes a delictis in particulari confeſſione accuſatis revocentur. Ubi autem horum emendatio ſecuta fuerit, felicius per generalem exomologeſim inchoabitur vitæ totius emendatio. Unde, ait idem Director, ſi pęnitens proprio motu ad generalem confeſsionem admitti poſtulet, monendus erit non eſſe feſtinandum in re tanti momenti; ſed ante omnia incumbendum eſſe plenæ converſioni, extirpandis pravis habitibus, augendæ & firmandæ bonę voluntati quam Deus largiri dignatus eſt &c. Alioqui enim ſi primum generalis confeſsio injungatur, toti incumbent in ſedulum vitæ totius examen, vix autem ingement, orabunt, paſsiones ſuas crucifigent, confeſsionis donum enixe precabuntur. Hæc ille, quibus addi poſsit, plerumque fieri ut longum in præcipitis ac prolixæ confeſsionis auditione tempus perperam inſumat Confeſſor; quia qui primo ſeriam converſionem meditari videbantur, media via hærent. 880

Crediderim tamen aliter agendum eſſe, 1. cum ſermo eſt de perſonis jam pridem converſis, ſive his ob aliquem defectum neceſſaria judicetur confeſsio generalis, ſeu tantum utilis ad humilitatem &c. 2. Si percipiat Confeſsarius aliquem eo tantum a plena converſione deterreri, quod generalis confeſsionis intuitu perterreatur. At generatim plena ſenſus videtur regula citati Scriptoris, in quam, prout alicubi ſupra indicavi, non admodum propendebam, antequam fundamenta ipſius mature perpendiſsem. 881

Quæres 9. quid facto opus ſit ſi pœnitens neget ſe aliquod feciſse peccatum, quod Confeſsarius ab eo peractum eſse didicerit. R. vel Confeſſarius illud pœnitentis peccatum reſcivit per confeſsionem complicis, vel per rumorem incertum, vel via indubia, ut quia pęnitentem viderit in flagranti delicto.

Si 1. debet pęnitentem caute & ſolerter circa finitima quædam peccata, tum & poſtmodo circa peccatum illud interrogare. Si neget illud a ſe perpetratum, poſt aliquot interrogata adhortandus erit ad plenam & integram confeſsionem. Si negare pergat, & ſub aliquo prætextu differri poſsit abſolutio, hortandus erit ut a Deo per piiſsimam ejus matrem nitatur obtinere illius confeſsionis gratiam, quam uno ante mortem inſtanti perfeciſse velit. Si abſolutio differri nequit, aut poſt dilatam perſeveret eadem 882

quæ

quæ prius negatio, non poterit abſolutio denegari, quia non licet uti ſcientia per alterius confeſſionem parta: imo cavendum ne ſuſpicetur pœnitens factum ſuum ex confeſſione complicis Sacerdoti innotuiſſe. Ita Collator Andeg. Tom. 2. de pœnit. pag. mihi 101. & alii.

883 Quod ſi, ut aliquando eveniſſe didici, criminis ſocius, veritus ne ſoror, aliave quicum peccavit puella, ſuum illud ſcelus reticerent, Sacerdoti licentiam volens & non coacte fecerit confeſſione ſua utendi; tunc, meo quidem tenui judicio idem faciendum quod in tertio caſu de quo ſtatim; modo tamen nihil inde immineat incommodi, & plena fides haberi poſſit primo complici.

884 Si II. magis credendum eſt pœnitenti, quam publicis rumoribus, raro certis, ſœpe calumnioſis. Ita paſſim Doctores.

885 Si III. diviſi ſunt Theologi: Alii pœnitentem tunc abſolvi volunt, utpote cui tam pro ſe, quam contra ſe loquenti credendum ſit. Alii hunc negant abſolvendum eſſe, ut qui certo ſciatur in re gravi fallere. Et hæc potior nobis videtur opinio, cui adhærent reſolutiones paſtorales Diœceſis Genevenſis part. 4. tit. 3. cap. 1. Collat. Andeg. Tom. 2. de pœnit. 4. 3. menſis Maii in fine.

Quæres 10. an ſatius ſit ut pœnitens generalem confeſſionem inſtituat apud ordinarium ſuum Directorem, quam apud alium; numque generatim expediat mutare Confeſſarium.

886 R. 1. in genere curandum eſſe pœnitenti, ut ſi non omnium optimum, at ſaltem vere bonum, prudentem, & doctum Confeſſorem inquirat. Is autem tum ex propriis, tum ex eorum quos regit fructibus non ægre dignoſci poteſt. Neque negligenda in re tanti momenti oratio; præſertim quia quandoque qui plures ſancte regit, uni regendo impar eſt, eoquod ſtatum ejus non capiat. Quoti enim contemplationis, & ſimilium orationis viarum imperiti, id quod ignorant blaſphemant? Senſit id pluries B. Thereſia; pluries & redarguit Henricus Maria Boudon, Ebroicenſis Archidiaconus, cujus Opera, præcipue vero Tractatum de oratione, necnon & Librum de diverſis orationis ſtatibus ab Ill. Boſſueto editum, ab iis qui animas certo vel dubie ſublimes regunt, perlegi intersuerit; ne forte Angelum lucis in Angelum tenebrarum, aut econtra tranſvertant.

887 R. 2. eum qui ad Confeſsarium eo præciſe recurrit, quia, ut ajunt, largioris eſt manicæ, & pene omnes mira miſeraque facilitate abſolvit, peccare letaliter, & ad repetendas confeſſiones teneri; quia gravi Sacerdotis hujus peccato conſentit & cooperatur, uti poſt Filliucium docet Antonius pag. 339. Valet tamen confeſſio bona fide imperito Miniſtro facta,

Suarez. quia nihil deeſt ex parte pœnitentis; ſubeſt vero ex parte Sacerdoti aliqua eorum quæ ſibi aperta ſunt cognitio, quæ licet accurata non ſit, ſatis tamen eſt ut de exhibita ſibi materia judicet. Et vero ſi imperitus Sacerdos in articulo mortis abſolvat, valet abſolutio. Ergo & extra caſum hunc valet: cum neceſſitas validum non faciat id quod ex natura rei invalidum eſt.

888 R. 3. eum qui prudentem nactus eſt Confeſarium, eidem conſtanter adhærere debere. Qui enim pœnitentis indolem, mores, habitus, tentationes ſemel apprime novit, & conſilia multo ſalubriora impendet, & remedia magis idonea ſubminiſtrabit, quam qui nihil vel parum eundem

Babin. cognoſcet. In dubiis tamen & arduis caſibus licitum eſt alium a Confeſſario conſulere: nec enim omnia videt oculus omnis.

R. 4.

R. 4. Deficiendum incunctanter a Confeſſario, non modo qui errorem inſpirare nititur, aut ad pravum quid ſollicitat; ſed & qui nimius eſt noſtri aſsentator, qui corruptioni noſtræ blanditur &c. Quod ſi pęnitens voviſset ſe tali Confeſſario ſemper uſurum eſse, plerumque vituperio dignior foret quam laude: cum fieri tandem poſſit ut votum illud in præjudicium voventis cedat. Nec dubium quin multo plus rei ſint Directores, qui promiſsa hæc a pęnitentibus, puellis potiſſimum & feminis extorquent. Quin & inconſulta hæc vota pro irritis haberi voluit Mechlinienſe Concilium an. 1607. Cap. 7. ubi ſic: *Nemo aliquem ad perpetuo ſibi ſoli confitendum obliget, & ejuſmodi promiſſionem etiam juratam tanquam irrationabilem & indiſcretam hæc Synodus irritam eſſe declarat, & quatenus opus eſt irritat.* 889

Poteſt tamen identidem Confeſsor exigere ut pęnitens ad ſe per aliquod tempus redeat; ut cum ex generali aut apertiori ejus confeſſione intelligit, eum certis indigere conſiliis, aut certa ratione eſse dirigendum; aut, ſi ad alium recurrat, in ſcrupulis fovendum eſse &c. 890

R. 5. pęnitentem qui prima vice Confeſsarium adit, benigne ac leniter interrogandum eſse, cur ab ordinario ſuo Directore recedat, & ſi nihil alleget ſolidi, hortandum ut ad eum ſi nihil aliunde obſit, revertatur: *hortandum*, inquam, non tamen urgendum acriter; tum quia hæc communis eſt etiam timoratorum praxis; tum quia non raro contingit ut Deus unius magis quam alterius miniſterio faveat. Durius agendum cum illo devotarum grege, quæ omnes ſucceſſive Parochiæ vel Urbis Miniſtros decurrunt atque experiuntur, curioſitatis & levitatis animo, non utique ſtudio proficiendi. 891

R. 6. pęnitentes qui apud priorem Confeſsarium, ceteroqui non ineptum, generalem nuper exomologeſim fecerunt, cujus ob proximum relapſum, vel aliunde, ſuſpecta ſit ſinceritas, ad eum remittendos eſse ad aliquod tempus, ut nova abſolutione ſuppleant defectum præcedentis, alias enim, quod ſemper durum eſt & aliquando periculoſum, ad ejuſdem generalis confeſſionis iterationem tenerentur. Poſtmodum vero a novo Directore recipi poterunt, ſi id e bono ipſorum eſſe credat. Supponit deciſio hæc priorem Confeſſorem eſſe accuratum. Poteſt enim vir etiam accuratus abſolutionem, ſeu ſibi deinde, ſeu aliis ſuſpectam, aliquando largiri. Ecquis in hac materia nunquam decipiat aut decipiatur? 892

Quæres 11. an qui impoſitam ſibi generali in confeſſione pęnitentiam mutare cupit, confeſsionem hanc iterare teneatur, ſi ad eundem confeſsarium pro commutatione hac recurrere nolit aut non poſsit. R. caſum hunc a nobis expenſum fuiſse Tom. 5. in Appendice de obligationibus Confeſsariorum, ubi multa ad hanc Pęnitentiæ partem ſpectantia tetigimus, quæ relegi precamur, ut demum infinito huic Tractatui finem imponere liceat. 893

ARTICULUS VI.

An Sacerdos curam animarum non habens audire confeſſiones teneatur.

Duplex eſse poteſt hujuſce quæſtionis ſenſus; prior, an Sacerdos approbatus aliquando confeſsiones excipere teneatur; poſterior, an qui approbatus non eſt, aliquando approbationem inquirere debeat, ut audiendis confeſsionibus vacet: annon ei ſufficiat lenius aliquid, puta pręceptoris officium adimplere.

Quæ-

894 Quæſtio, ut liquet, non procedit de Parocho, aut ejus vicem gerente. Conſtat enim eos ad audiendas ſuorum confeſſiones teneri, non ſolum paſchali tempore, vel in articulo mortis; ſed etiam quoties Parochiani juſte & rationabiliter confiteri volunt. Si enim qui plebi præſunt in temporaneis, eidem non in extrema ſolum aut gravi neceſſitate providere debent, ſed etiam in communi; æquum eſt ut qui populis in ſpiritualibus præſunt, eidem in neceſſitate etiam communi, quæ moram ſæpe periculoſam habet, medeantur. Hinc promptam ſuis opem ferre debent Paſtores, niſi ad tempus, quod, quantum fieri poteſt, breve eſſe oportet, aliis negotiis detineantur. Sed & cavendum Parochianis ne Sacerdotem ſuum nimio divexent, ut eæ faciunt quæ ſingulis diebus per longum tempus auditi volunt, & eadem ſemper recantant. Lis igitur tota eſt de Presbytero nullam animarum curam ex officio habente. Hæc autem ut ſolvatur, ſupponendum ex dictis Tom. 5. ubi de Charitate, pag. 541. proximi neceſſitatem aliam eſſe extremam aut pene extremam, aliam gravem, aliam communem tantum. Jam

895 Dico 1. quilibet Sacerdos etiam mere delegatus, imo nec approbatus tenetur ex charitate, etiam cum vitæ periculo excipere confeſſionem hominis in extrema aut quaſi extrema neceſsitate conſtituti. Quiſque enim ſalutem propriam propriæ ſuæ temporali vitæ præferre tenetur; ergo & ſalutem proximi, quem ſicut ſemetipſum diligere tenetur. Et ita docet Auguſtinus Lib de mendacio Cap. 6. his verbis: *Temporalem plane vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere.*

896 At, inquies, nunquam in hac materia vere occurrit extrema neceſsitas;
quando quidem pœnitens in omni caſu per ſolam contritionem cum voto
897 confeſsionis ſalvari poſsit. R. 1. dictum eſſe a nobis in extrema vel quaſi
898 extrema neceſsitate, ut ei difficulrati occurreremus. R. 2. eum qui morti
proximus nihil uſquam audierit de remedio contritionis, nec unquam
cogitavit qua ratione habenda ſit contritio; adeoque qui nullum ſibi aliud
præter confeſsionem remedium ſuppetere exiſtimat, in extrema neceſsitate
conſtitutum eſſe, ut notat Lugo hic diſp. 22. n. 10. Idem eſt de eo
qui primaria quædam religionis Myſteria ignorat; aut qui nuper ab hæretico deceptus, niſi ab errore revocetur, ſine confeſsione moriturus ſit.

899 Dico 2. Tenetur etiam graviter Sacerdos cujuſcumque in gravi neceſſitate poſiti confeſsionem audire; idque etiam cum gravi aliquo damno temporali proprio. Ratio eſt, quia, uti diximus ubi de charitate pag. 547. exigit ordo charitatis, ut proximum magis deligamus in ſpiritualibus, quam noſmetipſos in temporaneis. Ad id autem neceſſe eſt ut ſpiritualem eamque gravem proximi neceſsitatem removeamus cum gravi damno temporali proprio.

900 An autem neceſsitati huic cum ipſius etiam vitæ periculo mederi oporteat, non convenit inter Theologos. Negant Navarrus, Coninch, & alii quorum opinionem probabiliorem exiſtimat Lugo ibid. n. 12. quia dum proximus ſe ipſum abſolute a periculo liberare poteſt, non ita meo indiget auxilio, ut ei cum tanto mei damno præſtem, quod ipſe ſibi minori cum expenſa præſtare poteſt. Affirmant ex adverſo Valentia, Suarez &c. quia *licet in rigore poſſit proximus per contritionem ſalvari, tamen magno morali periculo exponitur, quando ſine alio medio relinquitur.*

901 Mihi hæc ex circumſtantiis definienda videntur. Sane multos habet gradus
gravis

Digitized by Google

gravis neceſſitas; nec dubium quin majus ſubiri debeat periculum in gratiam hominis a Deo & proximo inſigniter averſi, quique palam in murmura & imprecationes erumpens, pene ipſum contritionis nomen ignorat, quam in gratiam alterius, qui magna ſemper, in ipſo etiam peccati ſtatu, religionis principia ſervavit animo; cuique pene ſufficiat, ſi Dei amorem & nomen Jeſu eminus inclames.

Ceterum ex communi ſententia tenetur ſub mortali vel ipſe privatus 902 Sacerdos, ſi alii deſint, etiam cum periculo vitæ, neceſſitati Communitatis, quæ v.g. peſte infecta ſit, opitulari. Tum quia communis id genus neceſſitas de ſe in pluribus graviſſimum eſt malum, quod privati alicujus vita merito redimitur; tum quia vix fieri poteſt, ut eadem neceſſitas reſpectu aliquorum non ſit extrema. Ita Lugo ib. n. 13.

Dico 3. etſi, ut notat Sylvius Suppl. q. 8. art. 5. in fine, aſſignari facile non poteſt quando delegatus Sacerdos ſub mortali confeſſiones excipere teneatur extra caſum gravis neceſſitatis; non tamen vacat a culpa vir peritus & prudens, qui ab eis abſtinet, cum aliud magna proximi utilitas exigit. Imo periculoſe aget, qui eas nuſquam audire velit, niſi æque aut magis utilibus incumbat. 903

Ratio primæ partis eſt, tum quia hujuſmodi Sacerdos non amat proximum, quantum debet, cum ex hypotheſi magnam ejus utilitatem negligat; tum quia commiſſum ſibi talentum fodit in terra; tum quia non ſatis pendit & obſervat id 1. Petri 4. *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*. 904

Ratio ſecundæ partis eſt, quia gravior eſt negligentia, quo gravior 905 eſt gratiæ nobis commiſſæ abuſus. Unde qui ſemper a ſpiritualis Tribunalis eleemoſyna abſtinet, ſe habet ut opum dives, qui nihil temporalis eleemoſynæ largitur pauperibus.

Haud tam facile judicandi ſunt viri pii, qui parum aut raro Tribunal 906 inviſunt. Alii enim ab eo abſtinent, ut caſtitati ſuæ conſulant; alii quia a natura puſillanimes timent ne quem humano metu abſolvant; alii quia ſcrupulis vexati animas torquent, nedum reficiant; alii quia mens ipſorum quoquo verſum facile vagatur &c.

Quod ſpectat ad alterum propoſitæ ab initio quæſtionis caput, an nempe jucundius aliquod officium, puta Præceptoris, eligere poſſit Sacerdos præ Confeſſoris officio.

R. 1. cum Giberto Tom. 2. Conſult. de pœnit. Conſult. 25. munus 907 Præceptoris non eſſe prohibitum Sacerdoti, licet multis ſit aut eſſe poſſit impendio periculoſum. 2. Fieri poſſe, ut qui adoleſcentem multis aliquando præfuturum, ad virtutem & æqui regulas informat, de Eccleſia inſignius mereatur, quam qui ruſtrium quorumdam confeſſiones excipit; præſertim cum aliquando poſſit Sacerdos ille alias Eccleſiaſtici Miniſterii partes implere, puta diffundere ſemen verbi, ſalubribus Catechiſmis vacare &c. 3. Aliam eſſe in præſenti caſu conditionem Sacerdotis, qui a Superiore ſuo ad Vicarii aut Confeſſoris officium vocatur; aliam ejus quem, cognitum licet, negligit Epiſcopus. Poſterior is non eſt culpandus, quia prætermittitur, ſed in id niti debet, ut oret in monte, dum fratres ſui in acie dimicant. Debet tamen aliquando ſeſe offerre Epiſcopo, præſertim ſi videt minus dignos aſſumi: cum his ſaltem in caſibus vir

etiam humilis dicere poſſit: *Ecce ego, mitte me*, ſi me miſſu indignum non judicas.

508 Potiſſima igitur quæſtio de iis eſt, qui quadantenus fugiunt, & blandiora inquirunt munia, ut minime vocentur. Hi autem non videntur a gravi excuſari poſſe, niſi ex circumſtantiis excuſentur, puta quia viri potentis præſidio indigent, ut grave a familia ſua detrimentum arceant. Ratio eſt quia Sacerdotium, quoddam eſt talentum in proximi gratiam a Deo conceſſum. Ergo qui talentum illud negligit, vereri debet ſortem ſervi inutilis, qui abiens fodit pecuniam Domini ſui. 2. Quia qui hoc in caſu Præceptoris officium officio Vicarii præponit, non aliis quam temporaneis rationibus movetur, puta majoris lucri, menſæ lautioris, blandioris commercii, quam quod cum ruſticis & agreſtibus haberi conſuevit &c. Porro qui his regitur motivis, dubio procul ex eorum numero eſt, qui in re gravi *ſua quærunt, non autem quæ ſunt Chriſti*. 3. Quia quiſquis Sacerdos inauguratur, obedientiam Prælato ſuo ſpondet. Abſit autem ut ſolemnis iſthæc promiſſio meræ inſtar ceremoniæ habeatur.

909 Sed quid ſi Sacerdos ad Sacrum Tribunal vocatus ſe tanto muneri imparem cognoſcat? R. vix quemquam ſua in cauſa, ſive in bonum, ſive in malum, tuto Judicem eſſe. Unde ex Anania quopiam, id eſt ex pio & docto Confeſſore ſciſcitandum quid nobis facto opus ſit. Quod ſi quis ſuæ ſibi imperitiæ conſcius, etiam ex Superioris mandato, ſedet in Tribunali, nihil dubium, quod & Filliucius docet, quin mortaliter delinquat. Atque ejuſdem peccati reus eſt, tum qui indoctum approbat aut approbari ſinit Superior, tum & qui eundem ſcienter eligit. Major porro requiritur pro certis locis ſcientia, quam pro aliis; major v. g. pro civitate mercatoria vel aulica, quam pro pago; major pro audiendis viris forenſibus, & aliis qui caſus habent implicatos, quam pro feminis, pueris &c. Hinc qui omnes audire parati ſunt, ut Pœnitentiarii, urbium Rectores aut Vicarii, majore quam alii ſcientia pollere debent; ut bene Antonius.

910 Etſi autem nec poſſibile eſt, neque neceſſarium, ut eadem ſit omnium ſcientia, conſtat tamen ex dictis Tom. 3. in Append. de oblig. Confeſſ. mediocrem illam ſcientiam, qua ut minimum indigent vulgares Confeſſarii, latius patere, quam plures exiſtiment, prout liquet ex cit. ibid. S. Caroli text. Falluntur autem 1. qui hujuſmodi ſcientiam ſibi ſemper ineſſe credunt, quia illam olim comparaverint. Profecto innumera ſunt, quæ niſi ſæpe revolvantur, ſic excidunt animo, nulla ut eorum ſuperſit memoria. Hinc dictitabat olim vir pius æque & doctus, curandum ut ſemel quotannis relegantur Tract. de juſtitia & jure, de contractibus, de Matrimonii impedimentis, imo de irregularitatibus & ſimonia, ab iis qui Clericos plures dirigunt. 2. Et ii etiam decipiuntur, qui in nonnullis, ut vocant, Pœnitentiæ praxibus, aut Inſtructionibus Confeſſariorum, totam qua indigent ſcientiam expiſcari credunt. Valent hujuſmodi Opuſcula, ut aliquam eorum quæ olim didicimus, ideam refricent; at eo præcipue vitio laborant, quod cum multa dicere velint, & nihil probent, dubia ſæpiſſime exhibeant pro certis, & non raro falſa pro veris. Et id quidem, ſi dederit Deus, vel uno Libri alicujus, qui manibus omnium teritur, exemplo probabimus; in quo nonnulla id genus occurrunt.

C A-

Digitized by Google

CAPUT NONUM.

De Sigillo Confeſſionis.

Sigillum ſic dictum a ſimilitudine ſigilli epiſtolaris, quo litteræ obſignantur, ne cuipiam innoteſcant quæ in iis contenta ſunt, definitur Religioſa obligatio ſervandi ſecretum circa ea quæ per confeſſionem Sacramentalem, vel occaſione ejus quocumque modo cognita ſunt. Singulas hujus definitionis partes vindicabimus in articuli decurſu. Quod ut fiat, videndum 1. an & quo jure teneatur Confeſſarius ad ſigillum &c. 2. Qua ex confeſſione oriatur vinculum ſigilli; 3. an ſolus Sacerdos ad illud teneatur; 4. quotuplici modo violetur ſigillum; 5. an Sacerdos ſcientia per confeſſionem parta uti poſſit. 6. Quæ ſigilli violatoribus immineant pœnæ.

SECTIO PRIMA.

Quo jure & qualiter teneatur Confeſſarius ad Sigillum.

Sigilli legem a veteribus hæreticis intactam, velut impiam ſugillare 1
niſus eſt Joannes Deniſon, in impio quem ea de re ſcripſit Libro occaſione Anglicanæ conſpirationis ſub Jacobo 1. Eandem ex parte imminuit Eraſmus, cum aſſeruit *jam caſus eſſe quoſdam exceptos, in quibus fas eſt prodere confitentem*. Quod ultimum antequam expendamus, ſit pro præſenti.

Conclusio I. Confeſſarius ad Sigillum tenetur jure naturali, divino & Eccleſiaſtico.

Prob. 1. pars. Ad id jure naturali tenetur Confeſſarius, quod violare 2
non poteſt ſine gravi charitatis, juſtitiæ, veracitatis & ſalutis alienæ præjudicio. Atqui Sacerdos confeſſionis ſecretum prodere nequit, 1. ſine gravi præjudicio charitatis. Vetat enim charitas ne quod nobis fieri nolimus, faciamus alteri. Atqui nemo peccata ſua, cuipiam ad conſilium & medelam expoſita, ab eo palam diffundi velit. 2. Nec illud violare poteſt ſine præjudicio juſtitiæ. Exigit enim juſtitia ut datam fidem intemerate ſervemus. Atqui ſecreti fidem ad minus tacite ſpondet, qui confeſſionem alterius excipit; nec quiſquam eſt qui ſua etiam leviora peccata aperiat Directori, niſi hac lege ut æterno premantur ſilentio. Ergo in hac præſertim materia viget tum iſtud Prov. 11. *Qui fidelis eſt, celat amici commiſſum;* tum duo hæc Eccli. 24. v. 17. & 14. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit. Denudare amici myſteria deſperatio eſt animæ infelicis;* tum & illud Petri Bleſenſis Lib. de amicitia Cap. 12. *Secreti revelatio execrabilis eſt*. 3. Neque idem ſecretum detegere poteſt ſine præjudicio veritatis. Cum revelando detegat ut homo, quæ juxta D. Th. Sup. q. 11. art. 1. ad 2. non ſcit ut homo, *ſed ut Deus*, ſeu ut vices Dei gerens. 4. Nec idem poteſt ſine gravi alienæ ſalutis præjudicio. Conſtat enim omiſſionem confeſſionis grave pleriſque fidelibus præjudicium illaturam eſſe. Atqui non minus conſtat ſigilli proditionem in cauſa fore, cur multi, niſi omnes, a confeſſione deterrerentur. Ecquis quæ vel uni tam ægre panduntur, pluribus aperiri ferat? Imo quis ad confeſſionem

teneatur, cum imminet periculum ne peccata ſua paſſim revelentur ? *Memini*, ait Lugo diſp. 23. n. 4. *me legiſſe, quod apud Abiſſinos vel Æthyopes hoc Sacramentum fere abiit in deſuetudinem propter malitiam Sacerdotum, qui ſigillum religioſe non obſervabant*.

3 Prob. 2. pars. Quod oritur ex ipſa Sacramenti inſtitutione, ejuſdem eſt juris ac ipſum Sacramentum, proinde divini. Atqui ſigilli obligatio ex ipſa Sacramenti inſtitutione oritur. Utique enim Chriſtus confeſſionem inſtituendo, voluit efficaciter eam frequentari. Atqui ut finem hunc conſequeretur, imperare debuit ſigillum. Ecquis vero amplexus fuiſſet Religionem, in qua pœnitens non modo intima quæque ſua referare teneretur, ſed & ex eorum revelatione ludibria, infamiam, & ipſam quandoque mortem incurreret. Ergo æquum fuit ut ſtrictum ſecreti omnimodi præceptum imponeret. *Omnimodi*, inquam, quia ſi quædam forte excepiſset peccata, ſeu levia ſeu magna, ſeu proximo noxia, ſeu non, brevi futurum fuiſset, ut inquieti homines, ſubtilitatumve amatores, ex epicheia plerumque futili, aut paritate rationis, plura alia exciperent. Unde Sacramentum hoc odioſum primo, tum deinceps inutile fidelibus efficeretur. Atque hinc S. Leo Epiſt. 136. noſtram hanc ſecreti legem vocat *Apoſtolicam regulam*, ſeu, ut loquitur Hincmarus in Opere de divortio Lotharii, *Spiritus ſancti oraculum*.

4 Prob. 3 pars ex gravibus pœnis, quas ſacri Canones violatoribus ſigilli decreverunt. *Sacerdos*, ait Gregorius Papa, diſt. 6. De pœnit. cap. 2. *ante omnia caveat, ne de iis qui ei confitentur, peccata alicui recitet: non propinquis, non extraneis: neque, quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat* Concinit Concilium Lateranenſe IV. niſi quod peregrinationis perpetuæ pœnam commutat in arctioris Monaſterii pœnitentiam. *Caveat omnino Sacerdos*, ait Innocentius III. in famoſo Canone: *Omnis utriuſque ſexus &c. ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum Sacerdotali Officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum. Gravius enim peccat Sacerdos, qui peccatum revelat, quam homo qui committit*, ait idem Innocentius III. Serm. 3. de conſecr. Pontif. Hinc mori maluit, quam ad impii Wenceslai preces & minas, Imperatricis confeſſionem revelare S. Joannes Nepomucenus: adeoque, ut alia Religionis dogmata, ſuos habuit Martyres ſecretum confeſſionis. Qui longam ea de re Traditionem volet, conſulat Tractatum Hiſtorico dogmaticum Lengleti du Freſnoi.

An. 1383.

5 Confirm. quia tanta fidelium animis inſidet ſigilli reverentia, ut Judices homicidam ex ſola ſua confeſſione detectum abſolvant, Confeſſarium vero proditorem ejus plectant morte; prout Toloſæ an. 1571. contigiſſe dicitur. Quin & Conſtantinopoli primarius Sultani Miniſter Armenum Sacerdotem, quia factæ ſibi confeſſionis revelatorem, vivum comburi juſſit, *donec* inquit proditorem alloquens, *in inferis, ubi tuus tibi locus conſtitutus eſt, in æternum comburaris*. Atqui tanta hæc in ſecretum obſervantia non aliunde oriri poteſt, quam quod ubique gentium perſuaſum ſit le-

Digitized by Google

ſit legem ſecreti legibus omnibus ſuperiorem eſſe. Atque hinc licet ſumma ſit hominis loquacitas, licet e Sacerdotibus alii ad Calvini partes averſi confeſſionem pro ſectæ genio exhorreant; alii mente alienentur, vix ulla uſpiam revelatæ confeſſionis apparent exempla.

Merito igitur Concilium Senonenſe an. 1524. *Obligantur*, inquit, *Sacerdotes omnes & ſinguli triplici jure, videlicet naturali, divino & humano celare peccata quæcumque revelata & dicta in confeſſione ſacramentali, quæ tanto & tali debet claudi ſigillo ſecreti, ut nullo caſu, nec verbo nec ſigno aliqualiter reveletur, aut revelari exiſtimetur. Peccat enim graviter* 1. *contra jus naturale* ∴ *quia revelando tale peccatum, diffamat proximum, & facit proximo, quod ſibi non vellet fieri.* 2. *Peccat contra jus divinum, quia eodem jure prohibetur revelatio confeſſionis, quo jure præcipitur ipſa confeſſio, quæ eſt de jure divino a Chriſto inſtituta: & ſi liceret in aliquo caſu Sacerdoti revelare peccatum ſibi dictum in confeſſione, enervaretur præceptum divinum de confeſſione facienda, quia nemo eſſet qui vellet ſuum peccatum occultum propriæ famæ denigrativum Sacerdoti detegere* ∴ *Peccat etiam contra præceptum Eccleſiæ, ut habetur in Concilio Lateranenſi* ∴ *Can.* Omnis utriuſque ſexus &c. 6 *Bochel Lib.* 2. *Decr. Eccl. Gall. p.* 241.

7 Obj. 1. Si ſigillum naturali jure præſcriptum ſit, ne ipſa quidem Eccleſia relaxationem ejus permittere poteſt. Atqui permiſit olim. Quæ enim voluit ut certorum criminum rei certis ſubjacerent pœnitentiæ publicæ legibus, eo ipſo ſecreti legem remiſit: cum ex gradu pœnæ dignoſci poſſet peccatum. Atqui Eccleſia voluit ∴ Nec dicas id nunquam factum invito ac diſſentiente reo. Quid enim intereſt, an Confeſſarius meum ipſe crimen pandat, an me ad manifeſtationem ejus, negata alioqui abſolutione, obliget?

8 Confirm. ex Decreto Concilii Tolet. XI. ubi Patres ſordidum Potamii delictum per ejus *Confeſſorem* agnoviſſe dicuntur.

9 R. ad 1. neg. min. quia Eccleſia nuſquam exegit ut occulta peccata pœnitentiæ publicæ ſubjacerent; licet ad id quandoque potuerit hortari, ſicut nunc hortari poteſt Confeſſarius, ut pœnitens; quo Deo faciat ſatis, auſterum Trappæ inſtitutum amplectatur. Addunt aliqui pœnitentiam publicam, vel ſaltem ultimum ejus gradum ſic potuiſſe decurri, ut nulla hinc immineret pœnitenti infamia, nullum proinde revelationis periculum.

10 Ad confirm. dico cum Sylvio in textu Concilii legendum eſſe *confeſſionem*, non confeſſorem: unde Potamii crimen per ipſam ejus confeſſionem, non aliunde, cognitum eſt.

11 Obj. 2. non potuit Chriſtus ita ſigilli legem inſtituere, ut hæc & pœnitentis & ipſius multitudinis ſaluti contraria foret, imo & reverentiæ Sacramenti. Atqui arcta illa ſilentii lex quam ſancimus, 1. pœnitentis ſaluti adverſa foret; cum filius quandoque nonniſi a patre efficaciter corripi valeat. 2. Et ſaluti multitudinis; ut ſi Provincia tota ferro & flammis devaſtanda ſit, niſi venialis culpa, puta ejus qui ex levitate Epiſtolam reſignavit, Magiſtratibus aperiatur. 3. Et Sacramenti reverentiæ; ut ſi ea quam ex fratris confeſſione graviter ream cognoſcis, Sacramento abuſura ſit, niſi ſignifices te crimen ejus compertum habere. Ergo.

12 R. 1. nullum factum metaphyſicis ſubtilitatibus convelli. Porro ſancitam eſſe a Chriſto ſigilli legem conſtat ex dictis, & ex tota Traditione. Et vero per hujuſmodi argumentationes ipſius etiam Providentiæ exiſtentia labefactabitur. Quæret aliquis an vere providus ſit, qui tot natio-

Digitized by Google

nationes olim & etiamnum in ignorantiæ tenebris dimittit; qui dat Eccleſiæ ſuæ Miniſtros, per quos quandoque nomen ejus in gentibus blaſphematur; qui virtutem pedibus conculcari ſinit, dum vitium ſolio ſublimi ſedet &c.

13 R. 2. diſt. maj. non potuit Chriſtus ∴ niſi bonum longe majus eam ſic inſtitui exigeret, C. ſecus N. porro cuſtodia Sacramenti, quod ſine inviolata ſigilli lege ſtare non poteſt, bonum eſt longe majus in Chriſtiana Republica, quam facinoroſi, ejuſve complicis emendatio, ceteroqui plurimum incerta; imo quam Provinciæ totius conſervatio. His adde quod qui unam fracto ſigillo Provinciam conſervaret, eo ipſo perdere poſſet innumeras; quia nemo jam iniqua quæ animo meditaretur conſilia reſeraret Sacerdoti, ſi hæc ab ipſo revelari poſſe ſuſpicaretur. Quoti autem per Confeſſarium ab iniqua machinatione retrahuntur?

14 Inſt. quiſque legitime præſumitur jure ſuo cedere, cum id nullo ferme incommodo poteſt, & cedendo bonum parit maximum. Sed nullum ferme incommodum ſibit is cujus venialem culpam revelas, & tamen fieri poteſt ut hac revelatione impediatur mors innocentis, vel totius Regni ſtrages. Ergo

15 R. neg. maj. quæ in omni materia fallit (neque enim ut pauperi communem tantum aut gravem neceſſitatem patienti ſuccurras, alienum ex præſumpta Domini ceſſione rapere potes) & potiſſimum fallit in præſenti materia; ubi vetat Eccleſia ne quis unquam ex præſumpta pœnitentis voluntate revelet. Imo nec ſinit Eccleſia ut reveles, cum pœnitens qui ſub damnationis pœna jure ſuo cedere debet, cedere recuſat; aut dubium eſt an vere cedat. Quin etſi ſigillum certis in caſibus non obligaret jure naturali, quia tamen obligare jure divino, nuſquam ex ipſius etiam Eccleſiæ licentia relaxari poſſet; quia jus divinum nonniſi ex certa Dei conceſſione relaxari poteſt: Atqui nullibi vel in Scriptura vel in Traditione legimus factam fuiſſe Eccleſiæ hujuſmodi conceſſionem: nec certe, attento Sacramenti fine, decebat eam fieri.

16 Obj. 3. Lex naturalis obligat ad ſervandum ſecretum. Atqui tamen aliquando illud revelare tenemur; licet hinc fiat ut homines timidius ſecreta ſua committant. Ergo ſtando in ſolo jure naturali poſſet confeſſio a Sacerdote revelari.

17 R. neg. conſ. ideo enim aliquando frangi poteſt ſecretum naturale; quia bonum publicum vel jus innocentis, cujus ad defenſionem revelatur ſecretum, præponderat juri quod quis ad fidem ſibi promiſſum habebat. At vero nullum eſt bonum quod præponderet Sacramento Pœnitentiæ, infallibiliter ſubvertendo, ſi ſigillum violare liceret. Non ergo potiſſime ſervatur ſigillum, quia alioqui pœnitens privatur jure quod habet ad ſecretum; ſed quia is jure hoc ſuo privari non poteſt quin Eccleſia Sacramento ſemper utili, & ſæpe neceſſario privetur.

Conclusio II. Lex ſigilli in quacumque materia obligat ſub mortali.

18 Prob. quia venialis culpæ revelatio, licet gravem pœnitenti infamiam non inurat, adeoque poſſit tantum eſſe venialis culpa contra juſtitiam & fidelitatem, gravem ſemper in Sacramentum irreverentiam invehit; & ideo ſemper mortalis eſt in ratione ſacrilegii; cum ad minus homines a ſancta & admodum utili venialium confeſſione retrahat; imo & mor-

talium; cum pœnitentes multi venialia habeant pro mortalibus, & aliquando malit, miles v.g. grave ſuum revelari, puta duellum; quam veniale aliquod, puta invidiam in commilitonem; ac demum non raro Confeſſarii mortalia habeant pro venialibus. Sola igitur in præſens excuſare poteſt inadvertentia, ut cum quis quæ audivit, vidiſſe ratus, aliis renuntiat. Verum, ſi uſquam, at certe cum de pœnitentium defectibus agitur, vigili opus eſt attentione; nec abs re fuerit hos cum Propheta fari: *Pone, Domine; cuſtodiam ori meo &c.*

19 Putant quidem aliqui cum Ledeſma, revelationem culpæ venialis tunc ſolum eſſe mortalem, cum Sacerdos fatetur ſe eam in tribunali comperiſſe. *Verum*, inquit, ibid. Sylvius, *cum gravitas hic non naſcatur ex ſcandalo, ſed ex natura Sacramenti, contrarium eſt tenendum.*

20 Atque hinc colliges cum Navarro in Man. c. 8. n. 13. Lugo ibid. n. 72. Sylvio p. 72. Parochos vel Confeſſarios, qui ſimul plures audiunt pueros doli capaces, aut de quibus dubium ſit an doli capaces ſint, gravis Sacrilegii reos eſſe, 1. quia Sacramento utuntur ad riſum. 2. Quia pueros illos morali exponunt periculo peccata ſociorum revelandi. 3. Quia Canon. *Omnis utriuſque ſexus*, præcipit ut *ſolus ſoli* confiteatur. Atque hinc conſuetudo illa, quam olim vidi in uſu, a gravioribus Miniſtris ſevere condemnata eſt; eamque jam ubique obſoleviſſe arbitror.

21 Hic duo notanda, 1. ad ſigillum pertinere id etiam quod ſtatim ab abſolutione dicitur velut præcedentium appendix: quandoquidem & iſtud ad idem judicium moraliter ſpectet, & aperiatur Miniſtro qua tali. Aliud erit ſi materia ſit ordinis prorſus diverſi, taliſque ut materialiter dicatur in Tribunali; adeo ut nullatenus ad novam abſolutionem dirigatur. Quandoque tamen ſatius eſt ut qui rem memorat, ſupprimat circumſtantiam Tribunalis; ne qua ridiculi labem aſpergat pœnitenti, qui v.g. ad epulas, vel ad ludum finita confeſſione invitaverit.

22 2. Sigilli legem extendi non ſolum ad gravia vel venialia quæcumque, ſed & ad eorum etiam objecta, circumſtantias, expoſitiva quædam, ac demum ad ea quæ pœnitentem aut alium etiam indirecte infamarent. Ratio eſt quia nihil horum revelari poteſt quin confeſſio inde vel pœnitenti vel alii reddatur oneroſa.

23 Dixi 1. *gravia, vel venialia quæcumque:* quia non licet ullum pœnitentis grave vel leve delictum in ſpecie revelare, puta quod is vel illa mendacium officioſum confeſſi ſint. Imo ne in genere quidem veniale peccatum revelari velim. Unde non placet a Confeſſario dici, quod permittit Henno hic pag. 325. *Joannes veniale, vel venialia quædam depoſuit:* ſunt enim timorati vel ſcrupuloſi, qui meras imperfectiones aut tentationes ſerio & flebiliter confitentur. Sunt & quos vulgus ab omni etiam veniali peccato immunes, ſaltem ad aliquod tempus, exiſtimat. His porro ex indiſcreta illa Confeſſarii locutione nonnihil famæ deperiret. Ab iis ergo abſtinendum. Imo nec revelanda, ut bene Lugo diſp. 23. n. 59. quæ quis falſo credidit eſſe peccata, cum non eſſent. Multo magis cavendum ne dicatur aliquem plura, aut gravia intra lineam venialis, peccata depoſuiſſe. Neque hic omittendum eſt, ipſum etiam peccandi propoſitum, quin & tentationes quæ ad peccatum excitant, caute reticeri debere. Sane quæ adverſus pudicitiam crebro tentatur virgo ſapiens, ægre feret, id propalari.

24 Dixi 2. *circumſtantias*: Reticendæ enim ſunt auditi in confeſſione peccati circumſtantiæ omnes, non modo quæ ſpeciem mutant, aut aggravant, ſed eæ etiam quæ peccatum inſigniter minuunt. Unde non licet dicere Petrum a Mævio quidem occiſum fuiſſe, ſed inculpabiliter ebrio. Sic enim revelas Mævium eſſe homicidam; tibi autem hac in parte facilius habebitur fides, quam in inculpabili ejus ebrietate, quæ ad excuſationem ejus ficta cenſebitur.

25 Dixi 3. *& peccatorum objecta*. Unde ſi Joannes confeſſus ſit ſe de Parocho detraxiſſe, quia avaro; uxorem percuſſiſſe quia turpiter inventam; non detractio tantum aut percuſſio, ſed & utriuſque objectum manent ſub ſigillo. Idem eſt, ait ib. Lugo n. 52. ſiquis confiteatur, ſe ab uxore caſtitatis votum habente exegiſſe debitum. Tunc enim citra ſigilli violationem dici non poteſt quod illa caſtitatis votum habeat. Aliter dicendum, ait idem Cardinalis, ſi pœnitens objectum illud omnibus notum eſſe ſupponat; ut cum dicit: *Accuſo me quod gaviſus ſim de homicidio heſterno*, vel *de rixa heri in foro facta*. Nec enim refert quod Sacerdos hæc per accidens ignoraret, cum publica eſſent. Verum deciſio hæc non omnibus probatur, qui proinde ſtatuunt Confeſſarium de nulla re loqui poſſe ut per confeſſionem cognita, (niſi ex pœnitentis licentia, quam in hujuſmodi occaſione a viro gravi petitam eſſe ſcio). Unde & eos improbant, qui dicunt ſuas & aliorum Confeſſariorum aures perpetuis contra hoc aut illud ſcandalum oblocutionibus vexari. Ut eſt, auro contra æſtimari debet hæc Concinæ Regula, p. 739. CONFESSARIUM NUNQUAM SILENTII, SÆPE SERMONIS POENITEBIT.

26 Dixi 4. *& expoſitiva quædam peccatorum*, non tamen omnia. Quod ut intelligatur, notandum eſt ex iis quæ pœnitens ad peccati ſui explicationem commemorat, quædam eſſe quæ ita declarat Confeſſori, ut alii cuilibet pariter declararet, puta quod ſit conjugatus, quod Gubernator, quod artifex &c. Quædam vero quæ declarat coactus, & quia non aliter peccatum ſuum explicare poteſt; puta quod etſi ſpurius ſacros Ordines ſuſceperit, aut ſuſcipere voluerit; Quædam demum quæ non declarat, ſed quæ ex confeſſionis ejus modo innoteſcunt; & ex his etiam alia nonnihil pœnitenti nocent, ut quod ſcrupuloſus ſit, animi arrogantis & moroſi: alia in ejus laudem cedunt, ut quod ſcite loquatur, quod religionem ſuam inſtar Theologi calleat &c. Itaque ſub ſigillum cadunt quæcumque pœnitenti nocere poſſent etiam ex ſola hominum malignitate, ut quod a natura eunuchus ſit, ſpurius, irregularis ex defectu, pauper, ære alieno gravatus &c. Item quod ſit religionis principiorum inſcius, quod in arte ſua rudis, quod civili quopiam aut morali defectu laboret; quod ſcrupuloſus, arrogans, tractari difficilis, quod næniis tempus terat, quod caput & aures Confeſſarii minutiis ſuis obtundat; quod eum, cum arguitur, dicteriis impetat. Hæc quidem Navarrus & Lugo n. 60. negant eſſe ſigilli materiam, quia non audiuntur a Confeſſario, ſed videntur. Verum quis neget confeſſionem ex hujuſmodi revelatione odioſam fieri, multumque hinc infamari pœnitentem occaſione Sacramenti. Cetera vero quæ licet ad confeſſionem præambula, eidem plane extranea ſunt, & per accidens in loco neſciuntur, *non videntur committi ſub ſigillo*. Un- *Lugo n. 57.*
de non peccat, qui dicit ſe hodie audiiſſe Provinciæ Gubernatorem, domi-

dominum hujus caſtelli &c. niſi forte hinc conjici poſſit eos quâ tales deliquiſſe; puta quia uterque dignitatem ſuam celare conſuevit &c.

Dixi 5. *& ea quæ pœnitentem infamarent*; qualia ſunt, non modo quod puella uterum gerat, quod adoleſcens ficta nobilitate glorietur, quod is vel ille a Judæis oriundus ſit; ſed etiam quæ attenta ſeculi nequitia, ludibrio exponunt, ut quod pœnitens revelationes habeat, quod Angeli colloquio fruatur &c. Etſi enim negant plures quos ſequitur Lugo n. 58. hæc ſigilli materiam eſse, melius tamen & ſecurius premuntur ſilentio; tum quia horum revelatio gravem pœnitenti moleſtiam, deſpectum etiam a plebecula, & apud viros graves ſuſpicionem movere poteſt, quod & ipſe vidi; tum quia hæc pœnitenti ſuperbiæ & caſus occaſio eſse poſſunt. Quæ vero in argumentum mali adverſus pœnitentem trahi nequeunt, ut balbuties ejus & ſurditas, quæ a quolibet adverti poſsunt, non cadunt per ſe ſub ſigillum. *Per ſe*, inquam, quia quandoque ex modo loquendi colligi poſset pœnitentem vel multa vel gravia commiſiſse. 27

Dixi 6. vel *quæ alium a pœnitente infamarent*, etſi forte cederent in honorem pœnitentis. Hinc nec complicem ſceleris, nec inutiles proci ad labefactandam virginis pudicitiam conatus recenſere potes; quia hinc ad minus fiet ut aliqui a confeſſione retrahantur. Imo fieri poterit, ut quæ te ſenſit revelatorem in hoc caſu, jam novas quæ ſibi ſtruuntur inſidias aperire non auſit, & ſapientibus deſtituta conſiliis non eadem qua prius virtute renitatur. 28

Dixi 7. *quæ alium infamarent etiam indirecte*. Hinc arguendi veniunt, qui ſic laudant ſanctitatem unius, vel ejus conſcientiæ munditiam, ut inde colligi poſſit alios non æque ſanctos eſſe, aut eſſe peccatores. 29

Hac occaſione quæritur an tutum ſit de quibuſdam valde piis dicere, vix ac ne vix quidem in eorum confeſſionibus occurrere materiam abſolutionis; eoſdem ad obitum uſque ſedulos fuiſſe virginitatis ſuæ cuſtodes &c. 30

R. meum non eſse hanc carpere agendi rationem, quæ a gravibus viris quoad viros gravem identidem obſervata fuit. Sic enim virginitatis aut ſummæ innocentiæ teſtimonium a Confeſsariis ſuis habuere SS. Thomas, Pius V. Ludovicus de Gonzaga, Vincentius a Paulo, quibus addi poſſint Alanus de Solminiac Cadurcenſis, Antiſtes, Henricus Boudon Ebroicenſis Archidiaconus &c. Mihi tamen multo æquius videatur ab his laudibus temperare, ſeu dum vivunt viri pii de quibus ſermo eſt, ſeu dum ſupremam diem obiere. Dum vivunt quidem, quia ſcriptum eſt neminem ante mortem facile laudandum eſse. Sed nec poſtquam defuncti ſunt, 1. quia encomia hæc jus certum conſtituere non poſsunt; 2. quia dum unus laudatur præ ceteris, tacita quædam in mente exurgit comparatio ejus cum aliis, qui eodem uti Confeſsario dignoſcuntur. 3. Qui mirabilia de uno loquitur, circa alium forte hypocritam indiſcrete interrogari poteſt; inde autem ambages. Atque ita ſentientes vidi Epiſcopum & alios quoſdam. Idipſum docet Lengletus cit. Tract. pag. 275. Scio quidem hæc non improbabiliter ſolvi poſse: ſed ad quid ſolutiones, quæ raro omnibus placent, cum tota difficultas uno ſilentio removeri poteſt? 31

CONCLUSIO III. Lex ſigilli non minus quoad mortuos confeſsarium ligat, quam quoad viventes.

Prob. 1. quia æternum pro utroque ſtatu ſilentium promiſit Sacerdos; 2. 32

quia

quia ſi ſcirent fideles futurum ut poſt mortem ſuam revelaretur ſua turpitudo; nemo unus vivens confiteretur. Inde autem plena Sacramenti ſubverſio.

33 Hinc ſequitur eum qui ex ſola confeſſione didicit puellam eſſe gravidam, non poſſe ſine conſenſu ejus ipſa defuncta aperire, ut per Baptiſmum æternæ prolis ſaluti conſulatur. Ei tamen, niſi hoc moribunda vel a te declarari permittat, vel, quod multo melius fuerit, alii extra confeſſionem declaret, abſolutionem impendere non poteris, ut quæ temporale famæ ſuæ bonum æterno infantis bono anteponat.

34 Sed quid ſi imminente morte puella hæc Confeſſarium revocari juſſiſſet; & is eam reperiſſet omni ſenſu deſtitutam; an non præſumere poſſet eam meliores induiſſe ſenſus, ac demum conſenſiſſe ut prægnatio ſua chirurgo ſaltem aperiretur. R. negat. neque enim in re tanti momenti ſufficit licentia præſumpta, ſed requiritur expreſſa, non concedenda, ſed conceſſa. Ei tamen impendenda foret abſolutio; quia ad hanc ſufficit aliqua contritionis præſumptio. Ita Sylvius Reſol. var. Quod de puella bonæ famæ, idem dic de ea quæ ad ſuſpendium damnata eſt: neque enim ſtatum ejus vel uni Judici aperire licet, ut æternæ infantis ſaluti provideatur.

SECTIO SECUNDA.

An ex omni confeſſione oriatur vinculum ſigilli.

35 Confeſſio quæ ad unum duntaxat obtinendæ peccatorum remiſſionis finem ex Chriſti inſtitutione fieri debet; ad plures alios ex hominis nequitia dirigi poteſt; puta ad illudendum Sacramento, ad decipiendum, ſubornandum, tentandum aut irridendum Confeſſorem. Prima confeſſio ſacramentalis eſt, ſeu pœnitens hic & nunc abſolutione dignus ſit, ſeu ad eam ſe diſponere intendat. Secunda non tam confeſſio eſt, quam confeſſionis abuſus. His poſitis, ſit

Conclusio: obligatio ſigilli oritur ex omni & ſola confeſſione ſacramentali facta apud Sacerdotem verum vel exiſtimatum, animo obtinendæ aliquando abſolutionis. Poteſt tamen ex confeſſione etiam non ſacramentali naſci quædam vel ſecreti naturalis obligatio, vel alia æquivalens.

36 Prob. 1. pars: Sigilli lex ei tantum confeſſioni alligata eſt, cui hanc Chriſtus annectere voluit; Atqui hanc ſoli duntaxat confeſſioni ſacramentali annectere voluit; quia hanc ſolam in æternum ſubſiſtere voluit.

Prob. 2. pars, quia exigit lex naturalis ut ſecreto premantur, quæ vix ſine gravi multitudinis offenſione revelari poſſent. Porro quædam ſunt quæ licet mala tantum fide in confeſſione aperta, vix revelari poſſint &c. Verum hæc ex ſingularum Concluſionis partium expoſitione facilius innoteſcent. Itaque.

37 Dixi 1. *ex omni & ſola confeſſione ſacramentali*; tum quia hanc ſolam firmiter munire voluit Chriſtus, ut modo dicebam; tum quia ſigilli lex ſe habet ut proprietas confeſſionis: proprietas autem omni & ſoli competere debet.

38 Dixi 2. *facta apud Sacerdotem*; quia ex confeſſione apud laicum aut infe-

inferiorem Clericum peractâ, etiam in caſu neceſſitatis, uti D. Thomæ ævo non infrequenter eveniebat, oritur quidem graviſſima ſecreti naturalis obligatio, ſed non vinculum ſigilli; niſi eo fieret animo ut Sacerdoti ſuperventuro aperiretur; quia audiens tunc indueret rationem interpretis, de quo infra.

Dixi 3. *verum vel exiſtimatum*. Unde, ait Henricus a S. Ignat. n. 2864. 39
ſiquis accedat ad pedes ejus quem bona fide ſed falſo credit Sacerdotem eſſe, vel approbatum; confeſſio hæc, utpote in intentione ſacramentalis, ſigillum pariet. An idem dicendum ſit de confeſſione Diacono vel Laico facta, ſi pœnitens ſincere credat ſe ab iis in abſentia Sacerdotis abſolvi poſſe, non convenit inter Theologos. Negant Suarez, Vaſquez & Lugo diſp. 23. n. 42. quia tunc pœnitens non apprehendit veram abſolutionem a Chriſto inſtitutam, ſed aliam quam ſibi ex errore juris fingit. Unde ſicut non teneretur ad ſigillum, qui alicujus confeſſionem coram imagine Crucifixi factam, & a pœnitente habitam pro ſacramentali auſcultaret: ſic nec in propoſito caſu: Hæc illi: ſed quidquid ſit, ad minimum hic admittenda eſt graviſſima ſecreti naturalis obligatio.

Dixi 4. *animo obtinendæ abſolutionis*, ſeu hanc hic & nunc recipere intendat pœnitens, ſeu confeſſarii monitis juvari & dirigi velit ad eam ſuo tempore recipiendam. 40

Atque hinc generatim non ſubjacet ſigillo confeſſio ad illudendum vel ſubornandum Confeſſorem facta, licet ei quædam vera vel ficta admiſceantur peccata, ut ea confeſſionis ſpeciem præferens, ſigilli obligationem inducere poſſit. Ita docent omnes gentium omnium Theologi. Pro ceteris erunt in Gallia Merbeſius hic pag. 146. & Nat. Alexander cap. 5. Reg. 58. In Belgio Joannes Malderus, Antuerpienſis Epiſcopus in inſigni Opere de ſigillo cap. 8. pag. 60. Eſtius in 4. diſt. 17. §. 14. In Germania Tannerus diſp. 9. dub. 6. q. 4. Gobat Tom. 1. Tract. 7. n. 187. In Hiſpania Dom. Soto in 4. diſt. 18. q. 4. art. 5. Suarez diſp. 33. Sect. 2. nu. 6. In Italia Bonacina & alii paſſim. Hinc teſte eodem Soto, cum Cardinalis quidam adverſus Papam conſpirans, alii Cardinali ſuam hanc intentionem in Tribunali aperuiſſet; quo ipſum in idem ſcelus attraheret; re per aliam viam comperta, accuſatus eſt Cardinalis Confeſſor quod conſpirationem illam ſibi notam non revelaſſet, & pecuniaria mulcta damnatus, pœna damnandus majori, niſi conteſtatus fuiſſet ſe machinationem hanc ex ſigilli reverentia conticendam crediſſe. 41 Lenglet p. 140.

Fatendum tamen caute ac lente in hujuſmodi occaſionibus procedendum eſſe. 1. Enim videndum eſt an confitens conſilium animo fixum & ratum aperiat, tantumque Confeſſorem ſeducere velit; annon gravem tentationem referet, cui, ſi potis eſt, medelam quærat: in hoc enim ſecundo caſu non deſineret confeſſio eſſe ſacramentalis; etiamſi poſtmodum crimen perficeretur. 2. Cum nec Eccleſiaſtica lex nec civilis ferat ut denuntietur crimen quod probari nequit; ſi de avertendo gravi damno ageretur, utendum eſſet monitione generali, quæ ſic crimen averteret, ut ſimul conſuleret criminoſo. Ita ſuadet Lengletus p. 143. Nullus tamen dubito, quin ipſe criminis artifex detegi poſſit, ſi nihil inde denuntiatori Confeſſario immineat mali, & id evincit relata ſuperius Cardinalis hiſtoria. 3. Non placeret deciſio quam ut ab Innocentio III. da- 42

Digitized by Google

tam refert Cæſarius Ciſtercienſis Monachus Lib. 3. Hiſtoriarum memorabilium, Cap 32. ubi ſic rem narrat. *In domo quadam Ciſtercienſis Ordinis Monachus quidam ſine Ordine celebravit. Hoc cum die quadam retuliſſet Abbati ſuo in confeſſione, nec tamen ceſſare vellet a tanta præſumptione; Abbas dolens & lacrymans, ut a blaſphemia tam magna deſiſteret miſerum rogavit, monuit, præcepit, ſed non profecit. Ille vero timens notari, ſi ceſſaret, celebravit ut prius. In ſequenti Capitulo Generali Abbas idem propoſuit caſum eundem, interrogans quid faciendum confeſſori, ſi forte tale quid in aliqua domo emergeret. Cumque Dominus Ciſtercienſis & ceteri Abbates ſuper hoc nihil auderent definire, caſum ſcripſerunt Innocentio III.* (Auctori Canonis *Omnis utriuſque ſexus*). *qui convocans Cardinales viroſque literatos, caſum eis propoſuit, & quid de hoc ſentirent, a ſingulis requiſivit. Omnibus pene in hoc conſentientibus quod confeſſio non eſſet prodenda, reſpondit* Pontifex: *Ego dico in tali articulo eſſe prodendam, quia talis confeſſio non eſt confeſſio, ſed blaſphemia. Nec debet Confeſſor blaſphemiam talem ac infamiam celare, per quam periculum incumbere poterit toti Eccleſiæ. Et placuit ſententia omnibus, ſcripſitque ſequenti anno quod a ſe fuerat determinatum & a Cardinalibus approbatum.*

43 Circa hoc factum alii aliter ſermocinantur. Maimburgus hinc grave Pontificiæ fallibilitatis argumentum expiſcari ſibi videtur in Tract. de Eccleſia Rom. Cap. 13. Alii plures hinc ſolum deducunt, confeſſionem quæ ſacramentalis non ſit, revelari poſſe. Talem porro fuiſſe eam de qua loquitur Cæſarius, contendunt. Neque enim in ordine ad abſolu-
Ethic. n. 1865. tionem confitebatur Monachus ille, ſed ut *Abbatem traheret in patrocinium vel impunitatem ſui criminis*. Alii demum & melius uti admodum ſuſpectam rejiciunt Cæſarii auctoritatem, utpote qui nimium credulus, præcipue in ſuo de miraculis & viſionibus Opere, nugas plane agat, & fabulas undecumque corradat. Nec obeſt quod Innocentio æqualis foret: ſi quis enim ineptias triginta ab annis relatas, huc & illuc tranſmiſſas, typis etiam mandatas exſcribere velit, huic neſcio an ſufficiant volumina viginti in folio. Et vero vel Ciſtercienſis ille Monachus fingebat ſe Presbyteratu donatum in Ordine, vel antequam Ordinem ingreſſus eſſet. Non 1. norunt enim Superiores qui e ſuis ordinati ſint. Non 2. quod gratis ſupponit nec probat Maimburgus. Annon enim in domo pie & ordinate conſtituta examinantur Candidatorum litteræ & teſtimonia? Annon ab urbe in urbem ſcribitur informationis habendæ gratia? Annon in ingenti Monaſterio, quo confluunt undequaque extranei, facile fit ut deprehendatur non eſſe Sacerdos, qui ſe Sacerdotem eſſe mentitur? Præterea qui fieri potuit ut Ciſtercienſis Abbas in generali Capitulo ventilaret quæſtionem, quæ neceſſario injicere debuit ſcrupulum & ſuſpiciones. Deinde cur Innocentius cui perſuaſum erat, ſe malum cohibere poſſe, non cohibuit ſtatim, ſed anno tantum ſequenti reſcripſit? Præterea quis non videat abſurdam eſſe, & Pontifice quo vix Eccleſia doctiorem habuit, prorſus indignam, rationem qua is apud Cæſarium deciſionem ſuam fulcit. Demum quis ſibi perſuadeat Innocentium an. 1216. quo reſponſum ejus datum ſupponitur, deciſionem definitioni quam ipſo anno præcedenti in Lateranenſi Concilio emiſerat, non admodum congruam dediſſe. Ergo fabellam ſapit hiſtoria illa; & niſi quoad ſubſtantiam falſa eſt, circa gravem aliquam circumſtantiam

falſa

Digitized by Google

falſa eſſe poteſt. Quanti autem ſit circumſtantiæ alicujus mutatio, ne- *Lenghe*
mini opinor ignotum eſſe. *p. 105*

Dixi 5. *Poteſt tamen ex obligatione non ſacramentali naſci quædam ſecreti na-* 44
turalis obligatio &c. Conſtat enim rariſſime utendum cognitione per con-
feſſionem etiam minime ſacramentalem parta: quia etſi Religio tunc
temporis non imperat ſilentium, imperat prudentia. Unde extra caſus
hæreſeos, aut conſpirationis in Principem, quæ immane multitudini pre-
judicium inferunt, alto premendum eſt ſilentio crimen quodcumque pri-
vatum ad quod in Tribunali ſollicitati ſumus. Conſtat enim fideles ſe-
veriori ſigillo aſſuetos mirum in modum turbari, ſi quod in aurem Con- *Id. ib.*
feſſarii dictum eſt, evulgari detegant. Conſtat rurſus facile futurum ut *p. 144.*
Sacerdotes imperiti confeſſionem nullo ſtipatam dolore haberent pro mi-
nime ſacramentali: inde vero quanta ſigilli ſtrages? Atque hinc in caſu
nobis olim apud Em. Card. C*** propoſito, de Judæo, qui nequidem
baptiſatus Parochi officium extra Galliam exercebat, idque in ſimulata
confeſſione aperuerat Præsbytero, nonnihil cum aliis pluribus hæſimus
incerti. Etſi enim non fugiebat nos ſcelerati hujus confeſſionem nec eſ-
ſe, nec eſſe poſſe ſacramentalem; nihil tamen dubitavimus quin ex ipſius
evulgatione ingens ſequeretur populorum commotio, cui vix obviam iri
poſſet per inſtructiones in hiſce materiis ſemper periculoſas. Intereſſe
ergo videbatur ut non fieret exemplum ad terrorem, ſed res cum Epi-
ſcopo clanculum tractaretur, & is ſecrete malum coerceret.

SECTIO TERTIA.

An ſolus Sacerdos ſigilli lege teneatur.

CONCLUSIO: Sacerdos primario quidem & principaliter tenetur lege
ſigilli: at eadem ſecundario & per participationem tenentur alii plures.

Prob. 1. pars, quia, ut bene Lugo diſp. 23. n. 20. non eſt dubium quin 45
pro Miniſtro præcipue latum ſit ſigilli præceptum.

Prob. 2. pars; tum quia ſigilli lex inſtituta eſt ne confeſſio odioſa ni- 46
mium & oneroſa reddatur: ad id autem neceſſe fuit ut ſecreto ejus ad-
ſtringerentur ii omnes ad quos devenit notitia ejus. Tum quia notitia hęc
utpote rei ſigillatæ, & ipſa ſigillum quoddam importare debet; quod etſi
forſitan *non ſit proprie ſigillum confeſſionis*, ut innuit S. Thomas hic q. 11.
a. 3. O. eidem nihilominus quoad grave ſecreti pondus æquivalet.

Hinc ſigillo tenentur, 1. Confeſſor etiam fictus, ſeu is qui cum non 47
ſit Sacerdos, gerit ſe pro Sacerdote: *quia peccatum innoteſcit illi per confeſ-
ſionem ex prudenti pænitentis intentione ſacramentalem*, licet talis non ſit ex
errore facti. Sylvius in cit. art. 3.

Sed quid ſi Sacerdos nolens alicujus confeſſionem excipere, invitus & 48
jam fugiens unum aut alterum pœnitentis delictum audiat? Reſpondet
Suarez diſp. 33. ſect. 2. nullam tunc induci ſigilli obligationem, quia
hæc non imponitur invito. Aliter ſentit Lugo ibid. num. 44. & docet,
quod etſi tunc fortaſſe non inducatur obligatio illa ſecreti naturalis quę
oritur ex pacto explicito vel implicito; cum pactum illud non poſſit
contrahi ab invito; ſuboritur tamen vinculum ſigilli ſacramentalis; quia
con-

Digitized by Google

confeſſio illa de ſe ſacramentalis eſt, adeo ut mutata Confeſſarii intentione ſufficiat ad abſolutionem. Hæc ratio non inepte elidi poteſt: huic tamen opinioni ſtandum eſt practice; quia prædicta confeſſio non minus in pœnitentis intentione ſacramentalis eſt, quam quæ fit laico, aut cuivis alii ficto Sacerdoti.

49 2. Superior verus vel exiſtimatus ad quem pœnitens vel Confeſſarius pro reſervato caſu confugit extra confeſſionem; quia petita hæc a reſervatis abſolvendi facultas, ſi a pœnitente fiat, eſt inchoata confeſſio; ſi autem ab ipſo Sacerdote, a confeſſione inchoata promanat.

50 3. Qui alterius confeſſionem audivit, vel fortuito & ſine culpa; vel de induſtria, quod grave eſt ſacrilegium; vel eam ex verbis, vultu aut geſtibus Confeſſarii intellexit. Idem eſt de iis quibus eadem confeſſio ab hujuſmodi auditore revelaretur, etiamſi innumeris revelata eſſet. *Res*

Sylvius *enim hæc tranſit cum onere ſuo: alioquin onerosa foret confeſſio & odioſa*. Et vero ex Reg. 39. Juris in 6. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ ſequuntur ex illo*.

51 4. Interpres, prout contra Cajetanum & Sotum, (qui tamen arctiſſimum hic, quodque nullo unquam in caſu revelare liceat, ſecretum admittunt,) docent Ledeſma, Suarez, Malderus & alii quos ſequitur Lugo cit. diſp. 23. n. 21. Ratio eſt quia Interpres non aliam habet notitiam, niſi quam accipit ut organum medium per quod loquitur pœnitens & audit Confeſſarius. Hæc porro notitia tota eſt ſacramentalis. Nec refert, ajunt Lugo & Sylvius, quod pœnitens non teneatur per Interpretem confiteri (de quo ſupra) neque enim etiam vel venialia, vel mortalia jam confeſſa confiteri tenetur; & hæc tamen ſigilli materiam eſſe nemo ambigit.

52. Quod de interprete idem dicendum ſeu de internuncio, ſi quæ per hunc fieri poſſit confeſſio, ſeu de amico, vel alio, amici aut rudis alicujus confeſſionem ſcribente.

53 5. Judex aut Superior ſtatim ut vident, delictum in quod animadvertere parati erant, ex confeſſione ſola innotuiſſe, deſiſtere tenentur, & reum ejuſque complices, niſi aliunde horum facinus compererint, intactos relinquere: ſi enim vel leviſſime plectant, ſigillum violant in actu exercito. Imo nec inter ſe, nec cum pœnitente, nec cum aliis qui rem propriis oculis videre, ex ſola ſua confeſſionis notitia loqui poſſunt, ſicut nec cum iis loqui poſſet Confeſſarius: quia ſcientia ex confeſſione reſultans, indelebilem ſigilli caracterem ſecum defert, niſi jure ſuo cedat pœnitens. Hinc Cathalanus, qui morte propter homicidium damnatus erat, veniam a Prætore conſecutus eſt, poſtquam is ex S. Thoma Villanovano reſcivit, crimen illud ex ſola rei confeſſione innotuiſſe.

54 6. Qui reperit chartam ubi deſcripta eſt peccatorum confeſſio, ſeu facta, ſeu facienda, non modo ad naturale ſecretum graviſſime tenetur, ut fatentur omnes; ſed probabilius ad ſacramentale, ſaltem ſi res non phyſice, ut in his materiis decet, ſed moraliter & juxta communem fidelium ſenſum æſtimentur. Ratio eſt quia ſcriptio hæc, licet non ſit confeſſio actualis, ſed ejus futuræ vel factæ inſtrumentum, eſt tamen quædam confeſſionis internuncia, ſeu confeſſio quædam inchoata. Unde qui peccatum amici quod in charta deſcriptum invenit, revelat, non ut merus ſecreti proditor, ſed ut confeſſionis revelator habebitur. Atque ita contra

Suarem

Suarem diſp. 33. ſect. 4. Lugo n. 47. & alios quoſdam docent Malderus,
Fagundez, Vega, Vivaldus & alii quos citat & ſequitur Diana Tom. 2.
Tract. 4. de Sacram. reſ. 112. Neque hinc recedunt ſeculares Magiſtratus
cum enim famoſa lite Dominæ de Brainvilliers (quæ ſuſpecta primum,
dehinc convicta patrem & utrumque ſuum fratrem veneno necuiſſe, ca-
pite damnata eſt die 16. Julii 1676. ac igne cremata) prodiſſet quæ-
dam ejus cartha, ab his incipiens verbis: *Je me confeſſe à Dieu, & à vous
mon Pere*, erudite & Theologice demonſtratum eſt a Pariſienſi Cauſidico
D. Nivelle, confeſſiones ſcripeas idem eſſe quoad Deum ad quem diri-
guntur, ac confeſſiones quæ viva voce recitantur. Vide additiones ad
Bibliothecam Canonicam Bouchelli v. *Confeſſion*, pag. mihi 335.

Hinc, Auctore Navarro Cap. 18. n. 34. *peccat* (mortaliter) *qui legit*, 55
etiamſi non divulget, ſchedulam, in cujus principio ſcriptum eſt: Memoriale
meorum peccatorum, *aut aliud ſimile, quo ſcire teneretur, ejus auctorem nolle
ab alio ea legi: quia licet forte non reperiat notabiliter lædentia, præbent nihi-
lominus juſtam lædendi cauſam*; ut enim in leve, ſic & in gravius pecca-
tum jam ab initio incidere potuit.

Dices cum Lugo ibid. *Si pœnitens dum facit apud ſemetipſum examen ad* 56
*confeſſionem, loqueretur voce intelligibili, ille qui audiret, non teneretur ad ſigillum,
quia non audivit confeſſionem, ſed præparationem ad confeſſionem*. Ergo nec ad
ſigillum tenetur, qui ſcripturam invenit; quia *ſcriptura illa nihil aliud eſt
niſi præparatio ad confeſſionem*.

R. meo quidem judicio falſum eſſe antecedens. Eo enim ipſo, quo 57
exterior illa peccatorum recitatio eſſet vera ad futuram confeſſionem
præparatio, non ſecus ac ſcriptura, eadem foret utriuſque conditio.

7. Eadem ſigilli lege tenentur ii coram quibus ex neceſſitate, puta 58
naufragii vel peſtis tempore, fit confeſſio ſacramentalis: Sequitur ex di-
ctis. Aliud fuerit, ſi pœnitens, ſui ipſius humiliandi cauſa, ultro pecca-
ta ſua coram aliquibus confiteatur, prout ſæpe fecerunt Sancti. Nec in-
tererit an id fiat ante vel poſt confeſſionem: quia declaratio hæc pu-
blica peccatorum præſcindit a confeſſione, & ab his etiam fieri poteſt
qui de confeſſione non cogitant. Suberit hic tamen naturalis ſecreti vin-
culum, ſi, quod ad ſecurius præſumi debet, non conſenſerit pœnitens,
ut quæ amicis pandit, ad alios deſluant.

Sed quid ſi pœnitens ſui abjiciendi gratia, coram duobus peccata ſua 59
confiteatur in Tribunali. Reponit Lugo ib. n. 39. Confeſſarium tunc ſi-
gillo ligari, non autem alios: *Illa* enim locutio, inquit, *eſt virtualiter
multiplex; & prout dirigitur ad ſolum Confeſſarium, eſt confeſſio ſacramentalis;
prout vero dirigitur ex intentione pœnitentis ad circumſtantes, non eſt confeſſio ſa-
cramentalis, ſed narratio ad confeſſionem & humilitatem propriam*. Metaphyſico
huic caſui non eſt immorandum. Pœnitens *ſolus ſoli* Sacerdoti confiteri
debet; neque is ſibi bene conſulat, ſi teſtes adeſſe patiatur; ne forte ſi
audita revelent, veniat Confeſſarius in ſuſpicionem læſi ſigilli. An vero
teſtes illi a ſigilli lege immunes ſint, pendet ab intentione pœnitentis.

8. Tenetur & conſiliarius, ſeu is omnis, quem vel durante confeſſio- 60
ne, vel poſt ipſam conſulit Sacerdos, ſive ex licentia pœnitentis, ſive
citra ipſam. Ita poſt Navarrum, Petrum de Soto, Ledeſman, Vigue-
rium, Bonacinam, Suarez ib. ſect. 4. Sylvium & alios plures Lugo ibid.
n. 25.

n. 25. Rationem dant aliqui, quia res ad quoſcumque tranſit, cum ſuo onere tranſit. Item quod conſultus ſupplet defectum Miniſtri quoad clavem ſcientiæ. Verum utraque hæc probatio a Lugo n. 25. & 26. rejicitur tanquam minus efficax. Prima quidem, quia res alicui ſub naturali ſecreto manifeſtata non ſemper tranſit cum onere ſecreti. Unde ſi ad judicem injuſte deferatur, is nihilominus procedit ad inquirendum judicialiter. Secunda vero, quia conſiliarius vere non habet clavem ad Sacramentum, cum poſſit eſſe ſimplex laicus, ſed Confeſſario ſuppeditat ſcientiam ad legitimum clavis uſum neceſſariam. *Ex eo autem quod aliquis ſit Magiſter Confeſſarii, nullomodo claves ejus participat.*

Ratio igitur a priori hæc eſt, quod tota Sacerdotis notitia prodit ex confeſſione, & ideo penitus ſubordinatur voluntati pœnitentis, *ut nonniſi ex ejus conſenſu poſſit communicari, & a fortiori ut nonniſi cum tali vel tali limitatione communicetur.* Unde cum pœnitens huic vel illi ſolum rem ſuam communicari permittit, non poteſt aliis communicari. Adde quod prima ratio hinc petita quod res tranſit cum onere ſuo, minus ſolide confutetur a Lugo. Neque enim quia res aliqua non tranſit cum onere ſuo, idcirco ſigillum a Chriſto immobiliter conſtitutum non tranſibit cum onere ſuo.

61 Hic quædam notanda, 1. raro neceſſarium eſſe ut aperiatur nomen pœnitentis, pro quo alius conſulitur. Imo ſi ex conſilii petitione innoteſcere poſſet delictum ejus in uno loco, ad alterius loci incolam recurrendum eſſet: quod ſi urgeret tempus, ut in moribundo, levatis ad cœlum ſuppliciter oculis res tota divinæ miſericordiæ committenda foret, agendumque id quod melius & utilius videretur. Hinc merito redarguit Navarrus Sacerdotem, qui cum, ipſo vidente, alicujus confeſſionem exciperet, eo relicto ad ipſum venit petiturus conſilium, quo habito ſtatim rediit ut pœnitentem abſolveret: quod quidem, ſi de licentia pœnitentis fecit, tolerari poteſt; ſin minus vix excuſari poteſt a ſigilli violatione: *& in hoc*, ait Lugo n. 142. *aliqui ſimplices Confeſſarii ſolent non raro deficere, conſilium petentes in talibus circumſtantiis, in quibus perſona pœnitentis non difficile intelligitur.* Tunc autem qui conſulitur, meo judicio, conſulentem cohibere debet, ne revelationi cooperetur.

2. Nuſquam, ſi forte opus erit, declarandum eſſe pœnitentem ſine expreſſa, ſpontanea, & nullatenus extorta ejuſdem licentia. Expreſſa quidem, & aliquando in ſcriptis; tum quia *debet* Sacerdos *cavere ſcandalum, ne fractor ſigilli reputetur*; tum quia ſi fracti ſecreti accuſetur, *imminet ei probatio, quod de licentia pœnitentis revelaverit*, ut docet S. Thomas cit. q. 11. art. 4. de quo infra. Spontanea & liberrima, nulloque pacto per Confeſſarium, aut alterius preces extorta: quia alioqui a confeſſione averterentur fideles. Unde, ait Ethica n. 2877. ſi conjux a marito coacta facultatem Confeſſori daret revelandi peccatum ſuum, non poſſet illud revelare.

62 Sed quid ſi pœnitens ipſe docto cuipiam peccatum ſuum in ordine ad confeſſionem, conſilii gratia revelet?

Diviſi ſunt Theologi. Alii unum hic admittunt legis naturalis vinculum; tum quia alioqui latius protenderetur ſigillum confeſſionis: cum frequentiſſime contingat ut laici viros doctos in ordine ad Sacramentum conſulant; tum quia ejuſmodi conſulentes de imponendo ſigilli ſacramentalis onere non cogitant, ſed ſolius naturalis ſecreti vinculo contenti ſunt.

ſunt. Quod ſi quid vereantur, abſtinere poſſunt a conſulendo: quia etſi hinc futurum eſt ut eorum confeſſio minus integra ſit materialiter, erit tamen, quod ſatis eſt, formaliter integra. Ita ſentit Sylvius cir. qu. 11. a. 3. v. *dices*. Iſambert diſp. 23. p. 216. d. Suarez diſp. 33. ſect. 4. nu. 6. Etſi opinionem hanc redarguere non audeo, malim tamen in praxi ſequi oppoſitam. 1. Quia tutior ſit & favorabilior Sacramento; 2. quia ſi quis rogatus conſcientiæ meæ examen mecum inſtituat, erit utique ad ſigillum adſtrictus; jam vero examen hoc quantum ad aliquod punctum mecum inſtituit, is quem ſuper nonnullis caſibus conſulo; 3. quia ſi linguæ imperitus quæram ab aliquo quibus verbis hoc vel illud peccatum exprimere debeam, is etiam ſigillo tenebitur. Atqui idem eſt in præſenti caſu; 4. denique quia ſi quis palam dicat: *Mane vidi Titium ad Pœnitentiæ Tribunal properantem; qui a me inquiſiit an hoc & illud referare teneretur*; vix e fidelibus quiſpiam eſt, qui improvidum hunc garrulum Sacramento & pœnitenti qua tali injuriam facere non exiſtimet.

Duo hic ſuboriuntur dubia, 1. an Confeſſarii duo qui eandem ejuſdem confeſſionem excepere, de ea inter ſe, conſilii captandi gratia loqui poſſint. 2. Annon ſaltem Confeſſarius de auditis in confeſſione cum pœnitente ſuo colloqui poſſit.

R. ad 1. negat. niſi in id libere conſenſerit pœnitens. Alioqui uterque fracti ſigilli reus erit. Eſt enim locutio hæc extra confeſſionem, & oneroſa pœnitenti, quatenus infamiam ejus confirmat. Ita Suarez diſp. 33. ſect. v. n. 3. Habert &c. 63

R. ad 2. 1. poſſe Confeſſarium qui ſecundam excipit confeſſionem, loqui de auditis in prima, arguendo v. g. pœnitentem, quod in eadem peccata reciderit; monendo de commiſſo defectu &c. 1. quia peccandi conſuetudo ad integritatem confeſſionis pertinet, & graviora exigit remedia; cum alio modo curanda ſit lepra perſeverans, alio lepra volatilis, ut dicitur Levit. 13. 2. quia in hoc caſu agit Confeſſor, non ut homo, ſed ut Dei vicarius. Is autem & poteſt & ſæpiſſime tenetur uti notitia ex aliis confeſſionibus parta. 3. Quia alias fruſtra ſuaderetur Fidelibus, ut eodem ſemper, modo ſagaci, Confeſſario utantur. Ita Habert, Antonius, & omnes in praxi. 64

Cavendum tamen ne priſtini lapſus congrua pœnitentia expuncti, in memoriam ſaltem in individuo revocentur. Hæc enim agendi ratio & fatigat, & pudore obruit, & a confeſſione retrahit. Unde id tantum in præſenti negotio licet, quod pœnitenti expedire judicatur.

Dixi in Reſp. *Confeſſarium, qui ſecundam excipit confeſſionem &c.* ſi enim loqueretur de rebus ex confeſſione alteri facta cognitis, puta quia forte audierat pœnitentem, aut confeſſionem ejus ſcripſerat, aut de ejus aſſenſu conſultus fuerat; frangeret ſigillum; quia notitia hæc ad aliud præteritæ confeſſionis forum pertinet, non ad forum præſentis. Lugo n. 128. La-Croix expreſſius n. 1981.

R. 2. poſſe etiam Confeſſarium, ſi quid poſt datam abſolutionem judicet addendum circa dicta in confeſſione, id facere quandiu pœnitens eſt in Tribunali; tum quia id ſpectat ad complementum judicii ſacramentalis, quod adhuc durare cenſetur, & cujus actus ſunt admonere, corrigere, remedia præſcribere &c. Tum quia non cenſetur moraliter extra 65

confeſſionem fieri, quod continenter dicitur in confeſſionario; tum quia hæc communis eſt Doctorum opinio. Ei quidem repugnat Fagundez apud Lugo ibid. n. 129. quia, inquit, poſt datam abſolutionem finitum eſt primum Sacramentum. Verum ratio hæc nullius eſt momenti; tum quia aliqui pœnitentiam imponunt poſt abſolutionem; tum quia poteſt data abſolutione Confeſſarius, quam graviorem eſſe intelligit pœnitentiam, commutare in leviorem.

66 Imo, ait Suarez ibid. quem citat nec redarguit Habertus, *Confeſſor qui commiſit defectum in confeſſione, ex quo obligatur ad pœnitentem monendum, poteſt & debet dicere illi, ſe velle cum illo loqui de re neceſſaria ad confeſſionem pertinente: & quidem, ſi ille conſentiat, jam habet facultatem: ſi vero renuat, dicat nihilominus, ſi commode poſſit:* quia tunc jam vere non *loquitur extra confeſſionem; ſed ſupplet & perficit eam quæ inchoata & imperfecta manſerat, & pœnitens tunc eſt irrationabiliter invitus.* Concinunt alii plures apud Lacroix n.1776. & id quidem non illubens admiſerim, ſi Confeſſarius tantum dicat ſe abſolutionem non dediſſe, ſeu ex oblivione, ſeu ex ignoto ſibi juriſdictionis defectu: in hoc enim nulla eſt delicti manifeſtatio. Aſt extra caſum hunc, mihi longe probabilius eſt, quod docent Tolet, Sylvius, Lugo &c. non licere, niſi petita & obtenta venia, extra Tribunal loqui de iis quæ ſub ſigillum cadunt; quia jam completum eſt Sacerdotis miniſterium. Quin & vetat Henno p. 328. non tantum ne Confeſſor de auditis loquatur cum pœnitente, quando is jam a Confeſſionali receſſit; ſed etiam quando in Confeſſionali *poſt abſolutionem introductus* fuit *ſermo de aliis rebus*. Quod ultimum, niſi res cum moroſo quopiam agitur, ſeverius arbitror. Quanquam ſi tunc a pœnitente licentiam petis, ſigilli dignitatem & pondus commendas: cui ſemper ſummopere invigilandum. Unde

67 R. 3. cum S. Carolo part. 2. inſtruct. cap. 20. *Si Sacerdos neceſſitate coactus*, extra Tribunal *cum ipſomet pœnitente de peccatis loqui debeat, id nonniſi præfata venia faciat.* Sive enim tunc Sacerdos proprie ſigillum non frangat, ut volunt multi; quia ſigillum non frangit qui ſecretum non violat; non violat autem qui cum auctore ſecreti loquitur, ſed qui cum aliis: ſive frangat, ut docent cum Scotiſtis, Victoria, Malderus &c. conſtat Sacerdotem qui extra Tribunal ſua pœnitenti peccata revocat, & ei graviter moleſtum eſſe, & confeſſionem ipſi reddere inviſam. Et vero qua ratione fieri poſſit, ut qui vix in angulo peccata ſua detegunt, eadem ſibi palam recantari non ægre ferant. Annon, ſi licebit, amare dicant cum Sarephtana muliere 3. Reg. 17. 18. *Quid mihi & tibi vir Dei? Num ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ?*

68 Hinc, ut ſapienter Henno, peccant in hac parte, 1. *qui extra confeſſionem dant pœnitentibus ſuis monita quædam generalia tendentia ad emendationem peccatorum in confeſſione auditorum: cum ſit implicite refricare memoriam rei ſigillatæ*, aut ſaltem gravi ſilentio premendæ.

2. Qui e ſacro ſuggeſtu delicta quædam tot circumſtantiis veſtiunt & delineant, ut pœnitens ſua ſibi objici peccata non imprudenter exiſtimet. Ab his ergo quæ æxoſam faciunt confeſſionem ſedulo abſtinendum. Sed non minus cavendum auditori ne temere judicet ſe depictum ex concione, quæ quandoque pluribus ante ipſius nativitatem annis elaborata

eſt,

Digitized by Google

eſt, forte & ab alio empta. Hic vero culpandæ potiſſimum quædam tenuis cerebri mulierculæ, quæ Confeſſores ſuos læſi ſecreti reos faciunt, etſi nec earum nugas animo ad meliora nato conſervent; nec ſi inviti retinuerint memoria, de his inter ſcribendum cogitaverint.

Addiderim conſultum eſſe ultra quam dici poſſit, ut nuſquam, ac ne in genere quidem, miſceantur coram ſecularibus ſermones de auditis in confeſſione. Hinc enim tacite inferunt & peccata ſua retineri, & ſe propterea averſis oculis reſpici atque contemni. Sane in hujuſmodi narrationibus nonnunquam aliquid eſt parum pudici, ſæpe aliquid quod ſcurrilitatem redoleat; nec raro aliquid ab humilitate alienum. 69

Non deſunt, qui cum pœnitens ipſe prior Confeſſarium interrogat vel alloquitur de aliquo quod in confeſſione aperuit, expreſſam nihilominus etiam tum licentiam peti velint, ut major exhibeatur obſervantia ſigilli. Verum, ait Lugo n. 131. *nimia videtur eſſe* hæc *cautela*. Qui enim circa peccatum ſuum te compellat, de eo loquendi veniam tribuit in actu exercito. Quanquam hic attendenda pœnitentium indoles, erit enim forte qui involuta quædam efferat, ut experiatur an ſtatim occaſionem arripias arcana ipſius commemorandi. Ceterum ex dictis conſtat datam a pœnitente licentiam, certam eſſe debere, non dubiam vel præſumptam; ſpontaneam, non metu reverentiali, non importuna prece, non dolo vel injuria, non aliena vel propria auctoritate extortam; non inani, ſed tantum rationabili de cauſa & in commodum pœnitentis conceſſam: alias qui ea uteretur, fracti ſecreti reus eſſet. Unde licentiam hanc concedens, ſeu ne ſibi injuſte denegetur abſolutio, ſeu quia hanc exigit Novitiorum Magiſter, cui alias non concederetur; reipſa nihil concedit. 70

Quæres obiter an fracti ſigilli reus ſit, qui de pœnitentis licentia revelat formaliter audita in confeſſione, id eſt audita in Tribunali, ut in eo audita; puta qui dicit: Petrus mihi in confeſſione declaravit, ſe peccatum iſtud commiſiſſe. Joannem non abſolvi, quia necdum ſatis diſpoſitum.

Affirmant Scotiſtæ, ideoque nullum pœnitentis delictum revelari poſſe volunt, niſi ex ejuſdem conſenſu fiat extra ſacramentum; ita ut pœnitens dicat: Quæ in confeſſione dico, vel dixi, extra confeſſionem dicta ſunt. Ratio eſt, 1. quia ſigillum primario inductum eſt in gratiam Sacramenti, licet ſecundario profit pœnitenti. Atqui pœnitens etſi jure ſuo cedere poteſt, non tamen jure Sacramenti: ſicut Clericus licet jure ſuo cedere ſupponatur, non poteſt tamen jure ſeu privilegio Canonis cedere. 2. Quia fatentibus adverſariis non poteſt Confeſſarius, etiam cum licentia imo & ad inſtantiam pœnitentis, coram judice vel alio quopiam dicere, ſe huic denegaſſe abſolutionem; ſicut nec denegationis hujus cauſas aperire. Ergo ſigillum non a pœnitente duntaxat, ſed etiam a Sacramento vim habet obligandi. Quod autem independenter a pœnitente obligat, ab eo relaxari non poteſt. 3. Quia ſigillum juris eſt divini, ergo a pœnitente relaxari nequit. 4. Quia Confeſſor ſcit ut Deus. Sed qui ſcit ut Deus, non poteſt loqui ut homo niſi detur illi ſcientia hominis. 5. Quia ſi pœnitens licentiam hanc dare poſſet, poſſet Superior ei præcipere ut eam tribueret. Quod ſi non faceret, jam eſſet ſuſpectus criminis. Si vero concederet, poſſet Sacerdos confeſſionem illius revelare. 71

72 Aliter ſentiunt Suarez, Sylvius ad art. 4. Lugo nu. 133. & apud eum SS. Thomas Bonaventura &c. ex contrario principio, nempe quod ſigil- *Sylvius.* lum primario inductum ſit in gratiam pęnitentis, *ut ſcilicet confeſſio non ſit ei formidabilis & odioſa, non autem in honorem Sacramenti, quamvis hinc pendeat ratio obligandi; ſicut obligatio juramenti promiſſorii tota eſt in favorem ejus cui fit, ratio tamen obligationis eſt virtus Religionis.*

Confirm. 1. quia quoties pœnitens ad Superiorem per Confeſſarium recurrit pro caſu reſervato, confeſſarius notitia in Tribunali parta utitur exterius. Atqui tamen tunc temporis Prælatus adſtringitur ſigillo, nec ab eo liber manet Confeſſarius. Ergo ſtat poſſe confeſſarium ut talem notitia Confeſſionis uti.

Confirm. 2. quia ſi pœnitens intra vel extra Tribunal de peccatis confeſſis loqui non poſſet, ſigillum retinendo, jam peccata ejus non alii quam naturalis ſecreti vinculo ſubjacerent. Atqui horrendum conſequens & confeſſioni exitiale. Licet enim naturale ſecretum ſtricte obliget, non tamen obligat in omni caſu, puta in præjudicium Reipublicæ. Ergo. Poſtrema hæc opinio probabilior videtur. Nec ſupra modum urgent quæ contra objiciuntur. Unde

73 Ad 1. neg. maj. ex communiori enim graviorum Doctorum ſenſu ſigillum ſe habet reſpectu Sacramenti, ſicut promiſſio jurata reſpectu religionis. Atqui promiſſio jurata primario inducta eſt in bonum promiſſarii, licet potiſſimam vim ſuam obligandi habeat a religione. Ergo & ſigillum primario inductum eſt in gratiam pœnitentis, licet vim ſuam hauriat a Sacramento, cujus ſubſiſtentiæ providendum fuit. Aliud eſt de Clerico: eo enim juri ſuo cedente, remanet dedecus ſtatus Clericalis, qui cenſetur contemni, dum unus e ſuis contemnitur. Contra vero dum juri cedit pœnitens, nihil detrimenti patitur Sacramentum; *ſed ſuavior & utilior efficitur confeſſio, cum afferat ſigillum, cujus clavem habeat pro arbitrio pęnitens ipſe, ita ut poſſit ex parte aperire & ex parte retinere:* Lugo n. 135.

74 Ad 2. 1. dubitari poteſt an ſi quis palam dixerit ſibi hac die negatam fuiſſe a Confeſſario ſuo abſolutionem; & ideo veniat in ſuſpicionem homicidii, quod paulo poſt detegitur præcedenti nocte perpetratum; non poſſit Confeſſarius ad repetitas pœnitentis preces aſſerere ſe huic abſolutionem negaſſe eo tantum quia Romanenſes Libros legiſſet. 2. Si non poſſit confeſſor negatæ abſolutionis cauſas aperire, non quia pęnitens id omnino permittere nequeat, vel Confeſſor id abſolute non poſſit de licentia pœnitentis; ſed quia quæ licent, metaphyſice loquendo, non ſemper expediunt: & plerumque quod ad pœnitentis inſtantiam fieri videretur, eo admodum renitente fieret. Et vero quid non mali, ſi ut in propoſito caſu pœnitentem ab homicidio excuſes, dicendum foret, ei a te denegatam abſolutionem, quia cum ſorore concubuerit? Præterea, ut bene Suarez d. 33. ſect. 5. n. 6. cum tale Confeſſoris teſtimonium in aſſertionem pœnitentis totum reſolvatur, quam fidem facere poteſt in exteriori foro? Demum via hæc fraudibus pateret & ſacrilegiis.

75 Ad 3. pęnitens non relaxat præceptum divinum, ſed apponit conditionem qua poſita præceptum non obligat: quia id ſolum præcepto cautum eſt, ne revelerur confeſſio abſque licentia pœnitentis. Sic qui juratam ſibi promiſſionem remittit, divinam legem non relaxat &c.

Ad 4.

Ad 4. nego ſuppoſitum minoris: Confeſſarius enim loquitur ad extra ut Dei Miniſter; cui nempe Deus per os pęnitentis loqui permittit, intra limites ſibi a Deo per pęnitentem præſcriptos. Adde quod poſſit ut homo loqui, qui ſcit ut Deus, cum id concedit pœnitens.

Ad 5. 1. eadem difficultas æque vel magis viget in opinione contraria. Multo enim facilius præcipere poterit Superior pœnitenti, ut quæ in confeſſione aperuit, hæc vel ſibi vel Confeſſario extra confeſſionem aperiat. 2. Si quid tale præciperet Superior, tyrannice præciperet; neque vel ei a pęnitente obtemperandum foret; vel Confeſſario utendum tali licentia, quæ utpote extorta nullius omnino foret momenti. Ita Lugo ibid. n. 135. & ſequitur ex dictis. 77

Quæres 2. an ſi pœnitens revelandi licentiam tribuere velit, debeat totum repetere, quaſi Confeſſarius nihil ſciret: An vero ſatis ſit ut dicat: *Quidquid in confeſſione dixi, nunc tibi extra confeſſionem dictum volo; ut ea notitia ſecurius uti valeas.* 78

R. Sufficere poſteriorem hunc modum: ſicut ſufficit ut pęnitens in confeſſione dicat: *Accuſo me de eo peccato, quod extra confeſſionem tibi aperui.* Quemadmodum enim in hoc caſu Confeſſarius totam qua indiget cognitionem virtualiter accipit in confeſſione; ſic & in priori totam qua indiget notitiam virtualiter accipit extra confeſſionem. Ita Suarez ibid. n. 4. & Lugo n. 137. contra Vaſquez. Si tamen pęnitentis culpa culpam complicis involvat, hujus famæ conſulendum erit, non ratione ſigilli, quod ſublatum eſt, ſed ratione ſecreti naturalis.

Quæres 3. Quid juris, ſi Sacerdos qui confitetur, peccatum ſuum aperire non poſſit, niſi aperiat peccatum quod in confeſſione audivit, & cujus auctor a Confeſſario intelligendus ſit. 79

R. Huic enitendum eſſe ut Confeſsorem quærat, cui citra violati ſigilli periculum, integre confiteri poſſit; ut patet ex ſupra dictis de non manifeſtando complice. Quando autem urget confitendi neceſſitas, dubio procul tenendum eſt, peccatum illud hic & nunc reticeri debere; quia fortius eſt vinculum ſigilli, quod, ut infra dicam, ne in caſu quidem avertendi totius Reipublicæ damni infringi poteſt; quam confeſſionis integritas, quę propter grave pœnitentis aut privati alterius damnum poteſt omitti.

Quæres 4. an pœnitens etiam ſigillo teneatur. 80

R. negat 1. enim non tenetur reſpectu peccatorum ſuorum; quæ quandoque ſui deprimendi cauſa palam aperire poteſt, ut ſua Auguſtinus; quandoque jure naturali reticere tenetur, ne ſe perperam & periculoſe infamet. 2. Nec tenetur reſpectu Confeſſarii, quia ſigillum non in hujus, ſed ſolius pœnitentis gratiam inſtitutum eſt, ut ſecure & fidenter intima mentis penetralia detegat. Tenetur tamen pęnitens ex charitate, grati animi ſenſu & juſtitia ad ſecretum circa ea quæ ſine injuſto Directoris ſui damno, aut contra legitimam ejus voluntatem, vel ſine Sacramenti præjudicio, revelare non poteſt. Unde redarguendi ſunt, qui quæſtiones ſibi caute ac prudenter factas, monita pie data, ſatisfactiones impoſitas, quæ graviores apparent, quia neſcitur quibus de cauſis impoſitæ ſint, plenius faucibus, & ut plurimum deridendo, eructant.

Quod ſi Confeſſarius aliquid dixerit vel fecerit quod in commune vel privatum damnum cedat, puta ſi hæreſim doceat, ſi a Sacramentorum 81

uſu avertat, ſi ad turpia ſollicitet; denuntiandus erit Prælato, ſi malum aliter certo averti non poſſe videatur. Etſi enim apud nos non vigent Pontificiæ Conſtitutiones Gregorii XV. & Benedicti XIV. quæ nefarios illos ſollicitantes denuntiari præcipiunt: at viget lex charitatis, quæ impendens proximo damnum, cum fieri poteſt, averti jubet. Verum hic, ſi uſpiam, ſagacitate indigent Superiores, cum ſub fictitiæ ſollicitationis prætextu vel ipſe Joſeph in carcerem detrudi poſsit.

SECTIO QUARTA.

Quotuplici modo violetur ſigillum.

82 FRangi poteſt ſigillum, vel directe, quod, Deo propitio perrarum eſt; vel indirecte, quod quia pene inadvertenter contingere poſsit, ſedulo & vigilanter cavendum.

83 Sigillum directe frangitur, cum expreſsis verbis de aliquo etiam mortuo, vel ejus complice, per ſolam confeſsionem cognito, dicitur quod tale peccatum ſeu mortale, ſeu veniale in particulari, puta mendacium, vel plura venialia commiſerit: nec refert quod peccatum exinde publicum evaſerit. Quapropter ſigilli reus eſt, tum qui dicit Joannem cum multo dolore confeſſum eſse quod Clericum illum percuſsiſset; tum qui dicit eum id non eſse confeſsum.

84 Hinc, mea quidem ſententia, arguendus eſt, ſeu Confeſsor, qui a Tribunali recens, monet ut ad perſonæ auditæ communionem apponatur minor Formula; ſeu qui, quod aliquando contingit, interrogat num hæc apponenda ſit. Sicut enim tunc aſsentiendo, declarat ſe abſolutionem dediſse; ſic alias diſsentiendo, negat ſe abſolviſse. Adde quod quandoque non communicent ex ſcrupulo vel dubio ſuperveniente qui abſoluti ſunt. Satius igitur fuerit, ut Confeſsor pœnitentem moneat in Tribunali, ut ſub Offertorii tempus curet ſibi Formulam ad Synaxim apponi.

85 Sigillum pluribus modis indirecte violatur, ut advertit Suarez citat. diſp. 33. ſect. 6. & ex jam dictis intelligitur. Et 1. cum Miniſter, etſi generatim loquitur, ſeu inter concionandum, ſeu extra concionem, iis pœnitentem coloribus illinit, qui ſi certam peccati notitiam non præbent, at ſuſpicionem ejus inducunt. Sane vel ipſe rubor pœnitentis, qui ſe ad apicem delineari ſentit, peccatum ejus detegere poteſt. Nec dubium quin hinc deterreantur a confeſsione plures, qui aliquando gravius lapſi, parem ſibi ſcenam imminere conjiciunt.

86 2. Qui auditis paucorum confeſsionibus, dicit, etiam tacito perſonæ nomine, ſe tale peccatum audiiſse. Jam enim ſinguli ex indiſcreta hujuſmodi locutione aliquid patiuntur ſuſpicionis. Et vero qui auditis decem puellis ait ſe detexiſse fornicationem, ubi non ſuſpicabatur, nonne grave omnibus detrimentum parit? Sane, ait Lugo n. 63. non deſunt naſuti adeo ingenii homines, ut ex facti alicujus narratione auctorem ejus facile colligant.

87 3. Qui Religioſi alicujus, aut Canonici innominati crimen referendo, ejus Ordinem vel Capitulum nominat. Hinc enim *redundat ignominia & Ordinis*, quod per ſe ſolum grave eſt; *& ipſius pœnitentis, qui eſt pars illius*. Nec dubium quin inde odioſa reddatur confeſsio. *Id. ibid.*

4. Qui

4. Qui in loco præſertim anguſto ubi confeſſiones excepit, vigere ait 88
furta, mollitiem in juvenibus, in conjugatis adulteria. Hæc enim niſi
aliunde conſtent & publica ſint, gravem toti aſpergunt Communitati no-
tam, quæ in ſingula ejus membra refluit. Imo nota hæc per publicum
rumorem, nolim referri ut nota per confeſſionem. Hujus enim teſtimo-
nium longe gravius eſt, quam rumoris publici qui ſæpe fallit. Exulet
igitur, ut bene Lochon in Addit. p. 120. hæc loquendi ratio: Non ſatis
domui ſuæ invigilat iſte Superior. Non omnes quæ in hoc oppido con-
fitentur, totidem ſunt Suſannæ. In nupera quam apud hujus loci inco-
las exegimus Miſſione, ſacrilegas multas confeſſiones reperimus &c.

5 Qui *verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodit aliquatenus peccatum*, 89
etſi aliunde iis cognitum coram quibus loquitur. Quapropter graviter *Conc.*
rei ſunt, niſi excuſet inadvertentia ſerio cavenda, tum qui tanto cum *Later.*
æſtu loquuntur in confeſſionali, ut ſuſpicentur adſtantes grave quid de-
poſitum fuiſſe; tum qui pœnitentem, quicum ante confeſſionem amice
tractabant, triſti & acerbo inſpiciunt oculo, & ſceleſtam vitam expro-
brante. De hiſce confeſſoribus hæc ſcribit Petrus Bleſenſis Opuſcul. de
pœnit. *Suſcepto ad pœnitentiale remedium poſt confeſſionem publice dehoneſtas:
Nam licet infirmitates eorum verbo non publices, quadam tamen ſuperciliosa &
notabili deſpectione opinionem eorum apud alios ſiniſtra ſuſpicione contaminas &c.
Nec multum intereſt utrum voce vel ſigno vel quodam vultuoſo contemptu ∴
ſecreta conſcientiæ alienæ vulgentur.* De his adito Tract. Gallic. de ſecreto
confeſſionis Auctore Stephano Lochon, Doctore Navarrico Cap. 5. & 6.
& in Addit. p. 122.

6. Qui vel ait ſe talem non abſolviſſe, vel ad certum tempus diſtu- 90
liſſe, vel talem dediſſe pœnitentiam, quæ cum gravis ſit, gravis peccati
ſuſpicionem jure vel immerito inducit. Quin & quandoque fieri poteſt
ut ſigillum prodat qui ſimpliciter dicit: *Titius mihi hodie confeſſus eſt*.
Poteſt enim ex circumſtantiis judicari hominem hunc fuiſſe igitur caſu
quopiam reſervato impedimentum; puta ſi Confeſſarium nunquam mutet,
& eum illa die præſentem habuerit; interim vero ad alium diſtantem,
quemque parum amat, recurrerit, vid. Lugo n. 65. & ſeq.

7. Qui e pœnitentibus ſuis unum vel unam impenſe celebrat, quod 91
tantum venialia confiteatur: ſic enim alii graviora deponere intelligun-
tur. Imo nec patitur citatus mox Doctor, ut hæc vel illa laudetur, tan-
quam ſublimi orationi dedita, conſtanter unita Deo, Mariæ requiem la- *Lochon*
bori Marthæ conſocians &c. 1. Quia hæc ſuperbiam parere nata ſunt. *p. 65.*
2. Quia non una fictitii hujus meriti devota confeſſoribus ſuis fucum
fecit. 3. Quia ejus crebra commendatio, tacita quædam eſt aliarum de-
preſſio. Hic ponderanda iſthæc Haberti nota: *Caveant qui præficiuntur
eorum audiendis confeſſionibus qui ad mortem damnantur, ne quovis modo ſignifi-
cent Miniſtris juſtitiæ hunc vel illum eſſe innocentem, quia de aliis ſilendo, indi-
recte ſignificarent eos ſe probaſſe reus.*

Hinc rurſus cum P. Antoine p. 384. colligo, quod jam monui, ca- 92
vendum confeſſario, ne uſquam dicat: *Hæc vel illa peccata audivi in con-
feſſione.* Etſi enim non violat ſigillum, qui ſolerter tacitis perſona & lo-
co, præcluſoque omni cuilibet ſuſpicioni aditu, præciſe peccata quædam
refert ut in confeſſione audita; eſt tamen hic nonnihil quod male &

moleſte ſonet, ſæpiſſime quoad Laicos facile in his rebus ſcandali capaces; nonnunquam etiam quoad Sacerdotes. Adde 1. quod hujuſmodi locutionem a Concilio Lateranenſi prohibitam fuiſſe exiſtiment nonnulli cum Fagnano; quia Concilium illud tunc ſolum de peccato quopiam, caute ſuppreſſo pœnitentis nomine, loqui permittit, cum Sacerdos *prudentiori conſilio indiguerit*. Quod autem in uno tantum caſu permittitur, in aliis cenſetur prohiberi. 2. Quia fieri poteſt ut ex variis quæ ſecum invicem, contra ſpem omnium, conferuntur circumſtantiis, detegatur reus peccati generatim tantum expreſſi. Sic dicet pœnitens quæpiam: Ego primo omnium apud Joannem depoſui peccata: & aliquanto poſt neſcius hujuſce dicti Confeſſor dicet: Quam primam audivi, adulterii rea erat; & hinc fiet, quod ſemel factum eſt, ut utriuſque voces conſocians maritus, pugione uxorem confodiat. Vide Bail. de triplici examine in ipſo fine examinis Confeſſariorum p. 169. alias 161. ubi relato pari caſu ex Baptiſta Conrado, ait: *Ecce caſus: qui habet aures audiendi, audiat.*

Quæres quid reſpondere debeat confeſſarius cum interrogatur 1. an is ejus pœnitens tale crimen commiſerit. 2. An huic vel illi dederit abſolutionem.

93 Quæſtio procedit de crimine per ſolam confeſſionem cognito. Qui enim facinus ſibi poſtea confeſſum vel perpetrari vidit, vel a teſtibus fide dignis audiit, ſua hac notitia exterius uti poteſt; cum peccata nonniſi ut per confeſſionem nota celare teneatur: & aliunde facile ſceleſtus quiſque juſtitiæ viam præcluderet; duobus, quos ſolos habuiſſet criminis ſui teſtes, ſtatim ſucceſſive confitendo. Hic tamen ſerio cavendum ne Sacerdos cognitionis extra Tribunal partæ limites tranſiliat, ſeu quidpiam addendo quod ex ſola confeſſione audierit, ſeu firmiter aſſerendo, quod ante confeſſionem nonnihil dubium exiſtimabat. Unde qui prævidet ſe & a Judice interrogatum iri, & rei confeſſionem excepturum eſſe, bene ſibi conſulet, ſi ante omnia ſcribat quidquid vel vidit ipſe, vel ab aliis audivit. Jam

94 Circa primum quæſtionis caput exiſtimavit Gabriel, Confeſſorem ſub juramento interrogatum, teneri ad revelandam confeſſionem, ne perjurus ſit. At exploſa, ut decet, opinione hac, quam erroneam pronunciat Vaſquez cum S. Thoma & ceteris; dicendum neque in hoc, neque in alio quopiam caſu revelari poſſe confeſſionem pœnitentis: & id ex dictis indubie conſtat.

95 Sed quid tum faciet Confeſſarius. An ſilebit? An dicet ſe neſcire? An alio ſe expediet modo? Vaſquez, Ricardus, Lugo n. 73. & alii negant tunc ſilendum eſſe, quia ex ſilentio poſſet identidem ſuſpicio naſci vel augeri. Haud tamen video quid ſuſpicionis ingerat modeſta hæc & cauta reſponſio: *Quoties de pœnitentibus meis agitur, nihil aliud poſſum quam conticere*. Ut eſt, poteſt tunc Sacerdos ex omnium conſeſſo dicere, *Neſcio*, vel *non audivi hoc peccatum*. Ratio eſt quia qui interrogatur, humano more interrogatur, proinde ut homo. Atqui Miniſter non ſcit ut homo, *ſed ut Deus;* uti docent omnes cum S. Thoma *, vel potius cum tota retro Traditione.

Quod

* „ Nullus ad revelationem confeſſionis poteſt ab homine cogi vel licentiari. Unde „ ſi præcipitur ſub pœna excommunicationis jam latæ quod dicat ſi aliquid ſcit de tali peccato, non debet dicere: quia debet exiſtimare quod intentio præcipientis eſt, „ ſi ſciat ut homo; hoc autem non ſcit ut homo ∴ neque excommunicationem *tunc* „ incurreret, quia non eſt ſubjectus Superiori ſuo ut Deus. *S. Thom, Supp. quæſt. 11. art. 1. ad 2.*

Quod ſi interrogans inique inquirat quid audieris ut Dei Miniſter; exiſtimant Suarez, Lugo n. 74. & alii cum iis plures tunc etiam reſpondere poſſe, *neſcio*, *non audivi*. Verum quia doctrina hæc mille ambagibus obnoxia eſt, placet nobis hæc, quæ Sambovio placuit, D. Soti Reſponſio: vel qui hoc modo interrogat, *tyrannus eſt infidelis*, & tunc *reſpondendum eſt illi ∴ Religionem Chriſtianam præcipere de ſacramentali confeſſione in neutram partem quidquam eſſe loquendum*. Vel eſt malus Catholicus; & tunc *multo efficacius reſpondendum eſt reprobatiſſimo* illi *Chriſtiano tanquam Sacrilego*, ſive rem audierit Confeſſarius, ſive non: *Non eſt fas ut ad iſtam ſacrilegam interrogationem quidquam reſpondeatur. Et in utroque caſu ſi Tyrannus mortem illi Sacerdoti comminaretur, illa eſſet potius appetenda, quam verbum ullum proferendum, quod in revelationem Sacramenti confeſſionis vergeret*. Unde hic dicendum à Miniſtro, quod in alia occaſione cuipiam excidium comminanti reſpondit Ambroſius: *Facies quod Tyranni, patias quod Epiſcopi*. 96

Sed quidni ſi pœnitentis innocentiam noverit Confeſſarius, reſpondeat ſe crimen ipſi impactum non audiviſſe? Duplici de cauſa, 1. quia nemini ullam de auditis vel non auditis in confeſſione rationem reddere debet. 2. Quia primum de innocente doloſe interrogatus, ſtatim de nocente ſuſpecto interrogaretur: Reſponſique incertus proderet vel hæſitando, quem ne minimum quidem prodere debet. Itaque nec reſpondeat Confeſſarius, *Audivi*, quia frangeret ſigillum: nec dicat, *Non audivi*; quia forſan ſuſpicabuntur reum non integre confeſſum eſſe: nec demum taceat; quia qui tacet, quandoque conſentire judicatur; ſed hæc una ſit vox ipſius: *Sacrilega eſt tua hæc interrogatio, ad quam probinc cum niſi ſacrilege reſpondere poſſim, boni conſule ut fiam ſicut mutus non habens verba in ore ſuo*. Imo, ait Habert Cap. 9. §. 6. q. 6. ſi Sacerdos ſit Paſtor, & eo titulo Parochianorum ſuorum Conſiliarius, & in teſtimonium adverſus quempiam ex ipſis vocetur, opponet Judici Paſtorale ſuum munus, ex quo gaudere debet privilegio Advocatorum, qui immunes ſunt à ferendo adverſus eos à quibus conſuluntur, teſtimonio: quia non ſtaret alioqui humana ſocietas, ſi privati in negotiis difficilioribus conſilium à peritis tuto capere non poſſent. In caſibus tamen extraordinariis, in quibus conſtaret Paſtorem non ex iis quæ fidei ſuæ commiſſa ſunt, ſed ex viſu fortuito teſtari, non eximeretur à ferendo contra Parochianum teſtimonio, ſi neceſſum foret ad comprimendum malum. Hactenus ille. 97

Circa ſecundam quæſtionem quomodo nempe loqui debeat Confeſſarius de eo quem non abſolvit, 1. permittunt Cajetanus & Fumus in Armilla, ut dicat, *Non abſolvi illum*, quia plures eſse poſsunt non abſolvendi cauſę. Sed male, quia vulgaris & frequens non abſolvendi ratio ex ſubjecti indiſpoſitione naſcitur. Unde hic ſubeſt indirecta revelatio, pęnis juris obnoxia. 98

2. Concedunt plerique cum Lugo ib. n. 84. ſine peccato dici: *Hunc non abſolvi, quia deerat abſolutionis materia*. Ab hac tamen locutione temperandum credo; quia licet nulla hic ſubſit revelatio directa reſpectu hujus; eſt tacita quædam illius comparatio cum aliis, quæ nonnihil offendit. 99

Hinc etſi dici poteſt, *Eum non abſolvi, quia generalem ſuam confeſſionem hodie perficere noluit;* vel *quia alio vocatus ſum, & aberat, cum redii;* ſemper conſultius erit curioſos alienæ abſolutionis interrogatores ad ipſum 100

pœni-

pœnitentem remittere; vel potius generatim proteſtari, ſe nuſquam de pœnitente vel abſolutione ejus loqui.

Sed quid ſtricti juris, ſi vel Superior conqueratur quod Sacerdos publicum abſolverit peccatorem, qui ad ſacram menſam accedere viſus eſt; vel pœnitens Confeſſarium vocet ad Superiorem, & ei licentiam concedat exponendi cauſas denegatæ abſolutionis?

101 Reſpondent plures hoc ſolum in priori caſu dicendum a Confeſſario quod ſuo munere functus ſit. Alii & melius volunt ſimpliciter reſponderi: *Non licet mihi dicta & acta in confeſſione revelare ſine injuria Sacramenti*. Quin & iſtud; *Munere meo defunctus ſum*, reprobat Henno pag. 343. tanquam ſigilli violationem; utpote quod in hujuſmodi circumſtantiis idem ſonet ac *Non abſolvi*: Aſt id falſum videtur, cum poſſit quis vel credere ſuo ſe munere defungi, cum male abſolvit; vel extraordinarias in pęnitente diſpoſitiones percipere, quibus contra communem regulam cedendum ſit. Interim Superiori abſtinendum eſt ab hiſce interrogationibus, quæ Miniſtrum fatigant & confundunt; idque perperam, cum multi pſeudo pœnitentes ſe ſe abſolutos fuiſſe glorientur, quin & ad Domini menſam accedant minime abſoluti. Quod Si, ait Lugo ibid. n. 85. *Pœnitens falſo ſe jactet eſſe abſolutum, non poteſt Confeſſarius id negare, ſed ſolum dicat, ſe feciſſe debitum ſuum*. Pergit idem Theologus: *Si vero pęnitens dicat ſe non fuiſſe abſolutum, quia non erat diſpoſitus; aliqui concedunt poſſe tunc Confeſſarium idem etiam dicere. Sed eſt omnino falſum; quia nec peccata ipſa publica audita in confeſſione poſſunt revelari. Imo nec placet, quod aliqui addunt, poſſe Confeſſarium dicere:* Ipſe dicit quod ego eum non abſolvi; *Hoc enim ipſum videtur approbare veritatem negatæ abſolutionis, niſi aliquo modo conſtet Confeſſarium illud non approbare.*

102 Quod ad poſteriorem caſum ſpectat, dicendum cum Magiſtro Pariſienſi, haud licitum eſſe Superiori diſcutere hujuſmodi controverſiam; quia forum internum eſt Dei ſolius, non hominum. Ad ſummum igitur poterit Epiſcopus prudentem alium delegare Sacerdotem, qui hujuſce pœnitentis confeſſionem excipiat. Confeſſarius vero licentia illa ſibi ad reſpondendum inordinate conceſſa uti non poteſt; quia pugnat contra reverentiam Sacramenti, quod nunquam ad forum externum & contentionem transferre licet. Hæc ille

103 Subjungere hic liceat quod a P. Turneminio audivi. Conqueſtus eſt olim apud Epiſcopum *** Publicanus quidam, quod ſibi a Sacerdote negata eſſet abſolutio, præciſe eo quia regium vectigal tractaret. Prodire jubetur Confeſſor, ut de pęnitentis licentia teſtimonium perhibeat veritatis. Senſit laqueum naſutus homo, modeſteque & breviter pauca hæc locutus eſt: An Dominum N. abſolverim, necne, mihi prorſus ignotum eſt, ut qui quæcumque in Tribunali dicta ſunt, extra Tribunal obliviſcar. At ſi in præſens quæ mihi confeſſus eſt, ſigillatim recenſere velit, dicam, ſi forte, ut queritur, non abſolvi, cur minime abſolverim. Non acquievit propoſitæ conditioni pœnitens, ſed barbarum neſcio quid infrendens receſſit: & laudavit Præſul Miniſtrum, quod moleſtam ſpinam ſibi prudenter avulſiſſet.

Quæres 2. quid facto opus ſit, ſi is cui negata eſt abſolutio, confeſſionis factæ ſchedulam petat.

Reſpon-

Reſpondent Bonacina diſp. 5. q. 6. ſect. 5. punct. 4. n. 7. Lugo n. 87. & Nat. Alexander Cap. 5. art. 10. Reg. 52. eum qui ſchedulam hanc negat, fracti ſigilli reum non eſſe; quia nihil facit ex quo alter directe vel indirecte poſsit cognoſcere delicta pœnitentis; neque ipſa magis prodit, quam cum abſolutionem negat. Nec obeſt, inquit N. Alexander, quod id a circumſtantibus, quod tamen cavendum obſervari poſsit. *Pari enim modo obſervare poſſunt, cum aliquos abſque abſolutione dimittit*, nec *tamen indignos & impœnitentes abſolvere tenetur*. Addit Lugo, quod etſi citra mendacium ſchedulam hanc dare poſſit Confeſſarius, *quia in ea ſolum teſtatur hunc confeſſum eſſe;* hic tamen reperiri poſſit peccatum ſcandali, *ut ſi detur peccatori publico qui non eſt emendatus; vel etiam occulto, qui eo modo palliat iniquitatem ſuam, & ſatisfacit Parochis ac Dominis, eos decipiendo ſub ſpe virtutis*. Non video tamen quomodo in poſtremo iſto caſu ſubſit periculum ſcandali. Eſſet ad ſummum cooperatio quædam hypocriſi. 104

Ut eſt, melius noſtro judicio ſentiunt, qui cum Sambovio Tom. 1. caſ. 5. docent, 1. Non poſſe Parochos inter conveniri ut iis ſolum detur ſchedula, quibus impenſa fuerit abſolutio: Sic enim aperte revelaretur prava ceterorum diſpoſitio. 2. Ubi firmata eſt id genus ſchedularum conſuetudo, eas nemini confeſſo (generatim loquendo) eſſe denegandas. Si enim iis ſolum dentur, qui ſacra menſa digni ſunt, ceteri ea indigni ſtatim ab unoquoque, vel ſaltem a Parocho judicabuntur. 3. Pœnitentem ſchedula illa munitum non poſſe a ſacra menſa excludi. Quod rurſus morali duntaxat ſenſu intelligendum; ut paulo poſt dicam. Atque hinc ſchedulæ illæ ex uſu jam recepto habent: *Anno ∴ die ∴ menſis ∴ audivi in confeſſione N. in Parochia ∴ habitantis.* 105

Dixi 1. id genus ſchedulas nemini confeſſo, *generatim loquendo*, eſſe denegandas. Reipſa enim peccatori publico, modo indubie tali, ſeu intus converſo, ſeu non, denegandæ forent, donec datum ſcandalum reparare incepiſſet. Neque tunc negarentur ex ſcientia in confeſſionem parta, ſed ex publica cognitione. In eo autem caſu ſatius judicaverim, hunc bonæ vel malæ fidei pœnitentem, ante confeſſionis initium, futuræ hujus denegationis admonere. 106

Dixi 2. pœnitentem, qui alieno de proprii Sacerdotis licentia confeſſus eſt, ab iſto non poſſe a ſacra Cena excludi; & id *morali ſenſu* intelligendum eſſe: quia publicus ac notorius peccator, ne a Parocho quidem, cui confeſſus eſt, ad Synaxim admitti debet. *Quod ſi*, ait Lugo n. 88. *dicat*: Confeſſus tibi ſum, & tu me abſolviſti; *reſpondere poteſt Confeſſarius*: De confeſſione tua nihil ſcio: ſed ſcio te eſſe publicum peccatorem, & ideo te repello a communione. Sane qui etiam Angeli juſſu publicum peccatorem reconciliaſſet, cum palam ad ſynaxim admittere non poſſet, niſi prius palam & publice emendatum. 107

SECTIO QUINTA.

An & quatenus Sacerdos ſcientia per confeſſionem habita uti poſſit.

Gravis iſthæc quæſtio geminam complectitur difficultatem. Prima in eo jacet an Confeſſarius ſcientia ex tribunali habita uti poſsit ad inferio-

inferiorum ſuorum vel aliorum regimen; puta an noctu vigilare queat; quia didicit per confeſſionem quoſdam noctu circumcurſare an jubere ut occludantur fores, quia reſcivit nonnullos citra licentiam vagari; an negare beneficium vel officium, quod animo ſolum deſtinaverat alicui, quem ei omnino imparem judicat ex ipſius confeſſione. Secunda eſt num liceat uti eadem notitia ad avertendum grave quod ſibi vel alii cuipiam impendet periculum; puta an abſtinere poſſis a celebrando, quia mox didiciſti mixtum eſſe in urceolo venenum cum vino; an Judicem vel alium de proximo civitatis incendio monere &c. A ſecunda difficultate uti minus ardua initium ducemus.

§. I. *An confeſſione uti liceat ad avertendum damnum &c.*

108 Damnum cujus per confeſſionem habetur notitia, vel alii quam Confeſſario impendet, ut ſi didicerit Sacerdos ſtrui inſidias Principi, urbem ferro ac flammis quinta poſt die devaſtandam, hæreſim ope alicujus graſſari in urbe, Matrimonium quod paratur, ex impedimento dirimenti nullum fore &c. vel ipſum ſpectat Confeſſorem, & iſtud vel temporale eſt, ut quod hac nocte in domo ſua comburendus ſit; vel ſpirituale, ut cum per confeſſionem diſcit, ſibi parari maxime proximam peccandi occaſionem; aut eum, quo utitur, Confeſſarium, non eſſe Sacerdotem, vel non eſſe approbatum.

Circa primum caput ſenſerunt quidam nullam eſſe ſigilli legem, cum de avertenda hæreſi, vel Principis morte agitur. Idipſum Canoniſtæ nonnulli quoad Matrimonia, quæ ceteroqui invalida forent, docuerunt. Verum opiniones illæ ad minus erroneæ nullas unquam in Theologia radices egerunt. Unde ſit

CONCLUSIO I. *Nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo ſigno licet in aliquo caſu*, quantumvis Eccleſiæ vel Reipublicæ damnoſo, *revelare confeſſionem*. Ita S. Thomas Quodlib. 12. q. 10. art. 1. Nat. Alexander ubi ſupra Reg. 48. & alii.

109 Prob. 1. quod juris eſt divini nullam patitur exceptionem, niſi in caſibus eodem jure divino exceptis. Atqui præfati caſus, nec in ſcriptura, nec in ſanctiori Traditione excepti ſunt. Quin imo ubicumque generaliter ſancitum eſt, quod ſtatim docebat S. Thomas, in nullo unquam caſu revelari poſſe confeſſionem.

110 Prob. 2. conſtat non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; præſertim cum bona hæc & in genere ſuo longe minora ſunt malis, & per mala hæc comparari non poſſunt, ſed e contra. Atqui 1. revelatio confeſſionis de ſe ingens eſt ſacrilegium, ut ibid. ait S. Thomas, & nos ſupra probavimus. 2. Bonum quod per mali hujus viam obtineretur, longe minus foret ipſo malo. Bonum enim illud ad ſummum foret urbis alicujus conſervatio. Hæc autem quid demum eſt comparate ad ſubverſionem Sacramenti unius, quo ſemel ſublato tot hominum millia in æternum perirent? 3. Nec bonum illud compararetur: Ecquis immane excidii Principis vel Reipublicæ conſilium verſans animo, id aperiet Sacerdoti, a quo ſe ſe ſtatim prodendum eſſe intelligat. Contra vero, ſi perſuaſus eſt, ut eſſe debet, alto premendum eſſe ſilentio quidquid dicet, tentationem

Digitized by Google

tationem ſuam candide referabit; qua profunde cognita horrorem ſceleris, parata eidem in tempore & in æternum ſupplicia, inſontis familiæ probrum & ignominiam, aliaque id genus, quæ ſaxeum pectus emolliant, ſuaviter ac fortiter exhibebit Confeſſor. Tum ſuſus in preces & lacrymas per Chriſti viſcera & ſanguinem hortabitur ut a ſacrilego facinore abſtineat; inopi temporum duritiem conquerenti, de ſuo etiam neceſſario providebit; nobili, ſeu in uxore, ſeu in liberis turpiter inhoneſtato, ſuadebit ut dimittat, ſicut ſibi a Deo dimitti optat & indiget. Hæc porro quæ toties deſperatę mentis viros ad meliora revocarent, quidni patriæ proditorem flectant?

Confirm. 1. quia, ut refert Ill. Cardinalis Perronius, in ſua ad Angliæ Regem reſponſione pag. 563. & 564. Sceleſtus ille Henrici Magni ſicarius a propoſito ſuo in Tribunali deterritus fuiſſet, niſi tunc temporis quidam ſparſiſſent in vulgus, læſæ Majeſtatis crimen ſigillo confeſſionis minime obſtringi. 111

Confirm. 2. quia etſi crebra variis in Regnis lege ſancitum ſit, ut durioribus afficerentur pœnis, qui homines in Principem vel patriam conjuratos non detexiſſent; nihil unquam tale adverſus Confeſſarios ſancitum eſt; ut liquet vel ex ipſo Ludovici XI. Principis poſt homines natos vitæ diu protrahendæ ſtudioſi, edicto. 112

Idem confirmari poteſt ex colloquio inter Henricum IV. ejuſque Confeſſorem * habito. Cum enim iſtum Rex interrogaſſet, an nulla de cauſa poſſet quis liber eſſe a revelanda conjuratione adverſus Regem inita. Reſpondit ille ſagaciter, a nemine unquam violari poſſe ſigillum confeſſionis; alioqui actum fore de Sacramento pœnitentiæ; graviora multo eſſe peccata, quæ quis contra Deum meditatur, quam quæ contra mortalem, qualis & quantus iſte ſit; illa tamen, Deo proprium honorem in Sacramenti gratiam remittente, neutiquam poſſe revelari; demum multo plus ſaluti Regum per ſigillum confeſſionis, quam per ejus proditionem conſuli &c. Urgente autem Henrico annon ſaltem parantem hoc ſcelus a propoſito revocaret. *Imo*, inquit, plus *facerem: ſi enim extra tribunal, & crimen & criminis complices reſerare vellet, flexis coram Majeſtate tua genibus, veniam ipſi obtinere eniterer.* 113

* P. Cotton.

Subdunt tamen Theologi etiam graves cum Nat. Alexandro ib. *Poſſe atque etiam debere Sacerdotem monere Principem, vel eos qui Reipublicæ præſunt de periculo imminente, ſpeciemque criminis attentati revelare, modo reum ex cujus confeſſione illud novit, nominatim & in individuo non indicet, non prodat, non revelet.* Nec dubium quin ea ſit S. Thomæ doctrina, in Suppl. q. 11. art. 1. ad 1. ubi; *Poteſt etiam* Confeſſor *dicere Prælato, quod diligentius vigilet ſuper gregem ſuum: ita tamen ut non dicat aliquid per quod verbo vel nutu confitentem prodat.* Non deſunt porro qui pœnitentem de futura hac monitione moneri velint, ut amplius a crimine deterreatur. Sed nec deſunt qui in tota illa agendi ratione aliquid ſigillo adverſum deprehendant: quod ex dicendis elucoſcet. 114

Objiciuntur duo, 1. quandoque contigiſſe, ut rei læſæ Majeſtatis a Confeſsore denuntiati damnarentur ad mortem, uti videre eſt in *Republica* Bodini lib. 2. Cap. 5. apud Lengletum p. 112. 2. Inſtar principii apud veteres fuiſse iſtud: *Hæreſis eſt crimen, quod* nec confeſſio celat. Unde S. Petrus Celeſtinus Opuſc. 8. Cap. 18. *Heretico & infideli non tenetur* 115

Sacer-

Sacerdos ſecretum ſervare *ſecundum multos*: quod & alii quantum ad dirimentia Matrimonii impedimenta ſtatuerunt, ut videre eſt apud Guillelmum Altiſiodor. Lib. 4. Summæ Tract. *6*. q. 4.

116 R. ad 1. 1. a facto ad jus non ſemper legitime concludi. 2. Teſte Bochello in Bibliotheca juris &c. v. *Confeſſio*, ſolemni Pariſienſis Curiæ Areſto definitum eſſe die 23. Octob. an. 1580. *non poſſe Confeſſarium adigi ad revelandum delinquentis confeſſionem, quantumcumque ingens ſit ejus crimen, atque etiamſi impendio neceſſe foret illum plecti ad exemplum*. 3. Suſpectam eſſe Bodini narrationem, quam ab uno ſolum Advocato mutuatus erat. Quis enim ſibi perſuadeat, memoriam facti recentis, & turbas eo parituri graviores, quod novum ſit & inſolens, tam cito ex hominum memoria effugiſſe, nulla ut ejus niſi apud Cauſidicum unum ſupereſſent documenta.

117 Ad 2. docuere equidem multi cum S. Thoma Suppl. q. 11. a. 1. ad 1. Confeſsorem *aliquod remedium adhibere* debere, *quantum poteſt ſine revelatione confeſſionis; ſicut monendo eos qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæreſim*. At tunc ſimul cum S. Doctore ſedulo caveri voluerunt, ne *verbo vel nutu confitentem* proderet Sacerdos, niſi forte confitens uteretur Tribunali, ſeu ad inſinuandam Confeſsario ipſi hæreſim, ſeu ad præcludendas ipſi fauces contra hæreticum: quo in caſu hodieque cenſent multi, nullum magis hæretico deberi ſecretum, quam infideli; quia neutrius confeſſio ſincera ſit & ſacramentalis, ſed mera confeſſionis abuſio.

118 Quod ſpectat ad Matrimonii impedimenta, jam ubique ratum eſt, hæc, ſi per ſolam confeſſionem detecta ſint, altum ſilenda eſse. Ex eo autem quod id nonnulli in dubium vocaverint, exurgit grave in ſigilli favorem argumentum. Si enim in re, a qua dolum & errorem averti tantopere intereſt, ceteri Theologi pro ſigillo reclamaverint, contra legem ejus quibuslibet incommodis ſuperiorem judicatam fuiſse.

Circa alterum quæſtionis caput, an ſcilicet ad avertendum quod ſibi paratur graviſſimum damnum, uti poſſit Sacerdos ſcientia *confeſſionalis*, duplex eſt opinio, affirmans altera, altera præfracte negans.

119 Supponendum autem in primis, nec licitum eſse in hoc caſu revelare confeſſionem (ut male & erronee docuit Gabriel,) quia lex ſigilli ex iis eſt, quæ ſicut lex vitandæ fornicationis, nullam ex quocumque detrimento exceptionem admittit; nec ullam eſse legem quæ jubeat rationem haberi ſimulatæ confeſſionis. Expendendum igitur *maxime*, ait cum ceteris Lugo n. 110. an pœnitens *vere animo confitendi illud dicat; an potius animo iniquo ligandi Confeſſarium arctiſſimo ſigillo, ne auſit fugere ob metum violandi ſigilli; quo caſu non tenetur ad ſecretum*, hoc ſaltem ſenſu quod ſibi conſulere clanculum non poſſit. Hæc autem confitentis *intentio ex circumſtantiis bene poteſt deprehendi*. Si enim actis eidem gratiis, quod te benigne monuerit, tacite vel expreſse conſentiat, ut data tibi notitia utaris, nihil jam eſt a ſigilli læſione timendum. Si vero furialiter inclamet, te igitur uſurum confeſſione ipſius; jam evidens eſt te ab eo moneri, ut in foveam certius demergaris. Quod ſi in eo deprehendas hominem ſcelus inter & ſceleris omiſſionem ſuſpenſum; qui forte polliceatur abſtenturum ſe ab inferenda tibi morte; ſed ſimul confiteatur, ſe idipſum pluries

jam

Digitized by Google

jam promiſiſse, ſincere ut ſibi videbatur; ſed, agente quo poſſidetur ſpiritu nequam, vix unquam ſtetiſse promiſſis: tunc poſtrema hæc confeſſio erit ſacramentalis: & is eſt caſus circa quem ſcinduntur Theologi: alii enim cum Scoto, Majore, & Adriano docent tunc temporis licitum eſse vitæ ſuæ conſulere. Alii vero id ſevere prohibent cum Ricardo, Soto, Navarro, Medina, Vaſquez, Ledeſma, Suarez cit. diſp. *33.* ſect. *7.* n *6.* Lugo eod. n. 110. &c. Sit

Conclusio II. Ne ad ſervandam quidem vitam licet uti confeſſionis notitia. *Aſt communis*, ait ibid. Lugo.

Prob. 1. quia nuſquam licita eſt indirecta confeſſionis revelatio, etiam ad propriam vitam tuendam; ſicut nec in eodem caſu unquam licita eſt fornicatio vel mollities. Atqui in præſenti occurrit indirecta confeſſionis revelatio. Si qui enim ſint hujus facinoris complices, ii ut videbunt Sacerdotem Alba jam indutum, qui a neceſsaria Miſsa abſtinet, vel aliud vinum apponit, intelligent huic detectam eſse machinationem ſuam. Si vero confitens unus ſit ſceleris artifex, (quod vix niſi in amente ſupponi poteſt, cum qui atrocia hæc animo volvunt, eadem neutiquam confiteantur) is æque percipiet confeſſionem ſuam Sacerdoti prodeſſe; adeoque famoſam illam ſigilli legem in irritum deduci animadvertet. 120

Confirm. quia ſi nulla eſse ſupponatur in eo caſu indirecta revelatio, licebit tunc Sacerdoti fugere, tametſi ſciat pœnitentem idcirco a complicibus interficiendum eſse velut ſecreti proditorem. Atqui conſequens omnino abſurdum eſt, ut notat Suareſius; *quia multum derogat huic Sacramento, quod aliquis poſſit ratione illius tam grave detrimentum pati.* 121

Prob. 2. quia bonum Sacramenti dubio procul vitæ noſtræ præferendum eſt. Atqui exigit bonum Sacramenti, ut in eo etiam caſu ſigillum inviolate ſervetur. Namque e bono Sacramenti eſt, ut peccator, dum ſua quæque Sacerdoti pandit, certo confidat hæc, quæ alioqui non manifeſtaret, nec directe nec indirecte revelatum iri. Alias & præcluditur aditus confeſſioni, & aperitur Sacerdotibus via ad revelationes ſaltem indirectas. Quod enim is ſibi pro ſalute propria licitum credet, id ſibi alter pro vita matris, pro neptis honore licitum exiſtimabit: ſicque demum tam peccator quam Confeſsor carebunt ſecunda illa poſt naufragium tabula, quæ tot cœlo peperit cives. Ergo 122

Confirm. quia ſi, ut bene Lugo, licitum eſt Carthuſienſi ſpondere abſtinentiam a carnibus, etiam cum diſpendio vitæ, propter commune Religionis ſuæ bonum; ne ſemel conceſsa carnes comedendi licentia evaneſcat ſalutaris diſciplinæ rigor: *quanto magis propter commune bonum Sacramenti adeo neceſſarii potuit neceſſitas & utilitas publica obligare ad celandam confeſſionem etiam cum vitæ periculo: quod quidem periculum non eſt morale ſicut in Carthuſiano, ſed metaphyſicum, & quod nunquam reperitur.* 123

Obj. cum Coninch. diſp. 9. dub. 4. n. 54. & ſeq. poteſt in præſenti Confeſſarius notitia ſibi a pœnitente data uti, ſi nulla hinc immineat revelatio etiam indirecta. Atqui quando ſoli complices ſceleris idem ſcelus confeſsum fuiſse intelligunt, nulla tunc eſt etiam indirecta revelatio. Qui enim publicum homicidam mox palam capite plectendum publice abſolvit, aperte declarat ſuum ab eo crimen confeſsum fuiſse. Imo & dicere poteſt in genere, ipſum multo cum dolore peccata ſua reſeraſse. 124

Atqui

Atqui nulla hic ſubeſt etiam indirecta ſigilli revelatio. Etſi enim ſigillum frangit, qui alterius peccatum revelat, non tamen qui tantum revelat eum apud ſe fuiſſe confeſſum. Unde ſi hæretici famulus, inſcio domino confiteatur Sacerdoti, & ſubinde dominus mortem minetur Sacerdoti, niſi is rem dicat ut ſe habet; poterit Sacerdos verum fateri, licet inde ſciat futurum ut ea de cauſa famulus ab hero necetur, & alii idcirco a confeſſione avertantur. Ergo non obligat ſigillum ad celandam confeſſionem in genere, licet alii inde colligant confeſſionem de tali peccato fuiſſe; vel aliquod detrimentum eapropter pœnitens ſubire poſſit.

125 R. ad 1. diſt. min. nulla eſt revelatio quando complices intelligunt ex ſolo confeſſionis actu peccatum fuiſſe confeſſum, C. quando intelligunt ex aperta peccati revelatione peccatum fuiſſe confeſſum. N. Itaque qui dicit duntaxat aliquem ſibi eſſe confeſſum, non revelat confeſſionem. (Niſi ſic utcumque detegat peccata pœnitentis; ut ſi dicat Major Pœnitentiarius ſe audiviſſe Titium, ordinario ſuo Confeſſori, qui tunc non aberat, invicte addictum.) At dubio procul revelat confeſſionem, qui prius revelat peccatum quam confeſſionem. Atqui in præſenti caſu Confeſſarius multo magis peccatum ſignificat, imo nonniſi ex ſignificatione peccati ſignificat hunc hominem eſſe confeſſum. Cum enim abſtinet a vino propter venenum eidem admixtum, prius & directo ſignificat peccatum veneni præparati; ex quo complices ejuſdem peccati confeſſionem colligunt. Quemadmodum igitur fracti ſigilli reus eſt, ſi dixerit: Vinum iſtud toxico mixtum eſt, vel Mihi hac nocte paratæ ſunt inſidiæ ad mortem; ſic & ejuſdem læſi ſigilli reus eſt, ſi id ſigno dicat vel facto.

Hinc liquet objecta exempla ad rem non ſpectare. Qui enim homicidam abſolvit publice, actum quidem confeſſionis ejus declarat, ſed nullum ejus peccatum utcumque detegit: idemque eſt de eo qui famulum hunc ſibi eſſe confeſſum fatetur. Quod autem hinc confeſſio fiat difficilior, non provenit ex confeſſione ut confeſſio eſt, ſed ut eſt opus Religionis hæreticis exoſum. Contra vero in caſu quem expendimus, & declaratur virtualiter peccatum, & ex hac ejus revelatione confeſſio odioſa efficitur. Hæc in ſumma Lugo n. 113. & 114. & meo judicio, non inepte.

126 Obj. 2. Sigillum confeſſionis non debet extendi contra Chriſti intentum. Atqui poſitis ſemel principiis non noſtris extenditur ∴ Repugnat enim Chriſti intento, ut ſervet quis ſigillum cum evidenti æternæ ſuæ ſalutis diſpendio. Atqui in principiis noſtris ſervandum eſſet ſigillum, non modo cum temporaneæ, ſed & cum ipſo æternæ ſalutis diſpendio. Prob. min. Gravi æternæ ſalutis diſpendio obnoxius eſt, qui ſemper invalide abſolvitur, aut cui imminet occaſio peccandi tam gravis, & omnibus inſpectis tam proxima, ut ei infallibiliter ſit ceſſurus. Atqui utrumque hoc diſcrimen in principiis noſtris ſubeundum erit. Supponamus enim Petrum, qui Joanni pluribus ab hinc annis confitetur, ex confeſſione ejus intelligere Joannem non eſſe Presbyterum; aut ex ſpecioſæ admodum mulieris, quam audit, & in quam jam enixe propendebat, confeſſione admoneri, ſe ab ea ſub morbi prætextu, advocandum eſſe: In his utique caſibus imminet grave ſalutis diſpendium. Atqui tamen juxta nos nec a Pſeudo Sacerdote recedere licebit, ne indirecte reveletur confeſſio ipſius; nec proximam peccandi occaſionem, quocumque prætextu effugere.

R. ad

R. ad 1. neg. min. ad 2. dico cum Suarez ead. ſect. 7 n. 8. hujuſmodi caſus potius mente fingi, quam moraliter contingere poſſint: quia, Deo ſic providente, nuſquam deerunt media, quibus poſſit homo ſibi conſulere. *Admiſſo tamen* quantumvis *urgenti caſu, ſemper confeſſionis ſigillum ſervandum eſt; & ille Sacerdos providebit animæ ſuæ eo meliori modo quo poſſit, & conando & orando ad habendam contritionem, vel tentationem ſuperandam, cui non ipſe ſe exponit, ſed coactus exponitur: & cum id quod in ſe eſt faciat, non deerit*, homini præſertim qui ſola ſacramenti reverentia movetur, *divinum auxilium. Neque hi caſus in præſenti materia ſpeciales ſunt: ſimiles enim fingi poſſunt, ſi quis non poſſit vitare periculum niſi mentiendo &c.*

Cæterum in priori caſu, licet ut antea confiterer Joanni, alium tamen in diſtanti loco mihi Confeſſarium inquirerem, ſic ut nemo quidpiam hinc ſuſpicari poſſet. In caſu autem poſteriori pluribus occurrit incommodis, qui nullius præſertim feminæ niſi aperta janua, & quopiam eminus intuente confeſſionem excipit.

Quæres quid facto opus ſit, 1. cum pœnitens ob negatam ſibi abſolutionem, gravem confeſſario calumniam impingit. 2. An poſſit Sacerdos Tribunal non adire, ne tempus inaniter terat cum hypocrita, ex præviis confeſſionibus cognito, qui ut bonum habeat nomen, inſulſa multa & prolixa recenſet, ſine ullo emendationis propoſito. 3. An excommunicatum denunciatum, ſed tale ex ſola confeſſione notum vitare teneatur. 4. An ſaltem fugere poſſit, cum ſibi mors, quia abſolutionem negat, intentatur.

R. ad 1. non licere Confeſſario tueri ſe manifeſtando calumniæ cauſam, 128
negationem videlicet abſolutionis. Etſi enim vim vi repellere licet, non tamen cum revelatione Sacramento injurioſa. Aliis ergo rationibus, ſecundum jura, famæ ſuæ providendum.

R. ad 2. vel pœnitens ſimulate & ficte confitetur; & tunc confeſſio ejus 129
non eſt ſacramentalis: vel quamvis indiſpoſitus, puta quia reſtituere non vult, vere confitetur; & tunc vocatus Sacerdos ire tenetur. *Poterit tamen*, ait Lugo n. 117. *ſtatim initio confeſſionis eum dimittere, reddendo ei rationem, dummodo id ſine nota fieri poſſit; & petere ne iterum eum vocari faciat inutiliter*. Et hanc praxim in priori etiam caſus parte ſequerer.

Idipſum ſequerer quoad pœnitentem, cujus conſcientiam admodum in- 130
tricatam eſſe ex aliis ejus confeſſionibus intelligerem. Neque enim vel ex ementitis prætextibus excuſare me, vel abſcondere auderem; ne, quod faciliimum eſt, ſua ſibi peccata implicite objici ſentiret pœnitens, & forte alii: ſed humiliter rogarem, ut alium, ſi quis in vicinia foret, expertum magis adire dignaretur: niſi tamen hujus Paſtor eſſem; aut licet minime Paſtor, eo uſque cum ipſo eſſem progreſſus, ut ei jam grave reintegrandæ apud alium confeſſionis onus imponi non poſſet. Si tamen nulla eſſet ſpes finiendi, ſubeſſet vero quod alius finiret, aliter eſſe ſtatuendum cum utriuſque bono. Sed ad propoſitum regredi juvat. Unde

R. ad 3. negat. ſiquidem intelligat pœnitens ſe ex confeſſionis notitia 131
vitari; quia eſſet hæc indirecta quædam peccati exprobratio, quæ ſi ſeveriori vultu fieri non poteſt, nec etiam hujuſmodi fuga fieri valet.

R. ad 4. affirm. quia hæc mortis comminatio non eſt confeſſionis iſtius 132
materia, ſed peccatum in Tribunali coram Sacerdote perpetratum.

Unde ſicut is effugere poteſt cum gladium diſtringit pœnitens, ſic & cum ejus diſtringendi minas intentat. Neutiquam tamen licebit dicere, eum tibi mortem comminatum eſſe; quia abſolutionem negaſti.

§. II. *An confeſſionis ſcientia in exteriori regimine uti liceat.*

133 Certum eſt non omnem confeſsionis uſum Confeſſario interdictum eſſe. Poteſt enim & debet pro pœnitente Deum precari, ejuſque converſionem ſuppliciter efflagitare. 2. Poteſt & in dubiis virum doctum conſulere, ſecluſo ſemper quocumque manifeſtationis periculo. 3. Poteſt ex unius confeſsione alium circa quædam neceſſaria vel utilia interrogare; modò, quod facile eſt, non intelligat is unde ad hujuſmodi interrogationes moveatur Confeſſor. 4. Poteſt propriam ſuam emendare agendi rationem, cum ex duritie ſua, vel quodam deridendi aut nugandi modo, murmura, oblocutiones, & aliquod perſonæ ſcrupuloſæ ſcandalum enaſci animadvertit. 5. Poteſt rebus propriis diligentius invigilare, non quidem quantum ad ancillam, quæ furtum ſuum confeſſa, illico animadvertet illud ſibi tacite exprobrari; ſed quantum ad alios, quibus locum oppleri intelligit, nebulones. Ratio eſt quia in his ut jacent, nihil eſt quod ſpeciem ferat revelationis, nihil unde fiat Sacramento injuria, nihil quod ab eo removere poſſit.

134 Tota igitur quæſtio in eo eſt an Sacerdos ſcientia e confeſſione parta uti poſſit ad exterius regimen. Illud autem exterius regimen, vel tale eſt ut ſaltem a pœnitente animadverti poſſit, puta ſi confeſſus ſe noctu e domo egredi, fores præter morem occluſas inveniat; vel a nemine prorſus intelligi poteſt, puta ſi Superior pœnitenti non conferat officium, quod ei, nullo præter Deum conſcio, mente deſtinaverat.

135 Non una porro omnium eſt circa grave hoc punctum Scholæ ſententia. 1. Enim docent non pauci Epiſcopum, qui ſolo animo Parochiale Beneficium cuipiam deſtinaverat, & ex confeſsione ipſius eundem officio huic prorſus imparem eſſe detegit, mortaliter peccare, niſi hunc immiſericorditer excludat. Ita Sambovius Tom. 3. caſ. 18. ubi & longa veterum Scholaſticorum, Alenſis præſertim, Thomæ, Bonaventuræ, Gabrielis, Paludani, traditione fretus docet poſſe aliquem pari de cauſa vel ſuffragium ſuum negare indigno, vel indignum amovere ab officio, quod nec eidem prorogare tenetur, nec a ſe prorogandum, dicto vel facto inſinuavit. Idem ſentiunt Morinus, Sylvius, Nat. Alex. Reg. 48. & 57.

136 2. Ultra progrediuntur alii, & docent poſſe Confeſſarium ſcientia e Tribunali hauſta uti ad exterius regimen, non quidem particularium, quaſi v. g. poſſit huic pœnitenti ſuo negare licentiam eundi ad urbem, ubi peccat; ſed ad regimen commune; puta vigilando attentius, occludendo fores &c. mutando ſeras, muros attollendo, exteris claudendo aditum &c. Sit jam

Conclusio. Nullatenus in utroque caſu ſcientia per confeſſionem habita uti licitum eſt.

137 Prob. 1. ex Decreto Clementis VIII. dato die 26. Maii an. 1594. ubi ſic: *Tam Superiores pro tempore exiſtentes quam Confeſſarii, qui poſtea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de*

aliorum

aliorum peccatis habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur .:. Quemadmodum enim humanum regimen ab hoc Sacramento diſtat, ita etiam nullatenus ab eo debet dependere. Atqui hæc deciſio, licet directo ſpectet ad Communitatum Superiores. Confeſſarios ceteros non minus afficit ex identitate rationis. Tum quia eadem & forte majora ex hujus ſcientiæ uſu apud ſæculares, qui minus humilitatis & obedientiæ habent, quam apud Religioſos, naſcerentur incommoda; tum quia quod exterius regimen, ut pote a ſacramentali diſcrepans, *nullatenus ab eo dependere debeat*, ratio eſt generalis, quæ omnibus ex æquo convenit.

Neque Decreto illo ad præcavendum hunc confeſſionalis notitiæ uſum 138
indiguere ſapientiſſimi quique Religionum Præpoſiti. Jam enim ab an. 1590. Claudius Aquaviva Superior generalis S. J. ſeveriſſime prohibuerat ne ſuorum quis tali notitia uteretur. Unde, ait Lacroix Lib. 6. p. 2. *non licet* Superioribus noſtris *ratione talis notitiæ ſtatuere novas leges, crebrius viſitare, magis attendere &c. etiam ſecluſo omnis revelationis periculo*.

Prob. 2. ex Decreto Romanæ Congregationis die 18. Novemb. ann. 139
1682. in hæc verba: *Prævia matura conſultatione DD. Conſultorum facta fuit diſcuſſio ſequentis propoſitionis*: „ Scientia ex confeſsione acquiſita uti licet, „ modo fiat ſine directa aut indirecta revelatione & gravamine pœnitentis; niſi aliud multo gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur. “ *Addita deinde explicatione ſive limitatione, quod ſit intelligenda ad uſum ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu quo multo gravius gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur. Statuerunt dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione ſive limitatione; & præſenti Decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice aut privatim docere aut defendere, ſub pœnis arbitrio S. Congregationis infligendis: Mandantes etiam univerſis ſacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxin deducenda prorſus abſtineant*. Nunc itaque certum eſt, ait idem qui ſupra Theologus, illicitum eſſe uti ſcientia confeſsionis cum aliquo gravamine pœnitentis, quamvis abſit omnis ſigilli revelatio, & quamvis multo majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur.

Prob. 3. directe contra Sambovium, Nat. Alex. & eorum ſequaces. 140
Non poteſt admitti opinio, quæ Sacramentum in pœnitentis levamen inſtitutum, eidem odioſum reddit & formidabile. Atqui talis eſt opinio, quæ ſcientiæ confeſſionalis uſum permittit in eo etiam caſu in quo nequidem ſuſpicatur pœnitens Sacerdotem confeſſionis ſuæ ſcientia uti. Eo enim ipſo, quo conſtans erit apud Novitios v.g. vel Seminariorum alumnos, Confeſſorem ſcientia illa, ipſis non advertentibus uti poſſe, quo eos vel a Religionis profeſſione, vel a pingui beneficio removeat, jam eorum nemo conſcientiam ſuam ſecure aperiet: unde vel, ut ſæpius ex inani formidine contingit, ad alios, eoſque ut plurimum laxiores Confeſſarios recurrent; vel graviora ſua debita reticebunt, donec hæc libere alii cuipiam confiteri poſſint. Sane, ait Ethica n. 2881. ſi practice probabilis ſit Nat. Alexandri opinio, probabiliter timere poterunt praxim ejus. Atqui communis Doctorum opinio eſt, probabiliter timentem ſibi vel aliis grave aliquod incommodum, vel damnum, confeſſioni extrin-

ſecum, ex certi alicujus peccati confeſſione, ad confeſſionem hanc non teneri. Unde fiet, ſubdit idem Scriptor, *ut religioſi omnes, tam Profeſſi, quam Novitii, excuſentur ab obligatione gravia crimina confitendi; & ſic ab eorum confeſſione retrahentur.*

141 Prob. 4. quia opinio in qua frangitur data pęnitenti fides, procul amandari debet. Atqui ∴ Ut enim ſolide annotat Yſambertus diſp. 23. art. 8. p. 225. quoties pęnitens præ verecundia vel præ timore aliquid difficultatis habet in aperiendis minutatim gravioribus delictis; monere ſolent pii quique & eruditi confeſſores, ut cum omni fiducia penitiores animi receſſus aperiat, ut nihil vereatur; quia quidquid dixerit, miro dictum ſit, ob inviolatam ſigilli fidem. Atqui hæc Sacerdotis pollicitatio, ceteroqui pia, illuſoria erit, ac ſæpe fraudulenta, ſi hominem boni apud omnes nominis, vel ab Ordinibus, vel a Beneficio, vel a quapiam Religionis dignitate, quia ſua quæque fidenti animo, tanquam Deo ipſi aperuerit, removere liceat.

142 Objiciuntur nonnulla, & 1. auctoritas D. Thomæ Antonini, totque aliorum ſummi nominis, qui opinionem noſtræ adverſam tuiti ſunt. 2. Quod in præſenti caſu nulla interveniat revelatio, nulla peccati exprobratio; cum pęnitens Sacerdotis agendi rationem, nec advertat, nec advertere poſſit: 3. Quod pęnitens nullum habeat jus ad bonum ſibi ſolo miniſtri animo deſtinatum. 4. Quod eum excludendo Miniſter jure ſuo utatur. Verum hæc non urgent in præſens.

143 Non 1. neque enim ſola pugnandum auctoritate, cum ei gravia obſiſtunt momenta; & in iis quædam, quæ ſi ſummis illis Auctoribus cognita fuiſſent, eos a ſua dimoviſſent opinione; quale eſt, ut videtur, Clementis VIII. Decretum V. Quanquam, ſi contra communem omnium ſenſum, B. Thomam *Laureola diſtinctionis* proſequi voles, ut jubet Contenſon; poteris cum recentiore verba ejus interpretari de defectu, extra confeſſionem cognito, & propter quem Superior ſuum alicui negaſſet ſuffragium, etſi confeſſionem non audiiſſet.

144 Ad 2. non modo obligat ſigillum ne reveletur confeſſio, ſed & nequid fiat unde ea reddi poſſit odioſa & difficilis. Hinc contra ſigillum peccat, qui cum pęnitente de peccato ejus loquitur, quamvis nihil revelet. Atqui ex prædicto confeſſionis uſu redderetur hæc longe difficilior. Nec dubium quin ab ea, vel ex parte vel ex toto avocaretur peccator, ſi antecedenter ſciret Confeſſorem ipſa occulto contra ſe uſurum. Imo plus ab ea retraheretur, quam ſi noſſet hunc ipſa non uſurum niſi ſeipſo advertente: cum & bene Lugo, magis lædant ea quorum cauſas neſcimus, quam quorum cauſam cognoſcimus; quia his poſſumus per contraria mederi, illis autem minime. Et vero an non lugendum, ſi pęnitens jam pridem forte converſus, quoties e condiſcipulis ſuis quempiam ad beneficium aſſumi viderit, ſecum tacitus dicat ad minus ſuſpicando; Si nuſquam apud hunc peccata mea depoſuiſſem, meas haberem partes, neque jacerem obſcurus, &c.

145 Ad 3. nihil quidem juris habet pœnitens in officium quo privatur; ſed quæ ſummam ſecuritatem exigit & ſpondet confeſſio, jus habet ne quid fiat unde ſecuritas illa, vel auferri prorſus, vel magnopere imminui poſſit. Atqui ex uſu ſcientiæ confeſſionalis &c.

146 Ad 4. Habet quidem Superior jus hunc ab officio excludendi, ſed non habet jus eum per media injuſta excludendi; Bona enim nonniſi bene facien-

facienda ſunt. Excludit porro per iniqua media, qui per medium amicæ & teneræ confeſſionis excludit.

At, inquies, pœnitens conſentit, ut Miniſter ex Tribunalis notitia id omne faciat quod ad ſalutem ipſius magis conduxerit. Ergo cum exigat ejuſdem ſalus, ut ab officio, in quo & ſeipſum & alios perditurus ſit, excludatur, in id omnino conſentit pœnitens. 147

R. neg. ant. Etſi enim in id aliquando conſentire debet pœnitens; at non conſentit de facto, niſi mentem ſuam ea de re diſerte & libere aperiat. Alias eo etiam quod gerit officio, etiam cum aliqua famæ ſuæ jactura, privari poſſet; quia ſatius eſt vel gravem infamiam pati, quam ſibi & aliis æternam damnationem ſtruere. Moneat ergo Confeſſarius, adhortetur, flectat lacrymis, ingemat coram Deo, ut eos intra muneris ſui limites ſiſtat; quidquid enim ultra eſt, a malo eſt. 148

Inſt. noſtra hæc opinio innumera abſurda invehit charitati perinde ac juſtitiæ contraria. Ex ea nempe ſequitur Sacerdotem non poſſe, 1. ejicere famulum, quem ex confeſſione ſcit furem eſſe, & homicidam; 2. a confeſſionis miniſterio eum excludere, quem eadem via didicit non eſſe Sacerdotem; 3. carnis vitio impenſe deditum a communi cum innocentibus pueris cubiculo, aut lecto removere; 4. Tetros Monaſterii abuſus coercere. 5. Ut intactæ hactenus familiæ honori provideat, declarare eum quem ad furcas comitatus eſt, ab impacto ſibi facinore inſontem periiſſe; 6. Ejicere ancillam, quæ juniorem Presbyterum ad crimen ſollicitat. Hæc autem quis ſuæ & alienæ ſalutis ſtudioſus patienter ferat? 149

R. Eſſe tamen ferenda, imo quia tuæ & alienæ ſalutis ſtudioſus ſis, ferenda eſſe. Quæ enim ex immobili principio manent conſectaria, quantumcumque aſpera ſint, omnia ad unum vorari neceſſe eſt. Unde 150

Non licet ex Confeſſionis uſu famulum nequam ejicere, vel obſervare curioſius. Quod ſi in tribunali præcipias ut clavem reddat, vel ut diſcedat ſponte, ſigillum fregiſti: quia juſſio hæc actus eſt ad confeſſionem non ſpectans, eamque abrumpens, quique ideo extra ipſam fieri cenſetur. Ita Lugo, Averſa, La-Croix n. 1977. Idem eſt in 2, 3, & 5. caſu. Si enim qui plures comitatur ad furcas, declaret Petrum innocentem occubuiſſe, de aliis tacendo crimen eorum indirecte revelat. 151

Quod Spectat ad coercendos Monaſterii vel Parochiæ abuſus, ante omnia certum eſt Confeſſarium ex data ſibi per confeſſionem notitia. Non poſse adverſus ipſum pœnitentem, indirecte etiam, agere. Unde, ſi quod, Deo miſerante non occurret, omnes Communitatis alicujus alumni ventri vel impudicitiæ addicti ex ſola confeſſione dignoſcerentur, nequidem ſolito attentius vigilare poſset Superior, ut eos deprehenderet. Pari de cauſa, nec poſset Parochus ejicere ancillam, quam ex propria ipſius confeſſione reſciret nepotis, ſuive Vicarii pudicitiæ periculoſe inſidiari. 152

§. III. *An Confeſſionis Scientia uti liceat ad correctionem alterius.*

Quæſtio eſt bipartita, num ſcilicet poſſit vel pœnitens detegere Sacerdoti complicem, ut ab eo fraterne aut judicialiter corrigatur; vel Confeſſarius inquirere nomen complicis aut alterius in confeſſione generatim expreſſi, ut eum emendet. Qua de re Malderus, Henno & alii plures.

153 Docent 1. non licere pœnitenti in confeſſione detegere complicem vel alium quempiam præciſe ut a Confeſſario verbis vel factis emendetur. Probant aliqui quia utens confeſſione ad correptionem complicis, huic facit injuriam; cum peccatum ejus maneat ſub ſigillo. Verum ratio hæc nihil habet ſolidi: quia pœnitens per eam quam confeſſario ſponte traderet confeſſione ſua utendi licentiam, ſuum & alterius peccatum faceret extra ſacramentale. Probant igitur alii. 1. quod correctio, ſi fieri debet, facienda ſit juxta modum a Chriſto inſtitutum: Porro non inſtituit Chriſtus Pœnitentiam ad hujuſmodi correptiones; neque ad aperienda, ſed ad tegenda pœnitentis & aliorum peccata. 2. Quia is Sacramenti uſus confeſſionem reddit odioſam; & præcipitem Confeſſarium periculo exponit multiplici. Quid enim ſi complex vel alius crimen ſibi impactum neget? Quid ſi Confeſsarium, uti jam nec ſemel contigit, velut calumniatorem inſequatur coram judice? Quid ſi fictus pœnitens, ut a dignitate quam ambit, alium excludat, eum falſo accuſet? Videat igitur, ajunt, pius & prudens Confeſsor, ne unquam confeſsionis via ad externam pœnitentis vel alterius correptionem utatur. Atque hinc ut obſervat Lochon in Tractatu, quem & pluries citavi, & quia declamationibus turgidum parvi duco, optandum ut qui Monaſteriorum Superiores ſunt, non ſint Monialium Confeſsarii; ne in generalibus quæ dant monitis, ſubrepat vel apex unus, qui a confeſsione ortum ducat.

Lochon p. 123.

154 Docent 2. a fortiori non licere Confeſsario inquirere nomen complicis aut tertii alterius in ordine ad pœnam vel correptionem. Rationem dant, 1. quia id generatim prohibuere Concilia plurima, quorum inſtar ſit Leodienſe an. 1405. *Inhibemus Sacerdotibus ∴ & omnibus Confeſſoribus, ne a confitentibus nomina illorum, cum quibus peccaverunt, inquirant, vel circumſtantias, per quas poſſint nomina eorum deſignari. Quod ſi fecerint, ab officio audiendi confeſſiones noverint ſe ipſo facto eſſe ſuſpenſos.* Idem habent plures aliæ Synodi quas dabit Lengletus Cap. 12. n. 13. Atqui nec vetuiſsent generatim, nec vetare potuiſsent Concilia hæc ne Confeſsarii ſcelerum complices inquirerent, ſi correptionem fraternam hinc pie, ſancte, utiliter aut neceſsario fieri poſse credidiſsent. Neque enim, & multo minus ſub pœna cenſuræ, prohiberi poteſt quod multum prodeſſe poſsit.

155 Confirm. ex Decreto a Belgicis Epiſcopis emiſso die 22. Aprilis 1667. ubi ſic: *Complicum nomina Confeſſarius non inquirat; nequidem ſub prætextu quod velit aut poſſit eis prodeſſe, non obeſſe. Multo minus confeſſione pœnitentis abutatur ad inſtituendam complicis denuntiationem vel accuſationem: Neque hoc committat ut ad complicis Superiores ſcribantur litteræ anonymæ, multo minus a ſe ſubſcriptæ; neque denique faciat quidquam unde pœnitens vel complex aliquod gravamen accipiat; cum ipſum peccatum & nomen complicis, ſi per inadvertentiam pœnitens expreſſerit, cadat ſub ſigillo, una cum peccato pœnitentis. Qui articulus ut exactius obſervetur, adoptamus Canonem Concilii Colonienſis an.* 1280. ſub Siffrido ejuſdem urbis Archiepiſcopo *celebrati*. „ Sub pœna excommunicationis omnibus Sacerdotibus inhibemus, ne a confitentibus nomina eorum cum quibus peccaverint, vel circumſtantias, per quas poſsint nomina eorum ſciri, inquirant &c.

Idem docere videtur Sambovius Tom. 1. caſ. 6. his verbis: *Je convient*

avec

avec vous qu'un Curé doit veiller ſur ſon troupeau, & qu'il a droit de s'informer des mœurs de ſes Paroiſſiens hors la confeſſion. Je conviens encore, que quand le pénitent veut bien lui declarer par lui meme ce qu'il ſçait des mœurs des autres, ſoit parce que cela eſt utile pour ſa propre conduite, ſoit parce qu'il le juge à propos pour leur bien ſpirituel ou temporel, le Curé le peut entendre, & s'en ſervir pour leur bien ſpirituel ou temporel, quand ce pénitent le lui permet. Mais je dis que le Curé ne peut s'en informer dans la confeſſion, parce que dans ce Tribunal le Confeſſeur n'a droit de s'informer que du pénitent & de ſes péchés propres.... Je ne condamne donc point le pénitent, qui déclare le péché des autres pour ſon propre avantage ou pour leur bien; comme je ne condamne pas le voiſin qui avertit le Medecin du mal qu'a ſon voiſin qui l'appelle, & qu'il ne lui découvre pas; mais je condamne le Medecin qui manque à ſa profeſſion, pour vouloir s'informer par des voies obliques & illicites des maladies de ſon malade, par exemple en ſe ſervant des devins.... Vous me propoſez l'exemple de deux ſœurs, auquel je n'ai point de reponſe à vous apporter, ſinon que vous pouvez bien entendre ce que l'une vous dira de l'autre par elle meme: mais qu'il ne vous eſt pas permis de vous en informer dans la confeſſion, & que vous n'avez droit pour lors que ſur celle qui ſe confeſſe & ſur ſes pechés, & non pas ſur ceux de ſa ſœur. Il en eſt de meme de tous les autres exemples, de celui d'un Pretre, d'un mari, d'une fille. C'eſt à quoi il faut s'en tenir dans la pratique. Hæc eruditi viri deciſio bene intellecta non adverſatur præcedenti Belgarum Epiſcoporum Decreto. Vix enim uxoris confeſſio intelligi poteſt, quin audiatur aliquid de marito, & ſic ut plurimum in correlativis.

Ex his infert Henno pag. 333. graviter peccare illos, 1. qui pœni- 157
tentes abſolvere renuunt, *niſi ſibi præbeant ſchedulam clauſam ad Superiores dirigendam, in qua crimen & nomen complicis deſcribatur; quia parvi refert an ſibi, an aliis revelatio fiat:* 2. & Superiores, *qui ob ſimiles revelationes, Ordinum collationem differunt, Confeſſarios ſuſpendunt, aut poteſtatem renovare renuunt.*

Docent 3. non illi ſolum ſed & ceteri omnes, poſse & debere Con- 158
feſsarium injungere pœnitenti, ut complicem Superiori vel Magiſtratui denuntiet, quando agitur de avertendo gravi Reipublicæ vel alterius detrimento, quod aliter averti non poſsit. Ratio eſt quia Confeſsarius de eo omni pœnitentem monere debet, ad quod jure naturali tenetur, quodque ſæpius ante confeſſionem præſtitiſſe debuerat. Atqui cum grave, quod impendet Reipublicæ, Religioni, vel alicui privato malum, aliter quam per complicis manifeſtationem averti nullo modo poteſt, ad hanc omnino tenetur pœnitens. Ergo & hanc ei ſub abſolutionis denegatione injungere debet Confeſſarius; ſicut & auditis ejus furto, detractione &c. eidem alieni boni vel honoris reſtitutionem injungere tenetur, vel potius ſuam ipſi circa hæc obligationem aperire. Hinc Auctor Moralis Gratianopolitanæ diſertim negat frangi ſigillum a Confeſſario, qui jubet pœnitentem ſuum Epiſcopo denuntiare crimen miſeri alicujus a quo inter confitendum ſollicitata eſt. Idem docet Theologus Petrocorenſis, aliique hujus Regni complures, ut obſervat Lenglet pag. 337.

Quamvis autem, ait Henno, pœnitens, quia debitum illud ſuum ad- 159
implere renuit, abſolutionis beneficio privetur; ſi tamen ejus obtinendæ animo acceſſerit, debent quæcumque in Tribunali dicta ſunt, premi ſilen-

tio*; debetque potius perire Civitas aut Religio integra, quam aperiat Confeſſarius proditionem, aut imminens Civitatis exitium.*

160 Tertia hæc reſponſio omnibus accepta eſse ſolet; At circa primam non æque convenit apud Theologos; & inde aliquid circa ſecundam certis in caſibus ſuboritur dubii. Duo igitur docet Suarez diſp. 33. ſect. 3. & 4. 1. poſse Confeſsorem de expreſsa pœnitentis licentia uti ſcientia e Tribunali habita in bonum ipſius pœnitentis, puta ut eum tueatur ab importuna complicis inſectatione; vel ut ei debitam aliquam ſatisfactionem procuret. 2. Poſse eundem de ejuſdem licentia uti hac ipſa cognitione, tam ad emendandum complicem, quam ad impediendum ejus delictum: modo, quod ubique ſupponendum eſt, abſit quæcumque ſcandali occcaſio, & ſerventur omnes prudentiæ leges.

161 Pars prima probatur 1. quia is confeſſionis uſus nec adverſatur ſigillo, cum pœnitens, cujus in gratiam inſtitutum eſt, jure ejus volens & lubens cedat; nec male fit; cum fiat propter bonum ſpirituale vel temporale pœnitentis; nec fit imprudenter, ut ſupponitur; nec, quod ex his ſequitur, reverentiam Sacramento debitam lædit.

162 2. Quia pœnitens legitima & gravi de cauſa poteſt quidquid in Tribunali aperuit Confeſsario, eidem aperire extra Tribunal, & plenam dare facultatem de eo loquendi. Ergo a fortiori eandem licentiam in confeſſione largiri poteſt. A fortiori, inquam, quia complicis cauſa longe favorabilior eſt, cum peccatum ejus in ſola confeſſione auditur; quandoquidem ſtrictior ſit lex ſigilli, quam cujuſcumque ſecreti naturalis.

163 Si objicias, pœnitentis licentiam ſufficere quidem ad tollendum ſigilli onus quantum ad pœnitentem: non autem ad tollendum reſpectu complicis; quia ſigillum quoad hanc partem inſtitutum eſt in favorem ipſius; nec eo niſi propria ſua voluntate ſpoliari poteſt. Reſpondent cauſam pœnitentis ſolam eſse quæ directe cadat ſub ſigillum, reliqua vero ſub illud ſolum cadere quatenus ad hanc cauſam pertinent. Ergo cum pœnitens de tota cauſa licentiam dare poſſit, quia ipſe ſolus totam commiſit ſub ſecreto, non eſt cur opus ſit licentia complicis, qui reipſa nihil ſub ſecreto commiſit. Et vero quis licentiam hanc peteret a complice? An ipſe pœnitens? Non utique: quis enim puellam graviter ſollicitatam ad crimen, ſeductoris ſui licentia egere putet, ut prudens a quopiam conſilium obtineat? An Confeſſor: at ſi ita eſt, ergo ex ſola pœnitentis conceſſione poteſt extra confeſſionem de auditis in confeſſione loqui. Vide Suarez cit. ſect. 3. n. 8.

164 Secundam partem probat idem Theologus 1. auctoritate graviorum Scholæ Doctorum, Thomæ præſertim, Alenſis, Bonaventuræ, Antonini, Raymundi, & aliorum quos plures adducit ſect. 4. n. 4. ſed ſufficiant pauca hæc Angelici Præceptoris Opuſc. 12. q. 6. Non licet revelare in confeſſione perſonam complicis, *niſi ſalvato ordine correctionis fraternæ*.

165 2. Quia uſus confeſſionis ex pœnitentis facultate ad emendationem complicis non eſt actio mala, quia prohibita, cum nulla Eccleſiæ lex adduci poſſit quæ id prohibeat; nec prohibita, quia mala. Si enim de ſe mala ſit, vel quia pugnat contra Religionem, vel quia charitati aut juſtitiæ adverſatur. Ex his porro nullum dici poteſt. Non 1. neque enim hic vel læditur ſigillum, cum res tota fiat non ſolum ex licentia pœnitentis,

tis, ſed ex licentia pie & juſte conceſſa . Neque etiam læditur Sacra-
menti reverentia; quia etſi aſſumitur Sacramentum, ad finem ad quem
directe inſtitutum non eſt , non tamen excluditur directus & primarius
ejuſdem finis. Non 2. neque enim actionis hujus finis aut medium cha-
ritati adverſantur. Finis enim eſt emendatio fratris , & malum ab eo
propellendum: hæc autem per ſe intendit charitas. Medium autem eſt
emendatio per viam qua nulla poſſit eſſe ſecretior; quod etiam charitas ob-
ſervat: aliæ vero circumſtantiæ ita in individuo poſſunt ſervari, ut nihil
fiat adverſum charitati: quod ſi ſervari non poſſunt, a correctione abſti-
nendum erit, prout ab ea extra hypotheſim ſcientiæ confeſſionalis quotidie
abſtinetur. Non 3. quia jure ſuo utitur pęnitens; cum licentiam hanc tri-
buit, ut ante dictum eſt. Ei autem qui jure ſuo utitur, nulla fit injuria.

Objiciuntur quædam , & 1. quod in iſto confeſſionis uſu ſit aliquid 166
inordinati, quatenus res ſuperioris gradus , confeſſio videlicet, ordina-
tur ad rem ordinis inferioris, nimirum ad correctionem, ad quam, ut
pote quæ ad legem naturæ pertineat, nonniſi per media ejuſdem ordi-
nis tenemur. 2. Quod ſaltem tunc ordinetur confeſsio ad finem ad quem
non fuit inſtituta. 3. Quod ille confeſsionis uſus odioſam faciat confeſ-
ſionem. 4. Quod correctio, ut ſit efficax, fieri debeat ex notitia certa;
talis autem non ſit quæ oritur ex confeſsione: quia licet pœnitens in or-
dine ad ſe ipſum fidem faciat, non tamen contra alium; qui proinde
correctionem contemnere, & correctorem inſequi poterit. Sane ſi plus pœ-
nitenti credit Confeſſor quam complici, huic injuriam facit: atque hinc
emergent rixæ & ſcandala. 5. Quod alioqui poterunt Superiores confeſ-
ſionibus ſubditorum uti ad aliorum correctionem, extorta iis utendi fa-
cultate: Hinc autem quam inviſa fieret confeſſio nemo non ſentit. Ve-
rum hæc Suarez non movent. Reponit itaque

Ad 1. 1. non ordinatur in noſtro caſu confeſsio ad finem ordinis in- 167
ferioris, ſed tantum cognitio in confeſsione quidem data, ſed quæ per
pęnitentis licentiam fit quadantenus extra ſacramentalis. Unde tunc, ſi
proprie loqui velis, Confeſſor ordinat rem inferioris ordinis, vel ad rem
ordinis ſuperioris , ſi cognitione illa utitur ad procurandum ſpirituale
complicis bonum; vel ad rem ejuſdem ordinis, ſi illa utitur ad procu-
randum eidem bonum temporale. 2. Nihil obſtat quominus res ſuperior
ad inferiorem ordinari poſsit, quando utraque honeſta eſt, & poſterior
cum prioris fine plurimum conjuncta. Porro nihil emendationi pęniten-
tis magis conjunctum eſt quam emendatio complicis; quæ etiam mora-
liter ſpectare poteſt ad majorem ſecuritatem pęnitentis.

Ad 2. non repugnat rem ordinari ad finem ad quem non eſt inſtitu- 168
ta, modo per ordinationem hanc non excludatur finis ad quem inſtituta
eſt. An quia ut ſpiritualis pater pęnitenti veniam primario deprecari te-
neor, non poſſum pro complice ejus ſpecialiter precari? Annon mulier
quæ ex egeſtate peccat, Sacerdoti in pauperes munifico confiteri poteſt,
ut ab eo adjuta jam non peccet, modo primario ſtipem non intendat,
ſed peccati fugam, & ex ea ſuam cum Deo reconciliationem.

Ad 3. ſi hinc efficitur odioſa confeſsio, vel pęnitenti, vel complici. 169
Non 1. tum quia is ſponte & liberrime vult uti ad hunc finem Confeſſoris
induſtria; tum quia cum perſuaſus eſt ſe charitatis lege ad correctionem fra-

tris

tris teneri, nec confidit ſi per ſe ipſum agat, rem feliciter eſſe ſucceſſuram; pergratum habere debet, quod alius quiſquis ille ſit, onus illud de ſe grave & injucundum ſibi aſſumere velit. Non 2. & ipſi enim complici gratum eſſe debet, quod qui jus vel debitum ejuſdem corripiendi habet, id faciat via omnium leniori, quæque præ ceteris honori ſuo conſulit. Atqui quod ope Confeſſarii eum corrigam, quem alterius ope corripere poteram, via eſt omnium leniſſima. Sic enim uni tantum aperio, quod alioqui non raro duobus fuiſſet aperiendum. Habet equidem omnis correctio aliquid mœroris, & eatenus gravamen parit. At non eſt id curandum: alioqui nemo erit corrigendus, ne charitas fiat oneroſa proximo. Deinde unde ſciet complex Sacerdotem agere ex confeſſionis notitia? Non utique a Confeſſario, qui notitiæ ſuæ modum oſtendere non tenetur, nec debet. Erit ergo id temere judicatum; cum multi quotidie complices ſuos per eos corrigere ſtudeant, quibus nec confeſſi ſunt, nec confiteri cogitant. Ita idem Suarez ſect. 4. n. 11. & 12. ubi duo addit ponderanda, correctionem in principio tam prudenter eſſe leniendam, *ut prius peccator recognoſcat ſuam miſeriam & lapſum, quam exaſperetur & reſiſtat*. 2. Talem, moraliter loquendo, eſſe debere famam & auctoritatem Confeſſoris, cujus induſtria pœnitens utitur, ut apud complicem, niſi ſit is impudentiſſimus, in fracti ſigilli ſuſpicionem venire non poſſit.

170 Ad 4. vel objectionis ſenſus eſt, notitiam ex confeſſione habitam minus certam eſſe, quam quæ aliunde habetur; vel ſenſus eſt, correctionem nuſquam prudenter fieri poſſe ex humana teſtificatione, & alicujus fide digni relatu. Utrumque vero inſigniter diſtat.) Primum, quia quod in confeſſione dicitur, ceteris paribus, plus ob Sacramenti reverentiam, meretur fidei, quam quod extra. Unde licet non ita teneatur Confeſſor pœnitenti circa alios, quam circa ipſum credere; poteſt tamen & ipſi quantum ad alios habere fidem, & ex fide hac aliquid in proximi gratiam operari. Secundum unanimi omnium ſententiæ repugnat, præſertim vero Auguſtini qui Serm. 82. alias 16. de verbis Domini, & refertur Cap. *Si peccaverit* II. q. 1. ſic habet: *Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando ſalutem maritorum quærentibus: nos prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus*; ubi corripitur maritus ex ſolo conjugis teſtimonio.

171 Neque ex hac correctione, quia radicem habeat in pœnitentiæ Sacramento, plus quam ab alia quacumque imminet mali, ſi prudenter fiat. Quod enim, ait ibid. Suarez n. 21. is qui corrigitur, poſſit interdum illud moleſte ferre, & negare factum, *nullum eſt inconveniens: nam vel Confeſſor prudentia ſua & patientia has difficultates ſuperabit, vel ex diſcurſu & aliis circumſtantiis intelliget an ſit a correctione ceſſandum.*

172 Ad 5. Sicut a malis Superioribus nihil non timendum eſt in quovis ſyſtemate, ſic nihil a bene moratis in hac etiam Suarezii opinione timendum. 1. Enim ex Decreto Clementis VIII. de reſervatione caſuum quoad Regulares; *Non licet Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte & motu proprio id ab eis petierint*. Unde ſi Superior totam ad ſe, contra Decretum iſtud, juriſdictionem revocare vellet, tyrannica foret hæc ejus agendi ratio, ut ib. Suarez n. 15. 2. Juxta eundem ib. n. 16. tria

hæc

hæc a Confeſſario ſervari debent, 1. ut perſonam complicis non quærat
(addo, nec ſtatim nominari patiatur) quia exponeret ſe periculo apud
ſe infamandi proximum ſine cauſa. Poteſt tamen generatim a pęnitente
inquirere num complex ſit in periculo, vel indigeat correctione pœni-
tentis; & juxta reſponſum ejus monere poterit ut ſuæ ſatisfaciat obliga-
tioni. 2. Ut Confeſſarius non ſtatim ſe offerat ad faciendam correctio-
nem, quamvis eam vel convenientem vel neceſſariam eſſe arbitretur;
Tum quia cum ſe ſe promptum ad id muneris exhibet, pęnitens non ea,
qua par eſt, libertate procedit; Tum quia pœnitens fortaſſis per ſe, vel
per alium quem aptiorem judicat, correctionem facere proponit. Poteſt
ſane vel adoleſcens ſenem, quem corruptum ſenſit, Confeſſariis omni-
bus efficacius emendare. 3. Ut impendio caveat Confeſſarius, ne a pœ-
nitente uti ſtricte debitum exigat, quod reipſa tale non ſit; ſed vere &
fideliter proponat quid ex præcepto agere teneatur, quidve agere licite
poſſit. Peccaret enim graviter, qui ſub falſo neceſſitatis aut præcepti ti-
tulo pœnitentem cogeret vel ad revelationem complicis, vel ad imper-
tiendam ejus corripiendi facultatem.

Subdit idem n. 17. aliud eſſe quod pęnitens uti licite poſſit Confeſſo- 173
ris opera ad correctionem complicis; aliud quod eadem uti teneatur.
Ut licite poſſit, tria requiruntur & ſufficiunt, 1. ut ex parte complicis
ſit moralis aliqua neceſſitas. Si enim vel jam emendatus eſt, vel deſit
probabilis ratio novum ejus lapſum timendi, *non eſt facile*, (imo nec ut-
cumque) eſt *infamandus*. 2. Ut pœnitens per ſe ad id muneris debite
exequendum non ſufficiat, neque id ſperet probabiliter. Si enim per ſe
poſſit, non eſt cur fratrem infamet apud alium. 3. Ut ſperet ſe rem
utiliter facturum opera Confeſſarii: nec enim aſſumi debet, qui non ſpe-
ratur felicem habere exitum.

Ut autem pœnitens Confeſſoris opera uti teneatur ad complicis emen- 174
dationem, præter tria quæ mox recenſuimus, *neceſſarium eſt*, ait idem
nu. 18. *ut neceſſitas proximi ſit tanta ut charitas obliget ad ſubveniendum illi
vel per ſe vel per alium, eo modo quo pœnitens potuerit;* proinde ut *ſit gra-
vis, & cum morali periculo novi lapſus, aut alterius gravis detrimenti alicu-
jus proximi*. Poſita vero hac obligatione, non ſtatim tenetur *pœnitens per
Confeſſorem corripere; poteſt enim facere per alium, etiamſi per ſe non poſſit,
& ideo niſi tales circumſtantiæ occurrant, quæ evidenter oſtendant moraliter in-
duſtriam Confeſſoris eſſe ad id neceſſariam, vel in tali occaſione aut loco nullum
alium eſſe idoneum, qui hoc facere poſſit, non poteſt juſte pęnitens ad hoc cogi
a Confeſſore. Poſſet autem talis caſus contingere, vel ex penuria hominum pru-
dentum & idoneorum ad hoc munus; vel ſi Confeſſor talis ſit, ut non ſolum
conſilio, ſed etiam auxilio juvare poſſit ad emendationem delicti. Rurſus vero
etiam poſita hac obligatione in pœnitente, non propterea tenebitur* Director *uti
notitia data in confeſſione. Poteſt* enim *pœnitens* totum *extra confeſſionem di-
cere Sacerdoti, cujus induſtria uti vult,* niſi *timeat Sacerdotem non ſervaturum
eſſe aliud ſecretum quod minus ſit quam ſigillum: tunc enim non debet ſubvenire
proximo cum tanto periculo infamationis ejus, ſi poteſt illud vitare.*

Sicut autem pęnitens aliquando poteſt, aliquando etiam tenetur Con- 175
feſſoris opera uti ad complicis correptionem; ſic & Confeſſor aliquando
poteſt, ſed non tenetur: aliquando non ſolum poteſt, ſed & tenetur du-

rum

rum illud munus exequi. Ut poſſit, ſufficiunt eidem tria quæ nu. 173. Suar. ib. n. 20. diximus ſufficere pœnitenti. *Ut vero teneatur, aliquando poteſt obligare charitas*, modo concurrant aliæ conditiones n. 174. expreſsæ: *aliquando vero obligare poteſt Paſtorale munus & officium, quando ſcilicet etiam complex eſt illi ſubditus, & ex officio tenetur ſpiritualem ejus ſalutem procurare, & prudenter judicat hoc medium eſſe neceſſarium.* Subdit Suarez, *regulariter loquendo* magis expedire, ut pœnitens factum narret Confeſsario extra Tribunal, quando is complicis Paſtor eſt, ut ſic munere ſuo liberius fungi poſſit. *Non debet autem ad hoc cogi pœnitens, niſi in aliquo caſu, in quo ſecreta correctio non cenſeretur ſufficiens;* ſed recurrendum foret ad denuntiationem, Ibid. n. 22. non utique *judicialem*; quam pœnitens per ſe ipſum facere debet; & raro debet, ſi ſit complex, quia denuntiaret ſe ipſum, denuntiando complicem; ſed *paternam*; per quam de expreſsa pœnitentis licentia, & non aliter, acceditur *ad Superiorem ut ad patrem, qui hac occaſione non poteſt inquirere in ſubditum, vel aliud detrimentum illi inferre, ſed ſolum conſilio, oratione & opera illum juvare, auferendo occaſiones occultiſſime, & ſine timore ſuſpicionis, & ex facultate a pœnitente data.*

176 Etſi autem, juxta eundem Theologum, ille confeſſionis uſus nec ad forenſem denuntiationem a Confeſsore, nec a Superiore ad exterius regimen adhiberi unquam poſſit; poteſt tamen, ſed concurrentibus, quod nimium inculcari nequit, prædictis circumſtantiis, licitus eſſe, *non ſolum propter ſpiritualem ſalutem alterius procurandam, ſed etiam propter vitandum aliud magnum nocumentum, aut aliam ſimilem cauſam honeſtam ad bonum proximi pertinentem; ut v.g. ſi adultera intelligat maritum machinari mortem ſocio criminis, poteſt illum per confeſſorem monere, ut ſe in tuto collocet. Item ſi duo fuerunt ſocii in furto, & unus eorum morti vicinus reſtituit, poteſt per Confeſſorem monere complicem, vel ut intelligat ſe eſſe jam liberum ab onere reſtituendi, ſi alter totum reſtituit, & partem ſocio remittit; vel certe ut intelligat partem illam ſuis hæredibus eſſe reſtituendam. Et ſimiles caſus poſſunt facile excogitari, &c.*

177 Hæc utriuſque partis momenta prolixe, peneque ad nauſeam referenda duxi, ne rebus periculoſe diſſimulatis cuipiam in graviſſima materie cauſa eſſem lapſus vel offenſionis.

Sed quis tibi ſenſus, ajet moleſtus quiſpiam interrogator? Dicam paucis, & ea, quæ dubium pene & ancipitem decet, modeſtia. Verior itaque & longe probabilior videtur Suareſii opinio: nec dubium quin ea prodeſſe poſſit, ſi præſcriptæ ab eo conditiones ad amuſſim obſerventur; ut a pio & vigili obſervari poſſunt. Unde

178 1. Nuſquam exigerem ut revelaretur complex ſceleris, cum nec ſubeſt periculum relapſus, nec ab eo cuiquam impendet damnum vel ruina. Hic enim proſpicitur futuris, nec advertuntur præterita. Eccui, quoniam præter morem nimium ſemel indulſerit mero, non excidant quædam, quæ toto deinceps vitæ decurſu exhorrebit?

179 2. Nec in caſu impendentis damni vel ruinæ, determinate exigerem, ut mihi Confeſſario aperiretur complex, ſed gravi cuipiam viro, qui malo mederi poſſit. Quod ſi hæreret pœnitens, injungerem, ut cœleſte auxilium imploraret, quo partem amplecteretur meliorem; niſi periculum eſſet in mora, ut ſi virgo ſequenti nocte rapienda ſit, aut civitas flammis

Digitized by Google

flammis abolenda: tunc enim urgerem ſuo ut officio faceret ſatis: alioqui non abſolverem. Quod ſi obſequi renueret, quidquid in ſacramentali confeſsione aperuiſſet, premerem ſilentio.

3. Si declararet pœnitens, ſe neminem noſſe, qui malo efficacius mederi poſſit quam ipſe Confeſſor, puta quia is Rector ſit Parochiæ, & 180
multi in ea ponderis; quærendum erit ulterius, niſi res ex generatim dictis conſtet, an ſperare ſit reum piæ, teneræ ac prudenti correctioni ceſſurum eſſe, an non. Si pœnitens ſontem exhibeat ut perſonam meretriciæ frontis, quæ certiora quæque negare, impoſturam conclamare, Paſtorem inſequi parata ſit, gemendum ſimul & hærendum protinus. Si vero complex ex iis ſit, qui ut necdum perditi utriuſque ſexus juvenes, licet primum commoti, blandæ tamen exhortationi concedunt, nihil eſt ex natura rei cur munus illud non ſuſpiciat Confeſſarius. Voculam *ex natura rei* exponam n. 182.

4. Regulariter loquendo expedit ut complicis, alteriuſve commonendi 181
licentia extra Tribunal detur, quo liberius procedat Confeſſor; & correpto dicere poſſit, ſe peccati ejus extra confeſſionem admonitum fuiſſe. Quin & ſuadent aliqui ut Confeſſarius, ſi commode poteſt, in teſtimonium rei extra Tribunal dictæ, declarationem ejus ſcriptam accipiat a pœnitente; quæ profecto complici non eſſet exhibenda.

5. Et id cavebit Confeſſarius ut pœnitentis genium atque ſinceritatem 182
diligenter exploret, nec cuivis ſpiritui credat, & multo minus muliebri; ſeu intra, ſeu extra confeſſionem ſibi quid aperiatur. *Ea enim cerebella*; ait lepide quidam, aliquando tam vehementi invidiæ aut vindictæ æſtu quatiuntur, ut nihil non effingant, quo pios Sacerdotes, quandoque etiam Religioſos, quia ſe ſe apud eos minori in pretio eſſe arbitrantur, diſperdant. Et id *ego ipſe qui hæc ſcribo expertus ſum*, ait Marchantius Tom. 1. p. 134. Nota eſt capitalis & atrox piiſſimi Boudoni, Archidiaconi Ebroicenſis inſectatio. Hæc autem unde primum nata, niſi ex inſano quarumdam pſeudodevotarum livore? Hinc breviter Antonius p. 391. *Ne Confeſſarius facile pœnitenti alios accuſanti, præſertim feminæ credat, nec onus monendi in ſe ſuſcipiat ſine neceſſitate. Nam ſæpe vel ex malitia, vel ex errore innocentes accuſantur.* Et hæc tam noſtra quam aliena, non Eccleſiæ tantum, ſed & ſaniori aliorum trutinæ rurſus ſubjecta ſunto.

SECTIO SEXTA.

De pœnis Confeſſarii ſigillum violantis.

Quæres 1. an Sacerdos læſi ſigilli reus cenſuræ alicui vel irregulari- 183
tati ſubjaceat.

R. negat. cum omnibus contra Majolum. Hæc enim pœna ſicubi lata eſt, profecto Cap. *Sacerdos 2. De pœnit.* diſt. 6. vel Can. *Omnis utriuſque ſexus*. Atqui utrumque comminatur quidem depoſitionis pœnam miſero *Supra*
huic Confeſſori; ſed neutrum vel cenſuram infligit actu, vel irregulari- *n.* 912.
tatem decernit. Meretur itaque perfidus revelator graviores Eccleſiæ pœnas, quas & proportionate merentur, qui habita ex confeſſione notitia utuntur, ſed nullas ante Judicis ſententiam incurrit. Quanquam auctor

eſt

Digitized by Google

„ pariter prædeceſſore noſtro in Congregatione generali S. R. Univerſa-
„ lis Inquiſitionis die 24. Sept. 1665. coram eo habita, inter alias ab
„ Evangelica veritate, & SS. Patrum Doctrina alienas, & diſſonas pro-
„ poſitiones, ſexta videlicet & ſeptima huc revocandæ, damnatæ & pro-
„ hibitæ fuerunt. Nos itaque mature perpendentes quanti momenti ſit
„ ad æternam animarum ſalutem ea ubique obſervari, & quanti ad in-
„ firmas oves curandas, & decorem S. Eccleſiæ retinendum, interſit,
„ ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes, pœni-
„ tentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpen-
„ tem, pro medicina venenum porrigant; ſed animo ſecum recolentes,
„ ſe a Chriſto Domino Præſides & Judices animarum conſtitutos, ea
„ ſanctitate quæ ſublimitati ac dignitati muneris convenit, tam vene-
„ randum Sacramentum adminiſtrent: Motu proprio, & ex certa ſcien-
„ tia, ac matura deliberatione noſtra, Præfatas Litteras hujuſmodi, ac
„ omnia & ſingula Decreta prædicta ad illarum interpretationem ac de-
„ clarationem emanata, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ap-
„ probamus, & confirmamus, illiſque omnibus & ſingulis inviolabilis A-
„ poſtolicæ firmitatis robur adjicimus: Atque etiam quatenus opus ſit,
„ denuo committimus; & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inqui-
„ ſitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum,
„ Civitatum, Dominiorum, & Locorum univerſi Orbis Chriſtiani, in
„ ſuis reſpective Diœceſibus, ut diligenter, omnique humano reſpectu
„ poſtpoſito, inquirant & procedant contra omnes & ſingulos Sacerdo-
„ tes, tam Seculares quam Regulares quomodolibet exemptos ac Sedi
„ Apoſtolicæ immediate ſubjectos, quorumcumque Ordinum, Inſtituto-
„ rum, Societatum & Congregationum, & cujuſcumque dignitatis & præ-
„ eminentiæ, aut quovis privilegio & indulto munitos, qui aliquem pę-
„ nitentem, quæcumque perſona illa ſit, vel in actu Sacramentalis Con-
„ feſſionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſſionem, vel occaſione
„ aut prætextu Confeſſionis, vel etiam extra occaſionem Confeſſionis in
„ Confeſſionali, ſive in alio loco ad Confeſſiones audiendas deſtinato
„ aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem, ad inho-
„ neſta & turpia ſollicitare vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive
„ nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam,
„ tentaverint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones vel tractatus
„ temerario auſu habuerint: Et quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis ex-
„ ceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate & cir-
„ cumſtantiis, ſevere animadvertant per condignas pęnas, juxta memo-
„ ratam Gregorii prædec. noſtri Conſtitutionem. Dantes etiam, ſi opus
„ ſit, & rurſus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, &
„ Eccleſiæ Dei injurioſum, remaneat, ob probationum defectum, impu-
„ nitum, jam alias in præfata Conſtitutione tributam, procedendi cum
„ teſtibus etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia
„ adminicula concurrant.

„ §. 2. Meminerint præterea omnes & ſinguli Sacerdotes ad Confeſſiones 3
„ audiendas conſtituti, teneri ſe ac obligari, ſuos pœnitentes, quos no-
„ verint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos, ſedulo monere, juxta occu-
„ rentium caſuum circumſtantias, de obligatione denunciandi Inquiſitoribus,

„ ſive locorum Ordinariis prædictis, perſonam quæ ſollicitationem com-
„ miſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide
„ impertiendam careat, aut ſollicitatio inter Confeſſarium & pœniten-
„ tem mutua fuerit, ſive ſollicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſen-
„ ſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem
„ jam effluxerit, aut ſollicitatio a Confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro
„ alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter Confeſſarii, ne
„ pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos, ſacramentalem ab-
„ ſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effe-
„ ctum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel
„ ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant ac promittant.

4 „ §. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel
„ odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſua-
„ ſionibus aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo
„ incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate con-
„ tempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicita-
„ tionis inſimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile
„ facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur; quæcumque perſona, quæ
„ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſam inno-
„ centes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando ut id
„ ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote, quovis privilegio, auctoritate &
„ dignitate munito, præterquam a nobis, noſtriſque ſucceſſoribus, niſi in
„ fine vitæ & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam
„ nobis & ſucceſſoribus prædictis reſervamus, perpetuo careat.

5 „ §. 4. Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis judicii & ſacri
„ Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramento-
„ rum contemptum, & Eccleſiæ injuriam longe ſubmovere, & tam exi-
„ tioſa hujuſmodi mala, prorſus eliminare, & quantum in Domino poſ-
„ ſumus, animarum periculis occurrere, quas ſacrilegi quidam, dæmonis
„ potius quam Dei Miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo ac
„ noſtro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profun-
„ dum iniquitatis barathrum nefarie ſubmergunt ∴ hac noſtra in per-
„ petuum valitura ſanctione, quemadmodum a pluribus Epiſcopis per
„ Synodales ſuas Conſtitutiones jam factum eſſe novimus; omnibus & ſin-
„ gulis Sacerdotibus, tam ſecularibus, quam Regularibus cujuſcumque
„ Ordinis ac dignitatis, tametſi alioquin ad Confeſſiones excipiendas
„ approbatis, & quovis privilegio & indulto, etiam ſpeciali expreſſione,
„ & ſpecialiſſima nota & mentione digna ſuffultis, auctoritate Apoſto-
„ lica & Noſtra Poteſtatis plenitudine interdicimus & prohibemus, ne
„ aliquis eorum extra caſum neceſſitatis extremæ, nimirum in ipſius mor-
„ tis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſ-
„ ſarii munus obire poſſit, confeſſionem ſacramentalem perſonæ compli-
„ cis in peccato turpi atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præce-
„ ptum commiſſo, excipere audeat, ſublata propterea illi ipſo jure qua-
„ cumque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcumque perſonam ab
„ hujuſmodi culpa abſolvendam; adeo quidem ut abſolutio, ſi quam im-
„ pertierit, nulla atque irrita omnino ſit ∴ Et nihilominus ſi quis Con-
„ feſſarius ſecus facere auſus fuerit, majoris quoque excommunicationis

„ pœnam,

„ pœnam, a qua abſolvendi poteſtatem nobis ſolis, noſtriſque ſucceſſo-
„ ribus duntaxat reſervamus, ipſo facto incurrat.

„ §. 5. Declarantes etiam & decernentes, quod nec etiam in vim cu- 6
„ juſcumque Jubilæi, aut etiam Bullæ quæ appellatur Cruciatæ ſanctæ, aut
„ alterius cujuslibet Indulti, confeſſionem dicti complicis hujuſmodi quiſ-
„ quam valeat excipere &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordina-
„ tionibus Apoſtolicis &c. quibus ſpecialiter & expreſſe derogamus.

„ §. 6. Volumus demum ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii,
„ tam præſentes quam futuri pro tempore exiſtentes, in approbatione
„ Confeſſariorum, tam prædictam Conſtitutionem Gregorii Prædeceſſoris,
„ quam præſentem hanc noſtram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis
„ attente legi, & accurate obſervari curent; moneantque eos in Domi-
„ no, atque hortentur, ut ſacrum Miniſterium ipſorum fidei commiſ-
„ ſum ſumma animi innocentia, morumque puritate, & judicii integri-
„ tate peragant &c. Datum Romæ an. Incar. Dom. 1741. Kalendis Ju-
„ nii, Pontificatus noſtri an. I.

Hæc doctiſſimi Pontificis Conſtitutio duo facit, 1. confirmat aliorum 7
Rom. Pontificum *litteras, & ſingula Decreta ad earum interpretationem & declarationem emanata*. 2. Bullas Piis IV. 16. April. 1561. Clementis VIII. 3. Decemb. 1592. & Pauli V. 1608. quæ pro ſolis, ubi malum graſſabatur, Hiſpaniæ, Portugaliæ & Algarbiorum Regnis editæ erant, ad fideles omnes extendit, prout jam fecerat Gregorius XV. per Conſtitutionem *Univerſi Dominici Gregis* die 30. Auguſti, an. 1622. Neque tamen Decreta hæc ubique vigent, & multo minus in Galliis, ubi quis naturali quidem, at nullo poſitivo jure, ad avertenda hæc, quæ nec ſemel uno apud nos ſeculo audire eſt, ſcandala teneretur.

Jam ut præcipuas, quæ ex iiſdem Conſtitutionibus emergunt, difficultates enodare liceat, varias proponemus & ſolvemus quæſtiones cum Laurentio Cozza, ex Ordine Minorum, qui materiam hanc ſolide & nitide pertractavit in Opere cui titulus: *Dubia ſelecta &c. circa ſollicitationem &c.* Romæ 1709 Itaque.

Quæres 1. an Conſtitutionum pœnis ſubjaceant, qui ad flagitia a venereis diverſa ſollicitant. 8

R. negat. 1. quia licet peccata omnia turpia ſint, nihilominus per *turpia & inhoneſta* intelligi ſolent venerea: & in pœnalibus ab uno ad aliud non debet fieri extenſio; præſertim cum Pontifices, ſi alia etiam ſcelera voluiſſent plectere, explicitam de iis mentionem facile feciſſent. 2. Quia in illud ſceleris genus animadvertere voluit Rom. Sedes, quod ſibi ab Hiſpaniis delatum erat, & in quod, attenta hominis fragilitate, major eſt propenſio.

Objiciuntur duo, 1. quod qui ad alia quam venerea ſollicitat, non minus hæreſis ſuſpectus ſit, quam qui ad venerea trahere nititur. 2. Quod poſſit quis ad graviora quam venerea ſollicitare, puta ad ſortilegam Euchariſtiæ abuſionem. An porro inultum manebit crimen atrocius, dum plectetur minus grave?

R. ad 1. Eſto qui ad nefarios uſus Tribunali abutitur, denuntiandus ſit 9
ut ſuſpectus de hæreſi, ut fatentur Bordon. in Manuali, & Felix Poteſtas Tom. 2. Exam. p. 3. cap. 4. n. 596. at ſaltem denunciandus non erit ut p. mihi 282.

 ſollici-

ſollicitans. Unde non denunciabitur in Regionibus ubi moris non eſt denuntiari hæreticos quales eæ ſunt ubi hæretici Catholicis permixti vivunt.

10 Ad 2. Frequenter evenit ut minori delicto quia & communius ſit, & magis periculoſum, gravior quam majori, quam rariori, pęna inuratur. Notandum tamen quod ex Decreto Inquiſitionis Romanæ coram SS. D. N. Benedicto XIV. die 5. Auguſti an. 1745. emiſſo, *Sacerdotes tam ſeculares, quam Regulares cujuſcumque Ordinis .·. Sacrificio Miſſæ abutentes ad ſortilegia, præter pœnas a jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus .·. inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem.*

11 Quæres 2. quinam ad turpia ſollicitare cenſeantur.

R. eum dici ad inhoneſta tentare, qui provocat, invitat, aut allicit verbis aut ſignis de ſe ad venerea tendentibus; qualia ſunt oſcula, tactus impudici, tum pęnitentis, tum Confeſſarii ipſius coram pœnitente, tactus vel oſculum manus ejuſdem ſine cauſa, ſtudioſa pedis compreſſio, vellicatio genarum, vel brachiorum, intorſio digitorum, voces amatorię, laſcivi geſtus & ſimilia *ad conciliandum vanum amorem & levem delectationem*. Item laus venuſtatis & elegantiæ pœnitentis, vel alterius, puta dominæ ejus vel filiæ, eo animo, ut hæc ad ipſam referantur. Item & munera eidem in Confeſſionali erogata, niſi hæc meram eleemoſynam ſapiant: dubiæ item & ambiguæ propoſitiones, qualis iſta ſit: *Niſi Sacerdos forem, eſſes mihi conjux*. In his omnibus facienda eſt denunciatio; quia ſigna etiam venialiter de ſe inhoneſta, gravem ex Miniſterii circumſtantia malitiam contrahunt: De his autem quæ dubia ſunt judicare Superiorum eſt. Ita iidem P. Fœlix ibid. n. 597. & Cozza dub. 3 4. 5. & 6. Et hæc, ut obiter dicam, una eſt e potioribus cauſis, quæ Galliam noſtram ab hujuſmodi denunciationibus averterunt. Quot enim ſui amantes puellæ, ſeque ab omnibus pene ſtatim impenſe amari exiſtimantes, Confeſſarium, qui ut eas ab abyſſo retrahat, teneris caræ aut cariſſimę filię nominibus, more Franciſci Saleſii & aliorum, donaverit; illico ſibi fingent ſe Confeſſario multum ſui amorem inſpiraſſe; & virum frugis optimæ veluti ſollicitatorem denuntiabunt? Nullus tamen dubito quin hæc ſerio pro ſuis pietate & prudentia mature perpendant Inquiſitores; pręſertim cum qui amplius denunciationi favent, ut Cozza dub. 5. exigant *dubium non leve*, & quod facile fallere non poſſit.

12 Quæres 3. an denuntiandus ſit, qui puerum, aliumve ſui ſexus turpiter ſollicitaverit.

R. affirm. ſiquidem Gregorius XV. denuntiari vult eos *qui perſonas quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta ſollicitare vel provocare tentaverint*. Atqui nomen perſonæ de utroque ſexu perinde dicitur, ut patet ex cap. 7. *de privileg. in 6.* & vox *quæcumque* propter generalitatem ad omnes qui ſollicitari poſſunt extenditur. Idem conſtat ex citata Benedicti XIV. Conſtitutione, ubi pęnis ejuſdem ſubjacent, *qui aliquem pęnitentem, quæcumque perſona illa ſit*, ſollicitare non erubuerint. Atque id jam a Paulo V. die 29. Novemb. 1612. in terminis declaratum erat, uti refert Cozza dub. 2.

13 Quæres 4. an ſit denunciandus, qui pœnitentem ſollicitavit in gratiam alterius, non ſui cauſa.

R. affirm. ita expreſſe definiit Benedictus XIV. cit. Conſt. n. 2.

14 An autem denunciandus ſit, qui Confeſſario mandat ut pro ſe ſolliciter; non

non convenit. Affirmant Riccius & alii plures, tum quia mandans plus in Sacramentum & pœnitentem delinquit, quam mandatarius ipſe; tum quia unum eſt mandantis ac mandatarii crimen; ſicque unus eſſe debet utriuſque judex. Negant vero Diana Tract.9. reſ.76. & 77. Cozza dub. 39. 1. quia verba legis ſtricte interpretanda ſunt: unde mandans aliquid fieri, niſi exprimatur, latas contra facientem cenſuras non incurrit. 2. Quia Bullæ omnes quæ ſollicitationis materiam attingunt, ſpectant tantum Confeſſarios, non ſimpliciter, ſed per ordinem ad Sacramentum pœnitentiæ: mandans porro a Confeſſore prorſus diſcrepat. Huic opinioni, quam teſte eodem Cozza, ſupremum Tribunal ſub die 11. Febr. an. 1661. probabilem judicavit, adhærerem in praxi, donec aliter a S. Sede fuiſſet definitum.

Quæres 5. an ad denunciationem neceſſe ſit ut ſollicitatio in ipſo confeſſionis decurſu peracta ſit, id eſt eo tempore, quod inter confeſſionis initium & abſolutionem intercedit. 15

R. negat. ex eadem quippe Bulla denuntiandi ſunt, qui *aliquem pœnitentem .˙. vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſſionem, vel occaſione aut prætextu Confeſſionis*, ſollicitant. Verum non convenit inter Auctores, quid ſit ſollicitare, vel *immediate ante*, vel *immediate poſt* confeſſionem. Nobis autem, ut & aliis quibuſdam probabilius eſt, voculam *immediate* non phyſice accipiendam pro momento, quod nullo interjecto ſpatio præcedit aut ſubſequitur confeſſionem; ſed pro brevi illo temporis intervallo, quo quæ ſiunt, ex communi prudentum judicio ante vel poſt confeſſionem immediate fieri dicuntur. Unde qui feminam, quæ vel petit confiteri, vel paulo poſt ad confeſſionem acceſſura ſcitur, ſollicitat, immediate ante confeſſionem ſollicitare dicitur; licet breve aliquod temporis ſpatium ſollicitationem inter & confeſſionis initium effluat. Qua etiam de cauſa immediate poſt confeſſionem ſollicitare diceretur, qui pœnitentem vel ſtatim ab abſolutione, vel cum primum e Tribunali egreditur, provocaret ad malum.

Hinc denuntiandus qui mulierem vel a ſe extra Tribunal poſito petentem ut audiatur; vel Tribunal ingreſſam, antequam Crucis ſignum faceret, prævenit, & dilata in aliud tempus confeſſione ſollicitavit: ita P. Felix n.605. 2. qui feminæ confeſſionem petenti dicit ſe eam audire nolle, vel quia ſe ad præſentiam ejus totum commoveri ſentit; vel quia cum ejus amore captus ſit, veretur ne cadat. Hæc enim loquendi ratio & inhoneſtum amorem exhibet; & ad malum ſub callide diſſimulato peccati metu invitat: Ita Cozza dub.27. 16

Hinc & denunciandus, 1. qui finita confeſſione dicit puellæ: *Memento mei, qui te medullitus & ex corde amo*. 2. qui mulieri, qua cum nihil habet negotii dicit: *Expecta me pauliſper in Eccleſia te allocuturum*; ſi eam ſollicitet. 3. qui juvenem a Tribunali duxit ad cubiculum, & inhoneſta rogavit. 4. qui eidem præcepit ut hac die in ſuam (Sacerdotis) domum veniret, confeſſionis ſchedulam obtenturus, & ingreſſum ſollicitavit. 5. qui mulieri mox a confeſſione dat chartam ſollicitationis domi legendam. Ratio eſt quia in his omnibus occurrit ſollicitatio immediate poſt confeſſionem, & ex ipſa principium ducens. Unde damnata eſt die 24. Sept. 1665. ab Alexandro VII. propoſitio ſequens: *Confeſſarius, qui in* 17

Sacramentali confeſſione tribuit pœnitenti cartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non eſt denunciandus.

18 Quid autem facto opus ſit, ſi malus Sacerdos audita pueri confeſſione nihil dixerit, ſed delato in domum ejus confeſſionis chyrographo, eum tunc ſollicitare incipiat, ambigi poteſt. Negant Bordon. & Felix n. 608. eum eſſe in hoc caſu denunciandum; quia ſollicitatio hæc non eſt immediata, nec proxime pendet a confeſſione. Idem docet prædictus Felix n. 603. de eo, qui audita mulieris confeſſione, domum ejus adit, eamque ibi vel in itinere ſollicitat. Ratio potiſſima eſt, quia licet Confeſſor ille ex auditis in Tribunali ad hujuſmodi crimen motus fuerit, id tamen nullo exteriori ſigno demonſtravit; quod neceſſum eſt ut humanæ pęnæ ſubjiciatur,

19 Mihi, fateor, opinio hæc neutiquam arrideret, præſertim ſi ſollicitatio ipſa confeſſionis die & ex auditis in ipſa contingeret. Id enim cavere voluit Apoſtolica Sedes, ne comperta ſibi pœnitentis fragilitate in malum ejus abutatur ſceleſtus Miniſter. Id autem facit, & quantum ad humanas pęnas ſatis eſt, exterius facit in præſenti caſu & ſimilibus. Eſto non immediate poſt confeſſionem, at ſaltem occaſione illius, de quo ſtatim. Et eo tandem redit prædictus Auctor eod. n. 603. in fine.

20 Quæres 6. quid ſibi velit clauſula hæc Conſtitutionis: *ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa ſacramentali confeſſione non ſecuta.*

R. Differre occaſionem & prætextum. Occaſio enim dicitur de confeſſione vere petita; prætextus vero de confeſsione quæ non eſt, aut quæ falſo eſſe fingitur, vel quæ eſſe deſiit. Utrumque porro denunciationi locum præbere poteſt.

21 Hinc denunciandus, 1. qui poſt auditam mulieris confeſsionem, & in ea adulterium, ipſam vel in itinere, vel in domo ejus ſollicitat; & renitenti ait, quod non ſibi minus quam aliis cedere poſsit. Is enim ex audita confeſsione occaſionem ſumpſit ſollicitandi; & id, quod juxta dicta n. præced. neceſſarium non erat, exterius ſignificavit, violato inſuper confeſsionis ſigillo. 2. Qui ex tacita vel expreſſa confeſsionis petitione motivum ſollicitandi deſumit; etſi non ſequatur confeſsio. Is enim eſt qui medicinam vel panem petenti, venenum aut ſcorpionem porrigit. Unde qui ſincere vel doloſe vocatus domum, ut confeſsionem excipiat, & ſepoſita confeſsione vel ſollicitat ipſe, vel ſollicitanti acquieſcit, denuntiari debet; quia vere inhoneſta geſsit prætextu confeſsionis. Idem eſt tum de eo, qui invitata ad confeſsionem muliere, eandem ante fores Eccleſiæ præſtolatur, ibique ſollicitat; tum & de eo qui puellæ in Eccleſia exiſtenti dicit: *Vis mihi confiteri*; ſeu enim annuat vel renuat, Confeſſarius miſere & turpiter ſollicitans Conſtitutionum pęnis obnoxius erit.

23 Ab his tamen immunis judicatur, tum Regularis qui ut licentiam exeundi obtineat, fingit ſibi audiendam eſſe confeſsionem infirmæ, quam tamen non audire, ſed corrumpere intendit; tum & mulier quæ ut facilius peccet, ex conſilio Sacerdotis fingit ſe ægrotam, & familiares ſuos abigit. Ratio eſt quia neutro in caſu verus occurrit confeſsionis prætextus ad mentem Bullarum. Non in priori; Prætextus enim eſt color ac ſpecies confeſsionis cum pęnitente: hic autem non fingitur confeſsio cum muliere, ſed futura fingitur, ut deludatur Superior. Non in poſteriori: Sollicitatio

enim

enim ex confeſsione non oritur, ſed ex pacto extra ipſam inito, ut ſupponimus. Aliunde vero confeſsionis prætextus ad ſollicitationem proxime non ordinatur, ſed ad avertendam mali ſuſpicionem. Omnino autem, ait Fœlix n. 613. denuntiandus eſt, ſi inhoneſta tractans confeſsionem ſimulet ad faciendum adſtantibus fucum.

23 Quæres 7. quis ſit hujuſce clauſulæ ſenſus: *Sive extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionario.*

R. His verbis deſignari qui denuntiandi ſunt ratione loci in quo ad inhoneſta provocant; eos nimirum, qui licet nec excipiant confeſſionem, nec eam excipere fingant, audent tamen e loco, ubi Fideles animæ ſalutem inquirunt, iis gravem peccandi materiam præbere. Unde denuntiandus eſt, non modo qui ex Tribunali ubi ſedebat, feminam ante Tribunal ſtantem ſollicitavit; ſed & qui dum unam audiret, alteri inhoneſta ſigna fecit. Si enim hæc confitendi tempus expectabat, denuntiandus eſt Sacerdos ut ſollicitans occaſione confeſsionis; quia expectatio hæc eſt virtualis quædam confeſsionis petitio. Sin autem ibi alio fine verſabatur; at ſaltem denuntiandus eſt uti ſollicitans in Confeſsionali.

24 Quæres 8. quid ſignificent voces iſtæ: *Aut in loco quocumque, ubi confeſſiones ſacramentales audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem audire confeſſiones.*

R. Triplex in utraque Gregorii XV. & Benedicti XIV. diſtingui locorum genus in quibus audiri ſolent confeſsiones. Primus eſt Confeſsionale ordinarium, quod in Eccleſia collocatur; & de eo ſermo eſt n. præced. Secundus eſt locus quicumque ab illo diſtinctus ubi confeſsiones aliquorum ſaltem audiuntur. *Tales ſunt*, ait poſt P. Fœlicem Philippus de Carboneano in notis ad Theologiam Antonii pag. mihi 639. *in domibus Religioſis cellulæ quædam in primo Clauſtro, aut in Sacriſtia:* quanquam & in Sacriſtiis quandoque ſunt vera primi generis Confeſsionaria. Tertius locus, ait idem Felix, *is eſt quem Confeſſarius ex ſui placito pro eo tempore quo confeſſionem excipit, eligit*. His poſitis,

25 Denuntiandi ſunt juxta n. præc. qui in vel e primo loci genere ſollicitant, etſi nec audiunt nec audire fingunt perſonæ ſollicitatæ confeſsionem. Qui vero e loco ſecundi vel tertii generis ſollicitant, denuntiandi non ſunt, niſi confeſsionem actu excipiant, aut excipere ſimulent. Ratio eſt quia in his Gregorii verbis: *Sive extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque ubi confeſſiones audiuntur, ſimulantes ibidem audire confeſſiones;* quæ quoad ſenſum a Benedicto XIV. adoptantur; particula *aut*, utpote disjunctiva, caſus ſecernit.

26 Hinc 1. denuntiandus qui Monialem ſollicitat ad cratem, ſi hæc ad confeſsiones audiendas deſtinata ſit: ſecus ſi tantum ad loquendum; niſi in hac confeſsionem fingat.

27 Hinc 2. denuntiandus non eſt, qui ſedens in ſcamno, ubi plurium confeſsiones excepit, interpellatur a muliere, quæ ut eum commodius alloquatur, genuflectit, & quam nullatenus ſimulans confeſsionem ejus audire, ſollicitat ad malum. Etſi enim denuntiandus foret ſi in Confeſsionali ſedens feminam etiam ſtantem ſollicitaret; non tamen ſi extra Confeſsionale ſollicitet, niſi confeſsionem fingat; quod in præſenti locum non habere ſupponimus. Porro fingitur confeſsio, cum Sacerdos & pœnitens ex

exterius faciunt, ex quibus præſumi ſolet alterum alterius confeſſionem excipere: puta cum prior benedicit, faciem velat manu, hancve extendit ſuper pœnitentem, quaſi abſolvat. Poſterior vero flexo genu ſignum Crucis facit, percutit pectus, manus jungit, eoque humili tono loquitur, qui exterius peccatorum accuſationem redoleat.

28 Quæres 9. an etiam denuntiandi ſint, qui inhoneſtos cum pœnitente ſermones miſcent, ſine animo ſollicitandi ad crimen.

R. affirm. Duplicem enim clauſulam habent Conſtitutiones, eoſque denuntiari jubent, *qui ad inhoneſta & turpia, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, tunc aut poſtea legendam, aliquem pœnitentem ſollicitare vel provocare tentaverint*; aut *cum eo illicitos & inhoneſtos ſermones vel tractatus habuerint*. Cum ergo leges non ferant clauſulam ſuperfluam, & quę cum alia confundatur; dicendum ſubjacere denuntiationi non eos tantum qui ad malum ſollicitant, ſed qui citra perverſum hunc finem inhoneſta tractant.

29 Hinc denuntiandus eſt 1. qui pœnitentis ſuæ venuſtatem laudat, niſi id bono fine faciat; ut ſi hanc avertere velit ab uſu fuci, quia vultum ejus deturpaturi. 2. Qui ſopitam in Tribunali, ubi confeſſionem expectabat, feminam minus pudice tangit; 3. qui inhoneſta quædam protulit, quæ a pœnitente, quia diſtracta, vel ſurdaſtra non percepta fuere, bene vero a vicina ſolertioris auditus. Denuntiationis enim lege tenentur quicumque Confeſsarii ſcelus certo reſciunt.

30 Sed quid ſi malus Miniſter aliquam ſollicitet, quæ tunc quidem præ ſimplicitate ſenſum ejus aſſecuta non ſit, nupta vero deinceps intellexerit. Eane tunc denunciare tenebitur?

Negant aliqui, quia quæ vim verborum minime intellexit, nec debuit denuntiare tempore confeſſionis, ut patet; nec poſtea, quia ſollicitatio poſtmodum cognita, non poteſt dici facta immediate ante vel poſt confeſſionem. Alii affirmant denuntiandum eſſe, donec effluxerint 20. anni, quia crimina quæcumque tam publica quam privata, præter hæreſim, annis 20. præſcribuntur. Sollicitatio autem, licet ſuſpicionem hæreſis importet, non tamen hæreſim; unde hæreticus poſt mortem etiam denuntiatur, non vero ſollicitator. Alii tandem denuntiationem in hoc caſu imperant, & melius; tum quia denuntiandi onus incipit ſtatim ut quis ſollicitationis notitiam habet; & pendet a fidei virtute, quæ omnes ad eam adverſus hæreticorum calumnias protegendam obligat; tum quia ex quibuſdam Inquiſitorum Edictis conſtat, nullam temporis præſcriptionem excuſare in caſibus qui ad ſanctum Officium pertinent; tum præcipue quia litem hanc diremit Benedictus XIV. his verbis: etiamſi *longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit*. Eſto igitur ſollicitans non denuntietur poſt mortem inſtar hæretici formalis; at ſaltem ut ſuſpectus, quandiu vivit, denuntiandus eſt. *Verum tamen eſt*, ai Cozza dub. 29. *id denuntiationibus poſt longum tempus factis* Superiores *magna cum cautela procedere, ob impoſturæ timorem*.

31 Quæres 10. an denuntiatio fieri debeat, cum mutua fuit pœnitentis & Confeſsarii ſollicitatio.

R. affirm. ita enim habet in terminis idem Pontifex. Unde qui ſollicitanti feminæ conſentit, denuntiandus eſt; non quidem ut ſollicitator, ſed ut inhoneſta tractans in confeſſione. Ea tamen nec conſenſum ſuum, nec quod prior ſollicitaverit, aperire tenetur; prout ex Inquiſitionis Decreto

creto

Digitized by Google

creto probat Cozza dub. 24. Unde tunc mulier non ſpectatur ut complex, ſed ſolum ut teſtis alienæ & multum periculoſæ fragilitatis.

Sed quid ſi Confeſſarius, vel nihil reſpondit ſollicitanti, vel ad coitum ſollicitatus, hæſerit in tactibus & oſculis, vel nonniſi ex gravi metu ceſſit, puta quia in domo, ubi ſe infirmam fingebat, comminata eſt clamaturam ſe ſibi vim inferri, niſi conſentiret.

R. in 1. caſu eſſe denuntiandum, ſi nullo ſigno declaraverit ſe a propoſito crimine alienum eſſe: aut ſi tranquille permiſerit ut rea quidquid impuro corde gerebat, eructaret: *qui* enim ſacra tractans, tunc temporis *tacet*, *conſentire videtur*. Non eſſe vero denuntiandum, ſi vel ad initium ſceleſtæ petitionis feneſtram tacitus clauſerit, vel fugam, unde ut plurimum in his materiis pendet victoria, arripuerit. 32

R. in 2. caſu prorſus eſſe denuntiandum, quia & inhoneſta tractavit, & gravi reipſa peccato conſenſit. 33

R. in 3. caſu non eſſe denuntiandum; tum quia ceſſit graviſſimo metui, qui licet non a peccato excuſet, ab humana Legis pœna excuſat; tum quia non ipſe, ſed femina, confeſſionis occaſione tractatus inhoneſtos habuit: porro Decreta Pontificia non pœnitentes, ſed Confeſſarios de inhoneſtis tractantes afficiunt; tum quia pene intolerandum eſt, ut qui renitentem vi majore traxit ad ſcelus, eundem quaſi fontem inſons graviſſimis pęnis addicere poſſit. Atque hinc mihi dubium eſt an denuntiari debeat, qui magicis artibus ad inſanum amorem flexus eſt. Nemini ſane fraus adeo enormis patrocinari debet: patrocinaretur autem ei quæ miſerum juvenem perdere vellet. Ut eſt, qui in hoc poſtremo caſu denuntiaretur, mitiori longe pœna plectendus eſſet. 34

Quæres 11. a quo fieri debeat ſollicitantis denuntiatio.

R. 1. Faciendam dubio procul a pœnitente ſollicitato, cui donec hoc ſuo officio functus ſit, abſolutio eſt deneganda; utpote qui grave proximi detrimentum, & horrendam Sacramenti profanationem non avertat, cum poteſt. 35

R. 2. Eſſe quoque faciendam, tum ab eo qui fortuito caſu vidit aut audivit ſollicitationem, vel ab ore ſeu Confeſſarii ipſius, ſeu pęnitentis fide digni didicit. 36

Imo qui audivit a perſonis levibus nec dignis fide, juxta Dianam & Fœlicem n. 692. denuntiare debet; tum quia in Tribunalibus ſancti Officii, propter materiæ gravitatem, quæ eſt hæreſis vel ejuſdem ſuſpicio, admittuntur teſtes ceteroquin inhabiles, quales ſunt excommunicati, perjuri, infames; ex cap. *In fidei favorem, de hæreticis in 6.* tum quia meum non eſt, ſed Superiorum diſcutere, quam hujus aut illius teſtimonii rationem habere debeant. 37

Fatendum tamen eſſe plures qui contra ſentiant: quia qui in hoc caſu denuntiaret, & ſibi & alii triſtem incurreret notam; ſibi quidem, quia *qui cito credit, levis eſt corde*: cito autem credit, qui credit ei cujus nullam in materia minoris momenti haberet rationem. Alii vero, quia Sacerdotem exponeret infamiæ pœnæve aut afflictionis periculo. Vix tamen credo facile afflictum iri vel infamatum, qui apud Superiorem a perdito quopiam nebulone accuſaretur. Ecquis ſecurus ſit, ſi ad pęnam ſatis ſit a perditis quibuſdam denuntiari? 38

Quæres

Quæres 12. an denuntiare teneatur vel pœnitens, ſi ſe reus ipſe denuntiaverit; vel teſtis de auditu, ſi denuntiaverit ipſe pœnitens.

R. In priori caſu faciendam eſſe denuntiationem; tum quia parendum eſt legi quæ eam præcipit; tum quia facile lex eludi poſſet, dum ſollicitans vel falſo aſſereret ſe ſponte comparuiſſe; vel ſponte comparendo crimen ſuum inſigniter minueret. Atque ita definiit *ſupremum*, ut Itali vocant, Tribunal, die 26. Julii 1628. In poſteriori autem caſu teſtis de auditu quandoque ad denuntiationem tenetur, quandoque non. Tenetur quidem, ſi forte ſollicitationem audierit: tunc enim alius eſt a pœnitente teſtis, hujuſque aſſertionem fortiter confirmat. Non tenetur vero, ſi a pœnitente ipſo ſollicitationem didicerit; quia tunc teſtificatio ejus, ut pote innixa tantum pœnitentis fide, non habet vim majorem quam ipſa pœnitentis aſſertio. Ceterum Confeſſarius ſollicitans cogendus non eſt ad ſui ipſius denuntiationem, nec proinde ad eam tenetur. Ei tamen conſuli poteſt ut proprio motu crimen ſuum aperiat Superioribus; quia ſi nullis præventus ſit indiciis, gaudebit beneficio ſponte comparentium; ſi vero ſit præventus, gaudebit beneficio comparentium non citatorum. Ita Cozza dub. 44.

40 Quæres 13. an cum a denuntiatione excuſatur pœnitens, excuſetur pariter alius qui ſollicitationis notitiam habet.

Affirmat Bordon, quia, inquit, ſciens, uti acceſſorius, non alia lege obligatur quam principalis. Sed male: fieri enim poteſt ut pœnitens a denuntiatione immunis ſit ex gravis mali timore, non autem alius ille de quo loquimur. Ubique tamen conſtat quod mortuo ſollicitatore expirat quoad omnes denuntiationis onus: quia ceſſat finis a lege intentus, emendatio ſcilicet rei, & ejus in aliorum exemplum punitio.

Quæres 14. an perſona ſollicitata ad denuntiationem teneatur, quamvis grave hinc ſibi damnum impendeat, puta mors, abſciſſio membri, famæ jactura notabilis, amiſſio magnæ bonorum partis.

41 R. 1. Raro contingere ut hæc ipſis etiam mulieribus a natura timidis metuenda ſint; quia & rarum eſt ut ſollicitantes ſint formidandi, & fieri facile poteſt, ut contra eos imploretur propriæ familiæ, vel ſancti Officii auxilium.

42 R. 2. Suppoſito gravis mali periculo ceſſare denuntiandi obligationem ex communi Doctorum ſententia; quia humanæ leges non obligant cum tanto diſpendio. Unde ne eo quidem in caſu urgeret obligatio denuntiandi hæreticum occultum; niſi is in magnam Reipublicæ Chriſtianæ perniciem dogmata ſua diffunderet: Tunc enim tenetur quiſque pro patria vitam ponere.

43 R. 3. Nunquam tamen poſſe quemquam a denuntiatione eximi per ſimplicem Confeſſarium: debet enim is ex Edicto Inquiſitionis Rom. dato die 13. Sept. 1623. vel S. Congregat. ſi in Urbe ſit; vel Epiſcopum, ſi extra Urbem degat, conſulere, & ab eis edoceri quid ſibi hic & nunc facto opus ſit. Quod ſi aliquando ante factam denuntiationem abſolvat, nuſquam abſolvat niſi ſub conditione futuræ denuntiationis, poſito quod ceſſent cauſæ quæ actu ſilentium imperant.

44 Quæres 15. an denuntiare teneatur, qui ſollicitationem accepit ſub ſecreto naturali.

R. Se-

R. Secreti legem, niſi a Sacramentali confeſſione profluat, nullam eſſe quæ a denuntiando excuſet. Ratio eſt quia ex S. Thoma 2. 2. q. 70. ar. 1. ad 2. *Ea quæ aliter* quam per confeſſionem *homini ſub ſecreto committuntur ∴ quandoque ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur: puta ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus perſonæ, vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi*. Atqui dubio procul hæreſis & ſollicitatio, per quam ſacrilege invertuntur Sacramenta, pertinet ad corruptionem &c. Hinc ne quidem a denuntiando liber eſt, qui ſecretum iſtud ſub juramento, vel ſub hac clauſula a loquacioribus etiam feminis apponi ſolita, *Hoc dico tibi tanquam in confeſſione*, recepit. Juramentum enim tacitam hanc habet conditionem, *niſi obſt lex naturalis*: alioqui foret iniquitatis vinculum. Ex vero voces: *Id dico tibi ut Confeſſario*, veram reipſa confeſſionem non faciunt. Ita cum aliis pluribus Cozza dub. 47.

Quæres 16. an mater filium, fraterve aut ſoror fratrem, quem ſollicitatorem eſſe norunt, denuntiare teneantur. Quæſtio eadem moveri ſolet de patre hæretico, de matre ſaga & venefica.

Affirmant plures denuntiandum; pugnantque his potiſſimum Comitoli rationibus Lib. 4. Reſp. q. 8. n. 3. & ſeq. 1. quod Dei, ſummi omnium parentis, cuique non corpus tantum, ſed & animam debemus, honor & gloria, ipſi etiam terreni patris vitæ præferenda ſit. 2. Quod bonum commune & divinum, privato cujuſque hominis bono longe potius ſit. Porro Religionis bonum quod hæretici, ſollicitantes, ſagæ, ſuo quiſque modo impie ſubvertunt, commune eſt & divinum; 3. quod carior nobis eſſe debeat anima parentum, quam eorumdem corpus: ſi autem Eccleſiaſticum ex delatione noſtra judicium ſubeant, probabile eſt eorum animæ melius futurum eſſe. 4. Quia ſi ſciat filius matrem ſuam toti familiæ perniciem certam parare, non ſolum poterit, ſed & tenebitur eam ad Magiſtratus deferre, ſi non alia quam eorum auctoritate impendens malum avertere valeat. Ergo. 45

Aliter ſentiunt quidam de hæreticis ipſis, & paulo plures de ſollicitantibus; tum quia pater, filius, maritus, uxor & fratres, una inter ſe perſona eſſe cenſentur; jure autem naturali nemo ſe ipſum prodere tenetur; tum quia ſecutura filii vel fratris infamia totam in familiam recidet. 46

Fatendum opinionem primam multo receptiorem eſſe & communiorem, quam ſecundam. Ego quidem neutram omnino ſequerer, vel abjicerem omnino. Unde non denuntiarem filium, quem mihi conſtaret vel ex inſolito quopiam vini æſtu ceſſiſſe malo, illudque ex tunc ubertim defleviſſe; vel, ne rurſum ſuccumbat, ſacro miniſterio in perpetuum renuntiaſſe. Eum vero a quo nihil boni ſperari poſſit, curarem a functionibus ſuis, quam leniter & ſecreto fieri liceret, ſeu ab Epiſcopo, ſeu ab alio Superiori ſuſpendi. Sic enim & maternis viſceribus, & honori Religionis, & Sacramentorum dignitati, & rei ipſius ſaluti providerem. 47

Quæres 17. an denuntiari debeat, ſeu Sacerdos juriſdictione ad abſolvendum deſtitutus, ſeu minor Clericus, qui quandam ad ſe bona vel mala fide accedentem ſollicitat in Confeſſionali.

R. ad 1. affirm. idque jam extra dubium eſſe debet poſt hæc Benedicti XIV. verba ſup. n. 3. Denuntiandus eſt *etiam Sacerdos, qui juriſdictione* 48

ad

ad abſolutionem valide impertiendam careat. Atque id jam a Supremo Tribunali declaratum erat die 11. Febr. an. 1661.

49 R. ad 2. Laicos vel Clericos minores, qui Miſſam celebrare, aut ſe pro Confeſſariis exhibere audent, eſſe equidem denuntiandos Inquiſitoribus; imo ab iſtis, ſi Clerici ſint, prævia degradatione tradendos Curiæ ſeculari; prout ſanxerunt Clemens VIII. & Urbanus VIII. at nequaquam ſubjacere pœnis contra ſollicitantes ſancitis. Unde Clericus qui exiſtens in Confeſſionali rogaretur a femina confeſſionem ejus audire, eamque ſtatim, ne audito quidem ejus confeſſionis verbo, ſollicitare inciperet, nec pœnis contra non promotos, nec pœnis adverſus ſollicitatores conſtitutis ſubjaceret. Ratio eſt quia in omnibus quæ hactenus ea de re prodierunt Bullis ſermo eſt de Sacerdote pure ac ſimpliciter dicto. Fictus porro Sacerdos, non eſt Sacerdos pure ac proprie dictus.

50 Qua etiam de cauſa pœnitentis interpres, qui eum ſollicitat, denuntiari neceſſario non debet; tum quia nec Confeſſarius eſt, nec talem ſe eſſe fingit; tum quia interpres potius ſe tenet ex parte pœnitentis, quam ex parte Confeſſarii; adeoque etiamſi Sacerdos eſſet, non ſollicitaret ut Confeſſarius; tum quia interpretis caſus raro contingit; pro his autem quæ raro contingunt, non conſtituuntur Leges, ex L. *Nam ad ea, ff. de lege*. Ita Cozza cum aliis dub. 40.

Quæres 18. an ſollicitantis denuntiationi præmitti debeat correctio fraterna.

51 Affirmant Fagundez & alii quidam, 1. quia præceptum correctionis fraternæ eſt de jure tum naturali, tum divino, cui nulla lex Eccleſiaſtica prævalere poteſt. 2. Quia S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. O. ſic ſcribit: *Quædam peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale; puta ſi aliquis occulte tractet quomodo civitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus privatim homines a fide avertat: & quia qui ſic occulte peccat, non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denuntiationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur: niſi forte aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire*.

52 Negant tamen alii permittendam hujuſmodi correctionem, cum de hæreſi, aut hæreſis ſuſpicione agitur, prout in præſenti, 1. quia Alexander VII. die 8. Julii 1660. ſtatuit incumbere in his caſibus obligationem denuntiandi, *etiamſi nulla fraterna correctio vel admonitio præmiſſa fuerit*.

53 2. Quia id non obſcure docet S. Thomas in loco mox objecto. Vult enim Angelicus, ut in peccatis quæ in proximi nocumentum vergunt *ſtatim* ad denuntiationem procedatur, *niſi* FORTE *aliquis* FIRMITER *exiſtimet, quod* STATIM *per ſecretam admonitionem poſſit mala* hæc *impedire*. Atqui, ut bene ponderant Ultramontani plures, vix unquam fiet, ut mulier ſollicitata *firmiter* confidere poſſit ſacrilegum corruptorem *ſtatim* emendatum iri. Is equidem ut denuntiationem fugiat, finget ſibi lubenter acceptam eſſe correctionem, aget gratias ore, ſolvetur identidem in fletus, inadvertentiam ac mentis evagationem allegabit, modeſtus ſe geret quam antea: ſed ubi prima ſe dabit occaſio, tentabitur primum, tum poſtmodo tentationi cedet. Ecquis *vidit Clericum cito pœnitentem*?

3. Quia etſi ante denuntiationem Evangelicam, cujus objectum ſola eſt peccantis emendatio, requiritur correctio fraterna, cum utilis fore

præſu-

præſumitur; non tamen ante denuntiationem judicialem, cujus objectum eſt ſontis punitio, & procurata aliis ab unius punitione ſecuritas: quod in præſenti locum habet, ut & in aliis delictis multitudini exitialibus. Unde ſtatim & citra monitionem denuntiatur homicida, vel virginum raptor. Confer quæ dicit de hæreticis Suarez diſp. 20. de fide, ſect. 4. n. 15. pag. mihi 734. Nihil ergo mirum ſi opinio quæ in ſollicitationis crimine fraternam correctionem denuntiationi præmitti volebat, ab Inquiſitione Rom. proſcripta ſit die 27. Sept. 1628. ut *falſa*, *diſciplinæ Eccleſiaſticæ relaxativa*, *& Bullas reddens inutiles*.

Ex his liquet denuntiandum eſſe eum etiam, quem emendatum eſſe 55
conſtiterit; quia & huic ſua pœna debetur. A fortiori denuntiandus eſt, qui in confeſſionis decurſu gravem lapſus ſui dolorem exhibet: alioqui poſſet quiſquis dolore ficto ſollicitationem facile declinare.

Quæres 19. an mulier ad turpia ſollicitans ſit denuntianda. 56

R. neg. cum communi. 1. Quia Apoſtolicæ Conſtitutiones loquuntur tantum de Presbyteris ſollicitantibus, non vero de feminis. 2. Quia longe gravius peccat Sacerdos in confeſſione ſollicitans quam femina. Neque ſi par foret crimen, par quoque foret denuntiandi obligatio, quia leges pœnales rejiciunt argumentum a pari, a majori, & a contrario ſenſu. 3. Quia rarum eſt ut femina ſollicitet: Ex dictis autem leges rara attingere non ſolent. 4. Quia majus eſt periculum in ſollicitatione viri, cum facile perſuadere poſſit, quædam minus gravia, ut oſcula, nihil habere mali, quod non perſuadebit femina.

Quæres 20. cui facienda ſit ſollicitatoris denunciatio. 57

R. Id pendere a locorum moribus: in Hiſpaniis ſiquidem eo uſque ſpectat denunciatio hæc ad Inquiſitores, ut ab ea liber non ſit, qui denuntiat Epiſcopo. Alibi vero paſſim recurrendum ad Epiſcopos.

Si vero, quod avertat Deus, Epiſcopus ipſe, vel Inquiſitor, tanti adeo 58
criminis reos ſe fecerint; Epiſcopus (idemque eſt de Nuntiis, Apoſtolicæ Sedis Legatis, & Officialibus qui ad generalia ejuſdem Sedis negotia deputantur) Rom. Pontifici denuntiandus erit: Inquiſitor vero vel ſupremo Inquiſitionis Tribunali, vel ipſi Papæ. Generales autem Ordinum Præpoſiti, non modo iis Religioſorum ſuorum cauſis quæ ad hæreſim, hæreſiſve ſuſpicionem ſpectant, immiſcere ſe prohibentur per Edicta Pauli V. & Alexandri VII. ſed & ipſi in iiſdem cauſis vel privatæ locorum Inquiſitioni ſubjacent, ut volunt plures, vel a privatis Inquiſitoribus ad ſupremum Tribunal remitti debent, ut cenſet Diana. 59

Quæres 21. quotum intra tempus denunciatio facienda ſit.

R. Id pendere ab Inquiſitorum Edictis. Hiſpana Inquiſitio dies ſex aut ſeptem aſſignat, Romana vero dies 12. juxta Cozza dub. 46. Docet autem P. Fœlix dies termini non computari in termino; & ſubdit contra Leandrum eam quæ Edicti notitiam habuit, ſed præ impedimento non potuit parere, eodem ceſſante ſtatim teneri ad parendum, ſeu ad denuntiandum. Quod ſi futurum impedimentum prævideat, debet terminum prævenire; 60
alioqui & peccat mortaliter, & excommunicationem adverſus eos qui ſtato tempore denuntiare negligunt, incurrit. Porro generatim loquendo abſolvi non debet mulier antequam denuntiaverit, niſi urgeat neceſſitas communionis, & pœnitens timoratæ conſcientiæ ſpondeat ſe quamprimum

officio

officio ſuo defuncturam eſſe. Quod ſi id jam promiſiſſet, vel gravis rea foret negligentiæ, differri deberet abſolutio, donec obtemperaſſet.

Hic notand. feminas nobiles, puellaſve quæ Inquiſitionis Tribunal adire verentur, per internuntium monere debere Inquiſitorem, ut aliquem in domum mittat, qui ſuſcipiat denuntiationem. Et id munus juxta Philippum a Carboneano non inepte Confeſſori ipſi committitur, ſi præſertim ſermo ſit de Monialis denuntiatione, quæ ne Monialibus aliis innoteſcat ſevere cavendum. Is autem qui ad officium hoc deputatur ſollicitationis aſsertionem juramento firmatam in ſcriptis recipere debet ex juſſu Urbani VIII. die 26. Sept. 1624.

61 Quæres 22. An quæ propter omiſsam denuntiationem incidit in cenſuram, facta poſtmodum denuntiatione, a quolibet Confeſsario abſolvi poſſit.

R. Excommunicationem hanc manere reſervatam, quia lata ea de re Edicta ſanciunt quidem pœnitentes ſollicitatos abſolvi non poſse, niſi denuntiaverint; at non dicunt, quod facta denuntiatione a quolibet Confeſsario abſolvi poſſit. An autem cenſura hæc a Regularibus vi privilegiorum, aut ab aliis vi Bullæ Cruciatæ auferri poſſit, controvertitur. Partem affirmantem tenent Diana & Fœlix n. 741. Aliter ſentit Cozza dub. ult. & ex Romano quod adducit Edicto, perſpicue probat abſolutionem hujus cenſuræ nunquam niſi a ſancto Officio, vel cui ab eo conceſsa eſt facultas, impendi poſse.

62 Quæres 23. An graviter peccent Sacerdotes, qui pœnitentes de denuntiandi obligatione non admonent.

R. Mortaliter peccare, ut qui mandatum a Superioribus in graviſſima materia ſibi impoſitum tranſgrediantur: unde & a locorum Ordinariis & Inquiſitoribus *pro modo culpæ* puniendi ſunt, uti ſtatuit Gregorius XV.

Et hæc de injucunda iſta materie ſufficiant, quæ utinam nec nominetur in Sanctis.

APPENDIX SECUNDA.

De Purgatorio.

SEcundam hanc appendicem, ſeu potius integrum de Purgatorio Tractatum, in quinque Capita partiemur. Primum erit de nomine & eſsentia Purgatorii. Secundum exiſtentiam ejus contra veteres, recentioreſque hæreticos vindicabit. Tertium potiores ejus circumſtantias, ſubjectum videlicet, pœnas, pœnarumque gradum, durationem, locum &c. expendet. Quartum militantis Eccleſiæ Officia erga purgantem proſequetur. Quintum aperiet quibus hæc mediis ab illa juvari poſſit.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus & eſſentia Purgatorii.

1 PUrgatorium multis apud veteres Liturgias donatur nominibus. In illis enim paſſim vocatur Locus doloris & gemitus; Locus purgationis;

Digitized by Google

nis; Ignis tranſitorius; Via tenebroſa; Lacus profundus; quin & Infernus. Ut autem qui nobis circa rem nomine ſignificatam conſentiebant Græci, ne nomine quidem diſſentirent, ſanxit Innocentius IV. in Epiſt. ad Ottonem Cardinalem Tuſculanum, ut *de cetero apud illos*, quemadmodum & apud Occidentales, *iſto* Purgatorii *nomine appelletur* locus in quo poſt mortem mundantur animæ, quibus luendum aliquid ſupereſt.

Purgatorium definitur Locus doloris, in quo juſtorum animæ luunt pœnam ſuis peccatis debitam, donec ab iis penitus mundatæ tranſeant ad ſocietatem Beatorum. 2

Dicitur 1. *Locus doloris*, quæ vox eſt loco generis: per eum enim convenit Purgatorium cum tartaro, atque etiam, juxta plurès, cum infantium minime baptiſatorum Limbo, ſi forte is a reproborum inferis diſtinguatur. 3

Dicitur 2. *In quo juſtorum animæ*. Purgatorium enim neque conſtitutum eſt reprobis, quibus nulla eſt redemptio, nulla proinde mundatio; neque juſtis omnibus, ſed aliquibus tantum. Unde 4

Dicitur 3. *Luunt*, ſeu, ut alii dicunt, *ſatiſpatiuntur pœnam peccatis ſuis debitam*. Sublato enim culpæ reatu manet aliquando pœnæ reatus: is autem cum in præſenti vita expunctus non eſt, in alia neceſſario debet expungi, prout ex dicendis innoteſcet. 5

Dicitur 4. *Donec ab eis mundatæ tranſeant ad ſocietatem Beatorum*. Exigit enim divina benignitas, ut qui parem levioribus ſuis delictis pœnam tulere, in æterna tabernacula aliquando tandem recipiantur; ſicque *per ignem* ſalvi fiant, prout loquitur Apoſtolus. 6

In hac noſtra definitione voces, *in quo juſtorum animæ &c.* differentiæ locum habent: per eas enim diſtinguitur Purgatorium, tum a beata Sanctorum regione in qua *neque luctus eſt, neque clamor, neque dolor;* tum ab inferno; cujus incolæ *nocte ac die cruciabuntur in ſæcula ſæculorum*; tum a Limbo Patrum; quia quæ in eo detinebantur juſtorum animæ, jam expiatæ erant, ſeu dum in vivis degerent, ſeu in igne purgatorio; tum & ab infantium Limbo, qui & eorum ſedes eſt æterna, & a pluribus in Superiori inferorum parte conſtituitur. 7 *Apocal.* 21. 4. *Ib.* 20. 10.

CAPUT SECUNDUM.

De Exiſtentia Purgatorii.

Multi recenſentur Purgatorii hoſtes, & quidem 1. Aerius, vir Armenus, Sebaſteni Xenodochii Rector, Arianæ factionis vindex acerrimus. Is enim docuit ſeculo IV. vivorum ſuffragia non prodeſſe defunctis, prout referunt Epiphanius, hær. 75. & Auguſtinus, hær. 53. 8

Verum, ut ſolide advertit Suarez, Tom. 4. in 3. p. S. Thomæ, diſp. 45. Sect. 1. etſi error iſte affinis ſit errori eorum qui Purgatorium inficiantur, nullam tamen cum eo neceſſariam connexionem habet. Poſſet enim quis & confiteri Purgatorium, & negare *purgantes animas* juvari a viventibus. Id autem ab Aerio factum ſuadent utcumque hæc ejus apud Epiphanium verba: *Quæ ratio eſt poſt obitum mortuorum appellare nomina. Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona ſua diſpenſet, quid ex ea re tan-* *Edit. Pet.* T. 1. p. 907.

dem

dem ad mortuum redit? Quod ſi ſuperſtitum preces iis qui ex hac vita diſceſſerint, opitulari poſſunt; nemo pie deinceps agat aliquid, neque boni quidquam faciat: ſed amicos ſibi aliquos quacumque ratione velit, adjungat: ſive pecuniarum largitione, ſive precibus hoc ab illis ſub vitæ finem impetret, ut pro ſe Deum exorent, ut ne illic aliquid incommodi patiatur, nec immanium a ſe facinorum pœnæ repetantur. Ubi non negat Aerius hominem in alio ſeculo *aliquid incommodi* pati; ſed ſupponit ita pati, ut ab alio homine juvari non poſſit: niſi forte crediderit, aut credere finxerit, reprobos, in opinione Catholicorum, poſſe viventium ſuffragiis adjuvari: quod & poſtrema ejus apud Epiphanium verba ſubindicant. Quanquam in eo ſæpius peccant Theologi, quod Hæreticos accurate & in omnibus amuſſim diſcurriſſe contendunt: tametſi vel ipſi Eccleſiæ Patres, non ſemper ſolide argumentati ſint. Ut ut eſt.

9 Secundum inter Purgatorii hoſtes locum obtinere ſolent Albanenſes, ſic nuncupati ab Albania olim Macedoniæ Provincia, & ſub Leone III. circa ann. 786. exorti. Erant hi indigna Manichæorum & Apollinariſtarum propago, ſed digna quæ Lutheranis & Calviniſtis hac in parte præiret.

10 3. Idem ſenſus diſerte affingitur tum Waldenſibus a Guidone Carmelita & S. Antonino; tum Apoſtolicis, (ſi tamen hi a Waldenſibus differant) viris, teſte Bernardo, Serm. 66. in Cantic. agreſtibus, *qui non credunt*, ait Sanctus Doctor, numer. 11. *ignem purgatorium reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam ſolutam a corpore, vel ad requiem tranſire, vel ad damnationem.*

11 4. In idem conſpirarunt Henriciani, quorum dux Henricus quidam Eremita, circa ann. 1147. Petrobruſſiani, ab anteſignano ſuo Petro de Bruis, nomen ſortiti; Albigenſes, qui cum Purgatorio etiam infernum tollebant, prout ex B. Antonino refert Bellarminus, Tract. de Purgatorio, Lib. 1. Cap. 2. Tom. 2. p. 572.

12 5. Idem commentum a quibuſdam tribuitur Wiclefiſtis & Huſſitis: *forte falſo*, ait ibid. Bellarminus, *cum nihil tale eis tribuat Concilium Conſtantienſe, nec Thomas VValdenſis*. At jam dicere licet, non *forte*, ſed indubie *falſo*: cum Purgatorii fidem a Joanne Hus conſtanter fuiſſe aſſertam, invicte probet Jacobus Lenfant, in ſua Concilii Conſtantienſis Hiſtoria, Lib. 3. numer. 54. pag. mihi 281. Idem de VViclefo tradit Illuſtr. Boſſuetus, Lib. 2. Hiſtoriæ Variationum, num. 157. Uterque merito. Siquidem Joannes Hus, Tract. de Corpore & Sanguine Domini, Cap. 4. hos Euchariſtiæ effectus recenſet: *Purgari a peccatis; proficere in virtutibus, liberari a pœna Purgatorii, quam deberet homo pati*. VViclefus vero, Lib. 2. Trialogi, Cap. 22. *Eſt*, inquit, *Eccleſia triplex, ſcilicet militans, dormiens & triumphans. Militans eſt corpus prædeſtinatorum, dum hic vivat ad patriam; Eccleſia dormiens eſt prædeſtinati in Purgatorio patientes, &c.* Et Cap. 40. *Cum multæ animæ ſint interim in Purgatorio expiandæ, &c.* Ecce ut Doctores illi, quos Pſeudoreformati uti Magiſtros ſuos venerantur, exitiales, teſte infra Calvino, errores docuerunt.

13 6. Idem error Armenis & Græcis adſcribitur a prædicto Guidone; vixque dubium quin Græci in hujus erroris ſuſpicionem venerint; cum & eum impugnaverit S. Thomas, in Opuſculo contra Græcos, & eumdem

dem in ultima Seſſione reprobaverit Florentina Synodus, cui propoſitum erat certos vel dubios Græcorum errores profligare. Conſtat tamen a Græcis in Ferrarienſi Concilio, Seſſ. 1. aſſertum fuiſſe, quod Purgatorium ejuſque tenebras & labores minime negarent, ſed tantum Purgatorii ignem. Aliud porro eſt modum, aliud rei ſubſtantiam inficiari.

7. Lutherus vir ad conditionum & opinionum variationes natus, primum illibatam habuit Purgatorii fidem. *Ego*, ajebat in diſputatione Lypſica, *qui credo fortiter, imo auſim dicere, ſcio Purgatorium eſſe, facile perſuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem*. At non diu ſtetit Novator intra puræ fidei limites, ſed ſenſim & per gradus eo devenit, ut *fortiter crederet, & ſciret* non eſſe Purgatorium. Unde in Libro ad Waldenſes: *Cum*, inquit, *negatis Purgatorium, damnatis vigilias, Cœnobia, Monaſteria ... per omnia etiam probo*. 14

8. Non is erat Calvinus, qui nactam longius ab Eccleſia Romana diſcedendi occaſionem totis ulnis minime arriperet. Docet ergo, Lib. 3. Inſtitut. Cap. 5. §. 6. Purgatorium eſſe *exitiale Satanæ commentum, quod Chriſti Crucem evacuat, quod contumeliam non ferendam Dei miſericordiæ irrogat, quod fidem labefacit, &c.* Idem ſenſere ceteri ejuſdem temporis Hæretici, præcipue vero Bernardinus Ochin, Petrus Martyr, &c. 15

In aliud extremum ceſſit Origenes: is enim ſic admiſit Purgatorium, ut nullas poſt hanc vitam pœnas agnoverit, niſi purgatorias; unde non impiis modo, ſed & ipſis dœmonibus æquo tandem cruciatu purgatis ſalutem pollicitus eſt, ut refert Auguſtinus, Lib. 21. de Civitate Dei, Cap. 17. ubi & alios adducit, qui non equidem dæmonibus, ſed hominibus univerſis indulgentiam hanc ſponderent. Sit jam. 16

CONCLUSIO. Exiſtit Purgatorium. Eſt de fide.

Probatur 1. ex veteri Teſtamento. Tob. 4. Poſtquam Tobias ſenior filium ſuum, eam quam cum egenis viventibus agendi rationem ſervare deberet, his edocuit verbis, *Panem tuum cum eſurientibus comede*, ſic proſequitur verſic. 18. *Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam juſti conſtitue*. Atqui non alius eſſe poteſt verborum iſtorum ſenſus, quam iſte: *Poſt juſti mortem largire pauperibus eleemoſynam, ut ea ſuſcepta orent pro anima defuncti*. Minor patet 1. quia non utique intendebat Tobias, ut ſuper juſti ſepulturam conſtituerentur panis & vinum ad ejuſdem juſti pabulum, prout moris erat apud Paganos. Neque enim vel eo uſque deſipuit vir ſanctus; vel praxim hanc quæ apud Judæos tempore Chriſti perſeverabat ut impiam redarguere omiſiſſet Chriſtus, ut tot alia levioris momenti in Phariſæis redarguit. 2. Quia noſtrum hunc ſenſum iiſdem verbis conſtanter affinxere Patres & Interpretes: *Cur*, inquit Chryſoſtomus, Homil. 32. in Matth. *poſt mortem tuorum pauperes convocas? Cur Presbyteros, ut pro eis velint orare, obſecras?* 3. Quia hinc nata eſt conſuetudo, quæ olim in Eccleſia fuit, nec deſiit omnino, ut affines defuncti inſtruant convivium, & ex cibo & potu aliquid mittant ad pauperes, ut orent pro anima defuncti. 4. Quia eo tendit iſtud Eccli. 7. v. 37. *Mortuo non prohibeas gratiam*. Certe ut non eſt Deus mortuorum, ſic nec cadaveri gratia eſt. Ergo hæc ſolam 17

mortui animam afficere poteſt, Qua porro ratione, niſi illius maculas abluendo?

18 II. Machab. Cap. 12. Judas Machabæus, vir pietate quam armis inſignior, *facta collatione duodecim millia dracmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene & religioſe de reſurrectione cogitans*. *Niſi enim*, ait Sacer Scriptor, *eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis. Et quia conſiderabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Atqui his in verbis habetur pleniſſima Purgatorii fides. Ex iis enim ſequitur 1. non ſemper in morte expiari omnes peccatorum reliquias, uti Luthero placet. 2. Poſſe proinde hominem pie & ſancte mori, & tamen debitum aliquod habere ſolvendum, vel ob venialia, quæ nondum dimiſſa ſint, vel propter ſatisfactionem non plene expletam pro mortalibus remiſſis. 3. Vivorum orationes & Sacrificia prodeſſe defunctis, ut a peccatis ſolvantur. Ergo.

19 Reponunt Novatores 1. Machabæorum Libros non eſſe canonicos. *Quod ex Machabæorum hiſtoria proferunt*, ait Calvinus, Lib. 3. Inſtitut. Cap. 5. numer. 8. *reſponſione non dignabor, ne Opus illud videar in ſacrorum Librorum catalogum referre*. Sic vero concidit robur totius argumenti.

20 2. In objecto textu errorem contineri manifeſtum, nempe animas perire ſimul cum corporibus, & cum eis reſurgere. Si enim non ſupponeret hujus Operis Scriptor, animas cum corporibus mori, nequaquam diceret vanam eſſe & ſuperfluam orationem pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt: quia ſublata etiam corporis reſurrectione, poſſet anima ſuperſtes orationibus ac ſuffragiis viventium adjuvari.

21 3. Concluſionem hanc, *ſancta ergo & ſalubris eſt cogitatio, &c.* Hiſtorico non convenire; illam proinde habendam eſſe pro additione marginali, quæ in textum violenter intruſa ſit.

22 4. Ex eo textu, ſi canonicus ſit, plus confici quam velimus; preces ſcilicet viventium iis etiam prodeſſe qui in peccato mortali deceſſerint. Is enim erat ſtatus eorum pro quibus Judas ſacrificium offerri voluit: cum ſub eorum tunicis reperta ſint quædam *de donariis idolorum, a quibus Lex* ſeveriſſime *prohibet Judæos*, Deuteron. 7. quam propter tranſgreſſionem iidem in poſtremo prælio ceciderant, ut patet citat. Cap. verſ. 40. Verum hæc ſtraminea ſunt, & facile confringuntur. Itaque,

23 Ad 1. probabimus ſub finem Capitis Libros Machabæorum eſſe canonicos. Deinde dato quod canonici non ſint, ejuſdem, ut minimum, quoad Judaicos ritus, auctoritatis erunt, ac profani Scriptores quoad ritus Gentilium. Atqui Scriptori profano ethnico ritus ſcribenti nemo fidem abnegat. Præterea Lutherani Libros Machabæorum in Bibliorum Codice reponunt, eoſque ajunt recte in Eccleſia legi *ad morum ædificationem*. Ergo oratio pro defunctis ſaltem bonis moribus congruit. Ita in Theologia ſua polemica, pag. 972. VVitus Pichler, cui ut Germano Lutheranos inter verſanti fides haberi poſſit.

Ad 2. Non ſuppoſuit Auctor animas cum corporibus mori & reſurgere;

gere ; ſed ex eo quod corpora olim reſurrectura ſint, concluſit animas eſſe immortales ; & ideo, ſi necdum ab omni labe purgatæ ſint, viventium præcibus juvari poſſe. Atqui nihil eſt abſurdi quod ex reſurrectione corporis inferatur animæ immortalitas : quia apud Judæos utraque res ita connexa erat, ut qui unam admitteret, admitteret alteram ; & qui hanc negaret, illam inficiaretur. Sic utramque rejiciebant Saducæi, & utramque Phariſæi admittebant, & quidem jure ac merito ; quia cum anima ſit vera corporis forma, proinde vera pars hominis, non eſt veriſimile Deum, qui omnia ſuaviter diſponit, voluiſſe ut anima ſine corpore, quod ejus laborum particeps fuit, perpetuo viveret. Hinc Chriſtus, ut Sadducæis corporum reſurrectionem probaret, iſto utitur Scripturæ teſtimonio : *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob* ; & ſubjungit ; *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*. Atqui argumentum hoc nihil concludit, niſi ſupponatur quæſtionem de animarum immortalitate & de reſurrectione corporum pro una & eadem quæſtione accipi. Poſſet enim alioqui negari conſequentia ; quia Deus erit viventium Deus, etiamſi mortui non reſurgant ; quandoquidem vivunt animæ, quarum Deus eſt. Pari ratione Apoſtolus, cum ait 1. Corinth. 15. *Quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt ? Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, nihil concludit, niſi præſupponat animas eſſe mortales, ſi corpora non reſurgunt. Si enim immortalis eſt anima, tametſi corpora non reſurgant, multum proderit jejunare & bene vivere ; quia id proderit ad gloriam animæ acquirendam. Ergo Auctor Hiſtoriæ Machabæorum non alio loquitur modo quam Paulus & ipſe Chriſtus ; & idem cum ipſis præſupponit, nimirum mortales eſſe animas, ſi mortui non reſurgant, proinde ſuperfluum eſſe ac vanum orare pro mortuis, niſi ſperetur reſurrectio. Ita Bellarm. cit. Lib. 1. Cap. 3.

Ad 3. 1. Perperam aſſutus dicitur textus, qui nulla in verſione, nullo in exemplari deeſt. 2. Non eſt inſolitum Hiſtoricis ex iis quæ ſcribunt, nonnunquam aliquid colligere quod ad imitationem & bonos mores pertineat : idque multo magis, cum reprimenda eſt, quæ graſſari incipit, male ſentientium hæreſis. Porro ipſo Machabæorum tempore, vel eo ſaltem quo ſcripta eſt eorum Hiſtoria, jam ſerpere poterat hæreſis Sadducæorum, quæ tam altas Chriſti ævo radices jecerat. 3. dempta etiam iſta conſecutione : *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio*, *&c.* ſtat tota vis argumenti noſtri. Ad quid enim oblata Sacrificia pro peccatis mortuorum, niſi ut hi ab illis ſolverentur ? Id vero cum in reprobis locum non habeat, in *purgantibus* locum habere debuit. 25

Ad 4. neg. antec. quia, ut jam diximus in Tractat. de Euchariſtia, Tom. 5. pag. 737. fieri potuit, 1. ut Judæi illi donaria hæc acceperint ex ſola quadam diteſcendi cupiditate, quæ venialis eſſe poteſt. 2. Ut Legem qua id prohibebatur, etſi non ſine aliqua negligentia, ignorarent ; 3. ut ſi eam ſcienter tranſgreſſi eſſent, ſuum hoc facinus, vindicem Dei manum experti, deteſtati ſint in extremo vitæ ſpiritu ; & id pie a Juda Machabæo præſumptum ſit. 26

S 2 Prob. 2.

27 Probatur ſecundo. Concluſio noſtra e locis pluribus novi Teſtamenti. Matth. 12. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittentur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro*. Atqui ex eo textu, quidquid contendat Dupinius, Diſſert. 10. in Apocalyp. pag. 596. legitime concluditur eſſe Purgatorium. *Neque enim*, ait Auguſtinus, Lib. 21. de Civitate Dei, *de quibuſdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, niſi eſſent quibus, etſi non in iſto, tamen remittitur in futuro*. Et vero alternæ hujuſmodi propoſitiones locum non habent in iis quæ pro uno ſtatu impoſſibilia ſunt. Unde ut inepte quis dixerit: *Non ducam uxorem, neque in hoc ſeculo, neque in futuro*; ſic & inepte in textu citato locutus eſſet Chriſtus, ſi nullum in futuro ſeculo remitteretur peccatum. Idem ex eodem textu colligunt S. Gregorius, Lib. 4. Dialog. Cap. 39. (Tom. 2. pag. 441.) Beda in Cap. 3. Sancti Marci, (Tom. 5. pag. 116.) Bernard. Serm. 66. in Cantic. numer. 9. & 11. (Tom. 1. pag. 1497.) & alii plures.

Reponunt Calviniſtæ, primo verba hæc: *Neque in hoc ſeculo, neque in futuro*, idem eſſe ac nunquam, prout expoſuit Marcus, capite 3. ubi ait: *Non habet remiſſionem in æternum*. Quomodo Petrus, Joannes 13. dicebat: *Non lavabis mihi pedes in æternum*. Sic quoque Dupin.

28 2. Vel ex eo loco nihil probari, vel probari ipſa etiam graviſſima peccata, in futuro ſeculo remitti. Chriſtus enim peccatum contra Spiritum Sanctum comparat cum blaſphemia in Patrem & Filium. Atqui comparatio hæc exigit, ut ſi quod in futuro ſeculo peccatum dimitti poſſit, hæc certe blaſphemia poſſit remitti, cum de ea ſermo ſit. Verum hæc non urgent.

29 Non 1. nam fuit equidem mens Chriſti ut diceret peccatum contra Spiritum Sanctum nunquam remitti *, ſeu non remitti in æternum; at id dixit utendo verbis quæ refert Matthæus a S. Marco contractus. Atqui verba hæc, ſi quem, eum certe ſenſum habent, quem iiſdem cum Patrum agmine adſcribimus. Unde aliter vocem *in æternum* accepit Marcus, proprie ſcilicet pro toto hujus & futuri ſeculi ſpatio; aliter Petrus apud Joannem: inepte enim dixiſſet, *Non lavabis mihi pedes, neque in hoc ſeculo, neque in futuro*: cum in futuro non laventur pedes.

30 Non 2. 1. quia dicit quidem Chriſtus eſſe aliquod ſpeciale peccatum, quod neque in hoc, neque in futuro ſeculo dimittatur; at non exprimit quod peccatum in hoc vel in futuro ſeculo remittatur; etſi evidenter indicet eſſe aliquod peccatum quod in utroque dimittitur. 2. Quia loquitur Chriſtus de remiſſione adæquata & plena, quæ culpæ & pœnæ remiſſionem complectitur. Porro utraque remiſſio-

* Quo ſenſu blaſphemia in Spiritum Sanctum ſit irremiſſibilis, fuſe expendi in Tract. de Pœnit. Tom. 5. pag 78. & ſeq.

miſſionis ſpecies certis in futuro ſeculo peccatis competit. Levia enim quoad culpam, graviora vero quoad pœnam in alio ſeculo dimittuntur: & ſic remitti poteſt ipſa in Patrem & Filium blaſphemia.

Matth. 5. verſ. 25 & 26. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*. Quæ verba licet de Judice politico & communi carcere intelligi abſolute poſſunt, ut ea intellexit Chryſoſtomus (minus tamen bene, quia contra ceterorum torrentem) prout tamen referuntur Luc. 2. 38. de ſolo Dei judicio intelligi debent; cum & ſenſum hunc exigat Capitis contextus; hæc potiſſimum verba: *Sint lumbi veſtri præcincti: vigilate, quia qua hora non putatis, Dominus veniet;* & eundem his communiter affixerint Sancti Patres præcipue vero Ambroſius, qui recte animadvertit Chriſtum verba hæc bis & in variis occaſionibus locutum fuiſſe. Atqui verba hæc, *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*, perſpicue indicant eſſe locum in quo minuta quæque debita perſolvantur, & unde iis perſolutis, ſed non antea, in plenam libertatem exire liceat. Et id probat ſcopus & inſtitutio parabolæ. Hujus enim ſimilitudo non eſt ſumpta ab homicida, vel adultero, vel proditore, qui ad mortem aut perpetuos carceres damnantur, ſed a debitore, qui non propter crimen, ſed propter pecuniarium debitum in carcerem conjicitur, donec ſolvat: ſolent enim illud hominum genus, poſtquam ſatisfecerunt, egredi. Ergo ſcopus parabolæ eſt ut in hac vita quæ via eſt, componamus cum Deo, quem, etſi peccatis noſtris adverſarium, lenire facile poſſumus; ne nos tradat Chriſto, cui Pater judicium omne dedit, & ab eo ſevere in altera vita puniamur. Et ita quoad rei ſubſtantiam docent SS. PP. a Bellarmino, ibid. Cap. 7. congeſti. 31

1. Corinth. 3. verſ. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet: Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. Atqui ex *illa Pauli ſententia*, licet juxta Auguſtinum in lib. de fide & operibus (Tom. 6. Cap. 15. pag. 180. numer. 27. B.) *plane ad intelligendum difficili*, duo ſequuntur contra Pſeudoreformatos, 1. Nempe dari peccata venialia, quæ per lignum, fœnum, & ſtipulam denotantur; 2. Et dari Purgatorium, quod punctum præſentis eſt inſtituti. Purgatorium enim eſt doloris manſio, in qua qui lignum, fœnum & ſtipulam ædificaverunt, id eſt qui peccata alia aliis graviora, non tamen letalia peregerunt, per ignem, quiſquis ille ſit, mundantur, donec ſalvi & beati fiant. Atqui manſionem hanc non obſcure admittit Apoſtolus in citato textu: Unde S. Ambroſius in hunc locum ſic habet: *Cum Paulus dicit*: Sic tamen quaſi per ignem, *oſtendit quidem illum ſalvum futurum, ſed pœnas ignis paſſurum, ut per ignem purgatus fiat ſalvus, & non ſicut perfidi æterno igne* 32

in perpetuum, *torqueatur*. Hæc autem interpretatio, licet non una ſit apud Patres, ob ſummam loci hujus difficultatem, vel ex eo præferenda eſt, quod apud Latinos & Græcos Doctores longe ſit frequentior, & nihil habeat violenti, nihil contorti.

33 Reponunt, 1. ignem per quem quis ſalvus ſit, eſſe vel hujus vitæ tribulationes, ut docent SS. Auguſtinus & Gregorius: vel ignem æternum, qui gravia peccata, per lignum, fœnum & ſtipulam expreſſa, puniet; ut videtur Chryſoſtomo; vel ipſum Dei judicium, quod præcipue in hora mortis veram doctrinam approbat, ut ignis aurum perficit, & falſam uti fœnum conſumit. Hæc autem quæ Calvini eſt & Petri Martiris expoſitio, hinc confirmatur, quod alioqui nomen ignis in eadem ſententia varie acciperetur ab Apoſtolo, ſemel pro judicio Dei in his verbis: *Opus quale ſit, ignis probabit;* ſemel pro Purgatorio igne in iſtis: *Sic tamen quaſi per ignem*.

34 Reſp. Nullam ex interpretationibus mox objectis admitti poſſe. Non primam, quæ licet Patribus nonnullis haud diſplicuerit, male congruit cum verbis Apoſtoli. 1. Quia hujus vitæ tempus non eſt certa quædam ac ſpecialis dies, contra, ut ex Græca lectione patet, de die quam in textu noſtro indicat Apoſtolus, quæque evidenter illa ipſa eſt de qua dicitur 1. Timoth. 4. *Quam reddet mihi Dominus in illa die*, & ibid. 2. *Potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem*. 2. Quia præſentis vitæ tempus non dicitur in Scripturis dies Domini, ſed noſtra; ſicut a contrario tempus alterius vitæ dicitur dies Domini, non noſtra. Primum liquet ex Luc. 19. *Si cognoviſſes & quidem in hac die tua*, *quæ ad pacem tibi;* & ibid. 22. *Hæc eſt hora veſtra*. Secundum conſtat ex Sophoniæ 1. *Juxta eſt dies Domini magnus*. Joel 2. *Veniet dies Domini*, *tenebrarum & caliginis*. 3. Quia vitæ præſentis tempus non declarat quale ſit opus uniuſcujuſque: cum tribulationes juſtis & injuſtis perinde eveniant: & ſæpe a Stoico patientius, quam a Chriſtiano ferri videantur.

35 Non 2. ignis enim de quo Apoſtolus, examinabit ædificium quodcumque, etiam ex auro, argento, &c. Atqui ignis æternus nihil in prædictum ædificium habebit juris; imo nec in ædificium ex ligno & fœno; cujus artifex *ſalvus* erit, licet per ignem.

36 Non 3. 1. Quia qui tranſit per ignem de quo Apoſtolus, *detrimentum patietur*. Atqui judicium per quod in hora mortis purgarentur errores, nihil afferret detrimenti, ſed e contra lucrum grande, nimirum cognitionem veritatis, per quam incunctanter credit Petrus Martyr. Beatos Bernardum, Franciſcum, Dominicum & alios ſimiles, ſalutem adeptos eſſe, quia in puncto mortis a Deo illuſtrati ſuos de Monachatu, Miſſa & aliis hujuſmodi, errores agnoverunt & damnaverunt. 2. Quia admiſſa hac Novatorum expoſitione, omnes qui ſalvantur, *per ignem* ſalvarentur; cum Deus ut doctrinam, ſic & alia omnia, & ipſas etiam juſtitias judicaturus ſit. Hoc autem eſt contra diſtinctionem Apoſtoli, qui eos ſolum per ignem ſalvari docet, qui retento fundamento, id eſt vera in Chriſtum fide, lignem eidem ac ſtipulam ſuperædificavere.

37 Nec obeſt quod juxta noſtram hanc interpretationem vox *ignis* gemino

mino accipiatur ſenſu, ſemel pro judicio, & ſemel pro Purgatorio igne; 1. Quia non eſt inſuetum Paulo duplicem in eodem verſu affingere ſenſum uni vocabulo. Sic enim peccati nomen varie accipit 2. Corinth. 5. ubi: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. 2. Quia æquivocatio hæc, vel potius elegans alluſio, ab ipſo textu exigitur: cum enim ignis materialis aurum & argentum examinare non poſſit, poſſit vero & debeat operarios, non omnes quidem, ſed eos qui lignum & ſtipulam ædificaverunt, purgare, ut per ignem ſalvi fiant; palam eſt ignis nomen duplici, quin & triplici ſenſu, eo in loco accipi. Sed de his adi fuſe, & ſapienter & profunde diſſerentem Bellarminum eodem Lib. 1. Cap. 5. Neque probationem hanc, ut facilius a Tournelyo * factum eſt, deſerito: cum hæc a longe majori Patrum numero tradita fuerit.

Reponunt 2. Particulam *quaſi*, non veritatem ſignificare, ſed ſimi- 38
litudinem.

Sed 1. Male, ſi generaliter loqui velint. Iſtud enim Jo: 1. *Vidimus* 39
gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre, non ſimilitudinem Unigeniti, ſed veritatem exprimit. 2. Vox *quaſi* in Apoſtoli textu ſimilitudinem exhibet, non ignis, quaſi is metaphoricus ſit; ſed alicujus per ignem tranſeuntis: ita ut ſenſus ſit: Qui ædificavit fœnum, ad ſalutem perveniet; ſed eo modo quo ad locum aliquem pervenit, qui tranſit per ignem, id eſt ſalva quidem vita, ſed læſis capillis.

Aliud depromit Bellarminus argumentum ex 1. Corinth 15. v. 29. 40
ubi Apoſtolus: *Quid facient qui baptiſantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt: ut quid baptiſantur pro illis*. Hic Paulus, ut Sadducæos reſurrectionem negantes debellet, argumentatur, non quidem a Chriſtianorum conſuetudine, quæ ut nova & exoſa incredulis, nullius apud eos momenti fuiſſet, ſed a more Judæorum, qui orabant, jejunabant & affligebant ſe pro mortuis: hæc enim pietatis opera nomine Baptiſmi exprimuntur in Scriptura, ut Marc. 10. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum, & Baptiſmo quo ego baptiſor, baptiſari;* & Luc. 12. *Baptiſmo habeo baptiſari*. Jam vero vanum & ſuperfluum foret varia hæc pati pro mortuis, ſi per ea nullatenus juvari poſſent; nec certe per ea juvari poſſunt, qui vel in cœlo regnant, vel torquentur in inferis.

Vim tamen non faciam in hac argumentatione: quia ſicut (juxta 41
multos, quos tamen fuſe impugnat R. P. Calmet. Diſſert. in hunc locum) Baptiſmi nomen in Apoſtoli textu ſumitur metaphorice pro afflictionibus, iis præſertim quas ab aliis patimur; ſic & mortuorum nomen pro iis ſumi poteſt, qui per peccatum mortui ſunt, ut Matth. 8. 22. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos;* & Epheſ. 2. 1. *Cum eſſetis mortui delictis, &c.* Unde hic plus forte probat ſuperſtitio, quam pietas. Siquidem conſtat fuiſſe hæreticos plures qui pro mortuis non baptiſatis Baptiſmum ſuſciperent, ut eos liberarent a pœna: Ita Cataphryges juxta Philaſtrium, Marcionitæ juxta Chryſoſtomum, & alii juxta Tertullian. & Epiphan. hæreſi 28. Atqui licet hoc Baptiſmi genus conſtanter reje-

* Tournely, Tom. 1. de Attributis, p. 592. qui dum ait ex eo textu probabile argumentum deduci, vel ſibi parum conſtat, vel uti probabile habet, quod probabile dici non mereatur.

cerit Eccleſia, nunquam ſcopum ejus, id eſt, deſiderium juvandi mortuos culpavit. Ergo hæc conſtans fuit ipſius doctrina, mortuos viventium precibus juvari. Quod ut invicte pateat.

42 Prob. 3. Concluſio ex perpetuo Eccleſiæ ſenſu, quem verbis & praxi ſua conſtanter expreſſere SS. Patres. Tertullianus, Lib. de Monogamia ultra medium, fidelis viduæ erga maritum officia ſic deſcribit (pag. 531. A.) *Pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus*. Ergo moris erat publici ut pro defunctorum anima oraretur, ut ei refrigerium a Domino poſtularetur, &c.

43 Cyprianus, Epiſtol. 66. alias 17. *Epiſcopi anteceſſores noſtri*, inquit, *cenſuerunt ne quis frater excedens, ad Tutelam vel Curam Clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur: neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Miniſtros voluit avocare .·. Et ideo Victor, cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datam, Geminium Fauſtinum Presbyterum auſus ſit Tutorem conſtituere, non eſt quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio*. Atqui hic habetur & deprecatio & ſacrificii oblatio pro defunctis, eaque Cypriani ævo frequentata, prout Epiſcoporum ejus anteceſſorum tempore frequentata fuerat. Ergo.

44 Arnobius qui circa an. 285. floruit, in iis quos contra Gentiles ſcripſit Libris, hæc de Chriſtianorum cœtibus habet: *In iis ſummus oratur Deus, pax & venia poſtulatur .·. adhuc vitam degentibus & reſolutis corporum vinctione*. Porro nec Sanctis pax, nec reprobis venia poſtulabatur.

45 S. Baſilius qui III. & IV. Eccleſiæ ſeculo vixit, ſic loquitur in Pſalm. 7. *Exiſtimo ſtrenuos Dei athletas, qui cum inviſibilibus inimicis per omnem vitam ſuam valde colluctati ſunt .·. prope vitæ finem conſtitutos, a ſeculi principe examinari, ut ſi reperiantur aut vulnera ex certaminibus, aut aliquas maculas; aut peccati veſtigia retinuiſſe, detineantur: Sin autem inveniantur invulnerati & intemerati, a Chriſto tanquam invicti & liberi in requiem transferantur. Orat igitur David pro vita præſenti & futura, &c.* unde ſic: Ex Baſilio ſunt Fideles quidam qui in exitu vitæ detinentur, dum alii ſtatim a Chriſto transferuntur in requiem. Sed qui detinentur, non in perpetuum detinentur ut reprobi: Cum ſint ſtrenui athletæ Dei, qui aliquas ſolum peccati maculas, quædam & veſtigia retinuerunt, & pro quibus in *futura vita* orandum eſt. Ergo ſolum detinentur ad tempus. Atqui Purgatorium dicimus eam manſionem ubi detinentur Fidelium animæ, nec profecto detinentur, niſi ut maculas & veſtigia peccati, quibuſcum deceſſere, abluant. Ergo.

46 Idem, vel quiſquis ſit antiquus certe Scriptor, diu habitus pro Baſilio, in Cap. 9. Iſaiæ, poſtquam locutus eſt de peccato digno *plane quod depaſcatur ac devoret purgatorius ignis*, ſic pergit: *Non omnimodam internecionem comminatur, ſed innuit purgationem juxta Apoſtoli ſententiam: Ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem*. Hic præſto eſt & Purgatorii nomen, & res nomine expreſſa; locus nimirum in quo devoratur peccatum, non ad internecionem peccatoris, ſed ad peccati purgationem, ut qui ejuſdem conſcius occubuit, ſalvus ſit per ignem.

Sanctus

Sanctus Epiphanius, qui quarto exeunte & ineunte quinto ſeculo floruit, Aerium, quia idem cum Proteſtantibus de oratione pro mortuis ſentiret, inter Hæreticos, nullo contradicente annumeravit, hæreſ. 75. (Tom. 1. p. 908.) *Quod vero*, inquit, *ſpectat ad ritum illum, quo noſtrorum nomina pronuntiantur, quid eo eſſe poteſt utilius, quid opportunius, aut vero admiratione dignius*. Et infra: *Ceterum quæ pro mortuis concipiuntur preces, eis utiles ſunt* .·.·. *Neceſſario facere illud Eccleſiam dico, quæ traditum ſibi ritum illum a Majoribus acceperit*. En quod Calvinus in exitiale commentum tranſvertere audet, dogma eſt a *Majoribus*, id eſt ab innumeris Chriſti Martyribus & Confeſſoribus acceptum, quo nihil *utilius* eſſe poſſit, quodque *neceſſario* in Eccleſia tenendum ſit & ſequendum. 47

48 S. Cyrillus Jeroſolymit. Catech. 5. Myſtagogica (num. 9. pag. 328.) *Denique*, inquit, *pro omnibus oramus qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio ſancti illius & tremendi, quod in Altari poſitum eſt, Sacrificii*. En exoſa tria Novatoribus, Altare, Sacrificium, & in eo precatio, quæ mortuis juvamen ſit maximum.

49 S. Chryſoſtomus plurimis in locis, ſed præſertim Homil. 41. in Epiſt. 1. ad Corinth. num. 4. (Tom. 10. pag. 201.) explicans quid faciendum in gratiam mortui: *Ei*, inquit, *ſuccurre, non lacrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, eleemoſynis & oblationibus. Non enim ſunt hæc temere excogitata; neque fruſtra eorum* qui mortui ſunt *in divinis Myſteriis meminimus* .·. *Rogantes Agnum, qui mundi peccatum tulit: ſed ut inde eis aliqua ſit conſolatio. Neque abs re is qui adſtat Altari, dum reverenda peraguntur Myſteria, clamat: Pro omnibus qui in Chriſto dormierunt* .·. *hæc enim ſiunt ordinatione Spiritus*. Hic oratio pro defunctis, non turpe lucri deſiderium, ut petulanter blaſphemant Calviniſtæ, ſed in ipſam S. Spiritus ordinationem refunditur.

50 Idem Homil. 3. in Cap. 1. Epiſtol. ad Philip. numer. 4. (Tom. 2. pag. 216. & ſeq.) *Non fruſtra hæc ab Apoſtolicis ſunt Legibus conſtituta, ut in venerandis atque horrificis Myſteriis memoria eorum fiat, qui deceſſerunt. Noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis: Eo enim tempore quo univerſus populus ſtat manibus paſſis* .·.·. *quomodo non Deum placabimus pro iſtis orantes? Atque id quidem de iis qui in fide deceſſerunt. Cathecumeni vero, neque hac dignantur conſolatione, ſed omni auxilio ſunt deſtituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc? Licet pauperibus pro ipſis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis*.

51 Ambroſius qui annis ante Chryſoſtomum undecim deceſſit, toties defunctorum, Theodoſii præcipue, Valentiniani, Gratiani, ac Satyri fratris ſui animas, applaudente Fidelium cœtu, Deo commendavit, ut ſuperfluum ſit ſententiam ejus latius proſequi. Sufficiunt pauca hæc Epiſt. ad Fauſtinum de obitu ſororis. *Non tam deplorandam, quam proſequendam orationibus reor, nec mortificandam lacrymis tuis, ſed magis oblationibus animam ejus Deo commendandam*.

52 Hieronymus in Epiſt. ad Pammachium loquens de Paulinę, hujus uxoris, obitu: *Ceteri mariti*, inquit, *ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas*,

roſas, lilia, floreſque purpureos, Pammachius noſter ſanctam favillam oſſaque veneranda eleemoſynæ balſamis rigat .·. ſciens ſcriptum : Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum. Ergo ipſa etiam defunctorum peccata eleemoſynis extinguuntur. Atqui non in cęlo, ubi non eſt peccatum ; non in inferis, ubi eſt quidem, ſed non extinguitur.

53 S. Paulinus, Nolanus Antiſtes, vir vel ipſo Reformatorum judicio * in Deum pius, in pauperes ſumme beneficus, Martino, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, ſummiſque ubilibet viris tenere dilectus, ſuam erga defunctos pietatem paſſim & luculente exhibet. In Epiſtola ad eundem Pammachium, gratulatur ipſi quod corpori & animæ uxoris æque ſatisfecerit, corpori lacrymis & fletibus, animæ per eleemoſynas.

54 Idem Epiſt. 5. ad Delphinum, ubi fratris ſui animam ipſi commendat: *Fac*, inquit, *ut orationibus tuis condonetur tibi, & ut illius animam de minimo ſanctitatis tuæ digito diſtillans refrigerii gutta deſpergat.*

55 Sancta Monica, Auguſtinis bis mater, quia & mundo eum peperit & Cœlo, morti vicina filium his, quæ in tota qua patet Eccleſia celebrata ſunt, verbis compellavit, Lib. 9. Confeſſ. Cap. 11. num. 27. *Ponite hoc corpus ubicumque; nihil vos ejus cura conturbet: tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare meminer.tis mei ubi fueritis.* Huic autem nunquam ſatis laudandæ feminæ voto, ab Auguſtino factum eſt ſatis, cum ibid. Cap. 12. n. 32. oblatum eſt *pro ea ſacrificium pretii noſtri*]. Ad hæc quidem Calvinus, Lib. Inſtit. Cap. 5. n. 10. breve iſtud; Monicæ ſcilicet votum *anile* fuiſſe; *quod* Auguſtinus *non exegit ad normam Scripturæ, ſed pro naturæ affectu probari aliis voluit.* Hæc qui legis, horrorem comprime, ſi potes; & monſtrum, quod in ſanctis duobus ſanctos ad unum omnes proterve ſubſannat, anathemate percellito.

Pro ubicumque.

Auguſtinus ſpecialem edidit Librum de Cura pro mortuis, ubi ſic,

56 (Cap. 1. Tom. 6. pag. 516. numer. 3. C.) *in Machabæorum Libro legimus oblatum pro mortuis ſacrificium ; ſed & ſi nuſquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad Altare ejus funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Et Cap. 4. (ibidem, pag. 516.) *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate defunctis .·.·. ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.* En ergo quæ toto in orbe *claret* Eccleſiæ auctoritas & conſuetudo orandi pro mortuis. Atqui, velint, nolint Proteſtantes, vel ipſe communis ſenſus docet, quod, *ſi quid tota per orbem frequentat Eccleſia quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ* eſt; prout monet, idem Auguſtinus, Epiſt. 54. ad Januarium, alias 118. n. 6. Ergo inſolentiſſimæ inſaniæ rei ſunt, &c.

57 Eadem tradit Sanctus Doctor, Lib. 21. de Civit. Dei, Cap. 24. Tom. 7. pag. 642. & alibi paſſim, præcipue vero in Lib. de hæreſis, ubi Cap. 53.

* Vide Guil. Cave, v. Pontius Paulinus. Obiit is ann. 431. ætat. 78.

Cap. 53. Aerium hæreticis annumerat, quia negaret ſacrificia pro mortuis offerenda. Sed his plura congerere ſuperfluum fuerit; qui enim Monicæ vota pro anilibus, qui præſtitum ab Auguſtino iiſdem votis obſequium pro humano affectu habent, idem ſane de ceteris S. Doctoris textibus judicium ferent.

Sanctus Cæſarius Arelatenſis, ſexto ſeculo eadem quæ quarto & quin- 58
to Auguſtinus, edocuit. Sic ille Serm. 104. num. 4. (in append. Aug. Tom. 5. pag. 186.) *Si nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipſi tandiu in illo Purgatorio igne moras habebimus quandiu ſupradicta peccata minuta, tanquam lignum, fœnum, ſtipula conſumantur .·.·. Sed dicit aliquis: Non pertinet ad me quamdiu moras habeam, ſi tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres cariſſimi; quia ille Purgatorius ignis durior erit, quam quidquid poteſt, in hoc ſeculo, pœnarum aut cogitari, aut videri, aut ſentiri. Et ∴ unde ſcit unuſquiſque utrum diebus ac menſibus, an forte etiam & annis per illum ignem ſit tranſiturus.* Hic rei ſubſtantia & modus ex æquo traduntur.

Sanctus Gregorius Magnus qui ſeculo VII. floruit, Lib. 4. Dialog. 59
Cap. 39. (Tom. 2. pag. 441.) *Sed tamen*, inquit, *de quibuſdam levibus culpis eſſe ante judicium Purgatorius ignis credendus eſt ∴ ſed hoc de parvis minimiſque peccatis fieri poſſe credendum eſt*. Idem, Lib. 2. in 1. Reg. Cap. 3. numer. 26. *Qui perfectionem bonæ voluntatis habuerunt in confeſſione peccati, poſt mortem Purgatoria pœna ad vitam tranſeunt, ſi ad delenda peccata ſufficientem vim amoris nequaquam habuerint: unde & Paulus dicit: Sic ſalvi ſunt quaſi per ignem. Sed peccator, qui ibi ſalvari per ignem meruit, hic per afflictionem carnis adimpleat hoc quod ſibi de vi amoris deeſſe cognoſcit*.

Eadem fuit Iſidori, Bedæ, Bernardi & ceterorum ſententia tam 60
conſtans, tam unanimis, ut Calvinus, Lib. 3. Inſtitut. Cap. 5. §. 10. hæc putido ore evomere coactus fuerit: *Omnes, fateor, in errorem abrepti fuere*. Miſeros antiquæ Eccleſiæ Patres, qui Calvinum non habuerint pædagogum! vel potius infelicem Calvinum, qui florentiori Eccleſiæ ſeculo ab omnibus una cum Aerio prædamnatus ſit. Interim qui ad fidei ſuæ robur plura de hoc argumento volet, Patrum teſtimonia, perlegat Tractatum Theologico dogmatico-Hiſtoricum, quem Gallice de Purgatorio edidit R. P. Thomas Mangeart, Benedictinus, e Congregatione S. Vitonis & Hidulphi.

Probat. 4. Ex uſu Synagogæ, qui dubio procul ut a veteribus He- 61
bræis manavit ad Machabæos, ſic & Machabæis ad ſubſequi temporis Judæos profluxit. Hunc porro uſum ſic exhibet Bartholoccius in Bibliotheca Rabinica, Tom. 2. pag. 149. & 151. *In particulari judicio, ſi animæ juſtorum repertæ fuerint cum reatu peccati mortalis remiſſi, vel cum levioribus culpis deceſſerint;* credunt *eas in gehennam ignis deſcendere, inde poſtea aſcenſuras*. Et infra *Hebræi non tam neceſſarium exiſtimant pro purgandis animabus gehennæ locum aſſignare, quin & alibi aliquando purgentur animæ; in illis videlicet locis a Deo ad id deſtinatis, ſive igne, ſive aliis miris & diverſis modis, a quibus eas per hominum ſuffragia & orationes liberari credunt .·.·. hæc conſuetudo etiam hodie viget inter Hebræos cujuſcumque nationis, ut infra annum emortui parentis filius eandem oratio-*

nem

Digitized by Google

nem recitet pro expiatione delictorum Patris , & deliberatione illius animæ à Purgatorii pœnis , quæ oratio vocatur oratio orphani . Idem docet Ricardus Simon in Libro, quem de Judæorum ritibus Gallice dedit ſub ficto Simonvillæ cognomento . Atqui plena hic habetur Purgatorii fides, & hæc tam antiqua ut origo ejus in primævam gentis Deo amicæ fidem merito refundatur.

62 Prob. 5. Ex Liturgiis in hunc modum: Quod in præſtantiſſima Religionis actione a primis incunabulis fecit Eccleſia, non humano ritu, ſed divina ſanctione conſtitutum eſt. Atqui Eccleſia vel ab exordiis ſuis pro defunctorum requie in univerſis Liturgiis oravit.

63 Quod ab exordiis ſuis id fecerit , certum eſt , quia etſi Liturgiæ ſero , id eſt IV. vel V. ſeculo ſcriptis traditę ſint , ut & ſymbolum * ac deinceps Sacramentorum formæ; ſicut tamen ab initio viguit in Eccleſia ſacrificium, ſic & viguit aliquis ejuſdem offerendi ritus , diverſus quidem penes accidentalia, ſed quoad ſubſtantiam idem ubique . Unde Epiphanius hæreſ. 79. nu. 13. Apoſtolos vocat *Myſteriorum auctores atque conditores*.

64 Quod autem in Liturgiis omnibus pro pie defunctis preces fuderit Eccleſia, idque tam *uniformiter* , *ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi* , prout ajebat Cœleſtinus I. Epiſtol. ad Gall. Epiſcop. Cap. 11. Probat. 1. ex Liturgia Romana , quæ , ut loquitur Innocentius I. Epiſtol. ad Decentium , *a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ tradita eſt* . In hac porro eamdem , quæ hodieque , fit pro mortuis oratio : *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, &c. Ipſis & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii & lucis ut indulgeas deprecamur* , ut videris in Sacramentario Sancti Gregorii Magni , Tom. 3. part. 4.

65 2. Ex Liturgia Ambroſiana, quam alii S. Ambroſio , alii S. Barnabæ adſcribunt. Hæc enim & Miſſas pro defunctis habet , non ſecus ac noſtra; & in una e quatuor orationibus quæ fiebant *ſuper oblata*, iiſdem fidelibus mortuis requiem & pacem adprecatur.

66 3. Ex Liturgia Gallicana, quæ licet a Romana uſque ad octavi ſeculi finem diſcrepaverit, idem cum iſta habet *Memento* mortuorum.

67 4. Ex Liturgia Mozarabica, quæ hanc habet & ſemper habuit orationem: *Offerimus tibi, Deus, hoſtiam immaculatam .˙. pro ſancta Eccleſia tua .˙. ac requie vel indulgentia Fidelium defunctorum, ut mutata ſorte triſtium manſionum, felici perfruantur ſocietate juſtorum.*

68 5. Ex Liturgiis Orientalibus , quarum prima quæ habetur Lib. 8. Conſtit. Apoſt. Cap. 4. ſic habet: *Pro fratribus noſtris qui in Chriſto requieverunt, oremus ut hominum amans Deus, qui animam defuncti ſuſcepit, ei remittat omne peccatum voluntarium & non voluntarium, & propitius clemenſque factus collocet eum in regione piorum quieſcentium in ſinu Abrahæ*. Porro Liturgia hæc diſciplinam Eccleſiæ Græcæ in multis exhibet, teſte Albaſpinęo, Lib. 1. Obſerv. Cap. 3.

Edit. Cotel. p. 369.

Secunda

* „ Symbolum nemo ſcribit ut legi poſſit ; ſed ad recenſendum ne forte deleat oblivio „ quod tradidit diligentia, ſit vobis codex veſtra memoria. *Auguſt. de Symbolo ad Cateeh.* Vide P. le Brun , Tom, 2, Diſſert, 2. art, 2,

Digitized by Google

Secunda quæ D. Jacobi nomine inſcribitur, ſic orat: *Memento etiam Domine, Sacerdotum orthodoxorum, pridem defunctorum, Diaconorum & Subdiaconorum .∴. De animabus, corporibus & ſpiritibus illorum requiem, eos .∴. dignos efficiens gaudio, quod eſt in ſinu Abraham, &c.* 69

Tertia quæ Baſilii dicitur, ut & quarta quæ Chryſoſtomi, multa inter quæ pro mortuis effunduntur, hæc continet: *Defunctorum, qui a nobis ſeparati ab hoc ſeculo migraverunt ſpiritibus, Chriſte, quietem præſta cum piis & juſtis. Crux tua pons ſit illis, & Baptiſmus tuus tegumentum, Corpus tuum & Sanguis tuus ſanctus via ſint quæ deducat ad regnum tuum.* Jam vero fieri nequit ut doctrina, quæ cum Eccleſia nata eſt, & ubique ut verbis ſic & uſu perpetuo confirmata fuit, exitiale ſit diaboli commentum. Ergo qui verbum hoc evomuit Calnus, exitialiter blaſphemavit. 70

At, inquiunt, iiſdem in Liturgiis orat Sacerdos 1. ut Deus det *animabus, corporibus & ſpiritibus* defunctorum *requiem, liberans eos a damnatione infinita.* 2. Ut Deus parcat *peccatoribus in die judicii eos dignos efficiens gaudio quod eſt in ſinu Abrahæ;* 3. Ut *præſtet requiem, bonamque memoriam, Prophetis, Apoſtolis, & potiſſimum ſanctiſſimæ Deiparæ Mariæ,* prout habet Liturgia Syriaca, Tom. 6. Bibliot. Patrum, pag. 36. Atqui hæc totidem ſunt errores; cum prima oratio eo tendat ut reprobi a damnatione æterna liberentur; ſecunda vel eodem referatur, vel ſupponat fore Purgatorium in die judicii; tertia Sanctis & ipſi Deiparæ requiem precetur. Jam vero ſi his in capitibus erraruntLiturgiæ veteres, quidni erraverint in puncto Purgatorii? 71

R. nihil eſſe erroris in triplici quod objicitur capite. Abſit enim ut in rebus apertiſſimis, & quæ nec ipſos Catechumenos latebant, jam ab initio invaluerit error. Unde. 72

Ad 1. Preces quas fundit Eccleſia, ut defuncti a damnatione æterna liberentur, ad ipſum mortis punctum ex intentione Eccleſiæ, vel ipſius infantibus nota, referuntur. Nemo ſane hodiernam Eccleſiam eo uſque inſanire credet, ut arbitretur reprobos viventium precibus adjuvari. Atqui tamen orat pro defuncto ut a pœnis inferni, a profundo lacu, ab ore leonis liberetur. Ergo idem veteri Eccleſiæ ſenſus affingi poteſt. Si autem poteſt, omnino debet. Quod enim ſemel in Eccleſia æterna creditur, id in ea ſemper creditum eſt, ait Ill. Boſſuetus. 73

Ad 2. Poteſt & debet Eccleſia orare, ut Deus peccatoribus parcat in die judicii; tum quia vix juſtus ſalvabitur, & vel ipſi laudabiliori vitæ timendum eſt, ſi ſecluſa miſericordia diſcutiatur; tum quia erunt in die judicii, qui necdum paratas ſibi in flammis purgantibus pœnas exolverint, imo qui nec inchoaverint; puta qui ad illud uſque tempus ſuperfuerint in vivis. 74

Ad 3. *Aliud eſt*, ut bene advertunt Walemburchici fratres, Lib. 13. Cap. 4. numer. 5. Tom. 2. pag. 298. *in Miſſa memoriam facere Sanctorum, aliud requiem petere pro defunctis.* In his enim Liturgiis fit etiam memoria *Domini Deique ac Redemptoris Noſtri J. C.* qui tamen nihil petitur. Hanc porro memoriam Eccleſia vetus ita diſtinxit ab oratione, 75

nulla

nulla ut ſuppetat hac in parte erandi occaſio. Cyrillus Hieroſol. citat. Catech. 5. pag. 241. *Hoc*, inquit, *Sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum ſuſcipiat preces noſtras: Deinde pro defunctis patribus*. Epiphanius hæreſ. 75. numer. 7. pag. 911. *Juſtorum pariter & peccatorum mentionem facimus: peccatorum quidem ut iis a Domino miſericordiam imploremus; juſtorum autem .·.·.·. Apoſtolorum .·.·.·. Martyrum, ut Dominum N. J. C.* ob collata eis beneficia *ſingulari quodam honore proſequentes, ab ceterorum hominum ordine ſegregemus*. Quippe, ait Chryſoſtomus, Homil. 21. in Act. Apoſtol. *ingens eſt Martyribus honor ita nominari Domino præſente .·.·. inſignis gloria in memoria tunc haberi .·.·.·.·. ſicut quando Regum trophæa ſtatuuntur, tunc celebrantur & quicumque victoria ſocii fuerunt*. Demum Auguſtinus, Serm. 159. numer. 1. *Habet Eccleſiaſtica Diſciplina quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipſis oretur; pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria enim eſt pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

76 Ex his patet objectum Liturgiæ Syriacæ textum, quæ omnium ſola omnibus permixtim defunctis requiem & gloriam ſine diſtinctione apprecatur, per accommodam diſtributionem intelligi debere; ita ut aliis requiem oret, aliis gloriam non tam oret, quam acceptam gratuletur. Neque id aliunde, ſed ex ipſo Liturgiæ hujus contextu nobis eruendum eſt. Sic enim poſt precatam Deiparæ memoriam bonam, proſequitur. *In cujus honorem & gratiam hæc offertur oblatio*. Et infra: *Accipe animas ſervorum tuorum, quorum memoriam facimus, & colloca eos, Domine .·.·.·. in manſionibus benedictis Patris tui, cum Abraham, & Iſaac, & Jacob amicis tuis, & cum omnibus Sanctis tuis*. An vero quibus perſuaſum erat Abraham & omnes Sanctos in Patris manſionibus gloria & requie perfrui, id de Beata Virgine in dubium revocabant? Sed de his fuſius ubi de intuitiva Dei viſione poſt mortem. Vide VVitaſſ. Tom. 2. de Attribut. quæſt. 11. artic. 1. ſect. 5. Non ergo ſatis eſt ut cum Calvino, Lib. 3. Inſtitut. Cap. 5. § 10. agnoſcant Reformati, *ante mille & trecentos annos uſu receptum fuiſſe ut precationes fierent pro defunctis*, fatendum expreſſim cum Petro Martyre, *Eccleſiam ſemper pro defunctis exoraſſe*. Addendum cum Grotio, in voto pro pace Eccleſiæ, pag. 122. *Nullum inveniri alicujus auctoritatis Scriptorem, qui ei mori contradixerit, quod*, ajebat, *mihi quidem ſufficit*. Proſequendum ulterius, ſeu cum Auguſtana Confeſſione, *non prohiberi orationem pro mortuis*; ſeu cum Luthero, *non eſſe peccatum ex libera devotione orare, ut Deus animæ, ſi in tali ſtatu ſit, miſereatur*. At inſuper cum tota Chriſti Eccleſia concludendum, ſanctam & ſalubrem eſſe cogitationem orare pro defunctis, &c.

VValemb. p. 296.

77 Probatur 6. ex Conciliis, quæ idem adſtruunt dogma, non quidem directe definiendo, quia dempto Aerio nullius nominis homine, nulla fuit de re ubique admiſſa diſceptatio; ſed indirecte, aut quaſi per accidens.

Labbe, T. 1. p. 141.

1. Occurrit Concilium illud cujus meminit Cyprianus in Epiſtol. 17. edit.

edit. Pamelii, in eo nempe conſtitutum eſt, ut *ſi quis ad Tutelam vel Curam Clericum nominaret, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.*

2. Concilium Carthagin. III. an. 390. vel 397. ubi ſic Cap. 2. *Placuit* *Ib. T. 2.*
ut Sacramenta Altaris nonniſi a jejuno celebrentur .˙.˙.˙. Nam ſi aliquorum *p. 411.*
pomeridiano tempore defunctorum .˙.˙.˙. commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat.

3. Concilium Carthagin. IV. ann. 399. quod Cap. 79. hæc edicit: *Ib. pag.*
Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere vel *1106.*
in mari mortui fuerint .˙.˙.˙. memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.

4. Concilium Vaſenſe ann. 442. idem quoad prædictos pœnitentes de- *Ib. T. 3.*
cernit, Canon. 2. *Quia*, inquit, *nefas eſt eorum commemorationes exclu-* *p. 1146.*
di a ſalutaribus Sacris, qui ad eadem Sacra fideli affectu contendebant. Et is Canon in pluribus ſubinde Conciliis renovatus eſt, puta Aurelianenſi II. Can. 4. 7. an. 452. Romano VI. ann. 502. Agathenſi, Can. 4. anno 506. Aurelianenſi III. Can. 22. ann. 538. &c.

5. Concilium Bracarenſe II. ann. 563. Canon. 16. 17. & 21. ſtatuit, *Ib. T. 5.*
ut qui ſibi ipſis, aut per ferrum, aut per venenum .˙.˙.˙. vel quolibet mo- *p. 840.*
do violentam inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione fiat commemoratio, neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur, &c. Item placuit ut Catechumenis ſine redemptione Baptiſmi defunctis, ſimili modo neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium.

Circa poſtremam hujus Canonis partem tria obiter notanda. 1. 78
Hunc ſacrificii pro Catechumenis non offerendi morem, diu ante Bracarenſem Synodum viguiſſe; cum ejus diſertim meminerit Chryſoſtomus, ſupra numer. 50. 2. Licitum tamen fuiſſe pro iis & eleemoſynas largiri, ut ibid. tradit Chryſoſtomus, & orationes privatim fundere. 3. Hæc Decreta præſertim conſtituta fuiſſe adverſus eos, qui cum præ ſocordia Baptiſmum negligerent, morte præventi erant. Unde huic legi derogavit S. Ambroſius in gratiam Valentiniani junioris, qui ab Arbogaſto Viennæ in Gallia ſtrangulatus erat; quique & ſumma præditus erat pietate, & paucis ante mortem diebus Baptiſmum ab Ambroſio abſente enixe flagitaverat.

6. Concilium Cabillonenſe II. anno 813. hæc ſtatuit Canon. 39. *Vi-* 79
ſum nobis eſt, ut in omnibus Miſſarum ſolemnitatibus, pro defunctorum ſpi- *Labbe,*
ritibus loco competenti Dominus deprecetur .˙.˙. Antiquitus hunc morem ſan- *T. 7. p.*
cta Eccleſia tenet. *128.*

7. Concilium Lateranenſe IV. ann. 1215. Cap. 66. ſupponit ut indu- 80
bium ex Traditione & uſu dogma Purgatorii: ſed *pravas*, quæ a Cleri- *Ib. T. 1.*
cis quibuſdam fiebant *pro exequiis mortuorum exactiones*, prohibet; ut & *parte 1.*
approbat *laudabilem* aliquid Eccleſiæ erogandi *conſuetudinem*, quam licet *p. 220.*
pia devotione Fidelium introductam, quidam laici ex fermento hæreticæ pravitatis nitebantur *infringere*.

8. Diſcuſſis cum Ferrariæ, tum & Florentiæ quæſtionibus quæ ad 81
Purgatorium ſpectant, prodiit tandem iſtud uniendæ utriuſque Eccle- *Ib. T. 13.*
ſiæ Decretum in ſeſſ. ultim. *Item ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſ-* *p. 515.*

ſerint,

nulla ut ſuppetat hac in parte erandi occaſio. Cyrillus Hieroſol. citat. Catech. 5. pag. 241. *Hoc*, inquit, *Sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum ſuſcipiat preces noſtras: Deinde pro defunctis patribus*. Epiphanius hæreſ. 75. numer. 7. pag. 911. *Juſtorum pariter & peccatorum mentionem facimus: peccatorum quidem ut iis a Domino miſericordiam imploremus; juſtorum autem .·.·.·. Apoſtolorum .·.·.·. Martyrum, ut Dominum N. J. C.* ob collata eis beneficia *ſingulari quodam honore proſequentes, ab ceterorum hominum ordine ſegregemus*. Quippe, ait Chryſoſtomus, Homil. 21. in Act. Apoſtol. *ingens eſt Martyribus honor ita nominari Domino præſente .·.·. inſignis gloria in memoria tunc haberi .·.·.·.·. ſicut quando Regum trophæa ſtatuuntur, tunc celebrantur & quicumque victoria ſocii fuerunt*. Demum Auguſtinus, Serm. 159. numer. 1. *Habet Eccleſiaſtica Diſciplina quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipſis oretur; pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria enim eſt pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*.

76 Ex his patet objectum Liturgiæ Syriacæ textum, quæ omnium ſola omnibus permixtim defunctis requiem & gloriam ſine diſtinctione apprecatur, per accommodam diſtributionem intelligi debere; ita ut aliis requiem oret, aliis gloriam non tam oret, quam acceptam gratuletur. Neque id aliunde, ſed ex ipſo Liturgiæ hujus contextu nobis eruendum eſt. Sic enim poſt precatam Deiparæ memoriam bonam, proſequitur. *In cujus honorem & gratiam hæc offertur oblatio*. Et infra: *Accipe animas ſervorum tuorum, quorum memoriam facimus, & colloca eos, Domine .·.·.·. in manſionibus benedictis Patris tui, cum Abraham, & Iſaac, & Jacob amicis tuis, & cum omnibus Sanctis tuis*. An vero quibus perſuaſum erat Abraham & omnes Sanctos in Patris manſionibus gloria & requie perfrui, id de Beata Virgine in dubium revocabant? Sed de his fuſius ubi de intuitiva Dei viſione poſt mortem. Vide VVitaſſ. Tom. 2. de Attribut. quæſt. 11. artic. 1. ſect. 5.

VValemb. p. 296. Non ergo ſatis eſt ut cum Calvino, Lib. 3. Inſtitut. Cap. 5. § 10. agnoſcant Reformati, *ante mille & trecentos annos uſu receptum fuiſſe ut precationes fierent pro defunctis*, fatendum expreſſim cum Petro Martyre, *Eccleſiam ſemper pro defunctis exoraſſe*. Addendum cum Grotio, in voto pro pace Eccleſiæ, pag. 122. *Nullum inveniri alicujus auctoritatis Scriptorem, qui ei mori contradixerit, quod*, ajebat, *mibi quidem ſufficit*. Proſequendum ulterius, ſeu cum Auguſtana Confeſſione, *non probiberi orationem pro mortuis*; ſeu cum Luthero, *non eſſe peccatum ex libera devotione orare, ut Deus animæ, ſi in tali ſtatu ſit, miſereatur*. At inſuper cum tota Chriſti Eccleſia concludendum, ſanctam & ſalubrem eſſe cogitationem orare pro defunctis, &c.

77 Probatur 6. ex Conciliis, quæ idem adſtruunt dogma, non quidem directe definiendo, quia dempto Aerio nullius nominis homine, nulla fuit de re ubique admiſſa diſceptatio; ſed indirecte, aut quaſi per accidens.

Labbe, T. 1, p. 141. 1. Occurrit Concilium illud cujus meminit Cyprianus in Epiſtol. 17. edit.

Digitized by Google

edit. Pamelii, in eo nempe conſtitutum eſt, ut *ſi quis ad Tutelam vel Curam Clericum nominaret, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*.

2. Concilium Carthagin. III. an. 390. vel 397. ubi ſic Cap. 2. *Placuit ut Sacramenta Altaris nonniſi a jejuno celebrentur .·.·.·. Nam ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum .·.·.·. commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat*. *Ib. T. 2. p. 411.*

3. Concilium Carthagin. IV. ann. 399. quod Cap. 79. hæc edicit: *Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint .·.·.·. memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur*. *Ib. pag. 1206.*

4. Concilium Vaſenſe ann. 442. idem quoad prædictos pœnitentes decernit, Canon. 2. *Quia*, inquit, *nefas eſt eorum commemorationes excludi a ſalutaribus Sacris, qui ad eadem Sacra fideli affectu contendebant*. Et is Canon in pluribus ſubinde Conciliis renovatus eſt, puta Aurelianenſi II. Can. 4. 7. an. 452. Romano VI. ann. 502. Agathenſi, Can. 4. anno 506. Aurelianenſi III. Can. 22. ann. 538. &c. *Ib. T. 3. p. 1146.*

5. Concilium Bracarenſe II. ann. 563. Canon. 16. 17. & 21. ſtatuit, *ut qui ſibi ipſis, aut per ferrum, aut per venenum .·.·.·. vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione fiat commemoratio, neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur, &c. Item placuit ut Catechumenis ſine redemptione Baptiſmi defunctis, ſimili modo neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium*. *Ib. T. 5. p. 840.*

78 Circa poſtremam hujus Canonis partem tria obiter notanda. 1. Hunc ſacrificii pro Catechumenis non offerendi morem, diu ante Bracarenſem Synodum viguiſſe; cum ejus diſertim meminerit Chryſoſtomus, ſupra numer. 50. 2. Licitum tamen fuiſſe pro iis & eleemoſynas largiri, ut ibid. tradit Chryſoſtomus, & orationes privatim fundere. 3. Hæc Decreta præſertim conſtituta fuiſſe adverſus eos, qui cum præ ſocordia Baptiſmum negligerent, morte præventi erant. Unde huic legi derogavit S. Ambroſius in gratiam Valentiniani junioris, qui ab Arbogaſto Viennæ in Gallia ſtrangulatus erat; quique & ſumma præditus erat pietate, & paucis ante mortem diebus Baptiſmum ab Ambroſio abſente enixe flagitaverat.

79 6. Concilium Cabillonenſe II. anno 813. hæc ſtatuit Canon. 39. *Viſum nobis eſt, ut in omnibus Miſſarum ſolemnitatibus, pro defunctorum ſpiritibus loco competenti Dominus deprecetur .·.·. Antiquitus hunc morem ſancta Eccleſia tenet*. *Labbe, T. 7. p. 128.*

80 7. Concilium Lateranenſe IV. ann. 1215. Cap. 66. ſupponit ut indubium ex Traditione & uſu dogma Purgatorii: ſed *pravas*, quæ a Clericis quibuſdam fiebant *pro exequiis mortuorum exactiones*, prohibet; ut & approbat *laudabilem* aliquid Eccleſiæ erogandi *conſuetudinem*, quam licet *pia devotione Fidelium introductam, quidam laici ex fermento hæreticæ pravitatis* nitebantur *infringere*. *Ib. T. 11. part. 1. p. 220.*

81 8. Diſcuſſis cum Ferrariæ, tum & Florentiæ quæſtionibus quæ ad Purgatorium ſpectant, prodiit tandem iſtud uniendæ utriuſque Eccleſiæ Decretum in ſeſſ. ultim. *Item ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſ-* *Ib. T. 13. p. 515.*

ſerint,

ſerint , antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis , eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari , & ut a pœnis hujuſmodi releventur , prodeſſe eis Fidelium viventium ſuffragia , Miſſarum ſcilicet ſacrificia , orationes & eleemoſynas & alia pietatis officia , quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri conſueverunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta , &c.

82 9. Demum Synodus Trid. ſeſſ. 6. Canon. 30. hanc totius retro antiquitatis fidem complexa eſt . *Si quis*, inquiunt Patres, *poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti , & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit, anathema ſit.*

83 Probatur 7. rationibus Theologicis . 1. Certum eſt ex dictis in Tractat. de Pœnitentia, dimiſſa per pœnitentiam culpa ſæpius ſupereſſe temporalem pœnam, quæ neceſſario perſolvenda ſit . Atqui pœna hæc non ſemper in præſenti vita exſolvitur ; partim ex aliquali negligentia ; partim quia citius poſt obtentam veniam rapitur pœnitens, quam ut debitum omne ſuum expungere poſſit . Ergo neceſſum eſt ut pœna hæc poſt alteram vitam perſolvatur . *Alioquin* , ut bene Sanctus Thomas , Lib. 4. contra Gentes , Cap. 91. *melioris conditionis eſſe negligentes , quam ſolliciti , ſi pœnam quam hic pro peccatis non implent , non ſuſtineant in futuro.*

84 II. Ut admittatur Purgatorium ſufficiunt hæc quatuor , 1. ut ſint peccata quædam venialia ; 2. ut de his rationem reddituri ſint homines in die judicii ; 3. ut hæc rationis redditio ſit ad pœnam ; 4. ut pœna hæc luenda ſit antequam ad regna cœlorum pateat aditus . Atqui 1. ſunt peccata quædam venialia , ut probatum eſt in Tractat. de peccatis ; & cum ipſa evidenti ratione docet Auguſtinus , Lib. 83. qq. quæſt. 26. ubi : *Alia ſunt peccata infirmitatis , alia imperitiæ , alia malitiæ* .·.·.·. *quiſque igitur* .·.·.·. *poteſt exiſtimare quæ ſint venialia peccata*. 2. De his peccatis, atque *de* ipſo etiam *verbo otioſo* rationem reddituri ſunt homines *in die judicii* , Matth. 12. 36. Hæc rationis redditio, non utique ad laudem & præmium futura eſt ; ergo ad ultionem & pœnam . Atqui 4. pœna hæc ante ingreſſum cœli perſolvenda erit; quia *nihil coinquinatum intrabit* in Jeruſalem cœleſtem , Apocal.
Grot. T. 4. p. 626 2. 27. Ergo. Rationem hanc urget Grotius ipſe, in Annot. ad Conſulta Caſſandri. *Ex his*, inquit, *qui hunc morem Eccleſiæ univerſalis improbant , quæro, cum ipſi fateantur nihil in Cœlum intrare cui adſint illæ infirmitates quæ humanis animis adſunt in hac vita, ab illis infirmitatibus ubi fieri repurgationem exiſtiment . Si dicant in itinere animæ inter terram cœlumque , jam hoc erit ejus Purgatorium.*

85 Nec dicas vel animam hanc reipſa coinquinatam non eſſe, vel quidquid in ea erat ſordium, per ipſos mortis dolores ablutum fuiſſe.

86 Utraque enim hæc reſponſio adverſariorum inopiam prodit . Prima quidem , quo enim pacto coinquinata non ſit anima , quæ tot ſcatebat peccatis , ut propterea vel ab ipſa ſacra Menſa , ſaltem ad tempus , fuiſſet removenda ; quæ iracundiæ , otio , nugis , detractioni , levi quidem , ſed nihilominus peccaminoſæ , ſerviebat , &c. Secunda

vero,

Digitized by Google

vero, 1. quia non raro, qui plus venialibus adhærent, minus in obitu doloris ferunt: imo nec ullum quandoque ferunt, ut iis contingit qui vel mortem ſopori conſociant, vel fulmineo belli ictu, aliiſque innumeris modis concidunt, &c. Cum ergo æquum non ſit, ut vel is qui nuptialem charitatis habitum gerit, in exteriores tenebras cum impiis projiciatur; vel qui necdum maculas ſuas omnes abluit, puriſſimis Angelorum cœtibus illico admiſceatur, exigebat ſevera Dei juſtitia ut ſordes Sion in loco ad id deſtinato penitus mundarentur. Quin & id exigebat quæ ubique apud Deum juſtitiæ obviat miſericordia. Conſtat enim opinionem, quæ Purgatorios ignes tollit, obſtare inſigniter ne caveantur leviora peccata, vel congruis pœnitentiæ fructibus redimantur. Ut enim ſolide Bellarminus eodem Lib. 1. Cap. 11. in fine: *Qui cogitat nullum eſſe Purgatorium; ſed omnia peccata per mortem aboleri in iis qui moriuntur cum fide, facile dicet apud ſe: Quorſum ego laboro in jejuniis, precibus, continentia, eleemoſynis? Cur fraudo cor meum deliciis & voluptatibus? quandoquidem in morte, ſive pauca, ſive multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat remanere præter gehennam ignem acerrimum Purgatorii; & quidquid hic deletum non fuerit per debita pœnitentia opera, ibi diluendum, certe diligentior cautiorque evadit.*

III. Idem adſtruunt variæ animarum purgantium apparitiones, quæ 87
viventium opem imploraverunt, quæque referuntur a S. Gregorio M. Lib. 4. Dialog. Cap. 40. a B. Gregorio Turonenſi, Lib. de Gloria Confeſſorum, Cap. 5. a S. Petro Damiani, in Epiſtola ad Deſiderium, a venerabili Beda, Lib. 3. Hiſt. Angl. cap. 19. a S. Bernardo, in vita B. Malachiæ. Atqui hæc, licet a Luthero & Magdeburgenſibus fabulas inter cenſeantur, ut a Calvino ſanctæ Monicæ votum inter anilia vota; eam tamen apud pios quoſcumque fidem merebuntur, quam exigit pietas ſumma raræ doctrinæ conjuncta. Nec facile conjiciet quiſquam minus in his oculatos fuiſſe Eccleſiæ Doctores non paucos, quam fuerint Lutherani, quorum Anteſignanus a Diabolo doceri debuit & meruit.

IV. Purgatorii fides fides fuit mundi totius. Hanc ſcilicet admiſere 88
Hebræi, ut patet tum ex Libro Machab. tum ex Joſepho, Libr. de bello Judaico, Cap. 19. ubi indicat Judæos pro mortuis orare ſolitos eſſe, non tamen pro iis qui ſe interemiſſent. Hanc admiſere & admittunt in Alcorano ſuo Mahumetani. Hanc admiſere Gentiles tam Philoſophi, ut Plato, quam Poetæ, ut Virgilius *. Hanc demum toto qua patet orbe confeſſi ſunt Chriſticolæ omnes, licet ſæpius in aliis diviſi. Atqui opinio tam longe lateque diffuſa, vel ab indito univerſis naturali lumine prodiit, ut cenſet Bellarminus citat. cap. 11. vel potius a Noe filiis tradita, tam conſtanter diſperſorum hominum

* Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt, alii panduntur inanes
Ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Virg. Æneid. 6.

animis inſedit, ut non magis ab eis deleri potuerit, quam conſtitutæ bonis mercedis, & malis pœnæ, primitus exhibita imago.

Solvuntur Objectiones.

89 Objic. 1. id Pſalm. 126. *Cum dederit electis ſuis ſomnum ; ecce hæreditas Domini*. Atqui poſita Purgatorii opinione non ſtatim a morte daretur dilectis hæreditas Domini.

90 Reſp. 1. In textu Hebraico, quem Verſioni Latinæ præferunt Pſeudo-Reformati, legitur, *Dabit dilectis ſuis*, &c. ſicque ruit tota vis argumenti. Nec enim exprimitur, quando adventura ſit hæreditas Domini.

91 Reſp. 2. eſſe hunc juxta doctos complures, naturalem hujus loci ſenſum: Cum Deus ſomnum tranquillum dederit vobis, dabit & filios, qui, (quod Judæi ambiebant maxime) erunt hæredes veſtri, quique e lumbis veſtris prodeuntes, erunt merces laboris veſtri ac patientiæ.

92 Reſp. 3. Si in eo loco de hæreditate æterna ſermo ſit, ut exponit Auguſtinus, ſenſum eſse; quod poſt generalem reſurrectionem hæreditas Domini electis ejus a mortis ſomno ſuſcitatis, ſtatim donanda ſit. Unde qui ex eo loco inferunt animas quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim a morte corporis Deum intueri, minus bene argumentantur. Et vero *nondum propalata Sanctorum via* nemo ante reſurrectionem Chriſti ditatus eſt viſione intuitiva.

93 Objic. 2. Eccle. 9. v. 10. ſic habetur: *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas*. Quibus congruit id Capitis 11. verſ. 3. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Ex iis textibus ſic in forma. Admiſso Purgatorio, admitti neceſsario debet remedium aliquod in altero ſæculo; debet & admitti locus auſtrum inter & aquilonem medius. Atqui primum repugnat priori loco, ſecundum poſteriori. Ergo.

94 Reſp. neg. min. pro utraque parte, quia neuter textus id probat quod ab adverſariis intenditur.

95 Non prior, tum quia contendunt multi Salomonem hic loqui in perſona impiorum, qui non modo Purgatorium, ſed & gehennam tollunt, & nihil omnino præter hanc vitam eſse arbitrantur; tum quia cenſent alii Salomonem, non equidem ſerio, ſed per irriſionem, ſeu potius indignanter hortari impios, ut per breve hujus vitæ tempus voluptati, quoad poterunt, indulgeant; cum apud inferos quo properant, nihil ſibi profutura ſint ingenium, ſagacitas & induſtria, quibus, dum vivunt, ſuas in libidines proterve abutuntur; tum quia, ſi Eccleſiaſtæ verba de ipſis etiam juſtis intelligantur, hunc certe nec violentum ſenſum habent: Quodcumque facere potes, nunc operare; quia poſt mortem, nec labor vel dolor tuus tibi ad meritum vel ſatisfactionem proderit ex parte operantis; nec ipſis viventium operibus juvari poteris, niſi per bona quæ vivens geſseris opera merueris adjuvari. Ita S. Gregorius, Lib. 4. Dialog. cap. 39. Ita Suarez, Bellarmin. Wallemburchici.

96 Nihilo plus urget locus poſterior; 1. enim Sapiens litteraliter loqui-

loquitur de morte corporali, idque unum ſignificat, quod ſicut lignum aliquando tandem cadit, ibique manet & putreſcit, ubi cecidit; ſic & neceſſario homines morituri ſint, nec unquam per ſe e ſepulturæ loco ſurrecturi. 2. Si eadem verba ad animæ ſtatum accommodari placet, ſenſus erit, poſt hanc vitam non eſſe locum vel excidendi ab amicitia divina, vel eamdem recuperandi; proinde perpetuo ſtandum eſſe, ſeu ad auſtrum ubi invariabiliter diligemur a Domino, ſeu ad aquilonem ubi conſtanti ejus odio devovebimur. Quapropter purgantes animæ, cum ad auſtrum ceciderint, id eſt ad ſtatum ſalutis, in eo perpetuo ſunt remanſuræ. 3. Nec pigebit dixiſſe per auſtrum gloriam intelligi, per aquilonem vero gehennam; ſed non omnes cadere ad auſtrum vel aquilonem. Siquidem Patres ante Chriſtum dubio procul ceciderunt. Atqui nec ad gehennam, ut per ſe patet; nec ſtatim ad gloriam, cujus nonniſi poſt Chriſti reſurrectionem participes effecti ſunt. Ergo ſicut objectus textus non nocet medio huic Patrum loco, ſive is Abrahæ ſinus, ſive limbus Patrum, ſive infernus nuncupetur; ſic nec Purgatorio adverſari poteſt. Atque id ab ipſis præſertim Novatoribus admittendum, qui longe plus quam Catholici medium gloriam inter & gehennam locum agnoſcunt; eum ſcilicet in quo juſtorum animæ degunt, donec intuitiva viſione poſt ultimum judicium reficiantur. De quo adi Thomam Burnet, in Opere inſcripto *De ſtatu mortuorum & reſurgentium*, Roterodami edito an. 1729. cap. 4. pag. mihi 35.

Inſt. 1. Qui poſt mortem juvarentur precibus noſtris, partem haberent in hujus ſæculi operibus. Atqui ex Eccle. 10. 6. *Non habent partem mortui in hoc ſæculo, & in opere quod ſub ſole geritur*. Ergo. 97

Reſp. diſt. min. Non habent partem in operibus, id eſt in doloribus & gaudiis hujus ſæculi, C. Id eſt in piis operibus, N. Solutionis hujus veritatem probat vel rapida textus inſpectio. Hæc ibi: *Amor quoque & odium & invidiæ ſimul perierunt: Nec habent partem in hoc ſæculo .·. Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe*, &c. 98

Inſt. 2. Ut animæ partem haberent in piis viventium operibus, neceſſum foret ut Deus, & ſevere quidem, earum iniquitates recordaretur. Atqui Ezech. 18. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis .·.·. omnium iniquitatum ejus non recordabor*, ait Dominus. 99

Reſp. Diſt. min. Deus non recordatur iniquitatum ad pœnam æternam, C. ad pœnam tranſitoriam, Subdiſt. non recordatur, cum impius plenam & peccatis parem pœnitentiam egit, C. ſecus, N. Quod autem hoc ſenſu intelligenda ſint Prophetæ verba, patet 1. quia Deus iis etiam qui a peccato ſincere reſipuerunt, graves in hoc ſæculo pœnas decernit, ut patet vel uno Davidis exemplo. 2. Quia Deus eodem modo oblivioni tradit iniquitates impii converſi, quo juſti perverſi juſtitias obliviſcitur. Atqui has equidem ita obliviſcitur ut a gehenna non liberent, ſed non ita ut nulla iis conſtituta ſit temporalis merces: cum bona impiorum opera in hoc ſæculo remunerentur, ut docent Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſt. Lib. 5. de Civ. D. cap. 15. Ergo. 100

101 Objic. 2. Scriptura duos tantum exhibet ordines hominum, quorum alii poſt mortem Deo fruuntur; alii ſtatim detruduntur in tartarum.

102 Prob. ant. pluribus Scripturæ teſtimoniis. Matth. 25. 34. dicitur electis: *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete regnum*, &c. Joann. 5. verſ. 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei .·.·. tranſit a morte in vitam*. Apocal. 14. 13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus ut requieſcant a laboribus ſuis*, &c. Sapient. 3. verſ. 1. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, &c. Et 4. 7. *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*. 2. Corinth. 5. 1. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra .·.· diſſolvatur, quod habemus domum non manufactam æternam in cœlis*. En quoad electos: idem porro eſſe de reprobis conſtat ex Matth. 25. *Ite, maledicti, in ignem æternum*. Joan. 3. *Qui credit, non judicatur, qui non credit, jam judicatus eſt*, &c. Ergo.

103 Reſp. diſt. diſt. antec. Duos ſolum diſtinguit ordines in extremo judicio, C. in judicio particulari quod mortem proxime ſequitur, Subdiſt. Duos tantum diſtinguit ordines, quorum alter, electorum ſcilicet, varios habet gradus, ita ut vel intuitive Deo fruatur, vel eo fruatur ex aliqua tantum parte, C. Secus, N. Solutionis veritas conſtabit ex brevi ſingulorum qui objecti ſunt textuum examine.

104 Matth. 25. de extremo ac publico mundi totius judicio ſermonem haberi res eſt per ſe manifeſta. Idem liquet de objecto Joannis textu, ut ex iis conſtat quæ proxime ſequuntur verbis: *Venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei .·.·. & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ*, &c. Nec abſimilis eſt ſenſus cap. 14. Apocal. ubi vox *Amodo* non ſignificat id quod ab uniuſcujuſque morte ſtatim futurum ſit, ſed id quod continget ſtatim ab extremo judicio, ut patet ex verſ. 7. ibid. *Timete Dominum .·.·. quia venit hora judicii ejus*, & ex verſ. 15. ubi terra univerſa ab Angelo meti jubetur. Quanquam nihil noceat textus iſte, ſi de particulari judicio intelligatur; tum quia hic ſermo fiat de viris perfectis, potiſſime autem de Martyribus, quos eo loci conſolatur Scriptura, quique ſimpliciter & plene *in Domino moriuntur*, non autem imperfecte, ut juſti non pauci, quos ideo partim *Dei filios*, partim *filios hujus ſæculi* vocat Auguſtinus, Lib. 3. contra Epiſtolas Pelagian. cap. 3. tum quia aliud eſt juſtos requieſcere ab hujus vitæ laboribus, quos inter non minimum locum habet timor a juſtitia finaliter excidendi; aliud eos impertranſito medio ad gloriam evolare. Sic Abraham, & qui in ſinu ejus recumbebant juſti ante Chriſti adventum requieſcebant a laboribus ſuis, nec tamen Cœlum ingrediebantur.

105 Non plus urget quod objicitur ex Libro Sapientiæ. Scilicet juſti in ipſo etiam Purgatorii medio, ſunt *in manu Dei*, ſeu in tutiſſima ejus cuſtodia; nec tantum ab omni tentatione, diabolique & hominum inſidiis immunes, ſed de ſua æterna beatitudine certiſſimi. Unde & *in refrigerio* ſunt, tum quia ſe ipſos felicitatis certo conſequendæ intuitu conſolantur; tum quia ab intolerando tentationum hujus ſæculi æſtu liberi manent. His tamen aliud refrigerii genus adprecatur Eccleſia in Canone Miſſæ; prout ſibi illud peroptabant in limbis ſuis Patriarchæ, ubi citra dubium ingeminabant iſtud Iſaiæ: *Rorate cœli deſuper*, &c.

Ad

Digitized by Google

Ad textum Apoſtoli R. ex eo quidem merito colligitur, paratam 106
eſſe juſtis in cœlo domum æternam; at eos in ipſam omnes ſtatim recipi, nec aperte, nec obſcure indicat Apoſtolus, ſed potius contrarium, cum addit: *Si tamen veſtiti & non nudi inveniamur*. Hinc enim efficitur eos qui virtutibus ac meritis, perfecta proinde pœnitentia veſtiti ſunt, mox cœleſtem in domum deduci, alios autem ſalvari equidem poſſe, ſic *tamen quaſi per ignem*, ut alibi docet idem Apoſtolus.

Inſt. 1. Ex eodem, 2. Corinth. 5. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. Atqui ſi poſt hanc vitam ſupereſſet locus purgationi, non referret unuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo; quin & referret id quod alii pro ipſo per preces ſuas facerent. 107

R. neg. min. Ut enim ſolide arguunt Bellarminus, hic cap. 12. & Vvalemburg. pag. 303. qui purgationis locum in futuro ſæculo inveniunt, id recipiunt unum, quod in corpore ſuo promeruerunt. *Quia*, uti notat Auguſtinus, Enchir. capit. 110. ubi hunc D. Pauli locum objicit ſibi & ſolvit, *etiam hoc meritum ſibi quiſque, cum in corpore viveret, comparavit, ut ei poſſent iſta* viventium ſuffragia, *poſt mortem prodeſſe: quare non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ, quam quiſque geſſit in corpore*? Idem docent Dionyſius vulgo Areopagita, Gregorius Mag. &c. Præterea, dicit quidem Apoſtolus futurum ut quiſque recipiat prout in corpore geſſit; quod quidem de merito & augmento gloriæ intelligitur; ſed non dicit neminem vel accepturum, vel a malo pœnæ liberatum iri, niſi prout geſſit in corpore. Sic dicit Chriſtus, omnem qui petit, accepturum; ſed non dicit neminem accepturum niſi petat. Et vero accepit Paulus ad preces Stephani converſionem ſuam, quam profecto non petebat. 108

Ad hunc modum intelligenda ſunt iſthæc: *Reddet unicuique ſecundum opera ſua. Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Unuſquiſque onus ſuum portabit*. Horum enim ſenſus eſt, unumquemque vel propter ſua, non aliena puniendum; vel aliorum meritis juvatum non iri, niſi propria ipſius, dum in vivis ageret, præceſſerint merita; vel ex iis quæ per vitam geſſit, ita in extremo judicio eſse dijudicandum, ut aliorum precibus adjuvari non poſſit. Et vero qui, ut Lutheri verbis utar, Purgatorium eſse credimus, imo ſcimus, hæc Apoſtoli verba frequenter uſurpamus. Quare porro? quia in futura hominis conditione id ſolum inſpicimus, quod eum ad ſupremi Judicis dextram vel ſiniſtram ſtabiliter conſtituet. Hinc cum Hieronymo, in cap. 6. in Epiſtola ad Galat. e ſugeſto prædicamus, *Nos dum in præſenti ſæculo ſumus, ſive orationibus, ſive conſiliis invicem poſſe coadjuvari: cum autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare poſſe pro quoquam, ſed unumquemque portare onus ſuum*. Hæc porro quæ in Eccleſia Catholica dicuntur, palam eſt ejus ſenſu intelligi. 109 *Rom. 2. Galat. 6.*

Inſt. 2. Qui pie decedunt, ſunt in Chriſto Jeſu. Atqui ex Apoſt. 110

Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Unde Latroni, qui utpote in extremis tantum converſus, parem delictis ſuis pœnitentiam agere non potuit, dictum eſt a Chriſto, Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Et vero, ut pie Chryſoſtomus, in Pſalm. 50. *Ubi miſericordia eſt, pœnæ non expectantur*, Porro in omnes juſtos viget ſumma Dei miſericordia.

111 R. diſt. min. Nihil eſt damnationis, id eſt nihil ex inordinatis concupiſcentiæ motibus contrahunt detrimenti, qui iiſdem in Chriſto, ſeu per Chriſti gratiam reſiſtunt, C. Nihil eſt damnationis quoad pœnam, Subd. quoad pœnam æternam, ſi uſque ad finem ſint in Chriſto, C. quoad pœnam temporalem, Iterum diſt. ſi quidquid delinquerunt, congrua pœnitentia diluerint, C. ſecus, N. Agit eo loci Apoſtolus de motibus concupiſcentiæ, quos prophetico calamo contra Calviniſtas demonſtrat nihil peccati habere, nihil inferre damnationis: ergo textus ille non pertinet ad præſentem controverſiam. Si tamen & ad iſtam detorqueri placet, dicendum iis qui in Chriſto ſunt, nihil eſſe æternæ damnationis, imo nec temporaneæ, ſi congruis fletibus præteritas labes abſterſerint. Et is fuit ſtatus pii latronis, qui Chriſtum palam confeſſus eſt, dum eum vel ipſi Apoſtoli negarent; qui blaſphemantis ex adverſo fratris ſui linguam compeſcuit; qui non a morte quam duriſſimam patientiſſime ferebat, liberari poſtulavit; ſed id expetiit unum, ut aliquam cum Chriſto partem haberet, &c. Adde cum Bellarmino, quod paucorum privilegia legem non faciunt: nullum autem fuit majoris privilegii tempus, quam cum actu redemptionem noſtram fuſo ſanguine operabatur Chriſtus. Præterea unde habent adverſarii latronem ab omni Purgatorio liberum fuiſſe. Potuit ſane in eo per aliquod tempus torqueri, ita ut pœnarum duratio per earum intenſionem ſuppleretur; & exinde in paradiſo eadem die conſtitui.

112 Ad Chryſoſtomi textum diſt. Ubi miſericordia eſt, non expectantur pœnæ ad ruinam & perditionem peccatoris, C. ad ablutionem peccati, N. Si enim nullæ ab iis in quos miſericordiam ſuam exerit Deus, expectantur pœnæ, cur ob miſericorditer remiſſum Davidi peccatum, mortuus eſt infans criminis partus? Cur non receſſit gladius ab ejus domo? Cur ipſe lacrymis ſuis ſtratum rigavit? Haud ſane ignota erant iſta Chryſoſtomo. Ergo longe aliud in objecto textu ſenſit, quam Novatores.

113 Objic. 3. Communis eſt SS. PP. doctrina poſt hanc vitam non eſſe locum ſatisfactioni. Sic S. Cyprianus in fine Operis contra Demetrianum: *Quando iſthinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus*. Chryſoſt. Hom. 2. de Lazaro: *Cum hinc deceſſerimus, non eſt in nobis ſitum pœnitere, neque commiſſa diluere*. Et rurſum: *Neque enim qui in præſenti vita peccata non abluerunt, poſtea conſolationem aliquam inventuri ſunt*, S.Gregorius Nazianz. Orat. 15. (Tom. 1. p. 229.) *Jam*, in alio ſæculo, *pœnæ tempus erit, non purgationis*. S. Ambroſius, Lib. de bono mortis: *Qui enim hic non acceperit remiſſionem peccatorum, illic non erit in patria Beatorum*. Quin & S. Doctor omne ſanctificationis genus abigit in Cap. 22. S. Lucæ, ubi: *Lacrymas*

Petri

Petri lego, ſatisfactionem non lego. S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 18. (p. 216. D.) *Pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum tantum in hac vita præſcriptum tempus habemus.*

Reſp. 1. Mirum videri quod qui antiquos Patres ſibi quoad præſens Purgatorii punctum adverſari fatentur, ex iiſdem contra nos dimicare velint. An ut Calvinianos ſibi cohærere dicamus, ſanctos Eccleſiæ Doctores aliud & aliud locutos eſſe profitebimur? 114

R. 2. Diſt. SS. PP. docent poſt hanc vitam non eſſe locum ſatisfactioni quantum ad remiſsionem peccati mortalis, & peccatoris converſionem, C. Quantum ad remiſsionem vel culpæ venialis, vel temporalis pœnæ quaſi nulla luenda ſuperſit, aut ablui valeat, N. His itaque in locis id unum dicunt Patres, quod apud nos quotidie inclamant Concionatores ſacri, nullum videlicet eſſe poſt mortem locum merito, & immotam fore hominis ſeu in malo, ſeu in bono conditionem. Sic poſt temere objecta a Brentio Cypriani verba, hæc uno contextu legere eſt: *Hic vita aut amittitur, aut tenetur*. Sic Chryſoſtomus exemplo Epulonis, qui in flamma æternum cruciatur, probat nullam eſſe quæ proſit in alia vita converſionem. Idem eſt Ambroſii ſenſus, qui ſubdit impœnitentem, *non poſſe* poſt mortem *ad vitam æternam pervenire, quia vita æterna remiſſio peccatorum eſt*. Nemo autem Catholicus docet lethales culpas in Purgatorio, vel alibi uſpiam remitti. Iſtud S. Doctoris: *Lacrymas Petri lego, non ſatisfactionem*, quod a Petro Martyre inſulſe objicitur, non de condigna peccati expiatione, ſed de varia ejus excuſatione intelligendum eſt, uti jam obſervavimus in Tractat. de Pœnitent. Unde laudat Ambroſius Petrum, quod crimen ſuum non excuſaverit, quomodo fecit Adam, ſed lacrymis confeſſus ſit, & diluerit. Quapropter ſubjungit S. Doctor: *Quod defendi non poteſt ablui poteſt*. Idem eſt ceterorum ſenſus, ut probat Bellarm. ibid. Cap. 13. p. mihi 618. 115

Objic. 4. Cum Calvino id Auguſtini Tract. 49. in Joan. *Habent omnes animæ, cum de ſæculo exierint, diverſas receptiones ſuas, habent gaudium boni, & mali tormenta*. Et infra: *Requiem quæ continuo poſt mortem datur, ſi ea dignus eſt, tunc accipit quiſque cum moritur*. Conſonat iſtud ejuſdem in Pſalm. 31. *Si Deus texit peccata* (ſecundum id Davidis: *Beati quorum tecta ſunt peccata*) *noluit advertere, ſi noluit advertere, noluit animadvertere; ſi noluit animadvertere, noluit punire, maluit ignoſcere*. Unde ſic: Quæ ſtatim poſt mortem gaudium & requiem habent, non ſubjacent Purgatorio igni, in quo nec gaudium eſt nec requies. Atqui ex Auguſtino animæ juſtorum *continuo poſt mortem*, &c. 116

R. Diſt. maj. quæ gaudium ac requiem habent eodem prorſus modo, C. quæ gaudium ac requiem habent diverſimode, N. Qui in charitate decedunt, ſtatim a morte habent gaudium ac requiem, quatenus & ab æſtu libidinis liberi ſunt, & continuo de æterna ſua ſalute certi efficiuntur; quod genus gaudii nemo eſt Catholicus qui non vehementiſsime peroptet. At idem gaudium non eodem modo omnibus contingit, ſed diverſimode pro diverſitate meritorum. Unde quibuſdam datur ſine doloris admixtione, quibuſdam cum multiplici do- 117

loris ſenſu: ita ut ſortiatur quiſque requiem, prout *ea dignus eſt*, uti loquitur S. Doctor. Unde, Lib. 2. de Geneſ. Cap. 20. hæc habet omni exceptione majora: *Qui forte agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit .·.· poſt hanc vitam habebit, vel ignem Purgationis, vel pœnam æternam.*

118 Inſt. 1. Si res ita ſit, advertit & animadvertit Deus in eos quorum texit peccata. Atqui ex Auguſt. non advertit, &c.

119 R. Diſt. min. non advertit æterna pœna, quæ cum æternum Dei odium ſupponat, ſola pœnæ nomen proprie meretur, C. Non advertit pœna tranſeunte, N. contrarium patet ex teſtibus paſsim adductis.

120 Inſt. 2. Auguſtinus, Epiſt. 199. alias 80. n. 2. ſic loquitur: *In quecumque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo judicabitur.* Sed ſi juſti tranſeunte etiam pœna plecterentur, non eſſet eorum quiſque in noviſsimo die mundi, id quod fuit in die mortis ſuæ.

121 R. Diſt. maj. dies mundi noviſsimus hominem comprehendet qualis fuit in morte, quantum ad gloriam & gloriæ gradum, item & quantum ad gehennam ejuſque tormenta, C. quia poſt mortem non creſcunt merita vel demerita. Eum deprehendet qualis fuit quoad debitam quibuſdam peccatis nondum expiatis ſatisfactionem, in ſtatu quodam intermedio exolvendam, N.

122 Inſt. 3. Atqui ſtatum hunc medium diſertim excludit Auguſtinus. Sic enim loquitur, Lib. Hypognoſtici ultra medium: *Primum locum fides Catholicorum divina auctoritate credit regnum eſſe cœlorum: ſecundum gehennam .·.· Tertium penitus ignoramus; imo nec eſſe in Scripturis ſanctis invenimus.*

123 R. 1. Librum hunc eſſe Marii Mercatoris, cui in Mſs. tribuitur; non autem Auguſtini: quia tamen S. Doctor quædam ſimilia tradit, Lib. de peccat. merit. & remiſ. Cap. 28.

124 R. 2. Neg. ant. Nam excludit quidem Auguſtinus tertium locum qui medius ſit in ſenſu Pelagianorum, juxta quos pueri ſine Baptiſmo morientes, naturali extra cœlum & gehennam beatitudine fruebantur: At nuſquam excluſit locum medium in ſenſu Eccleſiæ Catholicæ; tum quia non ignorabat ſinum Abrahæ, in quo ante Chriſti paſsionem requieſcebant juſtorum animæ, nec cœlum fuiſse, nec infernum; tum quia Purgatorii locum ubique conſtanter & invicte agnoſcit. Unde objecta verba de locis æternis, non autem de temporalibus neceſsario ſunt intelligenda.

125 Inſt. 4. Non admiſit invicte Purgatorium, qui circa illud hæſit pluribus in locis. Atqui Auguſtinus hæſit, ut patet ex Lib. 21. de Civit. Dei, Cap. 26. Lib. de fide, & operib. cap. 16. Lib. de octo Dulcitii quæſtionibus, &c.

126 R. Auguſtinum ne inſtanti quidem uno hæſiſse circa Purgatorii ſubſtantiam, ſed tantum circa nonnullas ejus appendices; puta 1. an certa quædam ibi, & quidem igne, plectantur v. gr. nimius amor uxoris, mariti, filiorum, &c. qui tamen Deo præpoſiti non fuere: Ita Cap. 68. Enchiridii. 2. An purgantes animæ eum adhuc corde gerant amorem, quo terrenis rebus adhæſerunt, & ex priſtini ſtatus recordatio-

datione etiamnum earumdem capiantur illecebris: ita in prima ex octo Dulcitii quæſtionibus. 3. An Purgatorii pœnæ ſint *ignis tranſitoriæ tribulationis*, quo terreni amores, ligni inſtar & ſtipulæ, in juſtis conſumantur: ita cit. lib. & cap. de Civ. Dei. Sed qui circa rei circumſtantias adeo ſollicitus eſt, ſubſtantiam rei non inficiatur, imo ut indubiam admittit. Ergo. Ita Bellarm. cap. 5. Tournely, &c.

Obj. 5. Hieronymus in cap. 9. Amos ſic loquitur: *Quando anima vinculis laxata corporeis, volandi quo velit, ſive quo ire compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur .·. aut certe ad cœleſtia ſublevabitur*. Atqui nihil hic eſt medium inferna inter & cœleſtia. 127

Reſp. Hieronymum non loqui de morte naturali, ſed de ſeparatione animæ a corpore per ſpeculationem. Eo enim loci diſputat de anima impia, quæ quocumque ſe per cogitationem verterit, Deum inveniet ultorem. Unde poſt verba hæc: *Ad cœleſtia ſublevabitur*, ſic pergit: *ubi ſunt ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, & ſi ſibi vere circumciſionis ſcientiam voluerit vindicare, & humilitate concepta habitare in montibus, & ibi ſcrutantem Dei manum evadere non poterit. Quod ſi deſperans ſalutem, oculos Domini vitare tentaverit, & in ultimos ſalſorum fluctuum terminos pervenire, etiam ibi mandabit Dominus ſerpenti tortuoſo & antiquo, qui eſt inimicus & ultor, & mordebit eam. Capta quoque vitiis & peccatis gladio Domini percutietur, & per cruciatus atque ſupplicia ad Dominum revertetur*. Hæc Bellarminus, cap. 18. in fine. 128

Obj. 6. Græci a Latinis circa Purgatorii doctrinam diſſentiunt, ut conſtat ex habitis ea de re in Concilio Florentino diſputationibus. 129

Reſp. Diſting. Græci a Latinis diſſentiunt circa accidentia Purgatorii, Conc. circa rem ipſam, Neg. Licet enim dubitent Græci an idem ſit Purgatorii & inferni locus, an ut in iſto, ſic & in illo veri ignis pœna ſuſtineatur; an probetur hoc vel illo Scripturæ textu; rem tamen ipſam confitentur quicumque apud eos orthodoxi audiunt; nec dubitant quin pie defuncti juventur vivorum ſuffragiis. Ecqui vero in dubium id vocent; cum omnes eorum Liturgiæ diſertas pro iis qui in Chriſto dormierunt, orationes contineant. Hinc teſte & approbante Photio in Bibliotheca, Cod. 171. Euſthatius Eccleſiæ CP. Presbyter in tertia parte Tractatus quem ſæculo VI. de animis defunctorum ſcripſit, *hoc ſtudioſe proſequitur*, *oblata pro iis qui in fide obierunt, a Sacerdotibus ſacrificia atque donaria .·.·.·. ſupplicationeſque & eleemoſynas pro iiſdem factis, ad Fidelium ſalutem ac delictorum remiſſionem, iis valere omnino pro quibus hæc offeruntur*. Adde quod habeant Græci in pretio antiquam Dialogorum Sancti Gregorii verſionem: in ea porro frequens eſt & Catholica Purgatorii mentio. Hinc in Moldavienſi Græcorum Synodo, quæ contra male famoſum Cyrillum Lucarim habita eſt, reprobatus eſt decimus-octavus ejuſdem Cyrilli articulus, in quo expreſſim docebat, eos *qui in præſenti vita juſtificati ſunt, nullam in alio ſæculo pœnam eſſe ſubituros, proinde non admittendum eſſe fictum Purgatorii dogma*. Hinc enim ſequebatur *nullam a viventibus fieri debere mortuorum commemorationem*; quod quidem Græcæ fidei adverſum declarat prædicta Synodus; quia, inquit, *ſperamus Deum ad viventium preces conceſſurum mortuis requiem* 130

qui:m

quiem & liberationem ab anguſtiis quæ eos circumdant. Quid porro ad rei ſubſtantiam intereſt, an medius cœlum inter & gehennam locus nomine *Purgatorii*, vel *anguſtiarum* ſeu *amaritudinis* donetur ; modo conſtet & locum hunc exiſtere, & incolis ejus prodeſſe viventium ſuffragia.

131 Hos equidem Græcos *latiniſantes*, ut vocat, velut impoſteres, perfidos, calumniatores exhibet Editor Operis inſcripti : *Lettres anecdotes de Cyrille Lucar*, Amſtelodamenſibus typis editi ann. 1718. Verum quo bilem ſuam vel ipſe, vel ejus in locum quivis alter, plenius evomat, hæc recentiorum Græcorum teſtimonia ſuperaddemus. Primum Moldavienſis cujuſdam, Dynaſtæ, qui hæc ſcribebat ann. 1667. *Denique & pro mortuis Eccleſia Orientalis ſemper orat Deo ſupplex .·. Dicit enim Magnus Athanaſius quod eleemoſynæ non parum mortuis afferant emolumenti, ut ſi ſunt juſti, magis reſplendeant, ſi ſint peccatores, requiem conſequantur*. V. Perpetuitatem fidei ad calcem Tom. 1. p. 54.

132 Secundum eſt Synodi in Inſula Cyprina habitæ ann. 1668. ubi ſic Capitulo 7. *Confidenter decernimus, quod qui miſericordiæ opera, & oblationes & ſimilia, quæ pro defunctis in fide & pœnitentia fiunt, tollunt, negantque juvari his animas, quæ in privatione atque dilatione beatitudinis verſantur in doloribus, ad refrigerium & diminutionem dilationis, hi ſane Orthodoxorum partis alieni, & Apoſtolicarum ac paternarum traditionem prævaricatores judicentur*, ibid. p. 74.

133 Tertium eſt reſponſio Uſcani, Epiſcopi Erevanenſis Armeni, ad varias quæſtiones ſibi, dum in Batavia commoraretur, propoſitas. Sic ille §. ult. *Qui negant Fidelibus vita functis oblationes & opera miſericordiæ prodeſſe ad obtinendam citius requiem, & purgatoriarum pœnarum remiſſionem* : hos *damnant* Armeni. Ibid. pag. 79. Jam vero qui poſt mortem admittunt locum doloris, locum purgatoriæ pœnæ, locum certa requie deſtitutum, ſimulque animas eo in loco degentes per orationes, per ſacrificia, per eleemoſynas viventium adjuvari, hi profecto Purgatorii Catholici factum ac ſubſtantiam profitentur.

134 At, inquit citatus ſupra declamator ac Cyrilli Lucaris vindex; præ-
p. 357. ſtantiſſimi Romanæ Communionis Hiſtorici fatentur Purgatorium negari a Græcis, tametſi non negent hi orandum pro mortuis. Sic Lu-
Corſou. dovicus Moreri, ſic Caucus quidam Corcytenſis * Epiſcopus, quem de Græcorum erroribus diligenter ſcripſiſſe teſtatur Ricardus Simon in Hiſtoria critica fidei Orientalium ; ſic demum idem Simonius, ibid. pag. 20.

135 Verum hæc non urgent: non auctoritas Morerii, quem non audebat legere Menagius, ne, quia, ut ipſe ait, felici memoria gaudebat, innumera ejus menda retineret. Hinc dictum illud periti viri, Dictionaria imperitorum Libros eſſe. Quot heu ! errores in ipſo Morerii Continuatore redarguit vir impendio Litteratus, claris D. Saas Rothomagenſis nunc Eccleſiæ Canonicus.

136 Non auctoritas Cauci, vel Simonis, qui ſuam de Cauci mente mentem ſix exprimit : *Ce que Caucus affirme, auſſi-bien que pluſieurs autres Ecrivains, que les Grecs nient le Purgatoire .·. il faut entendre cela par rapport a l'opinion des Latins, qui établiſſent un lieu de Purgatoire, & un feu qui tourmente les ames*. Quæ verba ipſe, ſed contra ſe, profert adverſa-

Digitized by Google

verſarius: ex iis enim ſequitur Græcos negare quidem purgantes animas certo in loco plecti ſupplicio ignis; circa quod hærent etiam Judæi, ut videris ſupra, numer. *61.* apud Bartholoccium: At neutiquam ſequitur quod negent animas in altera vita ubilibet & quomodolibet pati, & juvari per viventium ſuffragia. Is porro eſt difficultatis ac controverſiæ cardo.

Obj. 7. Purgatorii fides ſupponit aliquam dimiſſa culpa pœnam remanere. Atqui id falſum eſt. Siquidem dimiſſio culpæ fit per meritum paſſionis Chriſti, quod utpote infinitum plene ſufficit ad tollendam ex æquo pœnam & culpam. 137

R. Ad 1. Neg. min. Etſi enim nulla poſt remiſſam culpam manet pœna æterna, manet utique temporalis multiplex, eaque non in futuri peccati remedium ut ſuo loco (Tom. 5.) probavimus, & abunde demonſtrant infantium, qui peccati actualis capaces non ſunt, morbi & miſeriæ; ergo ad peccati vindictam. 138

Nec obeſt meritum ſatisfactionis Chriſti; quia ſicut hæc licet infiniti valoris non delet culpam, niſi per Sacramenta applicetur; ſic nec delet pœnam temporalem, niſi applicetur per opera ſatisfactoria. Atqui non ſemper per noſtra hæc opera in præſenti ſæculo applicatur. Ego neceſſum eſt ut applicetur in futuro. Neque hinc detrahitur meritis Chriſti, quin & ea inſigniter commendantur; cum noſtra quæcumque eſt ſatisfactio ſuam ab ipſius cruce vim trahat. Unde non in ſe, ſed in Domino gloriabatur Apoſtolus; cum ajebat Coloſſ. 1. 24. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* 139

Inſt. non minus efficax eſt Chriſti paſſio in Pœnitentia, quam in Baptiſmate. Atqui in iſto pœnam omnem tollit & culpam; idque quoniam infiniti eſt meriti. Ergo idem efficere debet in Pœnitentia, quæ certa quædam eſt Baptiſmi commemoratio, imo & quidam Baptiſmus. 140

Reſp. Diſt. maj. non minus eſt efficax de ſe paſſio Chriſti, ſed quantum ad nos minus liberaliter applicatur in Pœnitentia, *ſumpta ſcilicet pro Sacerdotali abſolutione*, Conc. non minus eſt efficax, & eodem in gradu applicatur, Neg. In Baptiſmo agit Deus liberaliſſime, & Chriſti merita tam effuſe applicat, ut etſi, quod poſſet, hujus vitæ pœnas non tollat, tollat tamen & culpam, & omnem futuri ſæculi pœnam, id eſt tam gehennæ quam Purgatorii: At in Sacramento Pœnitentiæ nonnihil manum contrahit; & licet cum culpa æternam pœnam tollat, exigit nihilominus ut temporalis pœna, vel in vita præſenti per dignos pœnitentiæ fructus redimatur, vel exolvatur in futura. Idque non modo ita conſtitutum eſt, ſed & conſtitui debuit; quia æquum eſt ut baptiſatorum peccata, utpote iis quæ ante Baptiſmum committuntur, longe graviora, pœna majori expientur. Hinc Patres Pœnitentiam vocant Baptiſmum laborioſum, lacrymarum, ignis &c. Hinc pœnitentia publica ſemel tantum conceſſa prioribus Eccleſiæ ſæculis. Hinc demum illud Apoſtoli, Hebr. *6. Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati*, id eſt, baptiſati, *rurſus renovari ad pœnitentiam*, baptiſmalem ſcilicet, prout dixi, Tom. 5. p. 20. 141

Hinc patet Chriſti paſſionem, non ideo ſolum omnem in Baptiſmo pœnam tollere, quia valoris ſit infiniti; ſed quia ex juſta ſimul 142

& be-

& benigna Dei conſtitutione abundantius applicatur. Vide Trident. Seſs. 14. cap. 2.

143 Dixi, *in pœnitentia ſumpta pro ſacerdotali abſolutione*: quia ſi pœnitentia integre ſumatur, prout contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem plenam & perfectam continet; poteſt totum argumentum concedi: cum perfecta & adæquata hujus vitæ ſatisfactio omnem vitæ alterius pœnam, non ſecus ac Baptiſma, expungere poſſit, ut bene Bellarmin. Cap. 14.

144 Inſt. 2. peccata eo modo in Baptiſmo & Pœnitentia remitti debent, ut Chriſto ſoli ſuus Redemptoris honos aſſeratur. Atqui ſi poſſit mortalis homo ſatisfacere pro pœna, jam Redemptoris honorem dividit cum Chriſto; eſtque aliqua ex parte Redemptor ſui; nec prohinc totam ſuam ſalutem debet Chriſto, ſed ejus partem ſibi.

145 R. Neg. min. etſi enim redargui non poteſt qui cum Scriptura dicit Daniel. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime*, & Philipp. 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*; ubi homo ſui redemptor ac ſalvator utcumque appellatur; ubique tamen & merito receptum eſt ut Redemptoris nomen ei ſoli tribuatur, qui peccata noſtra abluit in ſanguine ſuo; qui fidei noſtræ auctor eſt & conſummator; qui operibus noſtris totam quam habent ſatisfaciendi virtutem miſericorditer indulget. Hinc non magis ſuus Chriſto ſubtrahitur honos, quia paſſiones ejus in ſe adimplet homo, quam ſua Deo ſubtrahatur gloria, quia per cauſas ſecundas operatur. Atqui nedum divinæ gloriæ quidquam depereat, hinc contra magis apparet, quod non ſolum operari poſſit, ſed aliis etiam rebus vim tribuat operandi. Adde quod ſi eo quia ſatisfactionem Chriſti nobis per bona opera applicamus, poſſimus dici noſtri Redemptores, tales quoque dici poterunt Lutherani, qui eandem ſibi per fidei actum applicant.

146 Inſt. 3. Si pœnitens per opera ſua ſatisfactionem Chriſti ſibimetipſi applicet, vel inde duplex exurgit ſatisfactio; vel una tantum. Si duplex, ergo uni culpæ pœna reſpondet duplex, contra tritum id: *Non bis in idem*. Si una tantum, vel hæc eſt Chriſti, vel hominis. Si Chriſti; ergo non ſatisfacit homo. Si hominis; ergo excluditur ſatisfactio Chriſti, aut ſaltem honorem ejus partitur homo, ita ut pro culpa Chriſtus, pro pœna ſatisfaciat homo.

147 Reſp. aliqui cum Bajo, Lib. de Indulgentiis, Cap. ult. eſſe unam tantum ſatisfactionem, eamque Chriſti; proinde hominem non ſatisfacere proprie, ſed tantum facere aliquid, cujus intuitu Deus applicat nobis Chriſti ſatisfactionem; quod idem eſt ac ſi dicatur, opera noſtra meras eſſe conditiones, ſine quibus non applicaretur nobis ſatisfactio Chriſti, vel ad applicationem iſtam diſpoſitiones. Verum, ait cit. cap. 14. (p. 621. C.) Bellarminus, ſententia hæc erronea mihi videtur. Tum quia Scriptura & Patres paſſim vocant opera noſtra ſatisfactiones, & peccatorum redemptiones. Tum quia ſi poteſt homo juſtus per bona ſua opera vitam æternam mereri de condigno; quidni poſſit proprie ſatisfacere pro pœna temporali, quod eſt minus?

148 Reſpondent igitur alii duas eſſe ſatisfactiones, quarum una ab altera pendeat. Et is modus non videtur Bellarmino improbabilis. Etſi nimirum,

mirum, inquit, una ſufficeret Chriſti ſatisfactio, tamen ad majorem gloriam Dei cui ſatisfit, & majorem honorem hominis ſatisfacientis, placuit Chriſto conjungere noſtram ſuæ. Sic licet una ſanguinis Chriſti gutta mundo toti redimendo ſufficeret, voluit tamen Chriſtus ſanguinem totum profundere, ut eſſet copioſiſſima redemptio. Sic rurſum juſtus homo titulo duplici jus habet ad eamdem gloriam, uno ex Chriſti meritis ſibi communicatis per gratiam, altero ex meritis propriis.

Reſpondent 3. Idem Cardinalis, probabilius ſibi videri quod una tantum ſit actualis ſatisfactio, eaque hominis. Neque, ait, hinc excluditur Chriſtus, vel ejus ſatisfactio; quia ab ipſa habemus ſatisfaciendi gratiam: & hoc modo dicitur nobis applicari ſatisfactio Chriſti; non quod ipſa ejus ſatisfactio immediate tollat pœnam temporalem nobis debitam, ſed quod tollat eam mediate, quatenus ſcilicet ab ea gratiam habemus, ſine qua nihil valeret noſtra ſatisfactio. Hæc ille. 149

Ego quidem non ægre admiſerim unam tantum ſatisfactionem, ſed quæ ex ſatisfactione Chriſti ut primaria, & ex noſtra ut ſecundaria coaleſcat: ita ut nec ſolus Chriſtus in actu ſecundo ſatisfaciat, niſi juxta ordinationem ipſius cooperetur homo; nec homo ſolus ſatisfaciat, niſi Paſſionis ſuæ virtutem & efficaciam ejuſdem operi imprimat Chriſtus. Sic autem & hominis, & multo plus Chriſti ſatisfactioni ſua tota dignitas aſſeritur. Eaque videtur eſſe mens Tridentini Concilii, Seſſ. 14. cap. 8. ubi hæc: *Neque vero ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Jeſum Chriſtum .:. in quo ſatisfacimus, &c.* 150

Sic porro una tantum uni culpæ reſpondet pœna; vel ſi duplex, nihil abſurdi; tum quia illud fit ſecundum Dei conſtitutionem; tum quia ſi Regis amicus gratiam rebellis filii ſupplex ab illo poſtulat, ut a Davide Joab gratiam Abſalon, poterit Rex præter hujus interceſſionis pœnam, novam a filio pœnam repetere, quod & a Davide factum eſt. 151

Obj. 8. Ubi non eſt meritum, ibi nec eſt ſatisfactio. Atqui in Purgatorio non eſt meritum. 152

Reſp. neg. maj. Ad merendum enim & demerendum requiruntur duo ex communi Patrum ſententia, libertas ſcilicet & ſtatus viæ. Neutrum porro requiritur ad ſatisfactionem. Certe qui invitus dat pœnas, aut in carcerem detruditur, vel a Judice coactus ſolvit debitum, vere ſatisfacit, etſi non mereatur. Quod ſi, ait Pichler, in Theologia Polemica, pag. mihi 981. hanc ſatisfactionem putes non eſſe proprie talem, quia libera & meritoria non eſt, poteris eam vocare *ſatiſpaſſionem*; & ſic animæ purgantes non tam ſatisfacient divinæ juſtitiæ, quam ſatiſpatientur. 153

R. 2. diſt. in Purgatorio non eſt meritum actuale quod novas gratias, & novos gloriæ gradus obtineat, C. Non eſt meritum, in cauſa quidem præteritum, ſed perſeverans in effectu, N. Ut enim ait Auguſtinus, Serm. 171. alias 32. de verbis Apoſtoli: *Non omnino ambigendum eſt iſta viventium ſuffragia prodeſſe defunctis; ſed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut poſſint hæc illis utilia eſſe poſt mortem.* 154

Inſt. Ex prima reſponſione ſequitur, 1. vel ipſos dæmones divinæ juſtitiæ, coactos licet, ſatisfacere poſſe; 2. juſtos pro quibus nulla 155

fierent

fierent ſuffragia, in purgatoriis ignibus perpetuo eſſe manſuros. Atqui neutrum admitti poteſt.

156 R. neg. ſequel. 1. enim dæmones, ceterique damnati, licet divinæ juſtitiæ horrendis modis ſatisfaciant, inaniter tamen; tum quia non *ita vixerunt ante mortem*, *ut* tormenta ſua *eis utilia eſſent poſt mortem*; tum quia eorum pœna cum ſumma animi deſperatione ac conſummato Dei odio ſemper conjuncta eſt: unde in eis æternum manet reatus mortalis culpæ: ubi autem is manet, manet & æternæ pœnæ reatus; qua etiam de cauſa *in inferno nulla eſt redemptio*.

157 Ad 2. merito notat Tournelyus falſam eſſe hanc hypotheſim. Etſi enim huic pietatis officio deeſſent amici & parentes, uti Calviniſtæ ad fidem converſo accideret, numquam tamen deerit pia & communis mater Eccleſia, ut ex quotidiana ejus praxi compertum eſt, & docet Auguſtinus, Lib. de Cura pro mortuis, cap. 4. Quanquam, ſi tale quid in fine mundi futurum eſſet, nullus dubitet, quin res a Deo ita conſtituantur, ut pia pœnæ acceptatio extinctionem ipſius promereatur.

158 Obj. 9. Se habet charitas ad gloriam, ſicut peccatum mortale ad æterna ſupplicia: imo plus gloriam accelerat charitas, quam peccatum mortale ſupplicia; quia Deus longe propenſior eſt ad miſerendum, quam ad puniendum. Atqui peccatum mortale ejuſdem reos ſtatim ac ſine mora æternis ſuppliciis addicit. Ergo a fortiori charitas eos qui ipſius ſunt participes, ſtatim tranſmittit ad gloriam.

159 R. 1. forſan aliquando factum eſſe ut peccatum mortale ſui reos nec ſtatim, nec poſtmodo ad infernum detruſerit. Plures enim mortui ab Eliſeo, a Chriſto, & a Diſcipulis ejus ſuſcitati ſunt. Atqui horum aliqui lethali peccato infecti eſſe potuerunt. Ergo non ſtatim, &c.

160 Reſp. 2. neg. maj. Ut enim fert vetus axioma, *Bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque vel minimo defectu*. Ergo peccatori ſua conditio ſufficit ad pœnam; juſtis autem, niſi perfectiſſima, & omnis defectus experte charitate prædit ſint, non ſemper ſua ad gloriam ſufficit charitas.

161 Nec obeſt quod Deus ad miſericordiam propenſior ſit quam ad ultionem. Sic enim ad miſericordiam propenſus eſt, ut juſtitiæ ſuæ jura ſervare velit. Atqui exigit juſtitia hæc ſumma, ut qui labes ſuas in hoc ſæculo abſtergere neglexit, eaſdem diluat in futuro. Cum ergo qui pie decedit, per ſordes quibus coinquinatur, diſpliceat Deo, licet ei ratione charitatis ſit acceptus; qui vero impie moritur, ex omni parte oculos ejus offendat; æquum eſt ut is ad ſupplicia confeſtim detrudatur, ille vero ſalvus quidem ſit, ſed quaſi per ignem.

162 Obj. 10. Si Purgatorium aliquibus conſtitutum ſit, vel iis qui cum peccatis venialibus moriuntur; vel iis quibus peccatum quoad culpam dimiſſum eſt, non tamen quoad omnem pœnam. Atqui neutrum dici poteſt. Non primum, quia nullum in altera vita peccatum dimitti poteſt; cum & ibi ſimus in termino, & nullum diluatur peccatum ſine pœnitentia, cui non eſt locus in futuro ſæculo; & ejus ſit a culpa reſurgere, cujus eſt in culpam incidere, quod juſtis in altera vita non competit, utpote qui in venialia labi non poſſint. Non ſecundum, 1. quia pœna omnis eſt propter culpam; unde creſcente vel decreſcente

culpæ,

culpa, creſcit vel decreſcit pœna. Atqui nulla eſt culpa, ubi culpa omnis dimiſſa eſt; 2. quia non exigitur ſolutio debiti jam remiſſi: porro culpa remiſſa debitum vere remiſſum eſt; & quidem non gratis, cum nulla culpa adultis remittatur ſine pœnitentia. 3. quia reatus culpæ reipſa non diſtinguitur a reatu pœnæ. Ergo ſublato illo aufertur & iſte.

R. ad 1. neg. min. utpote conſtanti, quam ſupra exhibuimus, Eccleſiæ Traditioni directe contrariam. 163

Nec urgent quæ contra primam partem objiciuntur. 164

Non 1. 1. Quia dubio procul potuit Deus ſancire, ut quædam in ipſo termino dimitterentur peccata. Hanc porro fuiſſe ejus intentionem liquet ex toto Eccleſiæ ſenſu. 2. Quia animæ purgantes quadantenus adhuc ſunt in via, cum necdum ſint in termino, ſeu æterna beatitudine. 165

Non 2. Cum in materia quam Deus reſerare noluit, dici poſſit venialia peccata quoad culpam remitti, vel in ipſo animæ juſtæ egreſſu, vel ſtatim poſt egreſſum animæ, vel in pœnarum Purgatorii decurſu, quia anima hæc indubie peccata quæcumque ſua retractat, vel de iis formaliter dolendo, vel Deum ſuper omnia diligendo; qui dilectionis actus, utpote peccatis contrarius, eſt pœnitentia virtualis, adeoque capax omnia etiam in termino remittendi peccata, ſaltem ſi ad hunc effectum acceptetur a Deo; quod quando faciat, certo definiri non poteſt. Repete quæ dixi in Tract. de Pœnit. cap. 3. n. 85. & ſeq. 166

Non 3. Etſi enim is ſolum a mortalibus reſurgere poteſt, qui poteſt in ea incidere; poteſt tamen liberari a venialibus, qui jam venialiter peccare nequit. Et hic eſt animarum purgantium ſtatus: eæ enim & a peccato ablui poſſunt, quia habent media ad id proportionata, nempe actum dilectionis peccato contrarium; & tamen denuo peccare non poſſunt, quia non ſolum carent fomite peccati, ſed etiam in bono confirmatæ ſunt. 167

Haud gravioris ſunt momenti quæ contra ſecundam partem objiciuntur. Unde breviter

R. ad 1. diſt. maj. pœna omnis eſt propter culpam, vel præſentem, vel præteritam. C. ratione ſubjectæ materiæ. Pœna omnis eſt propter culpam actu perſeverantem, N. Contrarium patet vel uno infantium exemplo, qui poſt Baptiſmum nihil habent culpæ, & tamen non parum pœnæ ferunt. 168

Ad 2. neg. min. intellectam ut debet de pœnæ reatu ſeu debito: ſua enim Davidi culpa condonata eſt, nec tamen condonata omnis pęna, quam peccando promeruerat. Et vero quotidie quis in gratiam recipitur, ea tamen lege, ut aliquam ſubeat pęnam, ſed juſta ac debita leniorem. Sic Judex reum civem vita donat, cui tamen exilium ad tempus, aut aliquid ſimile præſcribit. Cur porro non poſſit Deus, quod perſæpe faciunt homines? Hanc vero eſſe ejus agendi rationem ſupra probavimus. 169

Ad id quod additur, debitum noſtrum non dimitti gratis a Deo, quia non dimittitur ſine pęnitentia noſtra: R. pœnitentiam hanc adeo modicam eſſe, generatim loquendo, ut vix minimam peccati noſtri partem 170

tem adæquet. Quod ſi acris admodum ſit & intenſa, poterit hæc totum debitum exſolvere.

171 Ad 3. neg. ant. cujus falſitas indubie conſtat ex iis quæ diximus in Tract. de Pœnit. p. 2. cap. 2. n. 112. & cap. 6. n. 14.

172 An autem culpæ reatus a reatu pœnæ diſtinguatur realiter, inanis eſt Scholæ diſceptatio. Alii alterum ab altero realiter diſtingui negant; & hi dicunt, remiſſo quoad culpam mortalem mortali peccato, remanere ſæpe culpam aliquam æquivalenter venialem, cujus ob reatum permanet temporalis pœnæ reatus. Alii duplicem pœnæ reatum admittunt, alium remotum & radicalem, alium proximum & formalem. Illum cum reatu culpæ identificari contendunt; hunc autem ab illo inadæquate diſtingui docent; *quia pro parte dicit negationem remiſſionis aut perſolutionis pœnæ: quæ negatio ſæpe datur etiam dimiſſo reatu culpæ, & ſublato reatu pœnæ, remoto radicali & conditionato*. Ita Pichler, nec admodum clare. Clarius eſt quod ſubdit: *Loquere ut vis cum hac aut alia parte: quia nihil deciſum eſt*. Addo ego: *Futilia hæc & otioſa neglige*. Stet non ſemper dimitti pœnam temporalem cum culpa, & ſtabit fides.

173 Obj. 11. Dici poteſt quod venialia peccata, & omnis pœnæ reatus tollatur, 1. per ipſam mortem; 2. per fidem actualem morientium; 3. per non imputationem.

174 Reſp. nihil horum dici poſſe. Non primum, 1. quia alioqui vel ipſi Turcæ ceterique infideles a peccatis ſuis mundarentur, quia hi quoque mortem ſubeunt; 2. quia mors eſt pœna peccati originalis, non actualis, cum ei ſubjaceant infantes multi, qui nullum commiſerunt actuale peccatum; 3. quia mors ſecundum ſe ſpectata eſt quid naturale, cui ex æquo ſubjacent boni & mali; ergo ſecundum ſe non poteſt purgare animas. Si vero ſpectetur mors ut cum aliquo voluntatis actu conjuncta, non ipſa mors, ſed actus ille purgabit; quem tamen non eliciunt, ſive qui repentina morte obruuntur, ſive qui rationis uſu deſtituti e medio excedunt. 4. Quia ſi mors animas ablueret, deberent peſſimi acerbiſſimam mortem ferre, & optimi leniſſimam: & tamen contrarium docet experientia.

175 Non ſecundum, 1. quia gratis tribuitur tanta virtus ſoli actualis fidei exercitio. 2. Quia plures repentina morte abripiuntur; plures ſine uſu rationis, aut cogitationibus aliis abſtracti occumbunt. In iis porro ubi actualis fides? Quo igitur commigrant? Certe in infernum, juxta Lutheranos. Ut quid ergo hi ſalutem ſibi certo promittunt, cum incerti ſint de eliciendo in extremis actu fidei, ſine quo miſere damnantur.

176 Non tertium, 1. quia ut peccatum non imputetur, & ſic dimittatur omnis pœna, ſaltem requiritur, juxta Novatores, actus fidei: is autem ex mox dictis ſæpiſſime deeſt. 2. Quia ubi manet peccatum, debet imputari. Manet autem quoad maculam, donec eluatur; fictaque eſt non imputatio Lutheranorum, ut in Tract. de Juſtificatione ſolide probant Catholici. Ita idem qui ſupra Polemicus Scriptor.

DIS-

DISSERTATIO DOGMATICA

De divina utriuſque Machabæorum Libri auctoritate.

QUamvis maneat invicta Purgatorii fides, etiamſi ex Machabæorum Libris invicte probari non poſſet, quia hanc ab incunabulis ſuis tota unanimi calculo admiſit Chriſti Eccleſia; non abs re tamen fuerit Operis hujus auctoritatem expendere. Quod antequam aggrediamur, duo nobis ſponte confitenda ſunt. 177

1. Incertum eſſe qui fuerint celeberrimæ illius Hiſtoriæ Scriptores; an Joannes Hyrcanus, Simonis filius, quem Pontificatu & Imperio diu potitum, & futurorum quoque præſcium fuiſſe narrat Joſephus, Lib. 13. Antiquit. Cap. 18. An Judas quidam Eſſæus, vir multæ Ægyptios inter Judæos auctoritatis; an ipſi Machabæi Duces, quorum ſua quiſque facinora ſcriptis mandaverit; an alius quiſpiam: de his nihil certi ſtatui poteſt. Unde S. Iſidorus Hiſpalenſis, Lib. 1. de Eccleſiaſt. Officiis, cap. 10. *Judith & Tobiam, ſive Machabæorum Libros qui ſcripſerint, minime conſtat.* 178

2. Machabæorum Libros non ab omnibus Eccleſiis in Canonem olim relatos fuiſſe; imo a Canonicis Scripturæ Libris identidem fuiſſe diſtinctos. Scilicet enim Melito Sardenſis Epiſcopus, Origenes, Synodus Laodicena, SS. Athanaſius, Gregorius Nazianz. Joannes Damaſcenus, in ſuis Canonicorum Librorum Indicibus, Libros Machabæicos prætermittunt. Ulterius progreditur Hieronymus, præfationes in Libros Salomonis, ubi hæc: *Machabæorum quidem Libros legit Eccleſia; ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit.* Idem eſt Euſebii ſenſus, in Chronico. Quin & qui diu poſt utrumque floruit Gregorius, Lib. 19. Moral. cap. 13. teſtimonium ex priori Machabæorum Libro adducturus, hæc præmittit: *Non inordinate agimus, ſi ex Libris licet non Canonicis, ſed tamen ad ædificationem Eccleſiæ editis, teſtimonium proferamus.* His tamen non obſtantibus, ſit 179

CONCLUSIO. Machabæorum Libri vere ſunt Canonici.

Prob. Ut Machabæorum Libri Canonicis Scripturæ Libris merito annumerentur, duo ſufficiunt; 1. ut ita ſenſerit longe major Eccleſiæ Doctorum numerus; 2. ut hujus partis auctoritas contradicentium auctoritate nec frangi, imo nec imminui poſſit. Atqui rem ita eſſe conſtat. Major propoſitio indubia eſt; tum quia exigit prudentia Chriſtiana, ut quiſque *in Canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſane illæ ſint, quæ Apoſtolicas Sedes habere, & Epiſtolas accipere meruerunt*, uti docet Auguſtinus, Lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 8. tum quia Chriſtus permittendo ut moralis Doctorum unanimitas Librum minime ſacrum haberet pro hagiographo, eidem graviter errandi occaſionem præſtitiſſet, quod citra impietatem fingi animo non poteſt. Itaque 180

Probat. min. quoad primam partem, ex innumeris prope omnium ſæculorum Scriptoribus. Origenes, quamvis Præfatione in Pſalmos, ubi Hebræorum Canonem ſequitur, Machabæorum Libros prætermittat, 181

mittat, attamen in Libro 2. *Periarchon*, ubi ex propria ſententia & Eccleſiæ Traditione loquitur; eorum authenticitatem ſupponit & docet. *Ut autem*, ait, cap. 2. *ex Scripturarum auctoritate hæc ita ſe habere doceamus, audi quomodo in Machabæorum Libris, ubi mater ſeptem Martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, ait ei: Rogo te, fili, aſpice cœlum & terram, &c.* Et in cap. 5. Epiſt. ad Romanos, ut Valentinianos, qui neminem in veteri Lege pro Deo mori auſum effutiebant, invicte retundat: *Legant*, inquit, *Machabæorum Libros, ubi cum omni inſtantia beata mater cum ſeptem filiis martyrium ſuſcepit, &c.*

182 Tertullianus; Lib. *adverſus Judæos*, cap. 4. ex Machabæorum Libris probat temporariam fuiſſe obſervationem Sabbati. Sic ille: *Nam & temporibus Machabæorum Sabbatis pugnando fortiter fecerunt* .·.·. *Unde manifeſtum eſt ad tempus & præſentis cauſæ neceſſitatem hujuſmodi præcepta valuiſſe*. An porro quidpiam ex Libris apocryphis *manifeſte* probaretur. Sanctus Cyprianus, Lib. *de exhortatione Martyrii*, ut Fideles ad mortem alacriter ferendam accendat, cap. 11. exhibet *in Machabæis ſeptem fratres, & natalium pariter & virtutum ſorte conſimiles*, qui cum matre pro Dei legibus mortem fortiter oppetierunt: iiſdemque addit Eleazarum ſenem, qui nequidem idolothitorum eſum ſimulare voluit. Atqui hæc adducit Cyprianus in Opere, quod ad roborandos Chriſti milites *de divinis Scripturis hortamenta* complectitur; in quo credentium fidem *divina lectione* ſe firmaturum præfatur; quo ſubtractis humani ſermonis ambagibus, ſtatuit *ponere illa ſola quæ Deus loquitur* .·.·.·. *& præcepta ipſa divina velut arma pugnantibus ſuggerere*. Ergo, ait Nat. Alexander, Propoſ. 2. Libros Machabæorum non minus Canonicos exiſtimavit Sanctus Cyprianus, quam reliquos veteris ac novi Teſtamenti Libros, ex quibus ſua illa ad Martyrium hortamenta compoſuit. Idem, Epiſtol. 55. ad Cornelium Papam, Libros Machabæorum, ex quibus teſtimonium depromit *Scripturam divinam* nuncupat. Jam vero legitime judicatur eamdem fuiſſe Eccleſiæ Africanæ ſententiam, quæ Cypriani, ejuſdem Eccleſiæ oculi.

183 Lucifer Calaritanus; in vivido adverſus Conſtantium Libro, cui titulus: *De non parcendo in Deum delinquentibus*, hæc habet: *Loquitur ſacra Scriptura dicens in Machabæorum Libro 1. Et ſcripſit pro omni regno ſuo, &c.* 1. Mach. 1.

Cave.

184 Hegeſippus, non primus ille Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parens, qui Juſtini Martyris & Athenagoræ temporibus floruit; ſed recentior alter, qui poſt Conſtantinum, imo *ad declinantis ſæculi IV. finem* vixit, in prologo Librorum de excidio Hieroſolymitano: *Machabæorum*, inquit, *res geſtas propheticus ſermo paucis abſolvit*: ubi propheticus ſermo idem eſt qui ſacer ac divinus.

185 Quintus Julius Hilario, qui circa an. 397. claruit, niſi tamen idem ſit cum Quinto Julio Africano, in Libello Chronologico *de mundi duratione*, ſeu *de curſu temporum*, ſic loquitur; *Darium interfecit Alexander Magnus Macedo, a cujus tempore Hiſtoria Machabæorum Græcorum annos divina narratione percurrit*.

V. Cave

186 S. Joannes Chryſoſtomus in ſpeciali *de ſeptem Machabæis* Homilia, eorum laudes celebrat. Etſi vero divinam Machabaicorum auctoritatem

tem diſerte non adſtruit, ſatis tamen ſignificat ſe plenam eis fidem habere.

Sanctus Ambroſius, Lib. 2. *de Jacob, &c.* cap. 10.11. & 12. Eleazari & fratrum ſeptem Machabæorum conſtantiam totis facundiæ ſuæ ſplendoribus illuſtrat. Idem, Lib. 3. *de Officiis*, cap. 29. Heliodori hiſtoriam, *ſicut in Libris Machabæorum legimus*, recenſet atque evolvit. Atqui nihil amplius facere poſſit, ut de prædicti Operis canonicitate indubie conſtet. 187

S. Hieronymus ex propria ſententia loquens, Lib. 5. Comment. in Iſaiæ 23. *Hoc*, inquit, *Scriptura commemorat, quod Alexander Rex Macedonum egreſſus ſit de terra Cethim*. Id autem habetur 1. Machab. c. 1. Ergo Liber ille ad Scripturam pertinet. Per Scripturam porro ſacros Libros exprimi quis in dubium vocet? 188

Idem facit S. Doctor in cap. 7. & 9. Eccleſiaſtæ; ergo in aliis quæ objiciuntur locis non tam ex propria, quam ex aliorum ſententia loquebatur; unde Lib. 2. contra Rufinum fatetur ſe aliorum ſententiam circa Scripturæ Canonem referre. *Qui me criminatur ſtultum*, inquit, *ſe ſycophantam probat; non enim quod ipſe ſentirem, ſed quid illi contra nos dicere ſolent, explicavi.*

S. Auguſtinus, Lib. 18. *de Civ. Dei*, cap. 36. *Machabæorum Libri*, inquit, *quos non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet*. Idem Lib. *De Cura gerenda pro mortuis*, ex ſacrificio pro mortuis, agente Juda, oblato, probat orandum eſſe pro mortuis. Vide ſupra num. 56. Idem. S. Doctor, Lib. *De Doctrina Chriſtiana*, poſtquam hanc ſanxit legem, *ut* quiſque *in Canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quam plurium auctoritatem ſequatur*, hujus ſui principii memor, *Totus*, inquit, *Canon Scripturarum .·.·. his Libris continetur; Quinque Moyſis, id eſt Geneſis, &c. Item Job & Tobias, & Eſther, & Judith, & Machabæorum Libri duo, & Eſdræ duo.* 189

Concilium Carthagin. III. Canon. 47. qui poſtea in Græcorum Nomocanonem inſertus eſt, atque ideo utriuſque Eccleſiæ fidem probat; Romanum ſub Gelaſio, cui interfuerunt Epiſcopi ſeptuaginta; demum Innocentius I. Epiſtol. ad Exuperium, duos Machabæorum Libros annumerant Canonicis, qui divinam in Eccleſia nacti ſunt auctoritatem, & horum quidem Conciliorum definitioni, non ſolum Eccleſia Latina acquievit, ſed etiam Græca hanc poſtmodum recepit, ut conſtat ex Græcorum teſtimoniis, quæ in fine Operis ne perpetuitate Euchariſtiæ fidei leguntur. Ita Matth. Petitdidier, in Diſſertationibus ſuis, pag. 99. Jam 190

Prob. minor quoad 2. part. ſcilicet enim tanta, totque ex omni tribu & lingua teſtium auctoritas, nedum frangi, ſed nec imminui poteſt auctoritate omnimodis inferiori. Atqui talis eſt quæ in præſenti nobis adverſatur. Ea enim nec majoribus Eccleſiis innititur, quales ſunt Romana per Romanum Gelaſii Concilium loquens, & Africana per Synodum Carthagin. III. Africanæ totius Eccleſiæ plenariam; nec teſtes profert in hac parte accuratos, aut qui ſibimet ipſis conſentiant; cum Librum Eſther omittant Melito, Athanaſius in Epiſtola Feſtuli, Gregorius Nazianz. Leontius, &c. Joannes vero Damaſcenus Canones 191

Apoſtolorum inter novi Teſtamenti Scripturas recenſeat ; ac demum Origenes, Hieronymus & alii quidam, eoſdem Machabæorum Libros quos omiſere in Catalogo ſuo, aut etiam in Apocriphorum claſſem amandavere *, alibi ut ſacros & divinos laudent, atque ex iis varios, data opportunitate, depromant textus, quibus Catholica dogmata confirment. Hinc enim patet eos ex Hebræorum ſententia prædictos Libros omiſiſſe; at ex ſua, eoſdem habuiſſe pro Canonicis : niſi malis ipſos ad tempus dubitaſſe, donec victi Eccleſiæ judicio, quod clareſcebat in dies, idem cum ceteris Patribus ſenſerint. His quidem omnibus opponent forte Novatores *Beati*, ut ſacrilege vocant, *Lutheri* auctoritatem : ſed cum is ex Reformatorum omnium confeſſo turpiter aberraverit, D. Jacobi Epiſtolam rejiciendo ut ſtramineam; mirum ſi nobis plenam fidem faciat in præſenti controverſia.

192 Merito igitur Tridentina Synodus Seſs. 4. in Decreto *de Canonicis Scripturis* duos Machabæorum Libros recenſuit.

193 Objic. 1. Fieri non poteſt, ut qui Libri olim Canonici non fuerunt, id eſt ſingulari Sancti Spiritus afflatu conſcripti, poſtea Canonici fiant, & tales ab Eccleſia declarentur ; cum novæ non fiant Eccleſiæ revelationes. Atqui Machabæorum Libri non fuere primitus Canonici ; cum omiſſi ſint tum a Judæis in Canone Scripturarum, tum a Melitone, a Concilio Laodiceno, a S. Cyrillo Hieroſolym. S. Hilario, &c.

194 Reſp. neg. min. Hi enim Libri, non ſecus ac Epiſtolæ ad Hebræos, B. Judæ, B. Jacobi, de quibus nonnulli olim dubitarunt, ſemper fuere Canonici, licet eorum canonicitas a quibuſdam in dubium fuerit revocata. Non ergo facit Eccleſia ut Liber a Spiritu Sancto minime inſpiratus, in ſacrum & divinum mutetur ; prout frigide nobis imponunt hæretici : ſed explorata Traditione declarat hunc vel illum Librum eſse divinum vel apocryphum. Ad id autem nulla nova opus eſt revelatione, ſicut nulla indiguerunt Lutherani, ut Jacobi Epiſtolam Luthero deriſam Canonicis Operibus accenſerent. Equidem ſi majores Eccleſiæ, Romana potiſſimum, *cui Apoſtoli Petrus & Paulus to-* Nat. Al. *tam doctrinam cum ſanguine profuderunt, & in qua ſemper ſervata eſt Apoſtolica Traditio, quæque reliquarum totius orbis Eccleſiarum mater eſt & magiſtra*, Librum aliquem ut Canonicum, vel apocryphum olim habuiſsent, non poſset nunc temporis aliud de eo ferri judicium. Unde Librum tertium & quartum Eſdræ, vel Librum *Paſtoris*, etſi a Veterum nonnullis in Scripturarum Canones recenſitos nulla unquam auctoritas Libris ſacris annumerabit. At fieri poteſt ut nonnihil obſcura & quaſi deliteſcens Libri alicujus veritas, tandem plene ſe prodat : ſicut factum eſt ut Millenariorum fabula, etſi non contemnendis quondam ſuffulta teſtimoniis, ubique tandem obſoleverit.

195 De cetero nihil mirum quod Libri illi in antiquo Judæorum Canone

* Hæc tamen omiſſio quibuſdam fuit errandi occaſio : *Unde*, ait Fraſſen, in aureis ſuis Diſquiſitionibus, pag. 637. *excuſandi veniunt inferiores* Hieronymi *ætate Scriptores, qui ſine diſcuſſione accipientes id quod ille habet in Prologo Galeato, Machabæorum Libros, ſicut ille ibi, Canonicos eſſe negarunt*.

Canone non inveniantur. Is enim ab Eſdra diu ante Machabæorum tempora conſcriptus eſt; & de eo intelligi debet quod dicit Joſephus Lib. 1. contra Apionem, Libros Scripturæ tot eſſe, quot Alphabeti litteras, nempe viginti duos. Hinc Machabæorum Libri non ſunt Protocanonici, ſed Deuterocanonici, ut & Libri Tobiæ, Judith & Eccleſiaſtici. Hinc iidem Libri, licet apud Judæos minori utcumque eſſent pretio, ut ſcribit Joſephus, ſeu quia olim de ipſis dubitatum eſſet, ſeu quia etiamnum de his aliqui dubitarent, nihilominus ut ſacri habebantur a ſapientioribus: hinc Joſephus ipſe, Lib. 2. contra Apionem, eam ſententiam Eccli. 22. 14. *Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens*, ait deprompta meſſe *ab ipſa Lege*; qui rurſum in fine libelli de martyrio ſeptem Machabæorum: *Hæc itaque*, inquit, *quæ in monumentis veterum & ſacris Litteris de divis comperi Machabæis, poſteritati æternum legenda conſecravi*.

Obj. 2. Libri divini ſecum concordant. Atqui non ſic Machabæorum Libri, qui quantum ad chronologiam impendio diſſident. Sic Libro 1. cap. 6. verſ. 16. Antiochi Epiphanis mors refertur ad ann. æræ græcæ 149. & tamen Lib. 2. cap. 11. recenſentur filii ejus Antiochi Eupatoris litteræ, poſt patris mortem datæ ann. ejuſdem æræ 148. Idem videre eſt alibi paſſim, ut Lib. 1. cap. 6. v. 20. comparato cum Lib. 2. cap. 13. verſ. 1. 196

R. 1. Nec ipſum ſalvum fore Evangelium, ſi hiſce tricis immorari liceat: quot Joannem inter & alios Evangeliſtas in ſpeciem diſcrimina circa tempus mortis Chriſti, circa ſupremum ejus Paſcha? quot eruditos inter circa veteris Teſtamenti chronologiam diſſidia? 197

R. 2. neg. min. Siquidem æra Seleucidum alia erat Judaica, quæ a Niſan ſeu menſe verno incipiebat; alia Antiochena, ſeu Alexandrea, quæ ab autumno ſubſequente, & menſe Tiſri, ac proinde ſex poſt Judaicam menſibus, ducebat initium. Priorem ſecutus eſt Auctor Libri primi Machabæorum, poſteriorem Auctor Libri ſecundi. Sic autem neceſſario factum eſt, ut quæ prior ſcribit contigiſſe anno 149. utique poſt menſem Niſan, hæc poſterior, cum ante menſem Tiſri contigerunt, anno 148. eveniſſe ſcribat. Sic non ita pridem in Anglia ſcripſiſſet alter veterem ſtylum ſequens, Regem mortuum eſſe ipſa die Paſchatis; alter novi ſtyli aſſecla, ſcripſiſſet eum ſecunda poſt Paſchatis feſtum Dominica occubuiſſe. Sic porro alteruter in ſpeciem, neuter reipſa aberraſſet. Sed de his vide vel Uſſerium in Annalibus, & Petavium, Lib. 10. *de doctrina temporum*, vel quod ſatis fuerit, & multo facilius, Nat. Alexandrum, aut Fraſſenium, in Diſquiſitionibus Biblicis, pag. mihi 643. 198

Obj. 3. Antiochus Eupator, ex Lib. 1. cap. 6. cum Judæis pacem iniit ann. 150. Epochæ Judaicæ a Niſan, & proinde eodem an. Epochæ Antiochenæ a Tiſri; qui quidem annus erat Sabbaticus, ut conſtat ex verſ. 49. Atqui juxta Librum 2. cap. 11. v. 31. & 33. pacem hanc iniit Eupator ann. 148. qui in neutra æra, ſeu a Niſan, ſeu a Tiſri deducta, ſabbaticus eſse potuit. 199

Reſp. neg. min. bis enim pacem cum Judæis compoſuit Eupator, 1. per Lyſiam, ſtatim a morte Antiochi Epiphanis; & de hac pace 200

agitur 2. Machab. 11. 2. Poſtquam a Juda arcem obſidente devictus; & adverſus Philippum arma convertere coactus eſt; & de hac pace ſermo eſt tum Lib. 1. cap. 6. tum Lib. 2. cap. 13. Ita doctiſſimus Petavius. Unde liquet non debere eſſe ſuſpectam Librorum ſacrorum fidem, quia in his difficilia quædam occurrant; ſive hæc aliquando tandem explicent Petavii, ſive permittat Deus ut a nemine unquam bene evolvantur.

201 Obj. 4. Judas Machabæus, Lib. 1. cap. 9. interfectus dicitur an. 152. Regni Græcorum. Atqui triginta poſt annos ſupererat in vivis, ex Lib. 2. cap. 1. v. 10. cum an. 188. Epiſtolam ad Ariſtobulum ſcripſerit una cum Judæorum Senatu.

202 Reſp. vel Epiſtolam quæ anno 188. ſcripta eſt, non a Juda Machabæo ſcriptam eſſe, ſed aut ab Ariſtobulo Joannis Hircani filio, qui etiam Judas vocabatur, teſte Joſepho, Lib. 20. Antiq. cap. 18. & in Senatu Judaico multæ erat auctoritatis; aut a Juda Eſſeno, quem idem Joſephus Lib. 13. cap. 19. ob ſapientiam & infallibilem futuri prædicendi ſcientiam inſigniter commendat: vel hæc verba *Anno* 188. ab his quæ proxime ſequuntur: *Populus qui eſt Jeroſolymis*, *&c.* non virgulæ ſolius, ſed puncti interpoſitione eſſe ſejungenda; adeo ut iſtud, anno 188. ſit clauſula ſuperioris Epiſtolæ; illud vero, *Populus qui eſt Jeroſolymis*, ſit initium poſterioris, quam Judas ſcripſit, ſed quæ veriſimiliter nonniſi poſt mortem ejus, conciliatamque Judæis pacem temporibus Joannis Hircani, ad Judæos in Ægypto commorantes directa fuit; cui Judæi Jeroſolymitani brevem illam priorem adjunxerunt, notato quo ſcribebant anno, id eſt 188. Et vero verba hæc media ſunt inter finem Epiſtolæ unius & initium alterius. Porro annorum numerus in fine potius quam initio Epiſtolæ conſignari ſolet. Favent Græci Codices, qui hæc inter verba, *anno* 188. & iſthæc: *Populus qui eſt Jeroſolymis*, punctum interponunt. Ita Bellarminus, Fraſſen. &c. Hæc porro an ſolide a Lutheranis confutari poſſint?

203 Objic. 5. Ex 1. Mach. 4. verſ. 52. purgatio Templi a Juda Machabæo facta eſt ante mortem Antiochi, die 25. menſis noni ann. 148. Atqui eadem purgatio 2. Machab. cap. 10. facta refertur poſt ejuſdem Antiochi mortem.

204 Reſp. neg. min. etſi enim Auctor Lib. 2. qui omnia ad Antiochum Epiphanem ſpectantia, pro more ſacris Scriptoribus familiari, breviter colligere voluit, poſt narratam ejus mortem de Templi purgatione loquitur; non tamen ea poſt mortem Epiphanis factam eſſe indicat.

205 Objic. 6. Liber uterque circa Antiochi Epiphanis mortem diſcordat. Nam Lib. 1. cap. 6. narratur eum ab Elimaide Perſidis civitate repulſum, veniſſe in Babylonem, ubi audita ſuorum in Judæa clade, præ triſtitia in languorem incidit, & mortuus eſt. At Lib. 2. cap. 1. ſcribitur ipſum in Perſide cecidiſſe, in ipſo Naneæ Templo. *Cum intraſſet Antiochus Templum Naneæ* (*ſeu Dianæ aut Veneris*) ibidem v. 16. Sacerdotes *mittentes lapides percuſſerunt Ducem & eos qui cum eo erant*, *& diviſerunt membratim*, *&c.* Hæc porro ſecum conciliari non poſſunt. Quin nec ſecum conciliari poteſt idem Libri 2. Auctor. Qui

enim

enim citato mox Capite Antiochum in Naneæ templo cum ſuis membratim diviſum eſſe ſcribit, ſui immemor cap. 9. ſcribit eum e Perſepoli turpiter fugatum, accepta prope Ecbatanam Nicanoris ac Timothei, Ducum ſuorum ſtrage, & furore adverſus Judæos percitum, cum ad ultionem impetu properaret, cecidiſſe de curru, & paſtum vermibus miſerabiliter interiiſſe. Jam vero fieri nequit ut idem Princeps bis obierit, ſemel apud Perſidem in templo Naneæ, ſemel *peregre* in montibus prope Ecbatanam, Mediæ Metropolim.

Reſp. Hæc facile hunc in modum conciliari. Antiochus ab expila- 206
tione templi Naneæ repulſam paſſus, & vitata, neſcio quo pacto morte diffugiens, poſtmodum copioſiori militum apparatu regreſſus eſt, ut hanc ſibi ab Eleemaitis, ſeu Perſepolitanis illatam injuriam vindicaret. At denuo victus, cum ſalutem quantocius fugiendo, inquireret, in Mediam divertit. Hic circa Ecbatanam, regiam Mediæ urbem, a Nuntio audivit triſte exercitus ſui in Judæa excidium. Hinc rabie furens, cum *ſine intermiſſione iter ageret, cæleſti eum judicio perurgente .·.·. Contigit illum impetu euntem de curru cadere*, & paulo poſt mori.

At, inquies, qui cum ſuis in Naneæ templo lapidibus obrutus fue- 207
rat, & memoratim diviſus, nec Perſepolim regredi, nec inde in Judæam contendere potuit. Atqui ex citato cap. 1 lib. 2. Machab. Antiochus, &c. Sic enim, habetur verſ. 13. *Cum in Perſide eſſet Dux ipſe*, Antiochus .·.·. *Excidit in templo Naneæ, concilio deceptus Sacerdotum Naneæ*, & verſ. 16. *Cum intraſſet Antiochus, apertoque occulto aditu templi, ſacerdotes mittentes lapides percuſſerunt Ducem & eos qui cum eo erant, & diviſerunt membratim.*

Reſp. Textum hunc ut alios plures intelligendum eſſe moraliter, ita 208
ut qui Deæ templum ingreſſi erant, omnes pene lapidibus obruti fuerint, ii vero præſertim qui idoli donaria propius contigerunt; ita ut Antiochus effractis foribus effugerit. Nec obeſt quod dicatur in templo cecidiſſe. Siquidem Scripturæ phraſi percuſſus eſſe ac cecidiſſe dicitur, non ſolum qui interiit, ſed & qui fuſus ac debellatus eſt. Sic Geneſis 14. v. 10. legitur: *Rex Sodomorum & Gomorrhæ .·.·. ceciderunt ibi*: & tamen v. 17. *Egreſſus eſt Rex Sodomorum in occurſum* Abrahæ. Similia legeris Joſue 7. v. 5. & Danielis 11. v. 30. Ita Eſtius, Fraſſen, Nat. Alexander, &c.

Reſpondent alii, ut Rupertus, Medina, Sigonius, Serrarius, Ti- 209
rinus, &c. eo loci ſermonem non eſſe de Antiocho Epiphane, ſed de Antiocho Sedete; qui licet initio videri voluerit Judæis amicus, 1. Machab. 15. verſ. 1. poſtmodo tamen in acerbiſſima adverſus eos odia prorupit, ibid. verſ. 27.

Reſpondet demum Sa his verbis: *Ego Epiſtolam iſtam non puto habere* 210
auctoritatem Sacræ Scripturæ magis quam alias quæ in his Libris inſeruntur, ut Romanorum, Spartianorum, aut Judæorum. Solum enim refert Scriptura tales ita ſcripſiſſe. Sic ſermo Judith ad Holofernem vere quidem habitus eſt, ſed non ideo vere eſt ſermo ſpiritus ſancti.

Objic. 7. Librorum Machabaicorum Hiſtoria pugnat cum omnibus 211
Græcorum Hiſtoriis: Nam Lib. 1. cap. 1. & cap. 6. Alexander primus

in Græcia regnaſſe dicitur, & tamen plures ante ipſum Principes in Græcia regnaſſe conſtat ex Græcorum Hiſtoricis. 2. eodem cap. 1. dicitur Alexandrum, *cum adhuc viveret*, *diviſiſſe Regnum ſuum* pueris nobilibus, *qui cum eo nutriti erant a juventute*. Et id poſt mortem ejus factum eſſe ſcribunt Juſtinus, Diodorus Siculus, & Q. Curtius. 3. Antiochus Epiphanes ſeu illuſtris, filius Antiochi magni, dicitur eodem cap. 1. verſ. 11. regnaſſe *in anno 137. Regni Græcorum*. At fidem facit Euſebius illum regnaſſe anno 153. & reipſa ab origine imperii Græcorum ad uſque Antiochi exordia anno 153. numerandi ſunt. 4. ibidem 8. verſ. 16. ſcribitur quod Romani *committunt uni homini Magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari univerſæ terræ ſuæ, & omnes obediunt uni, &c.* at neſcit nemo Conſules duos Romæ quotannis creatos fuiſſe, penes quos foret ſumma Reipublicæ poteſtas. Ergo.

212 Reſp. 1. Ad 1. In Græco textu legi, qui *primum* regnavit in Græcia, antequam ſcilicet Darium & Perſas profligaret: ſic autem evaneſcit difficultas. 2. Eum hoc ſenſu primum regnaſſe, non quod nulli ante ipſum Reges fuiſſent in Græcia; ſed vel quia primum omnium in tota, qua patebat, Græcia regnavit, ſicque primus fuit imperii Græcorum fundator & monarcha; vel quia, ut Grotio videtur, primus regnavit in Syria & Ægypto, quæ Regnum *Javan*, ſeu *Græcorum* nuncupabatur, quo tempore ſcriptus eſt Liber prior Machabæorum; vel demum quia primus ſit, qui *egreſſus de terra Cethim*, in Græcia regnaverit. Neque ideo neceſſum eſt ut qui poſt eum regnaverunt, vel pari cum ipſo poteſtate donati fuerint, vel egreſſi ſint de terra Cethim: Namque juxta Scripturæ phraſim, primus dicitur, qui anteceſſores non habet, etſi nullos habeat ſucceſſores. Sic Exodi 12. 29. Angelus Ægypti percuſſor dicitur *omnia primogenita* interfeciſſe: cum tamen dubio procul ex iis plura forent unigenita. Sic & B. Virgo *Primogenitum ſuum* peperiſſe dicitur, Matth. 1. verſ. 15. quæ tamen nullum exinde peperit.

213 Reſp. Ad 2. 1. Potiorem nobis eſſe Hiſtorici Sacri, quam profanorum auctoritatem, præſertim cum ille loco & tempore propior vixit, ut vixit Machabaicus Scriptor: ſiquidem Q. Curtius qui omnium optime Hiſtoriam ſcripſit Alexandri, floruit ſub Veſpaſiano, ut probat Voſſius. 2. Haud ægre conciliatur ſacer Scriptor cum profanis pleriſque. Ad id enim ſatis eſt ut Alexander, vel proximus morti condiderit teſtamentum, quo, poſt mortem ejus reſerato, facta ſit ex ſuprema ipſius voluntate diviſio Provinciarum; vel hujus partitionis poteſtatem fecerit Perdiccæ, cui moriens annulum ſuum, ſummæ auctoritatis omen, tradidit. Quod autem a Perdicca poſt Alexandri mortem factum eſt, ab eo vivente factum vere dici potuit; cum quis hæredem ſibi vivens conſtituat. Ait quidem Curtius *vanam* eſſe prædicti *teſtamenti famam*. At ei opponi poſſunt, non modo Joſephus Gorionides, qui diu poſt vixit, ſed Diodorus Siculus, Lib. 20. Bibliothecæ, ubi ſcribit Alexandrum, Rhodi, quam *urbem præ cæteris coluerat*, *teſtamentum de toto Regno* depoſuiſſe.

214 Reſp. Ad 3. Cum Bellarmino & aliis paſſim, auctorem Libri 1. Machab. non numerare Regnum Græcorum ab Alexandro, ſed a Seleuco

leuco Nicanore, qui undecimo poſt Alexandri mortem anno regna-
vit in Syria. His enim undecim annis ſi addas annos quinque, ex
quo ſubverſa Perſarum Monarchia Alexander Græciæ totius impe-
rium obtinuit, conficitur numerus annorum ſexdecim, quibus mi-
nor erat, juxta rationes computandi Hebraicas, Monarchiæ Græcæ
ſupputatio.

Reſp. Ad 4. Cum eodem Bellarmino, Fraſſen, Nat. Alexandro, ta- 215
metſi Conſules duo apud Romanos ſimul crearentur, ipſos tamen al-
ternis imperaſſe; cujus rei argumentum eſt infelix pugnæ Cannenſis
exitus, non aliunde repetendus quam ex temeritate Varonis Conſulis,
cui ſors ejus diei imperii erat. Atque id a primo conſularis dignitatis
exordio inſtitutum eſt, *ne*, ut ait Livius, lib. 2. *ſi ambo Conſules faſces
haberent, duplicatus terror videretur*.

Addunt Eſtius, Sa, Menochius, hic referri quod de Romanis audi- 216
verat Judas, ibid. verſ. 1. at ex iis falſa quædam eſſe poterant, ut
quod *non* eſſet *invidia, neque zelus inter eos*, ibid. v. 16. Sic, ait Tyri-
nus, certum eſt blaſphemos Judæos dixiſſe de Chriſto, quod *potator*
eſſet *vini, populi ſeductor, dæmonio plenus*; nec tamen hæc vera erant.
Refert enim Scriptura id quod dictum eſt, ſed non affirmat id quod
dictum eſt, verum eſse.

Objic. 8. Machab. 2. Cap 2. Legitur Jeremiam, dum a Chaldæis in- 217
cenderetur Jeroſolyma & Templum, abſcondiſse Tabernaculum & Ar-
cam fœderis in ſpelunca montis Nibo. Atqui hic duo fabuloſa & ſa-
cris Libris adverſantia referuntur. 1. Enim falſum eſt quod Jeremias
hæc facere potuerit; cum ante Jeroſolymitanum a Chaldæis excidium
in carcere concluſus eſset, ut ipſe ſcribit Prophetiæ ſuæ Cap. 37. &
38. 2. Nec minus falſum eſt quod Tabernaculum & Arcam fœderis
ſervare potuerit; 1. quia ex IV. Regum, Cap. 25. conſtat Nabuzar-
dan, exercitus Babylonici Principem, ſuccendiſse Templum, ejuſ-
que columnas, baſes, mare æneum, vaſa aurea, argentea, ærea
tranſtuliſse Babylonem. Quis autem in hujus incendii æſtu, ac ge-
nerali direptione, concipiat potuiſse Jeremiam Tabernaculum & Ar-
cam intacta ſubripere, & alio medias inter Chaldæorum turmas tranſ-
ferre? 2. Quia nuſquam poſt reditum a captivitate comparuerunt Ar-
ca & Tabernaculum; cum nulla deinceps eorum fiat mentio, ſive in
Libris Eſdræ vel Prophetarum, qui poſt reditum a captivitate flore-
runt; ſive in Hiſtoria Judæorum. Sane vero quid Pompejus in tem-
plo viderit, ad amuſſim deſcribit Joſephus, Lib. 14. Antiqui. Cap.
8. Fuſe etiam recenſet, Lib. 7. de Bello Judaico, Cap. 17. & 19. quæ
e templo abſtulit Titus in excidio Jeruſalem; & tamen ne verbum
quidem habet de Arca & Tabernaculo. Quin & docet, Lib. 6. cap. 6.
nihil prorſus tunc fuiſse in Sancto Sanctorum.

Reſp. Neg. min. nimirum Nabuchodonozor ter in Judæam cum nu- 218
meroſo exercitu irrupit, 1. quidem tempore Joachaz, 2. Paralipp. 36.
verſ. 6. 2. tempore Joachin, 4. Reg. 24. verſ. 15. 3. Demum tem-
poribus Sedeciæ, quo regnante Jeruſalem cum Templo, quin & Ju-
dæa omnis funditus devaſtata eſt. Etſi vero Jeremias ſub Sedeciæ
regno ſemper in carcere concluſus fuit, tamen regnante Joachim erat
liberri-

liberrimus, tantaque apud omnes pollebat auctoritate, ut veriſimillimum ſit, Joachin conſilio ipſius (Jerem. 27. v. 29.) ſeſe Nabuchodonoſori tradidiſſe. Potuit ergo Jeremias de conſenſu Joachim Arcam & Tabernaculum transferre in montem, & ibi abſcondere; cum vir futuri præſagus, impendentem urbi & Templo ruinam non ignoraret: & inſuper *divino reſponſo* juſſus eſſet utrumque *ſecum* aſportare, 2. Machab. 2. 4. Quin & id exequi potuit Sedecia regnante, poſt captam a Chaldæis Jeroſolymam, antequam templum flammis traderetur. Cum & a Nabuzardan Militiæ Babylonicæ Præfecto libertate donatus ſit, & apud eum gratia valuerit plurimum. Neque id a tanto viro petitum negaſſet Nabuchodonoſor, cui pergratus erat ut ipſe ſcribit cap. 39. v. 12. Unde ſcribit Eupolanus apud Euſebium Libr. 9. Præpar. Evang. cap. 39. utrumque, Arcam dico & Tabernaculum, a Nabuchodonoſor Jeremiæ fuiſſe donata. Certe quod duo hæc tanti pretii monumenta non aſportarint Chaldæi, colligitur ex cap. 52. ejuſdem Prophetæ. Hic enim enumerantur quæcumque a victoribus in Babyloniam tranſvecta ſunt uſque ad phialas & mortariola, nec ulla tamen fit mentio Arcæ vel Tabernaculi.

219 Quid autem de utroque factum ſit, non una eſt omnium opinio. Nimirum ſcinduntur Catholici Interpretes circa verba hæc 2. Machab. 2. verſ. 7. *Jeremias*, poſtquam in montem Arcam & Tabernaculum abſcondiſſet, *culpans eos* qui locum obſervare voluerant, *dixit*, *quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat. Et tunc Dominus oſtendet hæc, & apparebit majeſtas Domini, & nubes erit, ſicut & Moyſi manifeſtabatur*, &c. Quidam nimirum cum Menochio cenſent illud Jeremiæ vaticinium (quod Machabaici Scriptoris ævo legebatur, nunc autem non ſupereſt) impletum fuiſſe quoad loci hujus ignoti revelationem, ſub regno Darii Hiſtaſpis, cum loco ignis olim a Sacerdotibus abſconditi inventa eſt aqua craſſa, qua cum Nehemiæ juſſu perfuſa eſſent ſacrificia *accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur*, 2. Machab. 1. 21. Utique, addit Menochius, non aliud poteſt tempus proferri, quo apparuerit *majeſtas Domini*, ut Moyſi & Salomoni, quam illud quo Deus præſentiam majeſtatis ſuæ in igne mirabiliter accenſo demonſtravit, & quo nubes ſolem, ſacrificia & altare obtegebat, ut Moyſis & Salomonis temporibus. Ergo hæc populi congregatio non alia intelligi debet, quam quæ poſt captivitatem Babylonicam facta eſt ſub Cyro, Dario & Artaxerce.

220 Neque, inquiunt, obeſt argumentum inficiale ex ſilentio Eſdræ, Nehemiæ, ipſiuſque Joſephi teſtimonio petitum; cum poſitive aſſerta negativis argumentis non elidantur. Præſertim cum Arcæ imaginem in arca triumphali Titi etiamnum Romæ obſervari contendant eruditi nonnulli.

221 Exiſtimant tamen alii hanc materialis Arcæ, & Tabernaculi typici revelationem non contigiſſe ſub Dario. Et hi duas in partes ſcinduntur. Alii ſcilicet Arcam hanc & Tabernaculum myſtico ſenſu intelligunt de Chriſto, vera novi fœderis Arca, veroque tabernaculo, *quod fixit Dominus & non homo*, ut loquitur Apoſtolus Hebr. 8.

2. Unde

2. Unde quæ a Joanne Apocal. 11. 19. *viſa eſt Arca teſtamenti in Templo*, Chriſtum utique, novi & antiqui fœderis mediatorem, exhibebat. Senſum hunc poſt D. Ambroſium, Lib. 3. de officiis, capit. 14. amplexus eſt & ſcite evolvit Rupertus Abbas, Lib. 10. de victoria Dei, cap. 21. ubi ſic: *Animalis Judæus* . . . *hoc putat Jeremiam dixiſſe, quod Judæorum, qui in omnes gentes captivi ducti ſunt, congregatio debeat fieri, neſcio quo tempore: Templumque illud reſtitui, cum tali nube apparente, qualis erat ubi Moyſes legem accepit* . . . . *Nos vero poſt illud tempus quo hæc ſcripta ſunt, poſt victorioſa prælia Machabæorum, nullam ſcimus populi Dei congregationem, præter illam quam idem Spiritus qui loquebatur in Prophetis, nobis in Evangeliſta Joanne depromit: quia Jeſus moriturus erat non ſolum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Tunc utique apparuit gloria Dei, gloria Filii Dei cum reſurrectione mortuorum effulgentis: Et ex tunc nubis, ſicut manifeſtabatur Moyſi, ut legem accepit* . . . *nubes, inquam, ex tunc eſt ſimiliter, ſcilicet cæcitas Judæorum* . . . . *Uſque ad illud tempus, ignotum erit, aut Jeremias, ubi ſit Tabernaculum, & Arca, & Altare incenſi. Id eſt non cognoſcetur a populis vel gentibus, quorum vel qualium exemplaria cæleſtia illa fuerunt.*

Alii veram Arcam, verumque Moyſis Tabernaculum in citato textu deſignari cenſent: at contendunt utriuſque revelationem per Henoc & Eliam noviſſimo mundi tempore faciendam eſſe, & Judæorum converſioni ſubſervituram. Ita Ricardus a S. Victore, Mariana, & alii quos ſequitur Tirinus. Unde, inquit, Altare incenſorum, quo poſt reditum a captivitate uſi ſunt Judæi, non fuit Moſaicum, ſed ad illius imitationem conſtructum: idemque eſt de tabulis & Cherubin, quos a Pompejo, cum intima quæque Templi luſtraret, viſos fuiſſe ſcribit Egeſippus, Lib. 1. cap. 17. Quod autem figuram Arcæ in triumphali Titi arcu conſpici hodieque nonnulli dicunt, mera eſt illuſio, quæ menſam panum propoſitionis cum arca confundit. 222

Objic. 9. Hiſtoria quæ multa habet probis moribus adverſa, quæ incerti eſt Auctoris, forte etiam ethnici, rejici debet ut apocrypha. Atqui talis eſt Machabæorum hiſtoria. 1. Quidem habet quædam moribus adverſantia; cum ex ea ſequatur orandum pro iis qui in mortali peccato deceſſerunt: cum item in ea, Lib. 2. cap. 14. laudetur, ut *eligens nobiliter mori*, Razias, ſui ipſius truculentus interfector, cujus poſtmodum exemplo Donatiſtæ & Circumcelliones, homicidia ſua excuſabant, teſte Auguſtino, Lib. 1. contra Gaudentium, Cap. 31. unde S. Doctor, Lib. 2. contra eundem, admonet Hiſtoriam hanc ſobrie legendam eſſe. 2. eadem Hiſtoria incerti eſt Auctoris. Quin & primarius Auctor Libri ſecundi videtur fuiſſe ethnicus: is enim Liber videtur eſſe compendium Librorum quinque Jaſonis Cyrenæi. Atqui hunc gentilem fuiſſe indicat patria ejus Cyrene, quam Judæi nulli incolebant. 223

Reſp. Neg. min. pro prima parte. Ad 1. prob. reſpondimus ſupra numer. 26.

Ad 2. Hærent Doctores circa factum Radzæ Auguſtinus Epiſt. 204. alias 61. ad Dulcitium: *Quamvis*, inquit, *homo ipſe fuerit* in Machabæorum Libris *laudatus*, *factum tamen ejus narratum eſt*, *non laudatum*, 224

Digitized by Google

datum, *& judicandum potius quam imitandum* . . . *Scriptum eſt quod voluerit nobiliter & viriliter mori*, *ſed numquid ideo ſapienter?* . . . *Magna hæc ſunt*, *nec tamen bona*. *Non enim bonum eſt omne quod magnum eſt*, *quoniam ſunt magna etiam mala*. *Deus dixit*: Innocentem & juſtum ne occidas. *Si ergo iſte innocens & juſtus non fuit*, *cur proponitur imitandus? Si autem innocens & juſtus fuit*, *quare interfector innocentis & juſti*, *id eſt*, *ipſius Razii*, *inſuper putatur eſſe laudandus?* Idem de Razia cenſet S. Thomas 2. 2. quæſt. 64. a 5. ad 5. eumque ſequuntur Eſtius, Nat. Alexander & alii complures.

225 Non deſunt tamen qui Raziæ facinus vel excuſent, quia is bona fide crediderit licitum eſſe ſibi mortem inferre; vel approbent, quia ad id ſpeciali Dei inſtinctu permotus fuerit, prout de Samſone certum eſt: & agnoſcit Auguſtinus ipſe Lib. 1. de civ. Dei, cap. 21. & 25. de nonnullis *Virginibus*, *quæ ut inſectatores pudicitiæ ſuæ devitarent*, *in flumen*, *vel* ignem *ſe projecerunt*. Atque id, inquiunt, ſuadet pia ſanctaque Raziæ vita, tot decorata virtutibus: ſuadet pia ipſius in hoc facinore intentio, *ne ſcilicet ſubditus fieret peccatoribus*, verſ. 42. & forſan blanditiis, cruciatibuſve, vel doloſis ſtratagematis, aliquid ex ore ejus eliceretur, quod honori divino, vel populi ſui bono officeret. Suadet ſancta admodum oratio, qua Deum jam jam moriturus invocat. Suadet demum eximia laus, qua factum illud Raziæ proſequi videtur ſacer Scriptor, quali ſane encomio Liber Judicum nullibi proſequitur factum Samſonis, quod tamen nemo jam alii adſcribit quam Spiritui ſancto. Et vero *nobiliter* & *viriliter* non egiſset Razias, niſi ex vivido Spiritus divini motu egiſset; cum ſui ipſius occiſio animi ſit puſilli, non ex Auguſtino tantum & Lactantio, aliiſque Chriſtianis, ſed ex ipſis etiam ethnicis, Ariſtotele potiſſimum, Euripide, Virgilio, & aliis quos citat Serarius. Id quidem *nobiliter*, ad Raziæ, vel populi, non vero ad ſacri ſcriptoris mentem dictum volunt Auguſtini ſequaces. At textum legenti reſponſio hæc primo & forte ſecundo intuitu, nonnihil contorti habere videbitur. Sic illi. Ego quidem, ait eum in locum R. P. Calmet, SS. Auguſtini & Thomæ opinioni adhæreo, & licet Raziam omnino condemnare non auſim, at nec auſim vindicare.

226 Ad 2. Reſp. 1. Neg. maj. pro ſecunda parte. Non enim magis periclitari debet Librorum Machabaicorum auctoritas, quia incertus ſit eorum Auctor, quam aliorum, quorum ignorantur Auctores, quales ſunt Libri Job, Judith, Eſter & alii plures. Et vero in his non attenditur Scriptoris dignitas, ſed divina S. Spiritus aſſiſtentia; qui quos voluit, velut Amanuenſes ſcribere curavit. Sed nec periclitatur eadem auctoritas, tametſi Libri illi e profani auctoris Operibus quantum ad aliquid excerpti ſint: potuit enim profanus quis vera ſcribere, & his Spiritus ſanctus auctoritatis ſuæ ſigillum inurere. *Quis neſciat*, inquit Hieronymus Epiſtol. ad Magnum, *& in Moyſe*, *& in Prophetarum voluminibus quædam aſſumpta de Gentilium Libris*. *Sed & Paulus Apoſtolus*, *Epimenidis Poetæ abuſus verſiculo eſt*; ſcribens ad Titum: *Cretenſes ſemper mendaces*, &c. in alia quoque Epiſtola Menandri ponit ſenarium: *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava*: Et apud Athenien-

nienſes in Martis Curia diſputans, Aratum teſtem vocat. *Ipſius enim & genus ſumus*, &c.

Reſp. 2. Neg. min. Ecquis nimirum uſquam probabit, Jaſonem, 227
quantumvis Cyrenæum, fuiſse Gentilem, non vero Judæum. Plures fuere urbes, Cyrenes nomine. Alia quidem in Cypro inſula; alia in Lybia, a qua dicta eſt Lybia Cyrenaica, ut docet Hieronymus in verſ. 16. Capitis 2. Act. Ex ea autem fuiſse Jaſonem, qui Machabæa facta ſcripſit, veri admodum ſimile eſt; tum quia in hanc facilius & frequentius quam Cyrenem Cypriam migrare poterant Judæi; tum quia cum irruit ſacra Pentecoſtes die Spiritus ſanctus in Apoſtolos, erant inter advenas, qui ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, Hieroſolymam convenerant, aliqui ex Lybia, quæ eſt *circa Cyrenem*. Ergo potuit Jaſon ille ex iis oriundus eſſe Judæis, qui in eam Lybiæ partem, ſæviente crudelis Antiochi perſecutione, fuerunt deportati. Et vero quis ethnicum, quaſi a natura Judæis averſum, Judaicas res ita cordi habuiſse credat, ut egregia eorum contra ethnicos alios facinora Libris quinque complecti voluerit?

CAPUT TERTIUM

De circumſtantiis Purgatorii.

IN hoc tertio Capite expendimus cum Bellarmino hic Libro 2. 1. quibus perſonis conveniat Purgatorium; 2. an animæ purgantes mereri, vel demereri poſſint; 3. an iis de ſua æterna ſalute conſtet; 4. quis ſit Purgatorii locus; 5. quæ duratio ejus; 6. quæ & quales pœnæ.

ARTICULUS PRIMUS

De perſonis quibus convenit Purgatorium.

CIrca præſens punctum multiplex fuit error. 1. enim ſenſerunt ali- 1
qui cum Origene, neminem, dempto Chriſto, a probatione purgatoria immunem fore. Sic ille in Pſal. 36. *Omnes*, inquit, *nos venire neceſſum eſt ad illum ignem, etiamſi Paulus ſit aliquis, vel Petrus*.

2. Exiſtimarunt alii Purgatorium iis etiam, conſtitutum eſse, qui 2
in ſtatu peccati mortui eſsent; modo vel eleemoſynam impendiſsent, vel Catholicam, imo Chriſtianam Religionem fuiſsent profeſſi.

3. Ulterius progreſsus eſt Origenes, qui omnes malos, ipſoſque 3
etiam dæmones, evacuato tandem inferno, ſalvatum iri, omneſque adeo pœnas poſt hanc vitam purgatorias eſse ſomniavit. Sit paucis re aperta.

Concluſio. Purgatorium neque iis qui plene juſti, neque iis qui in peccato lethali; ſed iis ſolum qui in ſtatu gratiæ, at divinæ juſtitiæ nonnihil obnoxii decedunt, conſtitutum eſt.

Prob. 1. pars, 1. Ex Concilio Florentino Seſs. ultima, ubi definitum 4
eſt, aliquas animas mox a corporis reſolutione in infernum, aliquas

in

in Purgatorium, aliquas in cœlum recipi. Sed quæ mox recipiuntur in cœlum, a Purgatorio immunes ſunt.

5 2. Quia docet conſtanter Auguſtinus, præſertim autem Lib. 21. de civit. Dei, cap. 16. eos qui ſtatim a Baptiſmo moriuntur, nullam Purgatorii pœnam ſentire poſſe. Quod & docet Cyprianus de iis qui in ſanguine ſuo baptizantur. Unde tritum id Auguſtini: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

6 3. Quia Purgatorium iis ſolis convenit, quibus aliquid temporalis pœnæ pro actualibus peccatis luendum ſupereſt. Atqui præter infantes, qui ſtatim a regeneratione intereunt, non pauci ſunt præſtantis juſtitiæ homines, qui per omnia mundi ex iſto ſæculo commigrant.

7 Prob. 2. Pars: quia ex totius Eccleſiæ ſenſu, quem in Tractat. de peccatis aſſeruimus part. 1. cap. 5. art. 3. pœna reprobis conſtituta, durabit in æternum. Unde Auguſtinus, lib. 21. de civit. Dei, cap. 17. *Origenes*, inquit, *hac in re miſericordior profecto fuit, qui & ipſum diabolum atque Angelos ejus poſt graviora pro meritis atque diuturniora ſupplicia, ex illis cruciatibus eruendos, atque ſanctis Angelis ſociandos credidit: ſed illum propter hoc .·.· reprobavit Eccleſia.* Hinc commune illud effatum, *In inferno nulla eſt redemptio.* Hinc rurſus pro reprobis nec orari, nec ſacrificium propitiationis offerri poteſt.

8 Prob. 3. Pars ex duabus præcedentibus. Si enim Purgatorium neque omnino juſtis, neque omnino iniquis conſtitutum eſt; oportet ut iis conſtitutum ſit qui licet a gravibus peccatis mundi, aliquid leviores ob culpas divinæ juſtitiæ debent, quique auro ac lapidibus pretioſis *lignum*, *fœnum* ac *ſtipulam* ſuperædificaverunt: atque, ut ſupra cap. 2. num. 45. ajebat S. Baſilius, nonnulla ex ſuis cum hoſte *certaminibus vulnera, aut aliquas maculas, aut peccati veſtigia* retinuerunt.

9 Objic. Contra 1. part. non pauci e Patribus idem cum Origene de juſtorum omnium Purgatorio ſenſerunt. Sic Ambroſius in Pſalm. 36. *Igne ergo*, inquit, *purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel.* Et in Pſalm. 118. Serm. 20. numer. 12. (Tom. 1. pag. 1225.) *Omnes oportet tranſire per flammas, ſive ille Joannes ſit, ſive Petrus.* Et infra ne quem a lege generali excipiat: *Unus ignem illum ſentire non potuit, qui eſt juſtitia Dei, Chriſtus.*

10 Concinit S. Hilarius in Pſalm. 118. Litt. 3. numer. 12. (pag. 261. edit. novæ) ubi ſic: *An cum ex omni otioſo verbo rationem ſimus præſtituri, diem judicii concupiſcemus, in quo nobis eſt ille indefeſſus ignis ſubeundus, in quo ſubeunda ſunt gravia illa expiandæ a peccatis animæ ſupplicia? .·.· Si in judicii ſeveritatem capax illa Dei Virgo* (Maria) *ventura eſt, deſiderare quis audebit a Deo judicari.* Ubi ſubinſinuat ne ipſam quidem Deiparam ab illo igne liberam fore.

11 Concinit id Lactantii, lib. 7. Inſtit. cap. 21. (Tom. 1. edit. nov. pagina 574.) *Sed & juſtos cum judicaverit, etiam in igne* eos examinabit.

12 Eadem eſt ſententia tum D. Hieronymi in cap. 7. Amos ad hæc verba: *Ecce vocabit ignem ad judicium*; tum Ruperti, lib. 3. in Geneſ. cap. 37. ubi, quod & fecit Ambroſius in Pſalm. 118. docet, flammeum illum gladium, quem Deus Geneſ. 3. verſ. 24. ante Paradiſum collo-

collocavit in manu Cherubim, eſse ignem Purgatorium, per quem neceſſario tranſit quicumque Paradiſum ingreditur. Ergo.

Reſp. Neg. ant. nam docent equidem nonnulli ex objectis Patribus, 13
futurum ut omnes per ignem tranſeant; ſed non docent ignem hunc ab omnibus ſentiendum eſſe; perſuaſi videlicet eum non eſſe ab iis ſentiendum, in quibus peccati reliquias omnes ante mortem decoxerit charitas. Atque id patet de Lactantio, qui poſt objecta verba ſic proſequitur: *Tum quorum peccata vel pondere, vel numero prævaluerint, perſtringentur igni, atque amburentur: Quos autem plena juſtitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient. Habent enim in ſe aliquid Dei, quod vim flammæ reſpuat ac repellat.* Docet id egregie S. Paulinus Nolanus Epiſtola 28. alias 9. ad Severum his verbis: *Si iis operibus cives Sanctorum fieri mereamur, non ardebit opus noſtrum; & ignis ille ſapiens tranſeuntes nos per examen ſuum non ſevero ardore ambiet puniendos: ſed ut commendatos ſuſcipiens, blando lambet attactu, ut poſſimus dicere: Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.*

Jam vero ad hunc ſenſum, qui quarto ſæculo non infrequens erat, 14
flecti poſsunt Ambroſius & Hilarius. Siquidem Ambroſius ab hujus ignis ſenſu eximit, numer. 12. S. Joannem per hæc verba: *Sed Johanni cito verſabitur igneus gladius, quia non invenitur in eo iniquitas, quem dilexit æquitas:* & *ſi quid in eo vitii humani fuit, charitas divina decoxit*, & numer. 13. S. Petrum; cui, quoniam *toties mortem ſuam obtulit pro Chriſto, dicetur, Tranſi, recumbe*. Imo generatim pronuntiar, quod *qui habuerit charitatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit*. Quapropter quod ſubdit numer. 14. unum eſse Chriſtum, qui *ignem illum ſentire non potuerit*, non ita intelligendum eſt, quaſi omnes prorſus igne illo purgandi ſint: (id enim Eccleſiæ fidei quoad B. Virginem, & infantes ſtatim a Baptiſmate raptos adverſaretur) ſed eo ſenſu quod Chriſtus ſolus pleno divinæ ſuæ ſanctitatis jure non tantum ab igne purgante, ſed & a probatorio, id eſt ab igne judicii divini fuerit immunis. Huic enim ceteri omnes præter Chriſtum obnoxii erant, ſecundum id Pauli 1. Corinth. 3. *Uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit.*

Idem eſt ſenſus Hilarii, cum numer. 13. ſupponat, poſse aliquem 15
in tanta innocentia manere, *ut tuto jam & ſine metu, judicii terrorem deſideret*. Quanquam non tam eo loci de purgatorio igne loquitur S. Doctor, quam de judicii igne, cui cum Apoſtolo omnes homines merito ſubjicit. Neque vero ſi de purgante igne loqui ſupponatur, quidquam hinc B. Virginis integritati deperibit. Ut enim hic advertunt Hilarii Editores, dicit is quidem Mariam per ignem tranſituram, ſed paſsuram non dicit.

Hieronymus de eodem judicii divini igne explicandus eſt. Ruper- 16
tus vero de igne purgatorio, ſed per quem juſti quidam inſignes illæſo pede tranſituri ſint.

Quin & eo ſenſu explicari facile poſſit adductus numer. 1. Orige- 17
nis locus. Verum benignam non capiunt interpretationem hæc ejus verba, Homil. 14. in Lucam: *Ego puto quia & poſt reſurrectionem ex*

mortuis

Digitized by Google

mortuis indigeamus Sacramento eluente nos atque purgante. Nemo enim abſque ſordibus reſurgere poterit; nec ullam poſſe animam reperiri, quæ univerſis ſtatim vitiis careat.

ARTICULUS SECUNDUS.

An animæ purgantes mereri poſſint vel demereri.

18 LUtherus quamdiu Purgatorium admiſit, admiſit etiam animas purgantes mereri poſſe & demereri. Sic enim loquitur Art. 32. ex iis quos ann. 1520. reprobavit, Leo. X. (Tom. 14. Concil. pag. 394.) *Animæ in purgatorio non ſunt certæ de earum ſalute, ſaltem omnes: nec probatum eſt ullis aut rationibus aut Scripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.* Et art. 33. *Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiu quærunt requiem & horrent pœnas.* Aliter ſentiunt Catholici omnes, quibuſcum ſit.

CONCLUSIO. Purgantes animæ nec merentur, nec demerentur.

19 Prob. 1. Ex veteri Scriptura. Eccle. 9. verſ. 5. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Ibid. v. 10. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia* boni practica *erunt apud inferos, quo tu properas.* Ergo, ait in hunc locum Hieronymus, *Donec vivunt homines, poſſunt fieri juſti; poſt mortem vero nulla datur boni operis occaſio.* Et infra: *Nec juſte quippe poſſunt agere, nec peccare: nec virtutes abjicere, nec vitia.*

20 Hinc rurſus idem Eccleſiaſtes cap. 11. verſ. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Et Eccli. 18. verſ. 22. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari.* Seu, ut habetur ibid. capit. 14. *Ante obitum tuum operare juſtitiam, quia non eſt apud inferos invenire cibum.* Jam vero qui poſt mortem nihil ultra mercedis habent; qui in inferis, nec opere ullo, nec ſapientia ſua coram Deo juvari poſſunt; qui quo in loco ceciderunt, in eodem manent, proinde nec ſuperius aſſurgunt, nec cadunt inferius; qui demum ſatagere debent ut juſtificentur uſque ad mortem, quia poſt mortem nihil invenitur unde anima nutriri poſſit; ii profecto ut demeriti, ſic & meriti prorſus ſunt incapaces. Ergo.

21 Confirm. ex Sapientiæ 4. verſ. 11. ubi ſic: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Atqui ſi in Purgatorio peccari poſſet, perperam raperetur vel ipſe juſtus, (qui gratis ab omni prorſus culpa immunis fingeretur, cum *juſtus ſepties peccet* in die) ne malitia mutaret intellectum ejus.

22 Prob. 2. Ex recentiori Teſtamento. Joan. 9. *Venit nox, in qua nemo poteſt operari.* Atqui Origenes, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, & alii ſummo conſenſu noctem hanc interpretantur de tempore vitæ alterius, in qua nemo quidpiam operibus ſuis in ordine ad ſalutem mereri poteſt.

23 II. Corinth. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, ſicut geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Atqui per *propria corporis* ea tantum intelligi poſſunt, *quæ* quis *geſſit* eo tem-

eo tempore quo in corpore fuit. Certe enim *multa ſolo animo, non per corpus, nec per ullum corporis membrum geruntur*, quæ ante tribunal Chriſti referenda ſunt, *ſicuti eſt, ut alia taceam, quod dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*. Ita Auguſtinus, Lib. de Prædeſtinatione SS. Cap. 12. numer. 24.

Galat. 6. verſ. 3. & 9. *Quæ ſeminaverit homo hæc & metet* .·.·. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum*. Atqui, ut cum in locum obſervat Hieronymus, ſerere eſt bene operari. Id autem non poteſt homo, niſi dum tempus habet, utique vitæ præſentis. Hinc Apocalypſ. 10. verſ. 5. & 6. *Angelus* ſtans *ſuper mare & terram, juravit per viventem in ſæcula* .·.·. *quia tempus non erit amplius*, ſcilicet meritorie agendi: Erit enim tempus electis laudandi Deum, reprobis vero eidem in æternum maledicendi. 24

Prob. 3. Ex Patribus, quorum inſtar ſit qui Eccleſiæ totius doctrinam exhibet S. Auguſtinus. Sic ille eod. Lib. de prædeſt. SS. Cap. 14. numer. 28. *His atque hujuſmodi doctor ille*, Cyprianus, *ſententiis in Catholicæ Fidei luce clariſſima, ſatis aperteque teſtatur, uſque ad hujus corporis depoſitionem peccandi pericula tentationeſque metuendas; deinde nulla talia quemquam eſſe paſſurum*. *Quod etſi non teſtaretur, quando de hac re Chriſtianus qualiſcumque dubitaret?* Ergo juxta Auguſtinum Lutherus nequidem eſt Chriſtianus qualiſcumque, ut qui neget id de quo Chriſtianus nemo dubitare auſit. 25

Idem eſt ceterorum Patrum ſenſus. Sic Chryſoſtomus Homil. 37. in Matth. *Præſens hæc vita*, inquit, *tam recte, quam contra, tibi vivendi tribuit poteſtatem: poſtquam vero diem tuum obieris, judicium & pœna conſequetur*. Sic Hieronymus in capit. 9. Eccle. *Mortui nec juſte poſſunt agere, nec peccare*. Sic Damaſcenus, Lib. 2. de orthodoxa fide, cap. 4. *Quod eſt Angelis caſus, id eſt hominibus mors*. 26

Objic. 1. Animæ quæ imperfectæ ſunt in charitate, proficere debent & mereri, ut in charitate perficiantur. Atqui animę purgantes imperfectę ſunt in charitate. Minor conſtat, 1. quia ſi animę illę eſſent perfectę, non punirentur. Quorſum enim puniantur ſpiritus perfecti? Et vero ſi perfecti ſint, utique per charitatem. Atqui *charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Petr. 2. 2. Quia eędem animę pœnas timent: Non timerent porro, ſi eſſent perfectę, quia *perfecta charitas foras mittit timorem*. 3. Quia nihil perfectum eſſe poteſt extra Deum, juxta id 1. Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*. Prob. itaque Major, tum quia impoſſibile eſt ut in eodem gradu ſtet, qui adhuc eſt in via; cum oporteat progredi vel regredi, ut ait S. Bernardus. Eę porro animę ſunt adhuc in via, quia nondum ad terminum pervenerunt: Tum quia *virtus in infirmitate perficitur*, 2. Corinth. 2. & aurum lucidius fit in fornace. Tum quia charitas major erit in Cœlo. Ergo augebitur. Porro nonniſi per merita augeri poteſt. 27

Reſp. 1. Ut ſępe, in his quę a Dei voluntate per Scripturam, & conſtantem Eccleſię ſenſum, manifeſtata dependent, perperam ad futiles argutias, quarum alię aliis contradicunt, recurri. Tale au- 28

tem eſt quidquid in hac materia obtrudit Lutherus: qui enim in primo iſto argumento vult animas mereri, eaſdem in ſecundo conſtanter demereri contendet.

29 Reſp. 2. diſt. maj. Animæ imperfectæ debent proficere & mereri, quandiu nondum advenit nox, in qua nemo jam operari poteſt, C. Secus, N. Porro animæ purgantes noctem illam, quæ noſtrum unicuique poſt obitum contingit, attigere. Unde licet quadantenus in via ſupereſſe dici poſſint, ſunt tamen in termino quantum ad meritum & augmentum gratiæ.

30 Reſp. 3. in tota hac Lutheri argumentatione nihil eſſe ſolidi. Unde major & minor, atque hujus & illius probationes vitio ſcatent multiplici. Quod ut paucis innoteſcat.

31 Ad 1. dico, purgantes animas, licet eo ſenſu in charitate imperfectæ dici poſſint, quod pauciores charitatis gradus habeant, quam aliæ quædam quæ in eodem Purgatorio, aut etiam in terris ſuperſunt; aut ipſæmet aliquando habituræ ſint in Cœlis; reipſa tamen eſſe in charitate perfectas hoc ſenſu, 1. quod ſubſtantiam habent charitatis: qui enim ſubſtantiam charitatis habet, *in hoc charitas Dei perfecta eſt*, 1. Joan. 2. 2. Quod Deum ex totis ſuis viribus diligunt. Equidem hæc eorum charitas adaugebitur in gloria: ſed augmentum illud non erit novi meriti merces, ſed merces omnium quæ per vitam comparaverunt meritorum, quæque ut fructus a viſione beatifica dimanans, non ſecus ac eadem viſio differtur. Unde, ait Bellarminus, Libr. 2. cap. 3. *dupliciter augetur charitas: uno modo in genere gratiæ, ut fiat homo aptior ad magis merendum, & hoc augmentum non datur poſt hanc vitam: altero modo in genere gloriæ, ut remunerentur omnia merita præterita, & hoc fiet in ipſa beatitudine. Pars enim præmii erit, ut Auguſtinus dicit Lib. de corrept. & gr. cap.* 10. *tanta copia charitatis, ut nunquam excidere poſſit a beatitudine & juſtitia; qui ea copia charitatis præditus erit.*

32 Vult quidem Lutherus ut ſpiritus perfecti puniri non poſſint, quia, inquit, charitas, ex D. Petro, operit multitudinem peccatorum. Sed male prorſus; perfecta enim fuit anima Davidis, poſtquam intenſa charitate peccatum ſuum a ſe transferri promeruit. Atqui tamen ex tunc graviſſime punitus eſt. Ergo licet charitas operiat multitudinem peccatorum quoad culpam, non tamen eodem operit modo quoad pœnam: namque culpam actu ſuo proprio delet; pœnam autem per opera ſatisfactoria, quæ imperat. Et licet quandoque ad ſatisfactionem hanc ſufficere poſſit dolor animi intenſiſſimus, & ab intenſiſſima charitate procedens, fieri tamen poteſt ut nec dolor, nec charitas quæ doloris principium eſt, ad plenam hanc ſatisfactionem ſufficiant.

33 At, inquies, qui divinæ juſtitiæ aliquid debet, puta decem jejunii dies, plenam habet Deo ſatisfaciendi voluntatem, ſi plene Deum diligit. Atqui Deus voluntatem acceptat, ubi non invenit facultatem. Ergo vel huic condonatur debitum, vel ſi non condonatur, non erit in charitate perfectus.

34 Reſp. eum qui quidpiam debet juſtitiæ divinæ, habere voluntatem ſatisfaciendi ſecundum leges a Deo conſtitutas. Eſt autem ea Dei lex,

lex, ut qui in præſenti vita non ſatisfecit, in altera ſatisfaciat, vel ſatiſpatiatur. Et vero quot ſatisfaciendi deſideria, licet a charitatis habitu procedant, in actum tam tepide & remiſſe tranſeunt, ut nova ſatisfactione dilui utcumque mereantur. Nihil ergo mirum, ſi deſideria hæc ad integram ſatisfactionem non acceptentur a Deo. Mirum potius, & multæ miſericordiæ tribuendum, quod non omnino repellantur.

35 Ad 2. dico, non ideo poſſe cenſeri aliquem imperfectum, quia pœnam timet; cum Chriſtus ex mortis timore ſanguinem ſudaverit, Luc. 22. Unde id Joannis: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, non intelligitur de timore pœnæ ſimpliciter: cum juſtiores quique, etſi ſecundum naturam pœnas timent, nihil ſecundum ſpiritum timeant magis quam quod ab omni pœna & cruce immunes ſint, ſecundum id B. Thereſiæ, *Aut pati, aut mori;* ſed de timore ſervili, ſeu de timore culpæ propter pœnam magis quam propter Deum.

36 Dico 2. animas purgantes non proprie timere pœnam (timor enim eſt futuri mali, non præſentis) ſed pati. Etſi vero eædem animæ refugiant pœnas, quatenus contrariæ ſunt naturæ: at eas tamen quodam modo amant, prout a divina juſtitia infliguntur: hanc enim amant, eique medullitus obſequuntur. Unde nihil eſt dubii, quin afflictæ licet, in omni tribulatione ſua, gaudio cœleſti ſuperabundent.

37 Ad 3. fateor animas illas nonnihil habere imperfecti, ſi præſens earum ſtatus cum futuro ipſarum gloriæ ſtatu comparetur. At nihilominus ſimpliciter perfectæ dici poſſunt, tum ratione multæ qua flagrant charitatis; tum ob enixam pœnarum quibus cruciantur acceptationem. Sic Paulus & ſe imperfectum dicit, & perfectis ſe conſociat. *Non quod jam perfectus ſim*, inquit, Philipp. 3. Et infra: *Nos qui perfecti ſumus.*

Neque plus urgent congeſtæ a Luthero Majoris probationes.

38 Non 1. quia animæ purgantes ſunt in termino, non autem in via, quantum ad augmentum meriti. Sicut igitur tranſacto certaminis tempore, non poteſt aliquid curſu vel lucta obtineri, quamvis præmia nondum ſint diſtributa; ſic nec ſanctæ illæ animæ quid jam mereri poſſunt. Ita Leſſius in Opuſc. de Purgat cap. 3 dub. 1. pag. mihi 829.

39 Verbum Bernardi ad præſentem vitam ſpectat, non ad futuram, ubi lignum erit, quocumque in loco ceciderit. Imo hanc S. Doctoris ſententiam moraliter accipi vult Bellarminus, non mathematice.

40 Non 2 tum quia juxta Græcam phraſim quæ habet *virtus mea*, non hominis, ſed Dei virtus in infirmitate perficitur; quia eo plus emicat potentia Dei, quo vel debilioribus utitur inſtrumentis, vel ei plura obſiſtunt. Tum quia hominis virtus tandiu ſolum in infirmitate & tribulationibus perficitur, quamdiu ei datum eſt creſcere in gratia; quod ſolum eſt vitæ præſentis. Quanquam & in Purgatorio virtus eo ſenſu perficitur, quod ab ea aufertur rubigo peccatorum: qua ratione aurum perficitur in fornace, non quia ei quidquam additur, ſed quia a vilibus, quæ ipſum inficiebant, ſeparatur.

41 Non 3. nam equidem augebitur charitas in Cœlo, ſed non per nova quæ poſt hanc vitam comparentur merita: bene vero quia mé-

ritis per vitam comparatis rependetur viſio beatifica, ferax charitatis principium.

42 Objic. 2. Ex adverſo. Eæ animæ continuo peccant, quæ crucem ſuam non ferunt ſponte Atqui tales ſunt animæ de quibus loquimur. Si enim ſponte ferrent, jam crux iis non foret pœna; cum amanti pœnæ dulceſcant: neque pro iis orandum eſſet ut a pœnis liberarentur, cum eæ pœnas ſuas diligerent.

43 Reſp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. maj. neque enim vere amanti ſic dulceſcunt pœnæ, ut eas non ſentiat; ſed ſic ut licet amaras, libenter ferat propter amatum. Hinc illud Eleazari ſenis, II. Machab. 6. *Tu ſcis, Domine, quia cum a morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores: ſecundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior*. Hinc Auguſtinus, Libr. 10. Confeſs. capit. 24. de pœnis loquens: *Tolerare eas jubes, non amare; nemo autem quod tolerat, amat, quamvis tolerare amat*. Merito igitur orat Eccleſia ut defuncti a pœnis ſuis liberentur; tum quia cum iſtis incompoſſibilis eſt viſio Dei intuitiva, quod magnum tenere amantibus ſupplicium eſt; tum quia pœnæ eorum, tametſi lubenter acceptatæ, ſicut calix in paſſione oblatus Chriſto, pœnarum rationem habere non deſinunt. Nec dubium quin per eas, reproborum inſtar, in rabiem agerentur, niſi præſto eſſet ardens charitas, & pia divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi cupido.

44 Saltem, inquies, animæ illæ, dum a pœnis liberari exoptant, quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Dei. Unde Deum ſolo concupiſcentiæ amore diligunt. Atqui hæc a culpa non vacant.

45 Reſp. neg. maj. quæ enim cito liberari exoptant, ut magis & melius Deum laudare poſſint, non quærunt quæ ſua ſunt, ſed honorem Dei: unde & Deum amore amicitiæ diligunt, quia in Deum deſiderium omne ſuum refundunt. Atqui ſanctæ illæ animæ, &c. Adde quod ſumme licitum ſit quærere quæ ſua ſunt, quando hæc juxta ordinem a Deo conſtitutum inquiruntur. Sane licet in Purgatorio quod licite fit in præſenti vita.

46 Objic. 3. cum quibuſdam Catholicis: Animæ purgantes habent omnia ad merendum neceſſaria, gratiam ſcilicet, fidem, ſpem, charitatem & libertatem, ſaltem quoad exercitium. Sed quæ neceſſarias habent ad meritum conditiones, mereri poſſunt.

Confirm. 1. quia beati mereri poſſunt, ut patet de Chriſto, qui ſemper fuit beatus, & tamen merebatur.

47 Confirm. 2. quia dives in inferno pro ſe ſuiſque exoravit, Luc. 16. Ergo & purgantes animæ etiam orare poſſunt. Atqui hæc earum oratio, ut ex charitate procedens, dubio procul exaudiri meretur.

48 Confirm. 3. ex D. Thoma, qui in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 3. (tom. 10. pagina 387.) *Dicendum*, inquit, *quod poſt hanc vitam non poteſt eſſe meritum reſpectu præmii eſſentialis: ſed reſpectu alicujus accidentalis poteſt eſſe quamdiu manet homo in ſtatu viæ aliquo modo: & ideo in Purgatorio poteſt eſſe meritum quantum ad remiſſionem culpæ venialis*. Et vero licet Purgatorii pœnæ non ſint voluntariæ abſolute, (*ſic* enim *nulla pœna eſt voluntaria, quia ex hoc eſt ratio pœnæ, quod* volun-

voluntati contrarietur,) *poteſt tamen eſſe voluntaria conditionalis, ſicut uſtio eſt neceſſaria propter ſanitatem conſequendam . · . · · & ſic pœna Purgatorii eſt voluntaria . · . · . Quidam autem dicunt quod non eſt aliquo modo voluntaria , quia ita ſunt abſorpti pœnis , quod neſciunt ſe per pœnam purgari , ſed putant ſe eſſe damnatos : ſed hoc eſt falſum , quia niſi ſcirent ſe liberandos , ſuffragia non peterent ; quod frequenter faciunt .* Ita idem ibid. artic. 1.

49 Reſp. ad 1. neg. maj. his enim animabus deeſt ſtatus viæ. Atqui ex probatis Deus ea ſolum ad meritum vel demeritum acceptat opera quæ fiunt in via. Ergo eædem animæ carent aliquo ad meritum vel demeritum eſſentiali.

50 Ad 1. confirm. neg. ant. Beati impetrare quidem multa poſſunt, ſed non mereri. Nec obeſt exemplum Chriſti, qui cum ſimul in terris & Viator foret & Comprehenſor, qua parte viator erat, mereri potuit. *Unde poſt mortem ſuam, quia viator eſſe deſiit, nihil meruit amplius.* Bellarmin. ibid. pag. mihi 639.

51 Ad 2. confirm. Poſſunt quidem animæ purgantes ſeu pro ſe, ut nonnulli volunt, ſeu pro nobis aliquid ex præteritis meritis impetrare, juxta probabilem multorum ſententiam, quam Tomo hujus Operis 1. amplexi ſumus, pag. nunc 599. At nihil vere & proprie merentur: quomodo nunc Sancti orando pro nobis impetrant, licet non mereantur.

52 Ad 3. confirm. Reſpondet ibidem Bellarminus, *S. Thomam mutaſſe ſententiam: nam quæſt. 7. de Malo, artic. 11. diſerte docet in Purgatorio nullum poſſe eſſe meritum, nec eſſentialis, nec accidentalis præmii; quod idem docent Bonaventura, Scotus, Durandus, & alii. Forte D. Thomas in 4. nomine meriti non proprie uti voluit, ſed improprie. Vocavit enim actum dilectionis in Purgatorio meritorium remiſſionis culpæ venialis, quia eſt remiſſorius, licet non per modum meriti proprie dicti, ſed per modum contrarii tollentis ſuum contrarium.*

53 Circa quæ notandum S. Thomam, tit. 4. artic. 11. de malo, hanc ſibi objectionem proponere numer. 6. *Præterea ejuſdem rationis eſſe videtur, quod aliquis mereatur præmium eſſentiale vel accidentale, & quod ei remittatur peccatum. Quia eadem ratione qua aliquis accedit ad unum oppoſitum, recedit ab altero. Sed homo poſt mortem non poteſt mereri neque præmium eſſentiale, neque accidentale. Ergo pari ratione non poteſt percipere remiſſionem peccati, neque venialis, neque mortalis.* Hanc porro objectionem brevibus his verbis ſolvit S. Doctor: *Ad 6. dicendum quod meritum gloriæ eſſentialis vel accidentalis pertinet per ſe ad profectum ſpiritualem, qui eſt per augmentum ſpiritualis boni: unde non eſt ſimilis ratio.* Ubi manifeſte concedit Antecedens, tantumque negat conſequentiam. Vere prohinc dictum eſt a Bellarmino eum ſententiam mutaſſe.

54 Non deſunt tamen e noſtris, qui licet contra Lutherum doceant, animas purgantes nulla ſibi nova merita comparare; docent ſimul eas per preces quas fundunt, per frequentes charitatis & patientiæ actus, tria hæc mereri; 1. peccatorum venialium quoad culpam & pœnam remiſſionem; mortalium vero quoad pœnam; 2. progreſſum

ad beatitudinem, quam bonis ſuis in hac vita operibus promeruerant; 3. beneficia, quæ pro viventibus a Deo expoſtulant. Ita citatus Auctor Tractatus Gallici de Purgatorio, cap. 3. art. 8.

55 Aliter nodum hunc ſolvit Sylvius in Suppl. quæſt. 71. art. 2. pag. 275. ubi ſic: *Ad 8. mortui orationibus quas pro ſe fundunt, non juvantur per viam meriti vel ſatisfactionis, quia ſunt extra ſtatum non ſolum meriti, ſed etiam ſatisfactionis ejus quæ fit pro pœna, & quæ redemptionem ſeu compenſationem pœnæ dicit .˙.˙. Ceterum videntur loqui probabilius, qui affirmant quod Fideles defuncti ſe ipſos, orando, juvent per modum impetrationis. Nam in Officio defunctorum introducuntur orantes pro ſua liberatione; eſtque pietati valde conſentaneum, quod omnis anima fidelis in ſua tribulatione clamet ad Deum: quem clamorem utiliter fieri non eſt cur dubitemus.* Hæc ille, quæ quatenus meritum arcent a Purgatorio, & impetrationem admittunt, tenenda videntur.

ARTICULUS TERTIUS.

An purgantes animæ certæ ſint de ſalute ſua.

56 NEgavit Lutherus, ut conſtat ex citato ſupra ejus art. 32. Negarunt & Catholici quidam: Alii quia inter Purgatorii pœnas hanc omnium maximam, non omnibus equidem, ſed nonnullis animabus conſtitutam eſſe credant, ut æternam ſuam ſortem penitus ignorent: atque ita Bellarmino ſentire videtur Dionyſius Carthuſianus, ob quaſdam viſiones quas ipſe refert, Lib. de quatuor noviſſimis, artic. 47. Alii quia exiſtimant levia peccata nonniſi ex miſericordia Dei habere, quod veniam obtineant; unde cum in æternum ex natura rei plecti poſſint, neſciunt animæ an reipſa Deus eas ſic in ſe ipſis plectere intendat. Ita Gerſo, Lect. 1. de vita ſpirituali; & poſtmodum Michael Bajus, Lib. 2. de meritis Operum, cap. 8. quas opiniones jam reprobavimus in Tract. de peccatis, part. 2. cap. 2. ſit

Conclusio. Animæ purgantes de ſalute ſua omnino certæ ſunt.

57 Prob. 1. quia contraria Lutheri opinio a Leone X. & per ipſum ab Eccleſia reprobata eſt. Hujus vero fundamentum, vel non convincit, prout a Dionyſio Carthuſienſi refertur; vel errorem Novatorum ſapit, quale exhibetur a Gerſonio; atque in Bajo a Pio V. & Gregorio XIII. proſcriptum eſt.

58 Prob. 2. quia, ut ſolide Bellarminus, Lib. 2. cap. 4. ſi animæ de ſalute ſua certæ non ſint, vel quia adhuc poſſunt demereri; vel quia nondum judicatæ ſunt; vel quia, licet judicatæ, ignorant ſententiam Judicis; vel quia dolorum æſtu ita abſorbentur, ut certitudinem hanc perſpicere non poſſint. Atqui nullum ex his dici poteſt. Non I. ut liquet ex Cap. præced. Non II. docet enim totius Eccleſiæ fides particulare judicium ſtatim poſt mortem fieri. Et id quidem evincitur, tum ex eo Eccli. 11. 28. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas.* Et verſ. 29. *In fine hominis denudatio operum illius;* tum quia toti Eccleſiæ perſuaſum eſt impios ſtatim ab interitu ad æterna ſupplicia rapi, ut de Epulone conſtat ex Luc. 16. juſtos

juſtos vero ad æterna gaudia extolli, ut Luc. 23. manifeſtum eſt de Latrone converſo. Porro concipi nequit coronas aut ſupplicia ante diſtribui, quam fiat judicium. Non III. 1. quia non fertur a Judice ſententia, niſi ut hæc innoteſcat judicando; 2. quia ſententia hæc ſaltem ab effectu innoteſceret. Statim enim videbit anima num infernis devoveatur, num cœleſtem gloriam perſentiat, num addicatur Purgatorio. Non IV. tum quia dives epulo, licet ad rabiem uſque cruciaretur, quod in ſanctas animas non cadit, ſciebat tamen quæ ad ſtatum ſuum ſuoſque fratres ſpectabant; tum quia quod homines in hac vita ex doloris acerbitate male judicent, non tam dolori ipſi, quam organorum læſioni tribuendum eſt: in Purgatorio autem mens ab hiſce organis expedita eſt, plenaque fruitur incorruptibilitate; tum quia deſperatio quam purgandis animabus tribus Lutherus, deſperatæ mentis commentum eſt. Etſi enim harum nonnullæ mirum quantum patiuntur; at plena cum pace patiuntur. Unde eas exhibent Liturgiæ ut dormientes *in ſomno pacis*. Quæ autem dormiunt in ſomno pacis, immenſam doloribus ſuis lætitiæ ſegetem conjungunt, tum ex charitate, qua refertæ ſunt, tum ex ſalutis certitudine exortam.

Confirm. Qui certo vident ſe non eſse ex numero reproborum, de ſalute ſua dubitare non poſsunt. Atqui animæ illæ . . . Vident enim ſe nec Deum odiſse, nec blaſphemare ſanctum nomen ejus, nec gravium, quæ non diluerint, peccatorum incuſari. Ergo. 59

Objic. 1. Eccleſia dum pro defunctis orat, hæc eis applicat verba, Pſalm. 6. *Anima mea turbata eſt valde . . . Conturbata ſunt oſſa mea*. Hæc item Pſalm. 114. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me*. Atqui tanta hæc anxietas atque conturbatio, ex defectu charitatis & ſalutis incertitudine neceſsario oritur, non autem ex pœnis ſolis; cum pœnæ ſolæ juſtos non conturbent, ſecundum id Proverb. 12. *Non contriſtabit juſtum quidquid acciderit ei*. 60

Reſp. 1. neg. maj. eſt enim ineptiſſimum ſingula Pſalmi integri verba defunctis applicare, eo quia Pſalmus ille in eorum Officio recitetur. Neque enim dubio procul de iis intelligentur hæc ejuſdem Pſalmi 6. verba: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*. Quapropter Eccleſia ob unam vel alteram ſententiam, quæ ad rem præſentem facit, totum aliquem Scripturæ locum legere ſolet, etiamſi major ejus pars ad rem præſentem non faciat. Sic in dedicatione Eccleſiæ legitur Evangelium de Zachæo, quia poſtrema ipſius verba: *Hodie ſalus huic domui facta eſt*, conſecrationi Eccleſiæ quadantenus conveniunt. Sic in Aſsumptione B. Virginis legitur Evangelium de Martha & Magdalene, ob hæc quæ in Deiparam quadrant verba: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Sic demum legitur in Officio defunctorum Pſalmus 6. propter verba iſthæc: *Miſerere mei, quoniam infirmus ſum*: & Pſalmus 14. ob iſta: *Placebo Domino in Regione vivorum*. 61

Reſp. 2. neg. min. poteſt enim conturbatio & triſtitia ingens cum ſalutis certitudine & charitate plurima compati. Quandoquidem Chriſtus de ſe ait, Joann. 12. *Nunc anima mea turbata eſt*. Et Luc. 26. 62

38. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Objecti vero Proverbiorum loci ſenſus eſt, juſtum ob graviores quoſque caſus non deprimi ea triſtitia, quæ in murmura erumpendo, mortem operatur, quamque Apoſtolus, 2. Corinth. 7. vocat triſtitiam hujus ſæculi. Ita & totidem ferme verbis Bellarminus, ibid. cap. 5.

63 Objic. 2. Si animæ purgantes de ſalute ſua certæ forent, non oraret Eccleſia, ut liberentur *de pœnis inferni, & de profundo lacu*. Atqui tamen id poſt lectum Evangelium orat in Miſſa pro defunctis.

64 Reſp. neg. maj. vel enim per pœnas inferni purgatorios ignes intelligit Eccleſia, vel ſi tartareos cruciatus intelligit, preces ſuas ad illud inſtans refert, quo animæ migrant a corpore ſuo; prout ſatis expoſuimus part. 2. de Euchariſtia, cap. 8. pag. *609*. Adi & Bellarminum ibid. pag. *643*.

65 Objic. 3. Supponit noſtra hæc aſſertio, animas mox a morte judicari. Atqui id gratis ſupponitur; 1. quia dici non poteſt ubi, a quo, & qua ratione judicentur. 2. Quia ex variis Hiſtoriæ monumentis conſtat, quoſdam diu poſt mortem judicatos fuiſſe; quod tum de iis certum eſt, qui ad tempus reſuſcitandi erant; tum de eo Pariſienſi Doctore, qui dum ejus exequiæ fierent præſente S. Brunone, ad hæc verba: *Reſponde mihi quantas habeo iniquitates*, ſublato extra feretrum capite, prima die exclamavit: *Juſto Dei judicio accuſatus ſum;* ſecunda: *Juſto Dei judicio judicatus ſum;* tertia demum: *Juſto Dei judicio damnatus ſum*. Imo judicium hoc aliquando ante mortem peractum eſse docet S. Gregorius Mag. Lib. 4. Dialog. capit. 38. ubi Chryſarium illum, qui *inducias vel uſque mane* ſupplex efflagitabat, damnationis ſuæ ſententiam audivisſe ſcribit. Idem confirmant, tum S. Joannes Climacus, in Scala ſua, gradu 7. ubi recenſet factum Solitarii, cui, licet adhuc viventi, ſua minutim peccata omnia exprobrabantur; tum venerabilis Beda, qui Libr. 5. Hiſtoriæ, cap. 14. & 15. narrat duos obiiſse deſperantes, quia ſententiæ adverſum ſe jam latæ conſcii erant.

Reſp. ad 1. neg. min. Nec nocent quæ objiciuntur.

66 Non 1. 1. Quia de ſubſtantia particularis judicii abunde conſtat, licet de circumſtantiis ejus non eodem modo conſtet; 2. quia dici, nec improbabiliter poteſt.

67 Ad 1. animas a Deo ubique per immenſitatem ſuam præſente, in eo judicari loco, ubi a corpore ſolvuntur. Neque enim, ait hic Leſſius, cap. 3. num. 29. credibile eſt eas in cœlos coram Chriſto deduci, inde ſæpius ad ſupplicia detrudendas.

68 Ad 2. quod licet non ſit omnino certum animas a Chriſto poſt mortem judicari: cum loca Scripturæ in quibus dicitur *Judex vivorum & mortuorum*, de generali judicio facile intelligi poſſint, veri tamen ſimillimum ſit, judicium particulare, non jam a Deo, ut ante paſſionem, ſed a Chriſto exerceri; tum quia *data eſt* ipſi *omnis poteſtas in cœlo & in terra*, proinde, quæ non omnium infima eſt, poteſtas judiciaria; tum quia jam e Cruce magna poteſtatis hujus ſpecimina exhibuit, cum latroni uni gloriam ſpopondit, alterum vero indurari paſſus eſt; tum quia Patrum animas e captivitate abduxit.

Ad 2.

Digitized by Google

Ad 3. Nihil dubii eſt quin judicium illud fiat in ictu oculi, cum ad illud ſufficiat ardens divini luminis radius, quo & animæ ſua quæque facta, & ſupremi Judicis ſententia, ſimul & ſemel innoteſcant. 69

An vero animæ Chriſtum videant dum judicantur, incertum eſt. Probabile quod ſic, quia decet ut Judicem ſuum vel ad terrorem, vel ad ſolatium conſpiciant. Et ita cenſet Innocentius III. Lib. 2. de contemptu mundi, cap. 43. Lata porro ſententia, animam, ſi ab omni labe munda ſit, ſtatim ad Cœlos ab Angelis tranſvehi; colligitur ex Luc. 16. ubi Lazari anima ab iiſdem Spiritibus *in ſinum Abrahæ* portari dicitur. Eadem vero, ſi gravi cuipiam culpæ obnoxia ſit, a dęmonibus trahitur in tartara. Si autem necdum prorſus purgata ſit, vel ſponte concedit in locum ſupplicii, quia hanc Dei voluntatem eſſe intelligit; vel eo, quod multam veri ſpeciem habet, ab Angelis, ſaltem a Cuſtode ſuo, dolorem ipſius leniente, deducitur. Ita docent multæ apud Bedam viſiones, quarum examen ſit in manu Lectoris.

Non 2. quia quæ extra conſuetum Providentiæ ordinem fiunt, in argumentum trahi non debent. Nec certe mirum eſt, animas quæ paulo poſt vivis reddendæ erant, judicium ſuum non ſubiiſſe. 70

Quod ad famoſam S. Brunonis viſionem ſpectat, alii eam omnino negant, utpote Scriptoribus coætaneis prorſus ignotam: alii eandem habent pro indubia; nec deeſt inter ejus aſſertores non imperitus quiſpiam, qui grave ejus monumentum in antiquis ſibi detegere viſus ſit, quod & exhibuit mihi. Ut ut eſt, vel Doctor ille ſimul & ſemel accuſatus fuerat, judicatus & condemnatus; ſed tantum unam hanc ſententiam, Deo ſic permittente, per partes majorem ad terrorem renuntiavit; vel in judicio ejus a communi forma receſſum eſt. Et ita ſentit Bellarminus, ibid. cap. 4. 71

Quod attinet ad Chryſarium, & alios de quibus Beda, &c. dicendum eos non fuiſſe judicatos ante mortem, ut qui adhuc in via forent, atque in melius poſſent converti; ſed vel propter ſcelera ſua in deſperationem veniſſe, ita ut ſibi jam damnati viderentur; vel a dęmonibus peccatorum ſuorum graviter accuſatos fuiſſe; ut vel ipſo piorum exemplo conſtaret nobis quam horrendum ſit in manus Dei viventis incidere. Certe dęmonem morientibus adſtare, ut vel ipſos, ſi poſſit, ſanctos devoret, liquet ex vita B. Martini. 72

Obj. 3. Si animæ poſt mortem de ſalute ſua certæ ſint, maxime quia vident ſe Deum diligere. Atqui hæc ratio non convincit. Nam & nos quoque ſentimus Deum a nobis diligi; nec tamen de ſalute noſtra certi ſumus. 73

Reſp. animas poſt judicium de ſalute ſua certas fore, tametſi non aliter charitatem ſuam cognoſcerent, quam noſtram nos cognovimus. Vident enim ſe nec Deum blaſphemare, nec blaſphemantibus conſociari: quæ duo certa ſunt ſalutis & juſtitiæ argumenta. Sed id habent animæ illæ, quod corporis exutæ phantaſmatibus, bonos quibus a Deo ditatæ ſunt habitus pleniſſime cognoſcant; nec jam expedit ut in ea verſentur circa ſalutem ſuam anxietate, quæ nobis ad noſtram cum metu & tremore operandam neceſſaria eſt. 74

AR-

ARTICULUS QUARTUS.

De loco Purgatorii.

CUm de hac quæſtione nihil ſit ab Eccleſia definitum, nihil mirum eſt varias de ipſa opiniones circumferri.

75 Alii ergo ſenſerunt animas purgari in locis ubi deliquerunt ; quod etſi verum eſſe poteſt, non tamen verum eſſe probatur: præſertim cum plures pluribus in locis peccaverint, nec veriſimile ſit eas in his omnibus pati: & S. Severinus, qui in palatio Imperatoris peccaverat, in quodam flumine purgaretur, juxta Epiſtolam Petri Damiani de miraculis ſui temporis.

76 Alii exiſtimarunt animarum loca non eſſe corporalia: Ita Auguſtinus, Lib. 12. de Geneſi ad lit. Verum id retractavit, Lib. 2. Retract. cap. 24.

77 Alii purgatorium , quin & Infernum , nihil aliud eſſe crediderunt præter conſcientiam peccata redarguentem & punientem. Ita Origenes juxta Hieronymum in Epiſt. ad Avitum. Et male : alioqui enim non minus in vita, quam poſt mortem eſſemus in Purgatorium & Infernum.

78 Alii referente Chryſoſtomo Infernum, proinde Purgatorium, utpote vicina loca, conſtituerunt in valle Joſaphat . Forte quia Chriſtus infernum vocat Gehennam: Gehenna autem ſit vallis valli Joſaphat conjuncta, pars ut ejus eſſe videatur.

79 Alii rati ſunt pœnalem animarum locum non eſſe terram, ſed caliginoſum illum aerem in quo dæmones verſantur. Ita Gregorius Nyſſenus, ac Chryſoſtomus.

80 Communior Scholæ opinio Purgatorium , & Infernum eidem vicinum, in terræ viſceribus conſtituit. Nimirum Scholaſtici plerique quatuor intra terram ſinus , vel unum in quatuor partitum admittunt , pro reprobis unum ; alterum pro purgandis ; tertium pro infantibus ſine Baptiſmo mortuis ; quartum , qui nunc vacuus ſit , pro juſtis , qui ante Chriſti paſſionem moriebantur . Nempe , inquiunt , pœna omnis aut damni eſt tantum , aut ſenſus , rurſumque vel æterna , vel temporalis . Puerorum limbus eſt pro æterna damni tantum pœna . Limbus patrum pro eadem damni pœna, ſed temporali. Infernus pro æterna damni & ſenſus pœna . Purgatorium pro temporali pœna damni & ſenſus.

81 Quoniam vero hæc veluti fabulas aniles rident Calviniani , atque imprimis eorum Anteſignanus, Lib. 3. Inſt. cap. 16. §. 9. his pauliſper immorandum. Sit igitur

CONCLUSIO I. Locus damnatorum eſt inferior & ſubterraneus . Propoſitio eſt de fide, ait hic Leſſius Cap. 1. dub. 2.

82 Prob. 1. Quia hunc loci illius ſitum probat vel ipſum *inferorum* nomen , quo Hebraice , Græce & Latine utitur Scriptura . Neque enim vox *inferi* ſepulchrum ſignificat , ut inepte volunt Calviniani , ſed locum nobis longe inferiorem; quique ut locus imus cœlo tanquam ſummo opponitur . Hinc Job. 11. verſ. 8. *Excelſior Cælo eſt , & quid facies? profundior inferno & unde cognoſces?* Iſaiæ 14. verſ. eodem *Dixiſti :* *Aſcen-*

Digitized by Google

Aſcendam ſupra altitudinem nubium . . . *Ad infernum detraheris, in profundum Laci*. Pſalm. 138. v. 8. *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades.* Matth. 11. v. 23. *Et tu Capharnaum, numquid uſque in Cœlum exaltaberis? uſque ad infernum deſcendes.* Porro ridicula foret antitheſis Cœlum inter tot ſtadiorum millibus diſtans a terra, & ſepulchrum vix ab ea ulnis duabus diſtans; quandoque etiam ſupra terram poſitum, præſertim Chriſti tempore, quo mortuorum cadavera non humo, ſed cavernis ſupra ſoli ſuperficiem mandabantur: Nec grande quid Capharnaitis comminatus eſſet Chriſtus, ſi ſolum admonuiſſet, eos poſt mortem in ſepulchris repoſitum iri. Ergo.

Confirm. Luc. 16. dives epulo *in inferno ſepultus* eſſe dicitur, ibique *tormentis* cruciatus. Atqui non cruciabatur ſceleſtus ille tormentis in ſepulchro: niſi quis velit animas in ſepulchris eſſe cum corporibus. 83

Prob. 2. Quia damnatorum ſedes paſſim in Scriptura vocatur, *abyſſus, lacus, profundum laci, puteus, vorago, caminus ignis, ſtagnum ignis & ſulphuris*. Atqui nomina hæc non ſepulchrum, ſed aliquid in profundo terræ reconditum indicant. Et vero Lucæ 8. dęmones Chriſtum rogabant, ne eos mitteret in abyſſum. Atqui non rogabant ne eos in ſepulchra mitteret; neque enim ſepulchra dęmonibus parata ſunt. Ergo abyſſus non idem eſt ac ſepulchrum. Sed neque, ut fabulatur Brentius, eſt ſpirituale quid ubique diffuſum: alioqui enim non potuiſſent dęmones non mitti in abyſſum. 84

Prob. 3. Ex Patribus: Tertullianus Apolog. 47. infernum vocat *arcani ignis ſubterraneum theſaurum*. Arnobius, Lib. 2. contra Gentes, de Platone ſic ait: *Non eſt abſone ſuſpicatus, jaci eas animas in flumina torrentia, flammarum globis, & cœnoſis vorag nibus tetra*. Hieronymus in Cap. 14. Iſaiæ; *Dicimus quod infernus ſub terra ſit*. Concinunt Auguſtinus, Lib. Retractat. cap. 24. Gregorius Lib. 4. Dialog. cap. 42. Beda, Primaſius & alii, quorum auctoritatem ſua, quæ ſemper minor erit, auctoritate non frangent Calviniani. 85

Prob. 4. Ratione: quia ſicut locus juſtorum, qui mundi amorem & creaturarum vicerunt, eſt ſummus, nempe ſupremum Cœlum; ſic & locus impiorum qui creaturarum amorem Deo præpoſuerunt, debet eſse infimus, ſecundum id Proverb. 15. verſ. 24. *Semita vitæ ſurſum eſt ad erudiendum, ut declinet ab inferno inferiore*. Hinc ruit commentum Angli, non memini cujus, inferos non ita pridem in ſole conſtituentis. 86

CONCLUSIO II. Limbus Patrum antiquorum fuit etiam ſub terra. Et id, ait idem Leſſius, pariter tenendum eſt de fide.

Prob. 1. Vel Patrum animæ erant in limbo ſubterreſtri, vel, ut Calvino placet, in Cœlis, ubi ſolum carebant viſione beatifica. Atqui poſterius iſtud dici non poteſt; tum quia nullum habet fundamentum in Scriptura, quæ ſola eſt Calvinianorum regula; tum quia aſsertio hæc in tota Dei Eccleſia prorſus inaudita eſt; quod licet ad commendationem ejus Calvino ſufficere poſſit, ceteris ſufficiet ad ejus confutationem. 87

Prob. 2. Pius erat Jacob, pius & Joſeph. Atqui neuter poſt mortem aſcendit in Cœlum, ſed uterque in inferos deſcendit. Prob. min. 88

ex

ex Geneſ. 37. ubi Jacob ait: *Deſcendam ad filium meum in infernum*. Atqui eo loci nec per infernum intelligi poſſunt Cœli, ut per ſe liquet; nec ſepulchrum· Quandoquidem Jacob, qui filium ſuum a feris devoratum arbitrabatur, non ſperaret ſe eidem uniendum fore in ſepulchro, quo caruiſſe ipſum exiſtimabat.

Prob. 3. Ex Lib. 1. Reg. Cap. 28. ubi anima Samuelis apparens Sauli *de terra* aſcendere viſa eſt. Quia tamen non deſunt qui apparitionis hujus veritatem negent, de ea nobis in ſpeciali Diſſertatione agendum erit.

89 Prob. 4. Ex Apocalypſ. 5. v. 2. & 3. ubi poſtquam exclamavit Angelus *voce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus?* ſubditur quod *nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire Librum*. Hic ſane loquitur Joannes de juſtis: cum præter hos nemo *dignus* videri poſſit *aperire Librum*. Atqui ex juſtis illis, quidam erant *ſubtus terram*. Jam vero vel hi erant Limborum patres; quia licet illi jam Dei conſpectu fruerentur, cum Apocalypſim ſcripſit Joannes; fieri tamen potuit ut is eorum conditionem, qualis erat dum Meſſiam expectarent, deſcripſerit; vel erant animæ purgantes. Ergo ex eo textu colligitur id quod de ſubterranea defunctorum ſede docent Catholici.

90 Non nego verba hæc *ſubtus terram*, de reprobis ipſis a S. Gregorio, Lib. 4. Dialog. Cap. 42. intelligi. Verum expoſitio hæc, quæ a communi aliorum Doctorum interpretatione diſſidet, nec textui ſatis convenit, id ſaltem habet, quod primam noſtram Concluſionem adſtruat.

91 At, inquies, verba hæc *ſubtus terram*, metaphorice intelligi debent, non ſecus ac iſthæc verſ. 23. *Et omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, &c.*

92 Reſp. Neg. paritatem. Frequens enim eſt in Scripturis ut creaturæ omnes, etiam ſenſu deſtitutæ, Deum laudare ac benedicere perhibeantur. At quod eas inter quæ ſenſu deſtitutæ ſunt, requiratur quæ digna ſit Librum aperire, & myſteria ejus reſerare, prorſus inauditum eſt. Adde quod verba hæc, *& quæ ſunt in mari*, de hominibus qui in mari navigant, aut quibus jam inter aquas pendulis inſtat naufragium, intelligi valeant.

93 Prob. 4. Ex Symbolo Apoſtolorum, juxta quod Chriſtus *deſcendit ad inferos*. Quibus verbis conſonant non pauca Scripturæ verba; hæc videlicet Eccli. 24. *Penetrabos omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino:* quæ licet in Græco textu deſint, plurimam a Vulgata verſione commendationem habent. Hæc item Epheſ. 4. *Qui aſcendit, ipſe eſt & qui deſcendit in inferiores partes terræ*. Atqui per hunc ad inferos deſcenſum, nec intelligi poteſt aſcenſus ad Cælos, ubi antiquos Patres gratis collocat Calvinus; nec, quidquid fingat Beza cum univerſa ſua phalange, deſcenſus in ſepulchrum. 1. Quia male quis diceretur in inferiores partes terræ deſcendiſſe, eo quod in ſepulchro repoſitus fuiſſet;

ſet; præſertim cum ſepulchrum Chriſti non eſſet in inferioribus partibus terræ, ſed in ſpelunca ſuperiore humo; 2. Quia in articulo præcedente Chriſtus dicitur mortuus *& ſepultus*; ergo deſcenſus ejus ad inferos, non idem eſt ac ejus ſepultura. Utique in Symbolo, quod eſt compendium fidei breviſſimum, ſummum vitium eſſet aliquid repeti. Neque poteſt ſententia poſterior eſse prioris expoſitio: quia notum per ignotum explicaretur; 3. Quia longe aliter locum hunc intellexere Concilia & Patres, quam Calviniani; ut patet ex Conciliis Toletano IV. & Lateranenſi ſub Innocentio III. quorum prius ſic habet, Cap. 1. *Deſcendit ad inferos, ut animas quæ illic tenebantur, erueret;* poſterius ſic loquitur, Cap. 1. *Deſcendit ad inferos, reſurrexit a mortuis, aſcendit in Cœlum: ſed deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcendit pariter in utroque.* Idem docent unanimi concentu Patres, qui huic ſubſcribunt S. Martyris Ignatii ſententiæ Epiſt. ad Trallianos: *Deſcendit ad infernum ſolus, regreſſus eſt cum multitudine:* ſeu ut loquitur Hieronymus in Cap. 4. Epheſ. *Deſcendit* in inferiora terræ, *ut ſanctorum animas quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad Cœlos victor abduceret.* Sed longam ea de re & apertam Traditionem vide apud Bellarminum, lib. 4. de Chriſto, cap. 14. Tom. 1. pag mihi 460.

His adjungi ſolet celebris ille D. Petri locus Epiſt. 1. cap. 3. *Chriſtus .·.·. his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit.* At hunc, quia ſemper habitum pro obſcuriſſimo ad finem articuli brevi diſſertatione expendemus. 94

Obj. Potiſſima noſtra probatio ex his deducitur Symboli verbis: *Deſcendit ad inferos.* Atqui nihil ex iis colligi poteſt. Namque Chriſti anima reapſe non deſcendit ad inferos ſecundum Subſtantiam; ſed tantum quoad operationem. Cum animæ a corpore ſeparatæ nonniſi per operationem ſuam poſſint eſse in loco. Et ita ſentit Durandus in 3. diſt. 22. quæſt. 3. 95

Et vero ſi Chriſti anima ad inferos reapſe deſcendit, vel ad omnia eorum loca, vel ad aliqua duntaxat. Neutrum autem dici poteſt, niſi divinando. 96

Reſp. Ad 1. neg. min. ad 2. nihil ad veritatem limbi Patrum intereſt, an eo Chriſtus ſecundum ſubſtantiam deſcenderit, an penes operationem: quia locus in quo Chriſti anima operatur, neceſſario exiſtere debet; eumque vere admittit Durandus. Merito tamen hujus opinionem uti erroneam redarguit Bellarminus eodem Lib. 4. cap. 15. 1. Quia Concilia & Patres eodem modo loquuntur de deſcenſu animæ Chriſti ad inferos, quo de manſione corporis ejus in ſepulchro. Porro corpus Chriſti, non metaphorice & quoad effectum, ſed vere & proprie manſit in ſepulchro. 2. Quia ſi anima Chriſti per effectum ad inferos deſcendiſse dicitur, quia ibidem operata eſt, dicendum erit eam ſimul fuiſse in Inferis, in Cœlis, & terris, in Paradiſo terreſtri. Utique enim aliquem iis omnibus in locis effectum produxit, illuſtrans Patrum animas in Limbo, lætificans Angelos in cœlo, conſolans Henoc & Eliam in Paradiſo, gratiam hominibus diſpertiens in terris. 3. Quia ex Durandi commento ſequitur Chriſtum nullo pacto deſcendiſse ad inferos. Si enim ſemel conſtet, quod ipſe contendit, 97

dit, animas non niſi per operationem eſſe in loco; rurſumque eas nullam extra corpus ſuum, cujus ſunt formæ, operationem habere poſſe; perſpicuum eſt animas ſeparatas non eſſe vere in loco. Unde rurſum colligere erit, nec damnatorum animas eſſe nunc in Inferis, nec Beatorum animas eſſe nunc in Cœlo.

98 Ceterum quod dicit Durandus, animas non poſſe eſſe in loco corporeo, niſi per operationem quam ibidem exercent; rurſumque eas nihil extra corpus ſuum operari poſſe; gratis dictum eſt; 1. Quia nihil vetat quominus animæ ſint in loco per eſſentiam ſuam, quæ cum ſit res finita, neceſſario eſt præſens uni loco, & non alteri, niſi in iſto a Deo conſtituatur. 2. Quia licet animæ non poſſent certo loco aliter quam per operationem a corporibus ſuis dependentem applicari de via ordinaria; poſſent tamen ſupernaturaliter, Deo ſic ordinante, extra corpus ſuum operari, movere corpora, viventibus apparere, eoſdem alloqui; ut de Samuele paulo poſt dicemus.

99 Ad quæſtionem num. *96.* propoſitam, R. Chriſtum probabiliter ad omnia inferni loca deſcendiſſe, ſecundum id Eccli. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, inſpiciam omnes dormientes.* Et vero Cyrillus Alexand. lib. 12. in Joannem, cap. *36.* aliique Patres docent Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, ut vivorum & mortuorum dominaretur, ſuique totius Regni poſſeſſionem iniret. Porro ad ipſius Regnum pertinent etiam reprobi, ut qui in carceribus juſſu ejuſdem contineantur. De ceteris quæ ad ſeparatam Chriſti animam ſpectant, adeundus eſt Bellarminus ibid. pag. *466.* & ſeq.

100 Objic. 2. cum S. Auguſtino Epiſtol. *164.* Antiqui juſti erant in ſinu Abrahæ. Atqui ſinus Abrahæ non erat in inferno, ſed ab eo remotiſſimus; cum eſſet cahos magnum inter divitem & Lazarum, qui ſtabat in ſinu Abrahæ.

101 R. Neg. min. quam demum falſam eſſe agnovit Auguſtinus Tract. in Pſalm. 85. & lib. 20. de Civit. Dei cap. 15. Nec nocet cahos illud magnum reprobos inter & juſtos. Ad id enim ſatis erat ut longe inferior eſſet damnatorum ſedes; & multo magis ut ab una ad aliam tranſmeare nunquam liceret.

Conclusio III. Limbus puerorum & ipſe ſubterraneus eſt.

102 Prob. Ex Concilio Florentino Seſs. ult. ubi definitur *animas illorum, qui in peccato mortifero actuali, vel originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

103 Præiverat Auguſtinus, lib. 4. de Baptiſmo cap. 2. ubi docet, Fidem Catholicam duo tantum agnoſcere loca, ubi homines ſint perpetuo futuri, Cœlum Beatorum, & Infernum reproborum.

104 Docet tamen communior Scholæ opinio limbum puerorum in altiori eſſe loco, quam ſit Purgatorium, ita ut ignis ad eum non perveniat. De his adi quæ diximus, Tom. 1. ubi de peccato originali ſub finem.

Conclusio IV. Eſt etiam ſub terra locus Purgatorii.

105 Probant aliqui cum Bellarmino ex Act. 2. verſ. 24. ubi S. Petrus de Chriſto loquens: *Quem*, inquit, *Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* Nimirum, inquiunt cum Augu-

Auguſtino Epiſt. 99. & Epiphanio ad hæreſim Tatiani, Chriſtus ſolvit dolores non reproborum, non etiam omnimode juſtorum. Ergo animarum purgantium. Atqui erant hi dolores inferni, ſeu in inferno perpeſſi. Ergo animæ illæ erant in inferno.

Verum expoſitio hæc non uno titulo difficilis eſt, ut notat eum in 106
locum Maldutius diſſert. 8. 1. Quia juxta ipſam vox *ſolutis* refertur ad Chriſtum, quaſi ſolverit dolores inferni. Atqui contra vox ea referri debet ad Deum, qui Chriſtum reſuſcitando, eundem ſolvit a doloribus inferni; ut patet, tum ex ipſo textu, tum & maxime ex Græca lectione quæ ſenſum alium non admittit. 2. Quia ratio a S. Petro ſubnexa, quod nimirum *impoſſibile erat Chriſtum teneri ab* inferno; perſpicue demonſtrat non alium hic exhiberi ut ſolutum a doloribus, quam Chriſtum. 3. Quia negat Bellarminus, lib. 4. de Chriſto cap. 16. cum S. Thoma 3. part. quæſt. 52. art. 8. purgantes animas per Chriſti ad inferos deſcenſum liberatas fuiſſe; niſi *quæ jam ſufficienter purgatæ erant*; *vel etiam* in hoc ſæculo *meruerant per fidem & devotionem ad mortem Chriſti, ut eo deſcendente, liberarentur a temporali Purgatorii pæna*. Non deſunt tamen qui cum Eſtio autument Chriſtum univerſis animabus dimiſiſſe, quidquid ad plenam earum ſatisfactionem luendum ſupererat; ut ſuo in inferos deſcenſu conſecraret primitias illius indulgentiarum poteſtatis, quam Eccleſiæ ſuæ collaturus erat: Idque approbat Maldutius Diſsert. 29. paulo poſt citanda.

Sed quomodo Chriſtus ſolvi potuit a doloribus inferni? Reſp. Græ- 107
ce haberi: *ſolvens*, vel *cum ſolviſſet a doloribus mortis*: Syriace vero *a funibus* mortis. Jam vero haud difficulter concipitur Chriſtum, virtute Dei, ſolutum fuiſse a doloribus ſeu funibus mortis. Funes enim mortis eos quos ſemel vinxerunt, ligant uſque ad judicium extremum. Ab iis porro, qui tertia die reſurrexit Chriſtus, divina virtute ſolutus eſt, prout prædixerant Prophetæ; David vero potiſſimum, qui non de ſe ipſo, ſed de Chriſto tot antea ſæculis dixerat: *Non derelinques animam meam in inferno, &c.* Pſalm. 15. & Actor. 2. 27.

Prob. itaque Concluſio melius, 1. Ex ſenſu Eccleſiæ, quæ dum anxie 108
precatur, ut Deus liberet *animas omnium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu*, eaſdem in Inferis, aut loco Inferis vicino torqueri ſupponere videtur. 2. Ex unanimi pœne Theologorum ſuffragio, qui lubenter hanc S. Thomæ doctrinam admittunt in 4. diſt. 21. q. 1. art. quæſtiunc. 2. (Tom. 10. pag. 383.) *Ad 2. q. dicendum quod de loco Purgatorii non invenitur aliquid expreſſe determinatum in Scriptura. Tamen probabiliter & ſecundum quod conſonat magis Sanctorum dictis, & revelationi factæ multis, locus Purgatorii eſt duplex: unus ſecundum legem communem; & ſic locus Purgatorii eſt locus inferior, inferno conjunctus; ita quod idem ignis ſit, qui damnatos cruciat in inferno, & qui juſtos in Purgatorio purgat; quamvis damnati ſecundum quod ſunt inferiores merito, & etiam loco inferiores ordinandi ſunt. Alius eſt locus Purgatorii ſecundum diſpenſationem: & ſic quandoque in diverſis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum inſtructionem, vel ad mortuorum ſubventionem; ut viventibus eorum Pœna innoteſcens, per ſuffragia Eccleſiæ mitigaretur.*

Confirm.

109 Confirm. Animæ purgantes eandem patiuntur pœnam, quam damnati, pœnam videlicet damni & ſenſus; nec differt prior a poſteriori, niſi quod hæc æterna ſit, non illa. Ergo e re fuit, ut eodem in loco, & eodem igne torquerentur.

110 Quæres an defunctorum animæ fuis e receptaculis egredi poſſint; ſive ita ut ab uno receptaculo tranſeant ad aliud; ſive ita ut e loco ſuo exeant ad tempus, eo poſtmodum regreſsuræ; ſive ita ut hinc egreſsæ, redeant ad vitam, & ſortem ſibi novam, vel in bonum, vel in malum comparare poſſint.

111 R. 1. Non dari regreſsum ſeu ex inferno damnatorum, ſeu ex puerorum limbo: dari autem ex limbo patrum & ex Purgatorio. Ratio eſt quia animæ reproborum igne ſempiterno torqueri debent, uti & perpetuo exilio animæ puerorum, qui ſine Baptiſmo deceſserunt. Contra vero animæ Patrum, temporali tantum exilio, aut pœna probandę erant. Idem eſt de iis quæ Purgatorio mancipantur. Quod objici poſſit, Trajani animam de inferno erutam eſse per preces S. Gregorii; meram eſse fabulam evicimus Tomo hujus Operis ſecundo.

112 Reſp. 2. Poſse animas, Deo ita permittente, tum e Cœlis, tum e ſubterraneis quibuſcumque receptaculis egredi ad tempus, ſeu ut viventibus opem ferant, ſeu ut eos terrore ſalutari impleant, ſeu ut horum opem efflagitent. Non deſunt ſane gravia exempla, quæ id de omnibus, præter infantium limbum, receptaculis doceant. Circa quæ conſulendi Euſebius, Lib. 6. Hiſt. cap. 6. Auguſtinus, Lib. de cura pro mortuis, cap. 16. & alii quos dabit Bellarminus, Lib. 2. de Purgat. cap. 8.

113 R. 3. Certo conſtat plures e Patrum Limbo, vel Purgatorio ad vitam fuiſse revocatos. Siquidem in alterutro loco indubie erant ex iis fidelibus plures, quos Elias, Eliſæus, Chriſtus ipſe, Petrus & Paulus ad vitam revocarunt. Neque ullum inde ſequitur inconveniens; tum quia is ad vitam reditus, nihil eſt aliud quam exilii vel carceris mutatio; tum quia qui ex iis locis revocati ſunt ad vitam, dubio procul in gratia confirmati fuere, ne ſalutis, quam uſque ad mortem bene operando, promeruerant, jacturam ullo modo ſubirent. Ita poſt Abulenſem q. 57. in 4. Regum, Bellarminus eod. cap. p. 652.

114 An autem e Beatis vel damnatis aliqui ad vitam revocati fuerint, ambigi poteſt, præſertim quoad ſecundum caput: Cum ex hiſtoria conſtet ethnicos plures a morte fuiſse ſuſcitatos; atque inprimis teſte S. Ambroſio Serm. 90. Sempronii Præfecti filium, qui a diabolo, eo quod S. Agnetem violare vellet, necatus fuerat; & ab ipſa vitæ redditus eſt. At dicendum, neminem e Cœlo vel Inferis rediiſse ad vitam. Unde qui in impietate mortui, ſubinde reſurrexerunt, ex ſpeciali Dei providentia non fuerunt poſt mortem ſuam decretorie judicati: licet ſecundum præſentem ſuam injuſtitiam puniri potuerint; ut docet S. Thomas in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA

De apparitione Samuelis.

FAmoſam hanc apparitionem refert Scriptura 1. Regum , Cap. 28. 115
ubi , cum Saul irrito niſu Dominum conſuluiſſet , mutato habi-
tu venit in Endor ad Pythoniſſam , & *ait illi : divina mihi in Pytho-*
ne , & ſuſcita mihi quem dixero tibi . . . Dixitque ei mulier : Quem ſu-
ſcitabo tibi ? Qui ait : Samuelem mihi ſuſcita . Cum autem vidiſſet mu-
lier Samuelem , exclamavit voce magna , & dixit ad Saul . Quare impo-
ſuiſti mihi ? Tu es enim Saul . Dixitque ei Rex : Noli timere , quid vi-
diſti ? & ait mulier ad Saul : Deos vidi aſcendentes de terra . Dixitque
ei : qualis eſt forma ejus ? Quæ ait : Vir ſenex aſcendit , & ipſe eſt ami-
ctus pallio . Et intellexit Saul quod Samuel eſſet , & inclinavit ſe ſuper
faciem ſuam in terram , & adoravit . Dixit autem Samuel ad Saul : Qua-
re inquietaſti me ut ſuſcitarer ? Et ait Saul : Coarctor nimis , ſiquidem Phi-
liſthiim pugnant adverſum me , & Deus receſſit a me , & exaudire me no-
luit , neque in manu Prophetarum , neque per ſomnia : vocavi ergo te , ut
oſtenderes mihi quid faciam . Et ait Samuel : Quid interrogas me , cum
Dominus receſſerit a te , & tranſierit ad Æmulum tuum ? Faciet enim ti-
bi Dominus , ſicut locutus eſt in manu mea , & ſcindet regnum de ma-
nu tua , & dabit illud proximo tuo David , quia non obediſti voci Domi-
ni , neque feciſti iram furoris in Amalec . Idcirco quod pateris , fecit tibi
Dominus hodie . Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthiim.
Cras autem tu & filii tui mecum eritis . Sed & caſtra Iſrael tradet Do-
minus in manu Philiſthiim , ſtatimque Saul cecidit porrectus in terram , &c.

Jam quæritur an ipſa Samuelis anima Sauli apparuerit : an vero ali-
quod Samuelis phaſma ſuppoſitum a dæmone , ut Saulem , Deo per-
mittente, deciperet.

Multiplex volvitur ea de re opinio . Alii nempe Samuelis appari- 116
tionem nihil aliud eſſe volunt quam fraudem Pythoniſſæ, quæ ut Sau-
lem deciperet, finxerit Samuelem a ſe videri, licet nihil illa videret.
Et hæc opinio ait in diſſertatione ad hunc locum Calmetus, temeraria
eſt, perículoſa, ſacro textui contraria.

Alii non Samuelem ipſum , ſed dæmonem, ſub Samuelis forma ap- 117
paruiſſe contendunt; ſimulque & Pythoniſſæ & Sauli fucum feciſſe. Ita
Tertullianus, SS. Baſilius Magnus, Gregorius Niſſen. Hieronymus, Cy-
rillus Alexand. Theodoretus, & alii plures, quorum opinio Nat. Alex.
Diſsert. 23. probabilis videtur.

3. Non defuere qui crediderint , nec dæmonem, nec Samuelem ap- 118
paruiſse ; ſed phaſma Samuelis a Deo immediate , vel ab Angelis ,
Deo jubente, confictum.

4. Senſerunt olim Patres plerique , & etiamnum cenſent potiores 119
Theologi, Samuelem ipſum reipſa viſum fuiſse & locutum.

Hujus autem opinionis aſſeclæ duas in partes ſcinduntur . Alii enim 120
apparitionem hanc magicis Pythoniſsæ incantationibus adſcribunt : quia
animas omnes juſtorum ſub dæmonis arbitrio tunc temporis fuiſse exi-

 ſtimant.

ſtimant. Ita Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, & acrius Origenes in cap. 28. Lib. 1. Regum, Alii eamdem apparitionem non in evocationes magicas, quæ præceſſerant, ſed in ſummam Dei voluntatem refundunt. Verum hi de re, ut liquet conſentientes, de modo tantum diſputant. Sit

Conclusio. Etſi damnari non debet opinio, quæ dæmonem ſub phaſmate Samuelis apparuiſſe ſuſpicatur; longe tamen probabilior eſt ſententia, quæ Samuelem ipſum apparuiſſe contendit.

121 Probat. 1. Pars. Reprobari non debet opinio, quam Eccleſia præ ſapientia ſua hactenus reliquit intactam; quæque a defenſoribus ſuis non modicam commendationem habet. Atqui opinio de qua nunc, 1. Nuſquam hactenus ab Eccleſia proſcripta eſt; cum nullum extet ipſius ea de re Decretum. 2. Eadem opinio non minimum a defenſoribus ſuis commendationis habet. Sunt enim hi Sanctus Pionius Presbyter & Martyr, cujus hæc verba refert Simeon Metaphrates in ipſius vita. *Non igitur Samuelem in hanc vitam reduxit mulier ille ventriloqua, ſed tartarei dæmones Samuelis perſonam atque ſimilitudinem induentes, ſe ſe mulieri ventriloquæ & Sauli, qui a Deo defecerat, conſpicuos præbuerunt*. Tertullianus, Lib. de anima, Cap. 57. *Pythonico tunc ſpiritui licuit animam Saulis effingere .·.·. Abſit alioqui ut animam cujuſlibet Sancti, nedum Prophetæ; a dæmonio credamus extractam, edocti quod ipſe ſatanas transfiguretur in Angelum lucis, &c.* In eundem ſenſum ſcribunt SS. Euſtathius Antiochenus Epiſcopus, Baſilius, Gregorius Nyſſenus, & alii plures quos ibidem dabit Nat. Alexander. Unde Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 174. artic. 5. ad 4. licet contrariæ opinioni adhærere videatur, hæc tamen ſubdit: *Quamvis etiam dici poſſit, quod non fuerit anima Samuelis, ſed Dæmon ex perſona ejus loquens, &c.*

122 Prob. 2. Pars: 1. Quia Scripturæ verba in obvio & naturali ſenſu accipienda ſunt, cum nihil hinc contra fidem & bonos mores ſequitur abſurdi. Atqui Scripturæ verba in obvio & naturali ſenſu intellecta, veram Samuelis ipſius apparitionem indicant; neque ex intellectu iſto quidquam ſequitur abſurdi.

Quod Scripturæ verba veram Samuelis ipſius apparitionem naturaliter exprimant, patet vel ex ſola textus inſpectione; qui ut Samuelem ipſum indicaret, non potuit aliter loqui. Hæc iterum ſubjicio: *Et intellexit Saul quod Samuel eſſet, & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam .·.·. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer .·.·. Ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit a te .·.·.·. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis*. Atqui hæc eo uſque verum Samuelem indicant, ut qui ea placido ſenſu legerit, unum hic Samuelem, non umbram ejus, ac multominus dæmonem ſuſpicari poſſit. Hic gravis ſermo & dignus Propheta. Hic exprobrata Sauli impietas ſua. Hic prædictum quidquid eidem evenit. Hic non dicitur: *Et putavit*, ſed, *& intellexit quod eſſet Samuel*. Hic ſexies repetitum nomen Samuelis, abſque vocula, quæ dolum aut præſtigias indicet.

123 Confirm. ex Eccli. 46. ubi inter ceteras Samuelis laudes hęc recenſetur

fertur verſ. 23. *Poſt hoc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in Prophetia delere impietatem gentis*. Græce: *& poſtquam ipſe dormiviſſet, prophetavit*. Syriace vero: *& poſt mortem interrogatus eſt, oſtenditque Regi viam ejus, & exaltavit de terra vocem ſuam in prophetia ad ceſſare faciendum peccata*. Hic ſua præ ceteris Domini vatibus laus tribuitur Samueli, quod poſt mortem prophetavit. Atqui nulla dubio procul Samueli laus inde accederet, quod formam ejus accepiſſet dæmon, ſicque per umbram ſuam ſerviiſſet Pythoniſſæ. Ergo pro certo tenendum eſt ipſum Samuelem de terra prophetaſſe. Nec dubium, ut monet in hunc locum Cornelius a Lapide, quin idem nobiſcum ſenſiſſent objecti Patres, ſi his ſit cognita fuiſſet Libri *Eccleſiaſtici* fides & auctoritas. Unde Sanctus Thomas, 1. part. quæſt. 89. artic. 8. ad 2. *De Samuele dici poteſt quod ipſe apparuit per revelationem divinam, ſecundum id quod dicitur Eccli. 46. &c. vel illa apparitio fuit procurata per dæmones: ſi tamen Eccleſiaſtici auctoritas non recipiatur, &c.* Atqui Libri hujus auctoritas indubie recipienda eſt. Ergo.

Quod autem admiſſa veri Samuelis apparitio nihil contra fidem & mores invehat abſurdi, ex objectionum ſolutione conſtabit.

Prob. 2. ex Patribus, quorum multi contra multos cauſam noſtram 124 juvant. Juſtinus Martyr in dialog. cum Tryphone. *Animas*, inquit, *ſuperſtites manere, etiam eo demonſtraverim, quod & Samuelis animam ventriloqua Pythoniſſa, ita ut Saul petierat, evocavit*. Atqui petierat Saul ut verus Samuel evocaretur, non dæmon ſub ſpectro Samuelis; quod ſi factum eſſet, non inde probaretur animæ humanæ immortalitas, ut bene Nat. Alexander. Ergo.

Origenes idem pluribus probat in cit. cap. 28. Libri 1. Regum. 125

Ambroſius in cap. 1. S. Lucæ: *Samuel poſt mortem, ſecundum Scripturæ teſtimonium, futura non tacuit*. 126

Auguſtinus, Lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 15. *Mitti quoque ad vivos*, inquit, *aliquos ex mortuis, ſicut e contrario Paulus ex vivis in Paradiſum raptus eſt, divina Scriptura teſtatur. Nam Samuel Propheta defunctus, vivo Sauli etiam Regi futura prædixit: (quamvis nonnulli non ipſum fuiſſe qui potuiſſet magicis artibus evocari, ſed aliquem ſpiritum, tam malis operibus congruentem, illius exiſtiment ſimilitudinem figuraſſe) Cum Liber Eccleſiaſticus, quem Jeſus filius Sirach ſcripſiſſe traditur ... contineat in laude Patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetaverit, &c.* 127

Idem docent Sulpitius Severus, Libr. 1. Hiſtoriæ ſacræ; S. Zeno 128 Veronenſis, ſeu alius quivis vetus Auctor Sermonis de reſurrectione; antiquus Auctor Carminum contra Marcionem. At eos recenſere ſuperfluum fuerit; quia in materia quæ Patres diſſentientes habet, non penſandæ ſunt auctoritates ſed momenta. Unde

Probat. 3. ratione Theologica. Admitti debet apparitio, quæ gra- 129 vibus fulcitur argumentis, & admodum exilibus confutatur. Atqui vera Samuelis apparitio gravibus fulcitur momentis; 1. enim innititur litteræ ſacri textus, quem qui ſine partium ſtudio leget, non magis Samuelem apparuiſſe dubitabit, quam dubitabit Saulem muta-

to habitu contuliſſe ſe in Endor, & a Pythoniſſa ſciſcitatum ut Samuelem evocaret. 2. Eadem apparitio veridicam craſtinæ Iſraelitarum ſtragis, ejuſque circumſtantiarum hiſtoriam complectitur, eamque qualem Deus ſolus indicare poterat. Quod enim reſpondent adverſarii, res Saulis eo tunc deveniſſe, ut veriſimillime cœdendus eſſet a Philiſthæis, nihil omnino probat. Annon enim, niſi res tota a ſupremo fortunarum omnium arbitro diſpoſita eſſet, Saul tam ſerio admonitus, ſibi, ſuiſque, fugiendo, conſulere poterat, & debebat? Annon poterat ſterni acies ejus abſque eo quod ipſe interimeretur? Annon ſaltem evadere poterant filii ejus? Ergo quidquid hic prædictum eſt, ſuggerente Deo prædici debuit. Quod ſi id dæmoni a Deo revelatum eſſe dicatur, jam multiplex admittendum erit miraculum, ne obvium unum admittatur. Præterquam enim recurret gravis difficultas e littera Scripturæ, quæ ubique Samuelem deſignat, explicandum erit quo pacto fieri queat ut ſexies tremendum nomen *Jehova* repetat dæmon; ut Dei nomine exprobret Sauli peccata, quorum ipſe promotor fuerat; ut ei futurorum præſcientiam commiſerit Deus; imo ut & eum per os Eccleſiaſtici ſub Samuelis nomine laudaverit. Hæc quæ nemo ferat diviſa, quis conjuncta pertulerit?

2. Eadem apparitio levibus admodum conjecturis impugnatur. Quod ut pateat,

130 Objic. 1. Admiſſa Samuelis ipſius apparitione dicendum eſt dæmoni conceſſam eſſe poteſtatem animas ipſorum etiam Sanctorum evocandi. Atqui nihil fingi poteſt magis inſulſum.

131 R. 1. neg. maj. Non enim neceſſe eſt ut Pythoniſſa magicis artibus Samuelem evocaverit: ſatis eſt ut Deus, ad terrorem impii Principis, id ſummo ſuo imperio effecerit, quod perperam a ventriloqua expectabatur. Rem porro ſic contigiſſe patet ex cit. cap. 28. Lib. 1. Reg. Vix enim expetierat Saul ſibi Samuelem ſuſcitari, cum mulier eo inſpecto exclamavit: *Quare impoſuiſti mihi, tu es enim Saul?* * Ergo necdum magicas ſuas incantationes perfecerat, cum eæ moroſæ & longæ forent. 2. Turbata eſt mulier, cum Samuelem vidit. Cur porro, niſi quia eum vidit antequam evocaſſet?

132 Neque deſunt hujus Dei agendi rationis exempla in ſacro textu. Sic cum

---

* Ajunt Rabbini Pythoniſſam exclamaſſe, quia Samuel non eo modo apparuit, quo evocati mortui apparere conſueverant; ſed erecto ſurſum capite, ut in vivis eſſe ſolent homines; cum alii apparerent gerendo pedes ſurſum, vel ſupini, ut ſunt in ſepulchris. Ratio aptior clamoris hujus ea eſt, quod prius adfuerit Samuel, quam mulier carmen ſuum negromanticum abſolviſſet, aut etiam incepiſſet. Quod autem dixit: *Video Deos aſcendentes de terra*, non ideo dicitur quod Moyſes apparuerit cum Samuele, ut fabulantur Rabbini, ſed phraſi Hebraica, quæ ad deſignandam rei dignitatem plurali numero utitur in vicem ſingularis. Sic Exodi 32. de vitulo aureo qui unus erat, dicitur: *Hi ſunt Dii tui*. Vox *Elohim*, qua utrobique utitur Scriptura, paſſim Deum unum ſignificat. Indicat ergo Pythoniſſa, tantum eſſe illius qui apparebat ſplendorem, ut non mortalis quiſpiam, ſed Deus eſſe videretur. Quod & Saul optime intellexit, rogando in ſingulari: *Qualis eſt forma ejus?* Et mulier quoque, relicto jam numero plurali, reſpondet; *Vir ſenex aſcendit, amictus pallio*. Ita Tirinus.

cum Balaam vellet dæmonem conſulare in gratiam Balac Regis Moab, prævenit eum Angelus Dei, & ſublimem illam per eum de Iſraele & Chriſto prophetiam edidit, quæ habetur Num. 22. verſ. 32. Sic quoque cum Ochoſias Rex Iſrael mitteret nuntios ad conſulendum Beelzebub de ſanitate ſua, prævenit eum Elias, & vicinam ei mortem prænuntiavit, 4. Reg. 1. 16.

Nec obeſt illud Samuelis ad Saul: *Quare me inquietaſti, ut ſuſcitarer?* 133
Id enim, ut vere dici potuerit, neceſſe non eſt ut Samuel a Pythoniſſa efficienter evocatus fuerit; ſed ſatis eſt ut ſacrilega Saulis curioſitas fuerit occaſio cur ſuſcitaretur Samuel. Ait porro ſe a Saule inquietatum, quia commotus fuit, & iratus indignitate modi, quo Saul eum per magiam ſuſcitare conabatur: vel quia inquietari dicitur, qui e loco pacis & quietis eductus, moleſtis negotiis implicatur. Ita Corn. a Lapide, & Menochius.

Reſp. 2. neg. min. primi ſyllogiſmi. Ut enim ſolide Auguſtinus, 134
Lib. 2. de diverſis quæſtionibus a Simpliciano propoſitis, Q. 4. *Si hoc movet quod licuerit maligno Spiritui excitare animam juſti, & tanquam de abditis mortuorum receptaculis evocare, nonne magis mirandum eſt quod Satanas ipſum Dominum aſſumpſit, & conſtituit ſuper pinnam Templi? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samueli factum eſt ut excitaretur, ſimiliter latet. Niſi forte quis dixerit, faciliorem Diabolo fuiſſe licentiam ad Dominum vivum unde voluit aſſumendum, & ubi voluit conſtituendum, quam ad Samuelis defuncti ſpiritum a ſuis ſedibus excitandum, &c.*

Objic. 2. Anima prophetica neque falſa prædicere poteſt, neque 135
mentiri. Atqui ſpectrum Sauli apparens ex hac utraque parte peccavit. 1. Prædixit falſa in his verbis: *Cras tu & filii tui mecum eritis*. Neque enim ſequenti die evenit ſtrages Iſraelitici exercitus, & mors Samuelis; cum quæcumque a profectione Saulis in Endor, uſque ad mortem ejus, narrantur, præſertim de Davide, quinque ad minus dierum intervallum poſtulent, ut ſolide probat Leo Allatius, & ex ipſo Nat. Alexander. 2. Saul reprobus non erat futurus cum Samuele in loco quietis. Ergo mentiebatur quiſquis dicebat: *Mecum eritis*. Nec enim Saul impius cum Samuele, vel innocens Jonathas cum dæmone futurus erat.

Reſp. ad 1. neg. min. Ad 1. probationem, Reſp. 1. adverbium 136
cras non ſemper diem proxime ſequentem ſignificare, ſed ſæpius rem imminentem, licet aliquando poſt futuram, ut obſervant Hieronymus & Theodoretus, quorum prior ſic loquitur in cap. 6. Matthæi: *Cras in Scripturis futurum tempus intelligitur, dicente Jacob*: Exaudiet me cras juſtitia mea. *Et ubi Altare extruitur a duabus Tribubus Ruben & Gad*.·.·. Reſpondit *Phinees, idcirco ſe altare feciſſe, ne cras filiis ſuis colendi Deum poſſeſſio denegaretur. Et multa iſtius modi reperies in veteri Teſtamento*.

R. 2. Saulem cum ſuis die poſt Samuelis vaticinium proximo ceci- 137
diſſe. Quæ enim apparitionem inter & mortem Saulis de Davide narrantur, & longiorem quam unius diei moram requirunt, dicta ſunt per anticipationem. Ita & ſolide Theodoretus, Q. 63. in Lib. 1. Regum.

 Præte-

138 Præterea ſi prædictio Samuelis poſt mediam noctem facta ſupponatur, ut ſupponi facile poteſt, cædes Saulis ad triginta, & eo plus, horas differri poterit; modo Hebræi dies civiles media a nocte inciperent; de quo alibi.

139 Ad 2. probat. R. cum Auguſtino, ibid. verba hæc, *Mecum eritis*, referenda eſſe *non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem conditionem mortis*.

140 Obj. 3. Ex ſacro textu *Saul* agnito Samuele, *inclinavit ſe ſuper faciem ſuam, & adoravit*. Atqui vera Samuelis anima nunquam paſſa fuiſſet ſe adorari. Ergo.

141 Reſp. neg. min. Nec enim eo loco agitur de adoratione ſuprema, quam latriam dicimus; ſed de ſupplici obſervantia, quæ viris dignitate & ſanctimonia præeminentibus apud Hebræos ſolebat exhiberi. Sic 1. Reg. 25. *Abigail procidit coram David ſuper faciem ſuam, & adoravit*. Sic ibid. 24. David *pronus in terram adoravit Saulem*. Notiora ſunt hæc, quam ut iis immorandum ſit.

DISSERTATIO SECUNDA

De Prædicatione Chriſti in Inferis.

142 Difficultati huic occaſionem præbent verba hæc 1. Petri 3. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu: in quo & his qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, id eſt octo animæ, ſalvæ factæ ſunt per aquam*. Circa hunc textum, quem Beza & Gomarus, queis cæteroqui nihil in Scripturis obſcurum eſt, difficillimum eſſe confitentur, quærunt Interpretes quæ qualiſque fuerit, & quibus facta hæc Chriſti prædicatio. Potiſſimas eorum conjectationes exponam breviter, eam quæ veri magis ſimilis apparebit, ſelecturus.

143 1. Itaque cenſet Calvinus in Pſycopannychia, id eſt animarum dormitione, ſpiritus de quibus loquitur S. Petrus fuiſſe Sanctorum animas, non quidem exiſtentes *in carcere*, ut habet vulgatus Interpres, ſed *in ſpecula*, id eſt in Cœlo, ubi Chriſti adventum & mortem expectabant, his vero Chriſtum prædicaſſe, non perſonaliter, ſed cauſaliter, eas e ſpecula ſua liberando, & ad beatitudinem transferendo. Ratio ejus eſt, quod vox φυλακη, non carcerem tantum, ſed & ſpeculam ſignificet.

144 Refellitur 1. quia etſi Græca vox ſpeculam quandoque, ſeu vigiliam noctis ſignificat, non tamen in his Scripturæ locis, ubi nulli ſunt hoſtes ſpeculandi. Porro Sanctorum animæ, ubicumque ante Chriſtum detentæ fuerint, nihil ab hoſtium incurſu timendum habebant. 2. Quia, quidquid contradicat Calvinus, conſtat Chriſtum reipſa deſcendiſſe ad inferos. Unde hic Syrus vertit: *Prædicavit animabus illis quæ detinebantur in inferno*.

2. Beza

2. Beza contendit Chriſtum *in ſpiritu*, id eſt vi divinitatis ſuæ, per miniſterium Noe prædicaſſe incredulis, qui ob incredulitatem ſuam tempore diluvii damnati, nunc ſunt *in carcere*, ſeu in inferno. 145

Refellitur 1. quia Veteres omnes vertunt, qui *erant* in carcere, non autem qui *ſunt*, ut modo in Syriaco vidimus. 2. Quia Sanctus Petrus per *ſpiritum* Chriſti animam ejus intelligit: hanc enim opponit carni ſeu corpori ejus. 3. Quia anima Chriſti ſola venit, græce *profecta eſt*, in carcerem, non autem ejus divinitas; quia ſemper & ubique præſens fuit. 146

3. Auguſtinus, Epiſt. 164. alias 99. & ex eo Beda, Hugo, D. Thomas, 3. p. q. 52. art. 2. ad 3. per *carcerem* intelligunt corpus, quod eſt quaſi carcer animæ; per *ſpiritus* vero animas corpore incluſas tempore Noemi. His enim, inquiunt, prædicavit Chriſtus per Noe, qui dum arcam perficeret, eoſdem ad pœnitentiam hortabatur. 147

Refelluntur 1. quia expoſitio hæc, quæ per carcerem intelligit corpus, ſymbolica eſt, non litteralis & germana. 2. Quia non convenit ſcopo Apoſtoli. Ut enim bene a Maldutio obſervatum eſt, D. Petrus eo loci totus eſt in commendanda mortis Chriſti efficacia. Quod autem Chriſtus per Noe prædicaverit hominibus in impietate mortuis, nihil facit ad commendandam mortis ejus virtutem. Unde aliud profecto inquiſiiſſet exemplum Apoſtolus, puta prædicationem Ninivitis factam, &c. 3. Quia nec ipſi Auguſtino placuit hæc ejus interpretatio; unde fatetur ſe locum hunc intellexiſſe, & rogat ut quæratur ratio locum hunc de inferis explicandi. 148

4. Cenſent quidam Chriſti animam poſt mortem reipſa deſcendiſſe ad inferos, ibique damnatis prædicaviſſe, eoſque qui minus mali fecerant convertiſſe. Ita ex Herma dicere videtur Clemens Alexand. Lib. 6. Stromat. Concinit Nicetas Gregorii Naziaz. interpres Platonicus, qui refert Platonem Chriſtiano cuidam, a quo maledictis laceratus fuerat, apparuiſſe, & dixiſſe: *Ego quidem me peccatorem eſſe haud quaquam inficias ivero. Verum cum Chriſtus in infernum deſcendit, nemo ante me ad fidem acceſſit.* 149

Refelluntur, tum ex conſtanti Patrum doctrina adverſus hujuſmodi fabulas, Auguſtini præcipue, Lib. de hæreſib. cap. 79. tum quia *in inferno nulla eſt redemptio*. Unde S. Gregorius M. *Chriſtus*, inquit, *deſcendens ad inferos, ſolos per ſuam gratiam liberavit, qui eum & venturum eſſe crediderunt, & præcepta ejus vivendo tenuerunt*. Sit igitur cum agmine Doctorum primi & infimi temporis. 150

Conclusio: Chriſtus ad inferos deſcendit, ibique fauſtum liberationis ſuæ nuntium iis prædicavit, *qui* non ſemper, ſed *aliquando increduli fuerant in diebus* Noe: adeoque irruentibus undique aquis peccata ſua deteſtati erant, eaque quoad culpam ſaltem aquæ diluvio eluerant.

Probat. quia ſenſus iſte ceteris præferri debet, utpote admodum litteralis, ſi nihil habeat abſurdi, vel in ſe, vel in circumſtantiis, & D. Petri ſcopo egregie conveniat. Atqui 1. ſenſus ille nihil habet abſurdi in ſe. Si enim abſurdum non ſit credere deſcenſum Chriſti ad inferos, nec abſurdum erit credere bonum redemptionis ipſius nun- 151

Digitized by Google

tium ab ipſo illuc delatum fuiſſe. 2. Nec habet quidquam abſurdi in circumſtantiis; harum enim præcipua eſt, quod Chriſtus iis ſpiritibus prædicaverit, qui aliquando increduli fuerant in diebus Noe. Atqui nihil hic abſurdi fingi poteſt; quia abſurdum non eſt, quod multi ex iis diluvii jam e mari, e terra, e cœlo erumpentis teſtes, ad Deum per pœnitentiam recurrerint. Imo vix fieri poteſt ut res aliter contigerint; cum in adverſis, præſertim ineluctabilibus, homines ad Deum confugere ſoleant, ſecundum id Pſalm. 77.34. *Cum occideret eos, quærebant eum*. 3. Et hic ſenſus ſcopo D. Petri apprime convenit. Scopus enim ejus eſt ut commendet virtutem Paſſionis Chriſti, *qui ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt*. Atqui hanc efficaciter probat. 1. ex reſurrectione ipſius; quia *mortificatus carne, vivificatus eſt ſpiritus*. 2. Ex efficacia ejuſdem mortis, quæ ad eos etiam ſe extendit, qui, Noe tot annos pœnitentiam prædicante, increduli fuerant, & tandem in extremis reſipuerunt.

152 Obj. Saltem nulla eſt ratio cur Chriſtus iis ſolum prædicaſſe dicatur, qui increduli fuerant tempore Noe: cum præter iſtos tot alii forent in eodem caſu. Ita Auguſtinus.

153 R. 1. inquiri poſſe ab Auguſtino pari de cauſa, cur potius dicatur Chriſtum in diebus Noe prædicaſſe, quam in diebus Abraham, vel ceterorum Patriarcharum, vel etiam aliorum hominum.

154 Reſp. 2. Prædicaſſe equidem Chriſtum in inferno bonis quotquot ibidem erant ſpiritibus; at expreſſos nominatim illos fuiſſe, qui in diebus Noe fuerant increduli; 1. quia majus erat dubium an ii, vel ex iis aliqui, quos tamdiu *expectabat patientia Dei*; (ſic enim habet Græca Lectio multo clarius) ſalutem fuiſſent conſecuti; 2. quia eo plus divina miſericordia commendabatur, quod æternæ morti ob brevem immerſionis pœnitentiam ſubduxiſſet homines omnium ſceleſtiſſimos: *Omnis quippe caro*, diluvii tempore, *corruperat viam ſuam*: 3. quia a diluvio facilis erat deſcenſus ad Baptiſmum, de quo verſ. ſeq. loquitur Petrus, his verbis: *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma*: quorum ſenſus partim expreſſe, partim tacite indicatus, is eſt, Baptiſmum ſimilem eſſe, tum Arcæ, in qua Noe cum ſuis ſalvus factus eſt; tum aquis diluvii, quibus ſic corpora immerſa ſunt, ut animæ per pœnitentiam ſalvæ factæ ſint. Vide Maldutium. Diſſert. in hunc locum.

ARTICULUS QUINTUS.

De diuturnitate pœnarum Purgatorii.

155 SEnſit Origenes, Homil. 14. in Luc. Purgatorii pœnas *& poſt reſurrectionem* duraturas eſſe. Sed erronee: *Nullus*, ait Auguſtinus, Lib. de Civit. Dei, cap. 16. *purgatorias pœnas futuras opinetur, niſi ante illud ultimum tremendumque judicium*. Sane vero Dominus, Matth. 25. duos tantum hominum ordines admittit, beatorum unum, alterum damnatorum. Et vero licet corpus, ut bonorum malorumve animæ operum particeps, merito in inferis puniatur, & in cœlis exultet, non

non eſt tamen cur purgetur; quia purgatio a peccatis in animam ſolam proprie cadit.

Lutherus contra Purgatorii tempus nimis contraxit, cum omnes peccati reliquias in iis qui Fideles moriuntur, mortis doloribus purgari commentus eſt. Etſi enim mors pro Chriſto perpeſſa, ſeu martyrium, omnes procul dubio reliquias peccati abſtergit; unde, juxta Auguſt. *injuria eſt orare pro Martyre*: non tamen id præſtat mors quæcumque. 1. Quia mors quandoque omni caret doloris ſenſu, ut in iis qui repentino caſu opprimuntur. 2. Quia ſi mors peccati reliquias mundare deberet, leniorem experirentur viri optimi, duriorem & duriſſimam minus boni; quod experientiæ communi adverſatur. 3. Quia non deſunt equidem, qui mortem æquo animo propter peccata ſua tolerant: nec dubium quin iis ad ſatisfaciendum proſit patientia. Sed an proſit ſatis ut omne eorum debitum expungat, nemini certo compertum eſt. 156

Dom. Soto, in 4. diſt. 19. qu. 3. exiſtimavit neminem manere in Purgatorio ad decem annos. Erat hæc ejus ratio, quod in præſenti vita per breves aliquot menſium pœnas ab omni pœna liberari poſſumus. Ergo & idem multo citius in altera vita perfici debet: cum in ea pœnæ præſentibus in infinitum graviores ſubeantur. 157

Sed male. 1. quia ab hujus vitæ pœnis ad pœnas vitæ alterius concludi non poteſt; quia currit hic miſericordiæ tempus, illic tempus juſtitiæ. 2. Quia poteſt quidem Deus extenſionem intenſo pœnarum gradu compenſare, at non vult. Alioqui doloris gradum adaugendo, Purgatorium ad unam horam redigeret. 3. Quia repugnat huic opinioni conſuetudo Eccleſiæ, quæ Anniverſaria ſacra pro Fidelibus ante plura ſæcula defunctis celebrat. Hinc proſcripta ab Alexandro VII. hæc theſis, num. 43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos*. Et merito, cum debitum certum ex juſtitia ſemper urgeat, donec certa ſit ejus extinctio, quod in caſu noſtro, citra revelationem, locum habere non poteſt. 158

Ergo, ut cum Bellarmino loquar, (Lib. 2. de Purgat. cap. 10.) quando liberentur animæ, *res eſt incertiſſima, & nonniſi temere definiri poteſt*. 159

Senſerunt tamen SS. Patres vereri eſſe ne illic diu torqueantur animæ. Sic Cyprianus, Epiſtol. 59. ad Antonianum, ut Fideles ad martyrium hortetur: *Aliud eſt*, inquit, *ad gloriam pervenire, aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſolvat noviſſimum quadrantem. Aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne*. 160

Sic Auguſtinus non ſatis habens pro matre ſua ante viginti annos mortua precari, eam futuris ſuis Lectoribus commendat, Lib. 9. Conf. c. 13. n. 37. his verbis: *Inſpira, Domine meus, Deus meus, inſpira ſervis tuis fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus & voce, & corde, & Litteris ſervio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad Altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quondam ejus conjuge . . . Ut quod illa a me popoſcit extremum, uberius ei præſtetur in multorum orationibus*. 161

Idem S. Doctor, Lib. 6. Operis imperf. contra Julianum, numer. 12. 22. & 30. docere videtur, Adamum nunc duntaxat, adeoque *poſt* 162

anno-

annorum aliquot millia, a pœnis liberatum eſſe, *quando Chriſtus pro nobis mortuus, ad loca mortuorum, non neceſſitate, ſed poteſtate, deſcendit, & dolores ſolvit inferni.*

163 Sic demum S. Cæſarius Arelatenſis, Serm. 104. numer. 4. (in Append. Auguſt. Tom. 5. pag. 186.) *Cum de die judicii ſcriptum ſit, quod erit dies unus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies unus: unde ſcit unuſquiſque utrum diebus, an menſibus, an forte etiam & annis per illum ignem ſit tranſiturus?*

164 Idem aſtruunt viſiones multæ a Beda, Dionyſio Carthuſ. & aliis relatæ, ex quibus conſtat animas nonnullas in purgantibus flammis uſque ad judicii diem permanſuras eſſe. Verum hæc pro more noſtro omittimus, non quia nobis ſint fabularum loco; ſed quia qua vivimus ætate, *Viſionarius* audit, qui viſiones referre audet.

ARTICULUS SEXTUS.

De qualitate pœnarum Purgatorii.

165 POEna duplex, alia *damni*, quę in carentia divinę viſionis poſita eſt: *ſenſus* altera, quæ aliunde quam ex carentia viſionis beatificæ naſcitur.

166 Conſtat animas purgantes pęnæ damni obnoxias eſſe. Nec enim citra mœrorem videre poſſunt, ſe propter culpam ſuam, ſummi, quod ardenter ſitiunt, boni fruitione privari. Tota itaque lis eſt de pœna ſenſus: potiſſimum vero an hæc in igne corporeo poſita ſit, numque is in animas agat ope ac miniſterio dæmonum. Qua de re ſit

CONCLUSIO I. Probabilius eſt ignem Purgatorii eſſe corporeum.

167 Prob. 1. Quia hæc eſt longe communior Patrum doctrina. Origenes, Homil. 13. in Jerem. de eo differens qui non plane a culpis ſuis purgatus moritur: *Iſte*, inquit, *peccator eſt, qui ignis indiget Baptiſmo, qui combuſtione purgatur, ut quidquid habuerit lignorum, fœni & ſtipulæ, ignis conſumat.*

168 Cyprianus, ubi ſupra: *Aliud eſt purgari diu igne, aliud peccata omnia purgaſſe.*

169 S. Hieronymus, in Pſalm. 36. num. 26. (Tom. 1. pag. 790.) *Væ mihi*, inquit, *ſi opus meum arſerit .·. Salvi erimus per fidem, ſic tamen ſalvi quaſi per ignem; & ſi non exurimur, tamen uremur.*

170 S. Auguſtinus, enarrat in Pſalm. 37. num. 3. *Quia dicitur: Salvus erit, contemnitur ille ignis .·. Gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid homo poteſt pati in hac vita.*

171 S. Gregorius, Lib. 4. Dialog. cap. 39. (Tom. 2. pag. 441.) *De quibuſdam levibus culpis eſſe ante judicium purgatorius ignis credendus eſt.*

172 Jam vero ignis vitæ alterius, juxta eundem Sanctum Gregorium, indubie corporeus eſt, prout ibidem probat, cap. 29. pag. 417. ubi: *Si diabolus ejuſque Angeli, cum ſint incorporei, corporeo ſunt igne cruciandi, quid mirum ſi animæ & ante quam recipiant corpora, poſſint corporea ſentire tormenta?* Jure ergo S. Thomas, in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. *Idem ignis eſt qui damnatos cruciat in inferno, & qui juſtos in Purgatorio purgat.* Ex iis ſic in forma: Verba Scripturæ & Traditionis litteraliter ſunt

ſunt accipienda, cum ex his nihil ſequitur abſurdi, juxta regulam Auguſtini ubique receptam. Atqui Scriptura & Traditio purgatorium ignem conſtanter exhibent, ut patet ex iis quæ hactenus dicta ſunt. Jam vero quod ignis ille litterali ſenſu accipiatur, nihil habet abſurdi. Etſi enim explicari non poteſt quo pacto corporeus ignis incorporeas animas afficiat; fieri tamen poteſt ut eas reapſe afficiat; ſicut licet explicari non poſſit, quo pacto mens corpori ſuo uniatur, eique vitam det, ſimul & cum ipſo patiatur & gaudeat, fieri poteſt, & de facto fit, ut hæc extra dubium omne poſita ſint.

Prob. 2. ex communiori nunc & olim Theologorum conſenſu, qui, 173
ut ait hic Bellarminus cap. 11. non poteſt niſi temere contemni. Docet equidem Dupinus, Diſſert. 10. in Apocalypſ. pag. 68. & ſeq. quæſtionem hanc ab Auguſtino (Lib. de octo Dulcitii quæſtionibus, q. 1. num. 12. Tom. 6. pag. 127. & Lib. 21. de Civit. Dei, cap. 9. numer. 2. Tom. 7. pag. 636.) tum quoad purgantes animas, quam quoad damnatos ipſos, libero cujuſque arbitrio permiſſam fuiſſe. Verum ea de cauſa non male vapulavit a citato jam Thoma Mangeart, Tom. 2. pag. 249. & ſeq. Utique poſtquam S. Doctor multa diſputavit de igne vitæ alterius, ſic demum cit. cap. 9. concludit: *Eligat unum de duobus quiſque quod placet, utrum & conſcientiæ vermem ad corpus proprie, an ad animum, translato a corporalibus ad incorporalia vocabulo, exiſtimet pertinere* ∴ DUM TAMEN *nullo modo illa corpora talia futura eſſe credamus, ut nullis ab igne afficiantur doloribus*.

Hinc citatus mox Scriptor noſtram hanc theſim ita negat de fide 174
eſſe, ut eam fidei proximam eſſe contendat, ibidem pag. 241. Mitiori ſtylo Bellarminus eam tantum *probabiliſſimam* nuncupat; nec ultra progredi audet: *Quia Græci in Concilio Florent. Seſſ. ultim. etſi fateantur ſe ſemper crediḋiſſe Purgatorium & orationem pro defunctis, tamen dicunt ſe dubitare utrum igne corporeo crucientur, an tenebris duntaxat, vel alio aliquo modo, quam eorum ſententiam Concilium tolerat*. Verba ſunt Leſſii, num. 18. pag. 827.

CONCLUSIO II. Incertum eſt an in Purgatorio torqueantur animæ a dæmonibus.

Prob. quia eas torqueri negant graves Theologi cum S. Thoma, in 175
4. diſt. 20. art. 5. tum quia non decet juſtitiam divinam, ut quæ in ultimo conflictu diabolum vicerunt, ab ipſo, id eſt ab hoſte victo crucientur: tum quia diabolus juſtos homines ideo vexat, ut eos in peccatum aliquod trahat præcipites. Atqui id non ſperat de ſanctis Purgatorii ſpiritibus, quos in gratia confirmatos eſſe novit.

Aliunde tamen non deſunt, qui eaſdem animas a dęmonibus in- 176
terdum torqueri ſentiant. Ita inter alios S. Bernardus, Serm. 42. de diverſis, ubi hęc: *Vadam in iſtam Regionem, & videbo viſionem hanc grandem, quomodo pius pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occiſionem, ſed ad purgationem*, &c. Favent Liturgię, in quibus oratur Deus ut animas illas eruat de ore Leonis. Conſonant apparitiones varię, tum apud Bedam, Lib. 3. Hiſt. Angl. cap. 19. tum in vita S. Bernardi, Libr. 1. capit. 10. Neque hic deſunt congruentię, quia ſatis ęquum eſt, ut quę ex parte a diabolo victę ſunt, illecebris

bris ejus conſentientes, ab eo vincantur ex parte, & ſœvitiam ipſius experiantur. Verum hęc neutrinde plurimum urgent. *Maneat igitur & hoc inter ſecreta, quæ nobis ſuo tempore aperientur*. Bellarminus, ibid. cap. 13.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De gravitate pœnarum Purgatorii.

177 DUo docet circa pręſens punctum S. Thomas, in 4. diſt. 30. quęſt. 1. artic. 2. 1. pœnam damni eſſe maximam pœnarum, quę vel in Purgatorio, vel in hac vita reperiri poſſint. 2. Minimam Purgatorii pœnam maxima hujus vitę pœna graviorem eſſe; ut quę ad minus importet pœnam damni, quę eſt omnium maxima.

178 Aliter ſentit D. Bonaventura, in 4. diſt. 20. art. 1. & docet 1. pœnam damni in Purgatorio non eſſe majorem omni pœna, ſeu Purgatorii, ſeu vitę hujus. 2. Maximam Purgatorii pœnam eſse graviorem maxima hujus vitę pœna, ſed aliquam Purgatorii pęnam minorem eſſe aliqua hujus vitę pœna. De his ſit

CONCLUSIO. I. Pœna damni non eſt in Purgatorio omnium maxima quantum ad acerbitatem.

179 Prob. 1. Si pœna damni omnium foret graviſſima etiam in Purgatorio, dicendum eſset Patres in Limbo, ubi viſione beatifica carebant, pœnam omnium graviſſimam ſuſtinuiſse. Atqui hoc adeo falſum eſt, ut Luc. 16. Abraham de Lazaro dicat ad divitem: *Nunc autem hic conſolatur: tu vero cruciaris*. Unde Auguſtinus Epiſtol. 164. alias 99. negat id Act. 2. *Solutis doloribus inferni*, de SS. Patribus intelligendum. Gregorius vero Lib. 13. Moral. cap. 22. dicit Patres in inferno non tormenta ulla, ſed requiem habuiſse.

180 Prob. 2. Ideo pœna damni ſumma eſt in inferno (quod tamen negat Leſſius numer. 20. & ſatis male probat exemplo impiorum, qui parum curent divino intuitu privari, ſi eis conceſsum eſse ſęculi hujus deliciis frui in perpetuum) quia pœnę huic annexa eſt deſperatio certiſsima cujuſcumque ſolatii expers. Atqui contra in Purgatorio ſpes affulget certiſsima liberationis; eaque multiplici conjuncta ſolatio, ei pręcipue quod ex pura divinam voluntatem adimplendi voluptate naſcitur. Hinc Patres, qui pœnas Purgatorii omnium maximas eſse docent, pœnam ignis commemorant, non damni, niſi prout hęc deſperationi juncta eſt in inferno.

181 Dixi pœnam hanc non eſse omnium maximam *quoad acerbitatem*: quia omnium eſt maxima appretiative. Siquidem Sanctæ illæ animę, quæ omnia ſuis momentis æſtimant, viſionis Dei carentiam, plus dolent quam quodvis aliud malum, cum quo bonum hoc poſset conſiſtere. Ergo mallent quodvis pati & frui hoc bono, quam boni hujus carentiam pati. Ergo maxime dolent de hoc malo appretiative. Et id, ait ibid. Leſſius, in hac etiam vita videmus in viris ſanctis, quia eo inclinat charitas perfecta.

CONCLUSIO II. Graviſsima Purgatorii pœna indubie gravior eſt gra-

Digitized by Google

graviſſima quacumque hujus vitæ pœna. Dantur tamen in Purgatorio pœnæ graviſſimis hujus vitæ pœnis leviores.

Prob. 1. pars, 1. Ex citato jam Auguſtini textu in Pſalm. 37. *Gravior erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita.* 182

2. Ex S. Cæſario Arelatenſi Serm. 104. num. 4. (Tom. 5. Append. 183
S. Auguſt. pag. 186.) ubi hæc ſcribit: *Sed, dicet aliquis, non pertinet ad me quamdiu moras habeam, ſi tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, Fratres chariſſimi, quia ille Purgatorius ignis durior erit, quam quidquid poteſt in hoc ſæculo pœnarum aut cogitari, aut videri, aut ſentiri. Et cum de die judicii ſcriptum ſit, quod erit dies unus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies unus; unde ſcit unuſquiſque utrum diebus, an menſibus, an forte etiam & annis per ignem illum ſit tranſiturus? Et qui modo nec unum digitum ſuum in ignem vult mittere, timeat neceſſe eſt, vel tunc parvo tempore cum anima & toto corpore cruciari.*

3. Ex S. Bernard. Serm. 6. in Purificat. B. Mariæ, num. 5. ubi de 184
purgatoriis flammis hæc ſerio ponderanda loquitur: *Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati ſunt, velimus, nolimus, implemus: Sed væ nobis, ſi dies implentur, & purgatio minime impletur; ut poſtea neceſſe ſit illo nos igne expurgari* QUO NIL POENALIUS, NIL ACRIUS, AUT VEHEMENTIUS IN HAC VITA EXCOGITARI POTEST. Quod & rurſus docet id Auguſtini, Lib. de Civ. Dei, cap. 10. (Tom. 7. pag. 631.) *Cruciantur miris, ſed tamen veris modis.*

Probat. 2. Pars, quia Patres, qui Purgatorii cruciatus idæam nuſquam imminuere, ſemper ſtatuerunt eundem delictorum menſuræ ſeu gravitati ſimilem eſſe. Unde juxta ipſos, præſertim vero Cæſarium Serm. 252. (Tom. 5. Append. Auguſt.) *Quantum ſtulte iniquitas geſſerit, tantum ſapiens pœna deſæviet. Quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis diſciplina.* Unde purgans ille ignis ab eodem Cæſario vocatur *ignis arbiter*. Jam vero quædam ſunt delicta ex omni parte tam levia, qualis eſt otioſa quædam vocula, ut vix concipi poſſit quempiam ob ea gravioribus plecti ſuppliciis, quam quæ Neronum, Domitianorum, Japonicorum Principum furor & rabies adverſum Chriſtianos invenerint: Ergo. 185

Confirm. quia licet inter Theologos dubium ſit. 1. an animæ ad 186
unam omnes pœna ignis torqueantur; 2. An earum pœna ab initio ad finem ſemper ſit æque gravis, an non in dies, ex viventium ſuffragiis, aut menſura tormentorum, deferveſcat, & imminuatur; multo tamen probabilius eſt, nec omnes torqueri flamma, nec flammam hanc, quas torquet, ſemper in eodem gradu torquere. Atqui poſita hac opinione, quæ admodum congruit judicio illius, qui nequidem in ira ſua continet miſerationes ſuas; perſpicuum eſt non quamlibet Purgatorii pœnam eſſe majorem maxima hujus vitæ pœna. Pœna enim quæ ad finem vergit, debet adeo eſſe remiſſa, ut amplius remitti non poſſit. Hic autem occurrunt pœnæ intenſiſſimæ, quæ poſſent plurimum remitti. Ita Bellarm. cap. 14. Leſſius num. 22. (a quibus tamen circa hanc pœnæ imminutionem diſſentit Suarez diſp. 46. ſect. 4. num. 8.)

Idem,

187 Idem, ut aſſolent, confirmant ex viſione duplici; altera quidem Malachiæ, qui teſte D. Bernardo, cum pro defuncta ſorore oraret, eandem conſpexit 1. in veſte nigra & extra Eccleſiam; 2. in veſte ſubfuſca & intra limen Eccleſiæ; 3. in veſte candida & juxta Altare cum ſanctis ceteris: altera vero Orithalmi, qui apud Bedam, Lib. 5. cap. 13. in ameniſſimo loco multa animarum albatarum millia, Dei laudes concinentium proſpexit, ita ut locum hunc pro Paradiſo haberet: quæ tamen necdum penitus expiatæ erant. Unde & iſte locus ad Purgatorium pertinebat, ſive ſub terra, ſive ſuper terram fuerit. Supra enim ex D. Thoma monuimus, animas licet de via communi ſub terra expientur, alibi purgari poſſe. Nec dubium quin initio ablutæ in infernis, pœnitentiam in locis ſuperioribus perficere valeant.

CAPUT QUARTUM.

De officio militantis Eccleſiæ erga Eccleſiam patientem.

1 CONCLUSIO. Viventes patientem Eccleſiam multis titulis adjuvare tenentur.

Prob. 1. Enim ad præſtandam hanc defunctis opem tenentur titulo humanitatis. Siquidem *omne animal diligit ſimile ſibi, ſic & omnis homo proximum ſibi*, Eccli. 13. 19. Hinc ne ipſi quidem Cœlites obliviſcuntur noſtri, ſed licet de ſorte ſua ſecuri, de noſtra ſunt ſolliciti; & precibus ſuis agunt, ut quem attigere felicitatis portum, eo nos quoque appellamus. Jam vero qui in Purgatorio patiuntur, ejuſdem nobiſcum naturæ ſunt, eodem patre Deo ſati, eodem per ipſum limo compacti. *Numquid* enim, ait Malachias, capit. 2. verſ. 10. *non pater unus omnium noſtrum? Numquid non Deus creavit nos? Quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum proximum ſuum?* præſertim vero poſitum in anguſtiis, in quibus juvari facillime poſſit. Ergo ait S. Bernardus Serm. de diverſis 42. *reſtat ut ad eos tranſeamus per compaſſionem, quibus juncti fuimus per humanitatem*. Ergo rurſum *illis compaſſionem debemus & orationem propter ſimilis naturæ conſortium, ut pius pater auferat ſcordam eorum, & in beneficia flagella commutet, & ſic tandem reconſignet ad beata gaudia civitatis*. Et vero quis, modo necdum omnem exuerit humanitatis ſenſum, manum porrigere recuſet ei, quem lacrymabili voce audierit perpetuo ejulantem: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie: Ubi eſt Deus tuus*, Pſalm. 41. 2. Provide igitur & pie Apoſtolus Hebr. 13. *Mementote vinctorum tanquam ſimul vincti*.

2 2. Ad id tenentur ut plurimum ratione cognationis. Nimirum etſi humanitas exigit ut homo hominem ſublevet, *diligentius tamen & æquius facit hoc quiſque pro neceſſariis ſuis, quo pro illo fiant ſimiliter a ſuis*, inquit Auguſtinus Libr. de cura pro mortuis, capit. 18. numer. 22. Atqui ex iis qui languent in Purgatorio, plures indubie ſunt,

ſunt, qui ad viventes ſanguine vel affinitate pertineant: Avi ſcilicet, patres, filii, conjuges, aliique id genus. Quin & raro contingit ut non torqueantur cauſa noſtri; pater quia prolem lenius emendaverit, enixius locupletare ſtuduerit; mater quia filiæ elegantiam laudaverit, modeſtiam juſta paulo minorem indulſerit; filius quia obtemperaverit, cum obediendum non eſset; parentes, a quibus male vexabatur, non ſat reveritus fuerit; uxor, quia plus mariti fortunæ, quam ſaluti conſuluerit; frater quia fratri fuerit peccandi occaſio; & ſic de ceteris. Quo igitur ingrati animi ſenſu contingit, ut, quos tradidimus flammis, hos inde eripere neutiquam conemur; atque dum eorum laboribus veſcimur, nullam ipſis horum partem applicemus: imitati fratres illos nequam, qui, ut loquitur Amos 6. verſ. 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph*, quem miſerant in lacum? Utique noſtram hanc duritiem arguunt vel ipſi Ethnici, qui ut loquitur Tertullianus, Lib. de corona militis: *Defunctis parentabant impenſiſſimo bonore*.

3. Et ad id tenentur ratione amicitiæ & neceſsitudinis. Ut enim in purgantibus flammis languent, idque noſtri cauſa, nonnulli ex conſanguineis, & affinibus noſtris; ſic & eadem de cauſa in iis languent quandoque non pauci ex iis amicis, de quibus, ut olim, utrinque dicebatur: *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam*. 1. Reg. 18. verſ. 1. Jam vero ut habetur Eccl. 37. 6. poſtulant amicitiæ leges, ut *non obliviſcaris amici tui in animo tuo, & non immemor ſis illius in opibus tuis;* præſertim cum is opum indiget, ſecundum id ibidem 22. 28. *Fidem poſſide cum amico in paupertate illius: & in tempore tribulationis permane illi fidelis*. Ergo ſi dicere lubet cum Ambroſio in oratione de obitu Thodoſii Magni, numer. 36. *Conteror corde, quia ereptus eſt vir, quem vix poſſumus invenire;* lubeat cum eodem addidiſse: *Dilexi viventem, & ideo proſequor uſque ad Regionem vivorum; nec deſeram, donec fletu & precibus inducam virum, quo ſua merita vocant, in montem ſanctum, ubi perennis vita*. Et quem miſereat amici, niſi amicum his aut ſimilibus verbis ſuppliciter invocatum: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*. 3

4. Ad id etiam obligantur titulo religionis. Docet enim fides ex animabus purgandis, ex ſanctis in Cęlo regnantibus, & juſtis qui hodieque in vivis ſuperſunt, unam coaleſcere Eccleſiam & ſocietatem. *Inter Martyres*, ait Chryſoſtomus Homil. 41. in cap. 15. Epiſtol. 1. ad Corinth. *inter Confeſſores, inter Sacerdotes, mortuos recenſemus: unum enim corpus omnes ſumus, ſicut membra, licet, alia aliis illuſtriora*. Unde Auguſtinus, Libr. 20. de civit. Dei, capit. 9. numer. 2. *Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti. Alioquin nec ad Altare Dei fieret eorum memoria*. Et vero animæ illæ Deum habent patrem, Chriſtum caput, Eccleſiam matrem, fidem regulam, Cęlum ſpem, charitatem veſtimentum. Atqui non modo ſanctum & ſalubre, ſed & æquum eſt 4

ut

ut ejuſdem Societatis membra mutuam ſibi opem præſtent. Ergo cùm *neque negandum ſit defunctorum animas pietate viventium relevari*, uti loquitur Auguſtinus, Enchir. cap. 110. nu. 29. præſtandum nobis id erga defunctos, quod vivis negare non auſimus, ſicque omnis quoad omnes implenda juſtitia, ſecundum id Eccli. 7. 37. *Gratia dati in conſpectu omnis viventis*, & mortuo non prohibeas gratiam.

5 Atque id ab incunabulis ſervatum in Eccleſia, ut his verbis docet Tertullianus, Lib. de anima, n. 51. *Oblationes pro defunctis annua die facimus .·.·. Harum & aliarum hujuſmodi diſciplinarum Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix*. Hinc Apoſtolus Oneſiphoro jam, ſecundum multos, defuncto miſericordiam precabatur *in die illa*, 2. Timoth. 1. v. 18. Hinc Græci Epiſcopi mortuorum corpora deducendo ad ſepulchrum, rogabant ut Deus eos *collocaret in regione piorum quieſcentium in ſinu Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, cum omnibus qui a ſæculo placuerunt Deo*, Conſtit. Apoſt. Lib. 8. cap. 40. Hinc tot Auguſtini pro Monica genitrice ſua, tot Ambroſii pro Theodoſio & Satyro orationes, &c.

6 5. Demum ad id tenentur ex juſtitia erga ſemetipſos: 1. Quia orando pro defunctis juſtitiam divinam placabunt pro ſe ipſis. Non enim ſic aliis proſunt ſatisfactiones noſtræ, nihil ut ex iis capiamus emolumenti. Prodeſt utique fratri ſuo, qui potum dat ei calicem aquæ frigidæ: & tamen *non perdet mercedem ſuam*, Matth. 10. 42. Hinc Angelus ad Tobiam, cap. 12. verſ. eod. *Quando orabas cum lacrymis & ſepeliebas mortuos .·.·. ego obtuli orationem tuam Domino .·.·.·. Et nunc miſit me Dominus ut curarem te*. 2. Quia gratiam præſtando fratribus ſuis, parem ſibi gratiam obtinebunt, ſecundum illud Auguſtini ſupra: *Facit hæc quiſque pro neceſſariis ſuis, quo pro illo fiant ſimiliter a ſuis*. Nimirum *in qua menſura menſi fueritis, remetietur* vobis, ait Veritas Marc. 4. 24. Ergo faciet *Dominus vobiſcum miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis*, Ruth. 1. 8. Et vero quis capiat animas precibus noſtris ad gloriam tandem evectas, eorum eſſe immemores, quibus bonum hoc acceptum debent. Fiet ſane aliquando ut, ſi ad interitum vergatis exclament unanimes, ſicut olim populus Iſrael: *Ergone morietur Jonathas, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael:* quique ſi defuiſſet nobis, hodieque in igne & per ignem torqueremur? *Surgam ergo in adjutorium illis: interpellabo gemitibus, implorabo ſuſpiriis, orationibus intercedam; ut ſi forte videat Dominus & judicet, laborem convertat in requiem, miſeriam in gloriam, verbera in coronam*. S. Bernardus Serm. 42. de diverſ.

CAPUT QUINTUM.

De modo adjuvandi animas defunctorum.

1 EX dictis præſertim cap. 2. liquet pœnam ſuperſtiti piarum animarum reatui debitam per propriam earum paſſionem ſolvi poſſe. Nunc videndum an & quomodo ſolvi poſſit per viventium actionem vel

vel paſſionem iiſdem communicatam; quæ quidem communicatio, ut notat Suarez, Tom. 4. in 3. P. D. Thomæ diſp. 48. *ſuffragium* appellari ſolet. Suffragium enim ex D. Thoma & aliis in 4. diſt. 45. eſt Auxilium quoddam quod unus fidelis præbet alteri, ad obtinendum ipſi temporalis pœnæ remiſſionem, vel aliquid hujuſmodi.

Tria porro ſunt ſuffragiorum genera, videlicet Sacrificium Miſſæ, 2
oratio, & opera quælibet pœnalia & ſatisfactoria, ut eleemoſyna, jejunium, piæ peregrinationes & ſimilia. Ubi oratio, tametſi & ipſa ſit ſatisfactoria, a ceteris operibus ſatisfactoriis diſtinguitur; quia oratio duobus modis juvat defunctorum animas, 1. Nempe ut opus quoddam pœnale & hoc ſenſu poterat revocari ad opus ſatisfactorium; 2. Ut eſt impetratoria, quod proprium eſt orationis: quo etiam pacto orationes Beatorum nobis & animabus Purgatorii proſunt, licet ſatiſfactoriæ non ſint.

Perperam autem redargueretur tripartita hæc diviſio, eo quia nul- 3
la in ea fiat mentio Indulgentiarum, quas tamen defunctis prodeſſe ſuo loco dicemus. Siquidem Indulgentiæ revocantur ad tertium prædictæ diviſionis membrum; quia nihil aliud ſunt quam applicatio defunctis facta operum pœnalium Chriſti & Sanctorum. Et idcirco dicuntur concedi defunctis, non per abſolutionis modum, ſed per modum ſuffragii. Non enim poteſt Pontifex defunctos abſolvere a pœnis, quomodo abſolvit viventes; cum in viventes juriſdictionem habeat, non in defunctorum animas, quæ jam Dei ſolius foro ſubjacent; at ut ſummus diſpenſator theſauri Eccleſiæ, poteſt bona opera pœnalia, quę in eo ſunt, iiſdem communicare. Ita expreſſe Bellarminus eod. lib. 2. cap. 16. de quo Tract. Seq. Hæc autem ut eluceſcant, & quantum ad præſens neceſſe eſt, probentur, expendam 1. an ſuffragia Eccleſiæ proſint defunctis, quibus, & quomodo. 2. Quæ ad ſuffragium defunctis profuturum requirantur conditiones.

ARTICULUS PRIMUS.

An & quibus defunctis proſint Eccleſiæ ſuffragia, &c.

VIvorum ſuffragia ullis defunctis prodeſſe negant, quicumque Purgatorii veritatem inficiantur. Sit

CONCLUSIO. Suffragia vivorum proſunt defunctis ad remiſſionem pœnæ; non tamen eodem modo proſunt, neque proſunt omnibus.

Prob. 1. pars. Si vivorum ſuffragia non prodeſſent defunctis, nec 4
ſancta & ſalubris eſſet cogitatio pro iis orare; nec pro eis utiliter offerrentur ſacrificium Miſſæ, & alia quæcumque ſatisfactoria pietatis opera. Atqui primum repugnat Scripturæ; ſecundum vero conſtanti Eccleſiæ praxi, uti vidimus, Cap. 2. Ergo.

Prob. 2. Eccleſia univerſa corpus unum conſtituit, cujus caput eſt 5
Chriſtus. Atqui tam caput quam membra unius ejuſdemque corporis ſe ſe invicem juvare poſſunt & debent; ſecundum id 1. Corinth. 12. 25. *Pro invicem ſollicita* ſunt *membra: Et ſi quid patitur unum membrum;*

brum ; compatiuntur omnia membra. Ergo ſi defuncti ad corpus iſtud pertineant, debent & poſſunt, ut afflicta membra, quæ ſibimetipſis opem ferre non valent, juvari a viventibus. Jam vero & ipſi defuncti membra ſunt corporis hujus. *Neque enim*, ait Auguſtinus Lib. 20. de Civit. Dei, cap. 9. *piorum animæ defunctorum ab Eccleſia ſeparantur, quæ etiam nunc eſt Regnum Dei: Alioqui nec ad Altare fieret eorum memoria*. Et infra: *Cur enim iſta fiunt, niſi quia fideles, etiam defuncti, ejus membra ſunt*.

6 Confirm. quia Chriſtus Eccleſiæ Caput, vivens profuit viventibus, ut cum peccata dimiſit Magdalenæ; mortuus mortuis, cum ad inferos deſcendens eorum dolores ſolvit; vivens mortuis, cum Lazarum & alios ſuſcitavit; mortuus vivis, cum morte ſua vitam æternam nobis promeruit. Ergo æquum fuit ut ad Capitis noſtri formam eadem in membris omnibus conſtitueretur ratio ſe ſe invicem adjuvandi. Hanc autem de facto conſtitutam eſſe liquet.

7 Quod enim viventes a viventibus juventur, patet vel ex hoc uno Jacobi textu, cap. 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini*.

8 Quod vero mortui proſint mortuis, conſtat ex 4. Reg. 13. ubi Eliſæus mortuus mortuum alium ſuſcitavit; & Luc. 16. ubi Abraham mortuus Lazarum mortuum in ſinu ſuo ſuſcipit & conſolatur. Nec ulli dubium eſſe poteſt, temere ac perperam reclamante Dom. Soto in 4. diſt. 45. qu. 3. art. 2. quin Sanctorum animæ cum Chriſto regnantes orent pro ſanctorum animabus in Purgatorio cruciatis; cum & id diſertim tradat Auguſtinus Lib. de cura pro mortuis; & Eccleſia tota in oratione: *Deus veniæ largitor*, enixe Dominum precetur, ut *intercedente B. Maria cum omnibus Sanctis* defunctorum animas *ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire* concedat.

9 Quod autem mortui proſint viventibus, evincitur ex 2. Machab. 15. ubi Onias & Jeremias jam dudum defuncti exhibentur pro Judæis viventibus orantes. Nec ſanæ mentis fuerit, qui collata viventibus Sanctorum ope beneficia in dubium vocaverit. Veri etiam ſimillimum eſt patientes animas pro nobis orare; tum quia Paſchaſii, & Severini animæ, licet adhuc Purgatorio detentæ, miracula operabantur, ut patet ex S. Gregorio lib. 4. Dialog. cap. 40. (Tom. 2. pag. 444.) & Petro Damian. in Epiſtol. de miraculis ſui temporis; tum quia nihil eſt cauſæ cur non orent pro nobis, uti oſtendimus Tom. 1. pag. 597.

Ergo pari jure & forma ſupereſt ut viventes defunctis prodeſſe valeant.

10 Probat. 2. pars, nempe quod ſuffragia non eodem modo, ſeu eadem vi proſint omnibus. Scilicet enim ſuffragia pro defunctis, ut & pro vivis, potiſſimum conſiſtunt in Sacrificio Miſſæ, in orationibus, & in eleemoſynis; prout ſolide probat Auguſtinus Serm. 172. de verbis Apoſtol. num. 2. ubi ſic: *Orationibus vero Sanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordia agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia*. Jam vero triplex illud ſuffragii genus non eodem

eodem modo operatur in defunctis. Siquidem ſacrificium Miſſæ in iis agit ex opere operato prout diximus Tom. 5. pag. 736. 759. & alibi paſſim. Atqui is operandi modus nec orationibus convenit, nec eleemoſynis. Cum nulla poſſit ratione probari utramque ſic inſtitutam fuiſſe a Deo, ut cum tali virtute operaretur. An autem operatio hæc conveniat ſacramentalibus, expenſum eſt Tom. 4. pag. 265. Sed & an competat Indulgentiis, expendetur Tract. ſeq.

Probat. 3. pars, quia ſuffragia nec Beatis proſunt ad dimiſſionem pœnæ, cum in eo loco degant ubi *abſtergit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, Apocal. 7. 17. nec damnatis, cum citra ſpem ſolatii quantumlamcumque crucientur *die ac nocte in ſæcula ſæculorum*, ibidem 20. 10. Sed & de his fuſe dictum eſt Tom. 5. pag. 754. ubi & expoſitum eſt pag. 760. quo ſenſu Sacrificium in honorem Sanctorum offeratur. 11

Objic. contra 1. part. Ut viventium ſuffragia defunctis proſint ad remiſſionem pœnæ, non ſufficit ut viventes impetrent defunctis pœnæ, ſuæ remiſſionem, eamve de congruo mereantur, ſed neceſſum eſt ut pœnam hanc eorum loco exſolvant, pro ipſis ſatisfaciendo. Atqui non poſſunt viventes pœnas defunctorum per ſuam ſatisfactionem exſolvere. Siquidem debitum pœnæ eſt debitum perſonale. Atqui debitum perſonale non poteſt per alium quam debitorem exſolvi. Minor conſtat; cum eo debitum perſonale diſtinguatur a reali, quod illud expungitur per rei debitæ traditionem a quocumque factam: illud vero per propriam debitoris actionem vel paſſionem expungi debet. Prob. itaque major, 1. quia per peccatum fit homo dignus pœna in ſe, non in alio. Ergo contrahit debitum a ſe ipſo, non ab alio perſolvendum. 2. Quia debitum pœnæ non poteſt per opus alienum contrahi, ſed duntaxat per proprium. Ergo a contrario debiti ejuſdem ſolutio non poteſt fieri per opus alienum, ſed tantummodo per proprium. 3. Quia debitum ſatisfaciendi pro culpa, quantum fieri poteſt, id eſt ſe ſe diſponendi ad obtinendam culpæ remiſſionem; ita perſonale eſt, ut per alium ſolvi nequeat. Ergo a pari debitum pœnæ adeo perſonale eſt, &c. 4. Quia meritum gratiæ & gloriæ ita perſonale eſt, ut nemo poſſit alteri meritum ſuum præſtare, quo ei valeat ad obtinendam gloriam, & ſit quaſi merces ejus. Ergo eadem ratione non poteſt unus pro alio pœnæ temporalis reatum ſolvere. 5. Quia pœna peccatis debita eſt medicinalis, & ad majorem hominis munditiam ſpectat. Atqui nemo per medicinam alteri applicatam curatur; aut purior fit per bona illius opera. 6. Quia Scriptura de hujuſmodi pœnis loquitur ut ab unoquoque reo perſolvendis: Siquidem *unuſquiſque onus ſuum portabit*, Galat. 6. *Unuſquiſque referat propria corporis, prout geſſit*. 2. Corinth. 5. &c. 7. Quia defuncti ne ab ipſis quidem Sanctis juvari poſſunt, ut patet ex hiſtoria divitis Epulonis, Lucæ 16. 12

Reſp. Nonnullos, quorum nomen prætermittit Suarez citat. diſp. 48. ſect. 2. exiſtimaſſe quidem *non poſſe unum Fidelem alteri ſuffragium ferre pro illo ſatisfaciendo; ſed ſolum impetrando ac merendo de congruo, ut Deus remittat talem pœnam, ſive immediate, gratis illam condonan-* 13

Z 2 do

do propter orationem alterius , ſive dando aliquod auxilium propter eaſdem orationes ; quo alter bene operetur ad hujuſmodi remiſſionem obtinendam . Verum , ait idem Doctor numer. 4. *ſententiam hanc cenſeo eſſe falſam , & valde novam in Theologia , ideoque omnino vitandam in materia adeo gravi .* Tum adductis auctoritatibus SS. Thomæ , Bonaventuræ , Durandi , & aliorum complurium , ab his definit Cathechiſmi Romani verbis de Sacramento pœnitentiæ numer. 61. mihi 108. & ſeq. *In eo ſumma Dei bonitas & clementia maximis laudibus , & gratiarum actionibus prædicanda eſt , qui humanæ imbecillitati hoc condonavit , ut unus poſſit pro alio ſatisfacere .* Infra vero explicans modum hujus ſatisfactionis : *Qui divina gratia præditi ſunt* , inquit , *alterius nomine poſſunt , quod Deo debetur perſolvere : quare fit ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur . Nec vero de hoc cuiquam Fidelium dubitandi locus relictus eſt , qui in Apoſtolorum Symbolo Sanctorum communionem confitemur .* Et vero hanc Sanctorum communionem ſic Eccleſia ſemper intellexit , ut omnem boni communicationem poſſibilem & convenientem includeret . Atqui poſſibile eſt & conveniens , ut Deus pœnalia unius opera in ſatisfactionem pro alterius pœna miſericorditer acceptet : Sicut poſſibile eſt & conveniens ut unum plectat in alio , Davidem puta in filio propter adulterium.

14 Confirm. 1. Quia conſtans eſt ea omnium vox , unum pro alio ſatisfacere ex meritis Chriſti, ſicut Chriſtus pro nobis ex propriis meritis ſatisfecit. Atqui ſatisfacere, in proprietate ſermonis, non eſt impetrare gratuitam remiſſionem pœnæ, ſed ſolvere debitum pro ea. Alioqui poſſent etiamnum Sancti pro nobis ſatisfacere; quia pœnæ remiſſionem impetrare nobis facilius poſſunt, quam viator unus alteri viatori eandem impetrare poſſit.

15 Confirm. 2. Ex Indulgentiarum doctrina, quæ ſupponit non tantum Chriſti ſed & Beatorum ſatisfactiones ſuperabundantes poſſe aliis applicari ad expungendam iſtorum pœnam . (Vid. Tract. ſeq. cap. 4. n. 45. & ſeq.)

16 Confirmat. 3. Quia duobus modis poteſt alter alteri per modum meriti vel impetrationis obtinere a Deo remiſſionem alicujus debiti , 1. quidem ei impetrando gratiam , qua bonum quid faciat , vi cujus remiſſionem hujuſce debiti obtinere valeat , 2. impetrando eidem ut debitum ipſius gratis & ſine ulla ſatisfactione tollatur . Atqui neuter hic modus veram & proprie dictam ſatisfactionem , quæ poſt Sanctum Thomam ab omnibus admiſſa eſt , importat . Non prior , tum quia is in animabus Purgatorii locum habere non poteſt ; cum eæ jam per propria ſua opera pœnas ſuas ſatisfactorie diluere non poſſint ; tum quia Fideles pro aliis ſatisfacere poſſent quoad culpam mortalem & venialem ; eo quia poſſint iis impetrare gratiam , qua ſe , ut poſſint , diſponant ad ſatisfaciendum pro hiſce peccatis . Hoc autem ſatisfactionis genus , nec admitti poteſt , nec a quopiam hactenus admiſſum eſt . Non poſterior ; 1. quia nemo ſibi gratuitam temporalis pœnæ dimiſſionem obtinere poteſt . Ergo

multo

Digitized by Google

multo minus eam poterit alii obtinere : cum ceteris paribus efficacior ſit oratio ad impetrandum ſibi, quam alteri. 2. Quia non decet, ut qui par eſt ſolvendo, gratuitam poſtulet condonationem, ſeu diſpenſationem a lege juſtitiæ. 3. Quia ne ipſe quidem Chriſtus aliter quam pœnam ferendo, pœnarum nobis debitarum remiſſionem obtinuit. Ergo ſupereſt ut Fidelium ſuffragia quoad remiſſionem pœnæ temporalis non aliter proſint quam per modum ſolutionis atque ſatisfactionis. Jam ut ſolvatur objectio,

R Ad 1. Neg. min. Ad 2. diſt. maj. debitum pœnæ eſt debitum perſonale, quatenus per ſe & vi ſua talem perſonam conſtituit debitricem, & ab ea legitime exigi poteſt, C. Eſt perſonale, quaſi neceſſario per ſolam debitoris actionem aut paſſionem ſolvi & expungi poſſit, N. Alioqui enim nec ipſa Chriſti ſatisfactio poſſet cuipiam applicari per modum ſatisfactionis, ſed tantum per modum impetrationis & meriti, quod abſurdum eſt. 17

Ad 1. prob. neg. conſ. ſicut enim Chriſtus Caput fidelium potuit pro membris ſatisfacere, exolvendo pœnam quam membra ſibi promeruerant: ſic & membra corporis ejus alia pro aliis pœnas, quas perſonaliter meruerunt, exolvere valent. Ratio eſt quia pœnæ illæ non ſic taxatæ fuerunt, ut in propria perſona neceſſario ſolvi deberent, ſed ut vel per nos, vel per pia amicorum noſtrorum opera ſolverentur: Quod & ſummam Dei benignitatem, & Sanctorum inter ſe communionem mere commendat. 18

Ad 2. nego rurſus conſeq. ex qua ſequeretur Chriſtum non ſatisfeciſſe pro nobis. Et vero temporalis pœnæ debitum non contrahitur niſi per actualem culpam, in qua non poteſt eſſe communicatio. Solutio autem pœnæ fit per bona opera, in quibus eſſe poteſt, & decet ut ſit communicatio. 19

Ad 3. neg. iterum conſeq. remiſſio enim culpæ in adultis requirit proportionatam illius cui culpa remittenda eſt, diſpoſitionem; adeoque & actionem ejus; quia remiſſio hæc pertinet ad intrinſecam ejus ſanctificationem. At vero remiſſio ſolius pœnæ temporalis, cum hominem non reddat ſanctiorem, fieri poteſt per actionem extrinſecam, ſeu per ſolutionem alterius alteri communicatam. 20

Ad 4. negatur conſeq. propter eandem rationem. Meritum enim gratiæ debet hominem intrinſecus diſponere ad gratiam, quod de via communi ſine propria illius actione fieri non poteſt. Verum remiſſio pœnæ non requirit novam ſanctitatem intrinſecam, aut propriam virtutis diſpoſitionem, ut de Purgatorii ſpiritibus conſtat. 21

Ad 5. 1. neg. maj. pœna enim aliquando tantum eſt vindicativa, ut patet in iiſdem Purgatorii ſpiritibus, in quibus nec creſcunt virtutes, nec timentur vitia. 22

2. Etſi nemo per medicinam alterius intrinſece curari poteſt; poteſt quis tamen condonationem debiti ex alterius liberalitate conſequi; modo & is par aliquid offerat, & debitor unum pro alio acceptet; quod & fecit Chriſtus pro nobis, & a nobis pro fratribus fieri conceſſit. 23

Ad 6. diſt. loquitur Scriptura de pœnis tanquam ab unoquoque reo ferendis, quatenus nemo propter aliena peccata (niſi hæc ſua fecerit) 24

rit) condemnabitur ; nemo item in finali judicio niſi perſonali pœnæ addiceretur, C. quatenus nemo per alium adjuvari poſſit, N. Unde hic tacita ſubeſt conditio hæc, niſi alter alteri opem ferat. Alioqui nec per indulgentias, nec per ſacrificia adjuvari poſſent animæ patientes, quod hæreticum eſſe fatentur ii contra quos dimicamus.

25 Ad 7. Fatemur defunctos qui exciderunt a communione Sanctorum Eccleſiæ tum militantis, tum & triumphantis; qualis erat epulo ille in inferno ſepultus, omni prorſus ope deſtitui. At negamus idem de iis dicendum, qui plenam cum utraque Eccleſia communionem retinent, quales ſunt omnes in Domino mortui.

26 Saltem, inquies, qui ſatisfaciet pro alio, privabit ſe fructu ſatisfactionis illius, quantum ad pœnæ remiſſionem.

27 R. In hoc nihil eſſe abſurdi, & ita docere communiter Theologos cum S. Thoma in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. q. 4. Ratio eſt quia opus finiti valoris, ſi uni debito ſit æquivalens, ſolutione hujus exhauritur. Aliud eſt in impetratione, quæ ſic alteri prodeſt, ut æque proſit ipſi impetranti: quia in ea non attenditur operis æqualitas, ſed illius qui oratur liberalitas & beneficentia. Similiter etiam ſatisfactio pro alio, & meritum pro ſe non repugnant, quia in principiis diverſis fundantur; meritum quidem in bonitate actus, ſatisfactio autem in ejus pœnalitate. Sed de his adeatur Suarez, ubi ſupra.

28 Obj. 2. S. Ambroſius, Lib. 1. de Abraham, cap. 9. *Non*, inquit, *diutius inhæreamus mortuis; ſed quantum ſatis eſt officii deferamus*. Ergo S. Doctor eam quam admittimus ſatisfactionis ſpeciem rejicit.

29 R. Ambroſium hic agere de luctu & funeris pompa, quam merito vult eſse moderatam; non autem de oratione pro mortuis, quam nuſquam credidit nimio majorem fieri poſſe. Unde in oratione de obitu Valentiniani junioris, Gratianum & Valentinianum defunctos alloquens: *Beati ambo, ſi quid orationes meæ valebunt: nulla dies vos ſilentio præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contentione tranſcurret; omnibus vos oblationibus frequentabo.*

30 Obj. 3. Hieronymus, in id Galat. 6. *Unuſquiſque onus ſuum portabit*, docet *nos, dum in præſenti ſæculo ſumus, ſive orationibus, ſive conſiliis invicem poſſe coadjuvari; cum autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare poſſe pro quoquam, ſed unumquemque portare onus ſuum*. Atqui hæc noſtram de ſatisfactione pro mortuis doctrinam peſſumdant.

31 Reſp. neg. min. Vel enim loquitur Hieronymus de iis qui in peccato mortali decedunt, ut explicat Gratianus qui verba hæc refert cap. *in præſenti* XIII. quæſt. 2. vel de noviſſimo judicio, quando ceſſante Purgatorio, ceſsabunt etiam ſuffragia. Sane ambigua non poteſt eſse ſententia Hieronymi; cum in ſpeciali Opere Vigilantium inſectetur acriter, quia falſo aſseruiſset viventes viventibus, non autem mortuis, orando, prodeſse poſse.

32 Obj. 4. Melius eſt, & majori præmio dignum, quod quis per ſe, quam per alium ſatisfaciat. Ergo non eſt orandum pro defunctis, ne eorum præmia minuantur.

33 Reſp. in hac quidem vita melius eſse, ut quis per ſe ſatisfaciat, quam

quam per alium; quia per ſe ſatisfaciendo, gratiæ ſimul & gloriæ augmentum meretur. At in Purgatorio, ubi non merentur animæ, & a ſummi boni fruitione retardantur, melius eſse ut quis per alium ſatiſfaciat, quam per ſe ipſum.

Obj. 5. Non magis poteſt homo bonis alterius ſatisfactoriis frui, quam ob peccata ejus puniri. Atqui non poteſt .·. Cum ex Ezech. 18. *Filius non portet iniquitatem patris*, & viciſſim. 34

R. neg. maj. Quod enim quis ob alterius delicta, quorum nec conſenſu, nec imitatione particeps fuit, puniatur, injuſtitia eſt & crudelitas. Quod autem volens quis bonis alterius volentis fruatur, miſericordia eſt & liberalitas. 35

Objic. 6. Defuncti ſuis ipſorum precibus juvari non poſsunt. Ergo nec alienis. Et vero lata a ſupremo Judice in eos ſententia reformari non poteſt. 36

R. ad 1. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quod defuncti, utpote qui ſint ultra terminum meriti, per nullam actionem Chriſti ſatisfactiones applicare ſibi valeant. At qui vivunt, poſsunt in ſuam & aliorum gratiam operari. 37

Ad 2. Fert Judex ſententiam operibus pie defunctorum commenſuratam: at ea conditione ut per viventium ſuffragia leniri poſſit. Sic Ninive morti addicta eſt, ſed conditionate, niſi videlicet ad pœnitentiam flecteretur. 38

At, inquiunt, plerumque neſcimus ubi degant mortui noſtri; nec rarum eſt, ut quos in Purgatorio verſari credimus, in inferno ſint vel in Cœlo. 39

R. cum Auguſtino; Lib. de cura pro mortuis, cap. ult. ſatius eſse ut ſuperſint ſuffragia iis qui non indigent, quam ut deſint indigentibus: ſicut ſatius eſt ſtipem largiri ficto mendico, quam vere pauperi negare. Adde quod bonum opus ſit meritorium facienti, licet ei non proſit, cujus in gratiam efficitur. Hæc Bellarminus, Lib. 2. cap. 15. 40

Obj. 7. Si per ſacrificia juvantur animæ patientes, vix attenta Miſſarum quæ ubique celebrantur, multitudine, fieri poteſt, ut Purgatorium non evacuetur quotidie.

R. Huic objectioni ſatisfactum eſse Tom. 5. pag. 759.

Quæres 1. Annon etiam rei alienæ reſtitutio proſit defunctis, & quartum ſit genus ſuffragii. Sæpe enim narratur apparere defunctorum ſpiritus, & precari ut ea reſtituantur, quæ vel obliti ſunt, vel non potuerunt reſtituere.

Reſpondent Dom. Soto, in 4. diſt. 54. quæſt. 2. art. 3. & Bellarminus, ibid. cap. 16. reſtitutionem hanc non juvare ſi fiat, nec obeſse defuncto, ſi non fiat. Vel enim, inquiunt, defunctus peccavit non reſtituendo, vel non peccavit. Si non peccavit, quia bona fide poſsedit, aut reſtituere non potuit, nihil eſt cur puniatur. Si autem peccavit, modo venialiter tantum, punietur pro negligentia ſua in Purgatorio: at ubi pares pœnas dederit, ſalvabitur, ſecluſa etiam reſtitutione. Jam enim reſtituendo impar eſt; nec debet pendere ſalus ejus ab alterius voluntate; alioqui poſset ex defectu reſtitutionis in perpetuum ignibus purgatoriis addici; Quare peccabit quidem hæres alie- 41

num injuſte retinendo, ſed non nocebit animæ: ſi vero reſtituat, non proderit, quia reſtitutio non eſt ſatisfactio pro culpa: quandoquidem ſatisfactio eſt opus pœnale; pœnale autem eſt dare ſuum, non reſtituere alienum. Hæc illi.

42 Crediderim tamen 1. cum Leſſio hic, nu. 36. reſtitutionem, ſi ex amore juſtitiæ fiat, prohinc meritorie, prodeſſe defunctis per modum deprecationis: omne enim opus bonum ad alterius levamen per orationis modum referri poteſt; 2. & eam per modum ſuffragii prodeſſe poſſe, quia reſtitutio quandoque admodum pœnalis eſt & onerosa. Adde quod poteſt Deus patientis animæ ſalutem alligare precibus quas creditor vel alii pro defuncto effundunt; unde non adeo ſtupendum videtur quod ait S. Birgitta, Lib. 6. Revelationum, cap. 66. animas tandiu cruciari, donec reſtituantur injuſte ablata: neque hinc timendum quod veretur Bellarminus, ne anima defectu reſtitutionis crucietur perpetuo; quia non ſinet Deus, ut reſtitutio ad plenam animæ liberationem neceſſaria, in æternum differatur.

43 Quæres 2. an candelarum, olei, & ſimilium oblatio defunctis proſit.

R. cum S. Thoma, Suppl. q. 71. ar. 9. ad 6. hæc defunctis prodeſſe *in quantum ſunt eleemoſynæ quædam: dantur enim ad cultum Eccleſiæ, vel etiam in uſum Fidelium.*

44 Quæres 3. an ſuffragia pro multis facta, æque proſint ſingulis, ac ſi pro uno tantum fierent.

R. Vel ſuffragia conſiſtunt in ſacrificio, vel in operibus quibuſcumque a ſacrificio diverſis.

45 Si 1. videtur etiamnum nobis cum pluribus contra plures, effectum ſacrificii non minui eo quod inter plures dividatur, ſed unicuique ſecundum diſpoſitionem ſuam prodeſſe; prout Tom. 5. p. 2. cap. 6. p. 743. dictum eſt, ubi hæc duo animadverſa ſunt; 1. non inde ſequi, quod attenta ſacrificiorum multitudine, quæ diebus ſingulis offeruntur, patientes animæ ſtatim a Purgatorio educi debeant, ibidem, pag. 759. 2. In praxi agendum, quaſi effectus ſacrificii inter plures diviſus, minor contingat ſingulis; quia in his quæ a ſola Dei voluntate non ſatis manifeſtata dependent, quæque inter Doctores non improbabiliter hinc & inde diſputantur, ea pars tenenda eſt, quæ & tutior ſit, & nihil habeat periculi.

46 Si 2. docent plerique Theologi, cum S. Thoma, Supplem. quæſt. 71. art. 13. quod ſuffragia hæc, *ſi conſiderentur ſecundum quod valent ex virtute charitatis unientis membra Eccleſiæ, pro multis facta, tantum ſingulis proſunt ac ſi pro uno tantum fierent; quia charitas non minuitur, etſi dividatur effectus ejus in multos; imo magis augetur. Si autem conſideretur valor ſuffragiorum in quantum ſunt ſatisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet ſuffragium alicui quod pro eo ſingulariter fit, quam quod pro eo communiter fit & multis aliis.* Favet cenſura hujus propoſitionis Wiclefi, numer. 19. (Tom. 12. Concil. pag. 46.) *Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales, ceteris paribus.*

47 Nec nocet illud capitis 24. diſt. 5. de conſecrat. *Dum pro cunctis animabus Pſalmus vel Miſſa dicitur, nihil minus quam ſi pro uno quolibet ipſo-*

rum

rum dicitetur, accipitur. Non nocet, inquam, quia, inquit Sylvius, in 3. p. art. 1. Quær. 16. *auctoritas illa non invenitur apud Hieronymum: unde nec in Editione Gregoriana* (adde & Pithœana) *notatur unde Gratianus deſumpſerit*. Sed quidni locus ille, qui ſecundum nos nihil habet difficultatis quoad Miſſam, de Pſalmo intelligatur, *ſecundum quod valet ex virtute charitatis unientis membra Eccleſiæ*, prout ſupra, nec clare admodum loquitur S. Thomas.

Quæres 4. an qui mandavit pro ſe fieri ſuffragia, damni aliquid ferat, cum ea differuntur. 48

Reſp. eum dubio procul percipere fructum ex merito bonæ hujus ſuæ diſpoſitionis; at differri fructum, tam qui eſſet ex opere operato ſuffragiorum, quam qui eſſet ex opere exequentis. *Unde patet quod executoribus non liceat tardare diſtributiones eleemoſynarum, niſi forte ad modicum tempus, & ut res defuncti vendantur pluris, & ita plures ſint eleemoſynæ diſtribuendæ*. Ita Sylvius, Supplem. quæſt. 71. artic. 6. in fine.

ARTICULUS SECUNDUS.

De conditionibus ad valorem ſuffragiorum requiſitis.

UT ſuffragia iis proſint pro quibus offeruntur, certas requirunt conditiones Theologi, tam ex parte illius cujus in gratiam fiunt, quam ex parte eorum a quibus præſtantur.

Circa primum caput: Quæres 1. an ut quis ſuffragiorum capax ſit, requiratur ut fuerit baptizatus; proinde an fieri poſſint ſuffragia pro Catechumenis pie defunctis.

Reſpondet Suarez cit. diſp. 48. ſect. 6. num. 9. Catechumenos eſſe quidem capaces privatorum ſuffragiorum, quæ unuſquiſque de propriis ſatisfactionibus pro illis offerre poteſt; 1. quia ad id ſufficit unio charitatis, intentio operantis, & indigentia recipientis. 2. Quia poteſt Catechumenus pro alio vel Catechumeno, vel defuncto baptizato ſuffragia ſua offerre. Ergo a fortiori poterit Catechumeno defuncto ſuffragari vivens baptizatus. 3. Quia ad hunc effectum neceſſarius non eſt Baptiſmus. 49

Verum ſubdit idem Theologus, ſuffragium illud quod operatur ex opere operato non poſſe offerri pro Catechumenis defunctis. Idem docet Vaſquez, diſp. 227. cap. 3. & 4. ubi fatetur quidem in Miſſa orari poſſe pro Catechumenis, at negat Miſſam pro eis offerri poſſe. Aliter ſenſimus in Tract. de Sacrificio, cap. 8. art. 1. pag. 601. Nec dubium eſt quin Ambroſius ſacrificium pro Valentiniano Catechumeno obtulerit; (licet alia foret agendi ratio Chryſoſtomi, ut patet ex cap. 2. ſupra n. 51.) Concinunt Lugo, diſp. 19. de Euchariſtia, ſect. 10. Pignatellus, in Monte Propitiatorio, Lib. 5. qu. 3. num. 10. &c. Vide idem cap. 2. n. 83. 50

Quæres 2. an ut ſuffragium proſit alicui ad remiſſionem pœnæ, neceſſum ſit ut culpa ratione cujus pœnam meretur, eidem jam remiſſa fuerit. 51

Affirmat

Affirmat ibid. Suarez, ſect. 7. pag. mihi 609. quia, inquit, fieri non poteſt, ut remittatur pœna ante remiſſam culpam: quandoquidem manente culpa homo ſemper dignus eſt pœna; neque poteſt qui præter Chriſtum, pro culpa alterius etiam veniali ſatisfacere, ſed ad ſummum obtinere ei gratiam, qua ſe diſponat ad culpæ hujus ſuæ remiſſionem, vel illam mereatur. Vide n. ſeq.

52 Quæres 3. an nemini niſi jam juſto proſint ſuffragia?

Supponit hæc quæſtio, quod verum eſt, 1. poſſe aliquem habere reatum pœnæ ex culpis olim ſibi remiſſis, nunc autem non eſſe in ſtatu gratiæ; 2. poſſe aliquem eſſe in ſtatu gratiæ, nec tamen ab omni culpa veniali immunem.

53 An autem duæ illæ conditiones in animabus Purgatorii ſemper conjunctæ ſint, ita ut eæ non ſolum ſint in ſtatu gratiæ, ſed & in inſtanti mortis obtinuerint remiſſionem cujuſcumque venialis delicti, dubitari poteſt. Aſſerunt Durandus, Suarez, ibid. num. 2. & alii complures. Aſt diſſentire videtur Pignatelli, Lib. 5. q. 7. n. 27. & pene neceſſario diſſentiunt, qui ſacrificii valorem tam extenſive, quam intenſive infinitum eſſe opinantur. Verum hac præciſſa quæſtione, in theſauris Dei forte ſignata.

54 Reſp. ſuffragia non prodeſſe homini injuſto ad remiſſionem pœnæ temporalis, cui ille obnoxius foret ob peccata quædam alias ſibi dimiſſa. Ratio eſt 1. quia jacens in peccato mortali, utpote Dei inimicus, omni tam culpæ, quam pœnæ remiſſa indignus eſt. Imo quamvis orari poſſit pro peccatore, ut ei remittatur culpa per congruas quæ in ipſo efformabuntur diſpoſitiones; non tamen citra peccatum orari pro eo poſſet, ut manente culpa, eidem pœna remitteretur. 2. Quia ſuffragiorum communicatio fundatur ex parte noſtra in unione charitatis: unde S. Thomas Suppl. q. 27. art. 1. *Membrum mortuum non ſuſcipit influentiam ex aliis membris* mortui. Ergo ubi deeſt charitas, nec locum habere poſſunt ſuffragia. 3. Quia alioqui Indulgentiæ iis qui in peccato verſantur, applicari poſſent. Id autem nec intendunt Pontifices, qui ſolum *contritis* Indulgentias etiam particulares applicant; nec intendere poſſunt, quia id utique non intenderent juxta voluntatem præſumptam Chriſti, qui jura ſua in gratiam inimicorum ſuorum relaxare velle cenſeri non poteſt.

55 Quod ſpectat ad conditiones ex parte offerentis ſuffragia requiſitas, tres eæ recenſeri ſolent; 1. ut qui alium ſuffragando juvare vult, ſit in ſtatu gratiæ; 2. ut opus ejus tale ſit ratione ſui, quod ad ſatisfactionem acceptari poſſit; 3. ut qui opus illud facit, per illud alteri ſuffragari intendat.

56 Et quidem 1. requiritur, ut qui alium, ſeu viventem, ſeu defunctum juvare vult, ſit in ſtatu gratiæ. Ita Bellarm. ib. cap. 17. Suarez, ſect. 8. & alii plures. Rationem dant, quia homo injuſtus non poteſt pro ſe ipſo ſatisfacere; ergo multo minus pro aliis.

Hæc doctrina, ſi intelligatur de ſatisfactione condigna, quin etiam de ſatisfactione ſtricte congrua, nihil habet quod moram faceſſat. Verum ſi eo intelligatur ſenſu quod opus in ſtatu peccati, ſed ex actuali gratiæ auxilio factum, nulla omnino ratione ſatisfactorium eſſe valeat,

jam

jam utique non parum habet difficultatis, ut colligere eſt ex dictis Tom. V. pag. 102. & ſeq.

57 Ut ut eſt, fatentur omnes, 1. Miſſam corrupti Sacerdotis defunctis ſuffragari; ſicut & eleemoſyna quæ ex domini juſti præcepto per injuſtum miniſtrum datur. Tunc enim, ait Bellarminus, non injuſtus miniſter, ſed dominus juſtus ſuffragatur. Aliud fuerit, ſi Prælatus juſtus præcipiat ut filii ſui ſpirituales orent vel jejunent, & ii ſint in ſtatu peccati. Oratio enim & jejunium, ut ſubditorum opera propria, ex iis, non autem a Prælato meritum ſuum trahunt. Unde juxta Hieron. Lib. contra Vigilantium, melius eſt pauperi juſto ſtipem dare, quam iniquo; quia ille orans pro benefactoribus exauditur, non iſte.

58 2. Orationes quæ fiunt nomine Eccleſiæ, uti Officium divinum, licet a Capitulo v. g. ſecundum ſe totum perverſo fiant, habere tamen vim impetrandi apud Deum: quia quando quis alterius nomine operatur, valor operis non penſatur ex dignitate proximi operantis, ſed ex dignitate ejus, cujus nomine operatur: ut ſi Rex per Nuntium aliquid petat, dignitas petitionis non æſtimatur ex conditione Nuntii, ſed ex majeſtate illius cujus nomine fit.

59 Verum eædem orationes, etſi a malis Miniſtris nomine Eccleſiæ fieri dicantur, non videntur valere per modum ſatisfactionis & ſuffragii in ratione ſolutionis; quia opus ſatisfactorium eſt, quatenus eſt pœnale, prohinc quatenus eſt a perſona, quæ illud faciendo patitur. Atqui opus quod fit ab Eccleſiæ Miniſtris non habet pœnoſi operis rationem relative ad ipſam Eccleſiam, ſed relative ad operantem. Ergo quando operans eſt Dei inimicus, opus ejus non poteſt eſſe ſatisfactorium per modum ſolutionis pœnæ.

60 Atque hinc liquet magnum eſſe diſcrimen inter impetrationem & ſatisfactionem. Impetratio enim fundatur in oratione quatenus eſt ſimplex petitio, & ſignificatio deſideriorum Eccleſiæ, quæ quia unum eſt corpus myſticum, loqui poteſt per hunc aut illum Miniſtrum; ita ut hæc ejus locutio quamdam ab ipſa recipiat virtutem impetrandi. At ſatisfactio, quæ per eamdem orationem fieri poteſt, fundatur in illa quatenus eſt opus pœnale, ſub quo reſpectu non refertur ad Eccleſiam, neque, ut ita dicam, nomine illius, ſed perſonaliter ſuſtinetur.

61 Quod ſi cum Navarro dicas, ſuffragia hæc ex inſtitutione Eccleſiæ impetratoria eſſe ex opere operato, eaque ideo pari jure dici poſſe ſatisfactoria. Reponet Suarez, ibid. n. 5. neg. aſſumptum. Hæc enim ſuffragia, inquit, ſunt tantum impetratoria ex opere operantis; ſed ita ut operans, ſeu orans, intelligatur eſſe tota Eccleſia, licet per Miniſtrum oret: non eſt autem Eccleſia per Miniſtrum ſatisfaciens, ut ſupra dictum eſt. Sed de his quæ nonnihil obſcuri habent, conſulatur idem profundæ ſermocinationis Theologus: an ſemper juſte viderint alii.

62 2. Ad rationem ſuffragii de quo loquimur, neceſſe eſt ut opus de ſe habeat proportionem cum ſatisfactione. Etſi porro tria hujuſmodi opera, (operantis ſcilicet) orationem videlicet, eleemoſynam & jejunium aſſignant Theologi; nullum tamen eſt bonum opus, quod ad hunc finem aſſumi non poſſit: quia vix ullum fingi poteſt virtutis opus, quod homini pœnale eſſe non poſſit.

3. Ad

63 . 3. Ad ſuffragii effectum requiritur ex parte operantis, ut per actionem ſuam alii ſuffragari intendat. Jus enim & bonum unius ſine hujuſce conſenſu in alium transferri non poteſt, quia quædam eſt ejuſdem boni alienatio. Unde ſi nemini fructum operis ſui applicet, ſolus ex eo percipiet fructum; ſi uni vel duobus, ſeu per modum impetrationis, ſeu per modum ſuffragii, percipient ii fructum, minorem tamen, prout dividetur in plures. Ipſe vero operans, ſi totum det, ſibi equidem merebitur, at non ſatisfaciet pro ſe, ſeu propriam pœnam non exolvet. Ita idem, ibid. n. 23.

APPENDIX TERTIA.

De Indulgentiis.

PRæſentis hujuſce Tractatus novem erunt Capita. Primum Indulgentiarum nomen & eſſentiam aperiet. Secundum potiſſimos ipſarum effectus referabit. Tertium expendet an in Eccleſia ſit poteſtas Indulgentias concedendi. Quartum diſſeret de fundamento Indulgentiarum, ſeu de Eccleſiæ theſauro. Quintum Indulgentiarum valorem & uſum explanabit. Sextum de iis aget, qui Indulgentias lucrari poſſunt. Septimum erit de Altaribus privilegiatis. Octavum varias circa præſentem materiam difficultates expendet. Nonum abuſus qui occaſione Indulgentiarum quandoque irrepunt, recenſebit.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & Eſſentia Indulgentiarum.

1 INdulgentiæ nomen aliquando malam in partem ſumitur, nimirum pro licentia cuipiam ad male agendum conceſſa, ſecundum illud:

Magna patrum ſegnes facit indulgentia natos.

Sed & aliquando ſumitur in bonum, videlicet pro benigna debiti alicujus remiſſione. Sic Iſai. 61. *Spiritus Domini . . . miſit me, ut . . . . prædicarem captivis indulgentiam*, ſeu *remiſſionem*, ut habet Lucas, cap. 4. Quamvis autem remiſſio poſſit eſſe peccati, vel quoad culpam, vel quoad pœnam, uſu tamen Eccleſiaſtico receptum eſt, ut in præſens ſumatur pro condonatione pœnæ, quam ſubire debent pœnitentes propter peccata, etiamſi fuerint ſibi per Pœnitentiæ Sacramentum quoad culpam dimiſſa. Ita Sylvius, Suppl. qu. 25. unde Indulgentia definiri poteſt: *Remiſſio pœnæ temporalis, quæ poſt culpam & pœnam æternam condonatam luenda ſupereſt; a legitimo ſuperiore extra Sacramentum conceſſa per applicationem theſauri Eccleſiæ.*

2 Dicitur 1. *remiſſio* ſeu condonatio *pœnæ* temporalis, (ejus ſcilicet quæ Deo debita eſt, non juſtitiæ civili vel Eccleſiaſticæ) remiſſio enim ſeu culpæ,

culpæ, ſeu pœnæ æternæ non fit per Indulgentiam, ſed ſimul cum culpa per Sacramentum Pœnitentiæ, in re, vel in voto.

Dicitur 2. pœnæ *quæ poſt culpam & pœnam æternam dimiſſam luenda ſupereſt*. Siquidem dimiſſo peccato non ſemper tolli pœnam omnem, fuſe probavimus in Tract. de Pœnitentia. 3

Dicitur 3. extra *Sacramentum* conceſſa. Fit enim quidem in quolibet Sacramento rite ſuſcepto, atque etiam per Miſſæ Sacrificium, aliqua pœnæ remiſſio, per applicationem ſatisfactionum Chriſti: Verum remiſſio hæc non eſt Indulgentia ſenſu ordinario intellecta. Aliunde Indulgentia neque Sacramentum eſt, nec idonea quæ Sacramentorum inſtar, gratiam ſanctificantem infundat. 4

Dicitur 4. *a Superiore legitimo*, id eſt a Prælatis Eccleſiæ, nimirum ſummis Pontificibus & Epiſcopis, qui ſoli ordinariam habent poteſtatem diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ. De quo infra cap. 5. 5

Dicitur 5. *per applicationem theſauri Eccleſiæ*, ſeu per applicationem ſuperabundantium ſatisfactionum Chriſti vel Sanctorum, in acceptatione divina permanentium. Dixi porro *Chriſti vel Sanctorum*, quia ut ex Bellarm. Lib. 1 de *Indulgentiis*, c. 4. obſervat Euſebius Amort. * part. 1. §. 1. ad Indulgentiam ſufficit ut hæc applicetur in parte ſui præcipua, prout ſcilicet conſtat ex meritis Chriſti; non autem neceſſe eſt ut ſimul adhibeantur merita Sanctorum, quamvis id laudabiliter fiat & ab Eccleſiæ initio factum fuerit. 6

Indulgentia ex Extrav. Unigenitus 2. *de pœnit. & remiſſionib.* dividitur a Clemente VI. 1. in plenariam ſeu totalem; & partialem, ſeu non plenariam.

Indulgentia plenaria ea eſt quæ remittit totam pœnam temporalem debitam peccatis quoad culpam remiſſis.

Indulgentia partialis eſt ea quæ ſolum remittit certam ac determinatam partem pœnæ iiſdem peccatis quoad culpam remiſſis debitæ, eamque majorem vel minorem, juxta tenorem Indulgentiæ. *Pœnæ*, inquam, *debitæ*, actu vel potentia. Nec enim ut quis partialem Indulgentiam lucretur, neceſſum eſt, ut ſit debitor pœnæ totius quam partialis Indulgentia remittit; alioqui viri ſanctiores ad hujuſmodi Indulgentias minus idonei forent, quam minus ſancti, quod abſonum foret. Unde ſi quis vel minus, vel id tantum debeat, quod per Indulgentiam relaxatur, hæc etſi de ſe partialis, per accidens reſpectu ipſius plenaria erit. 7

2. Indulgentia plenaria a Bonifacio VIII. in Extrav. com. *Antiquorum 1. de pœnit. & remiſſ.* dividitur in plenam, pleniorem & pleniſſimam, ** 8

Circa diviſionis hujus ſenſum hærent Theologi. Alii per plenam Indulgentiam eam intellexerunt, quæ pœnam ſolis mortalibus debitam 9

---

* De origine, progreſſu, valore ac fructu Indulgentiarum ∴ Notitia hiſtorica, dogmatica, polemica, critica ∴ Auctore D. Euſebio Amort. Canonico Regulari Lateranenſi ∴ Auguſtæ Vindelicorum & Græcii, 1735. *Volum. in fol.*

„ ** Non ſolum plenam & largiorem, imo pleniſſimam omnium ſuorum concedimus „ veniam peccatorum. *Bonifacius VIII, cit. cap.*

tam remitteret ; per *pleniorem* ſeu *largiorem* , quæ inſuper pœnam debitam venialibus condonaret ; per *pleniſſimam* vero , quæ præter utramque hanc pœnam remitteret ipſam venialium culpam . Alii plenam dixerunt Indulgentiam , quæ injunctam in Pœnitentiæ Tribunali pœnam totam relaxaret ; pleniorem , quæ pœnitentiam ſecundum antiquos Canones olim adimplendam dimitteret ; demum pleniſſimam , quæ pœnam totam ſecundum Dei ipſius judicium debitam remitteret. Alii crediderunt nullum a parte rei eſſe diſcrimen inter Indulgentiam plenam, pleniorem , &c. At iis vocibus per emphaſim quamdam uſos eſſe Pontifices, ut oſtenderent ſe divinæ miſericordiæ theſauros aperire quantum poſſent , & ad id graviſſimis de cauſis impulſos fuiſſe . Alii demum , & noſtro quidem judicio melius , diviſionem hanc non repetunt ex effectu Indulgentiæ ; quæ ſtatim ut plenaria eſt , pœnam totam peccatis debitam ex integro dimittit, ſi fructus ejus ex integro percipiatur : ſed ex privilegiis eidem Indulgentiæ annexis ; adeo ut dicatur plenaria , *quando tota pœna in foro & judicio Dei debita remittitur ; plenior , quando ſuperadditur poteſtas extraordinaria abſolvendi a caſibus & a cenſuris reſervatis ; pleniſſima , quando diſpenſandi in votis & hujuſmodi vinculis poteſtas communicatur* , ſecundum Diplomatis formam , quæ ſemper attente penſanda eſt. Ita Marchantius, in Tribunali, Tom. 3. Tract. 5. tit. 2. q. 3.

10 Indulgentia plenaria vocatur aliquando Indulgentia ad inſtar Jubilæi, vel in forma Jubilæi. Hæc tamen nihil aliud importat, quam plenariam pœnarum remiſſionem , non vero ſpecialia Jubilæi ordinarii vel extraordinarii privilegia , niſi hæc diſerte exprimantur in Diplomate : unde, quod indirecte obſervat Suarez , diſp. 50. ſect. 4. nu. 8. cavendum iis qui hujuſmodi Indulgentias denuntiant , ne Fideli ulli perſuadeant iis annexa eſſe eadem quæ Jubilæis privilegia. Neque enim id, niſi expreſſerit , intendit Pontifex , ſed tantum ut vehementius ad lucrandam Indulgentiam excitentur Fideles , & ſciant eam urgentioribus de cauſis conceſſam fuiſſe.

3. Indulgentia partialis multiplex ſecernitur ; alia nimirum eſt quadragenæ, ſeu quarantenæ ; alia ſeptenæ ; alia quadraginta aut centum dierum, vel annorum; alia de injunctis pœnitentiis.

11 Indulgentia quadragenæ, ſeu ut alii brevius loquuntur, quadragena, eſt remiſſio tantæ pœnæ temporalis, quanta in Dei judicio remiſſa fuiſſet per pœnitentiam communem quadraginta dierum olim ex præſcripto Canonum pro quibuſdam peccatis adimplendam.

12 Dixi , *per pœnitentiam communem ;* Indulgentia enim qua remittebatur rigoroſior pœnitentia quadraginta dierum in pane & aqua ; ſicut & eadem pœnitentia, Carena , ſeu Carenæ Indulgentia vocatur. Carena enim , juxta plures , dicitur a carentia cibi & potus , queis uti homines conſueverunt.

13 Indulgentia ſeptenæ eſt remiſſio pœnitentiæ per annos ſeptem juxta Canones adimplendæ ; ſeu remiſſio tantæ pœnæ , quanta condonaretur per Canonicam ſeptem annorum pœnitentiam . Sunt qui velint Carenam complecti remiſſionem tam rigidioris pœnitentiæ quadraginta dierum , quam pœnitentiæ ſequentis annorum ſeptem . Nituntur

Digitized by Google

tuntur ii cap. 13. *de accuſationib.* ubi ſic: *Quadraginta dies in pane & aqua, quod Carena vocatur, cum ſeptem ſequentibus annis pœniteat.* Verum prior Carenæ interpretatio magis recepta eſt, & textui mox citato amplius conſonat.

Ex his intelligitur Indulgentiam tum 40. aut 100. annorum, tum mediæ, tertiæ, vel quartæ partis peccatorum, nihil aliud eſſe quam remiſſionem vel pęnæ totius, vel partis pęnæ, quæ intra certum tempus fuiſſet juxta Canones exſolvenda. Dico *juxta Canones*, non autem in Purgatorio, propter rationes infra exponendas. 14

Duplex hic exurgit difficultas; 1. quorſum plenariis Indulgentiis aliquando jungantur partiales, puta quadragenæ: ad quid enim dierum vel annorum aliquot Indulgentia, ubi plenaria præſto eſt? 2. Quid de iis 10. 20. 50. imo 100. annorum millium Indulgentiis ſentiendum ſit, quæ apud varios Scriptores a diverſis Pontificibus conceſſæ leguntur.

Ad 1. Reſpondet Suarez, ibidem, numer. 9. 1. ſe nullam talium Indulgentiarum formam inveniſſe, vel in Decreto aliquo Juris, vel in authentica quapiam Bulla; 2. poſito quod aliquæ id genus Indulgentiæ extiterint, eas, ſi verba ſinant, ad diverſa tempora referri debere; ita ut quis primum plenariam lucretur Indulgentiam; poſtmodum vero, ſi novæ pœnæ reatum incurrerit, partialem lucrari valeat; 3. ſi ad idem tempus utraque pertineat, veriſimile eſſe conceſſionem hanc ſic eſſe diſpoſitam, ut plenaria Indulgentia cadat in commodum agentis; partialis autem in commodum alterius, ſeu vivi, ſeu defuncti, pro quo hanc per modum ſuffragii offerre voluerit. Addunt alii Indulgentias, ſi quæ tales occurrant, a diverſis conceſſa fuiſſe Pontificibus, quorum alter partialem tribuit; quam poſterior fecit plenariam; utramque vero conſervatam eſſe, ut ſi forte finalis cauſa Indulgentiæ non ſufficeret ad plenariam, ut minimum ſufficeret ad partialem. 15

Ad 2. Reſpondent Gerſo, Eſtius, & alii paſſim, abnormes hujus generis Indulgentias omnino fictitias eſſe. *Non enim*, ait Bellarminus, Lib. 1. cap. 3. *ſolebant* antiqui *Indulgentias concedere, niſi tot annorum, quot annorum pœnitentiæ injungebantur: pœnitentiæ vero non ſolebant injungi, niſi unius, duorum, trium, quinque, ſeptem, decem, viginti annorum, aut ad ſummum per totam vitam, quæ ultra centum annos porrigi non ſolet.* 16

Subdunt alii prædictas Indulgentias, ſi forte aliquando in uſu fuerint, reſpondiſſe numero annorum, per quos facinoroſi quidam ob geminata in uno vel multiplici genere crimina, juxta Canonum rigorem plecti meruerant. Is enim numerus cum juxta proportionem arithmeticam creſceret, creſcebat in immenſum. Si enim adulter & homicida annorum viginti pœnitentia dignus erat, qui centies utrumque hoc ſcelus geminaverat, quoti, quæſo, temporis pœnitentiam merebatur? Quid ergo ſi idololatriam, aliaque paris menſuræ portenta portentis prioribus junxiſſet, ut ii faciunt, qui *bibunt quaſi aquam iniquitatem*, Job. 15. Ita ibidem Bellarminus (Tom. mihi 7. pag. 444) Nec grandem moram facit quod reſpondet Tournelyus, pag. 350. nimirum 17

mirum hanc computandæ pœnitentiæ rationem Veteribus plane incognitam fuiſſe. An enim non eam promerebat peccator, quia ab Eccleſia non indicebatur? Si merebat autem, quidni ab ea potuerit abſolvi. Facile tamen crediderim iſtud Indulgentiæ genus nunquam certæ Fidelium multitudini fuiſſe conceſſum; at privatis nonnullis potuiſſe concedi, qui ob innumera flagitia pene acti in deſperationem, indigebant ut ſibi tota quanta eſt miſericordia Dei patienter exhiberetur.

18 Indulgentia *de pœnitentiis injunctis* eſt Condonatio pœnæ æquivalens illi remiſſioni, quam in judicio Dei obtinebant antiquitus, qui pœnitentias pro certis criminibus per Canones injunctas adimplebant. Porro fatentur ſaniores quique cum Marchantio ſupra q. 2. a ſolo Deo poſſe ſtatui, quanta eſſet in judicio Dei remiſſio pœnæ, quæ vi pœnitentiæ per Canones injunctæ obtinebatur. Sane, ait idem Theologus, *quæſtiones de illis non generant niſi opiniones, &c.*

An autem Indulgentia hæc dimittat ſolum pœnas quæ a Canonibus pro certis peccatis injunctæ erant, an eas etiam quas quis meruerat per alia peccata, quibus nullæ per Canones indicebantur pœnæ, gravis eſt inter Scholaſticos controverſia.

19 Cenſent plures cum Durando, Cajetano & aliis apud Suarez, diſp. 50. ſect. 3. n. 2. per Indulgentiam de pœnitentiis injunctis, non remitti omnes prorſus pœnas, ſed eas ſolum quæ vel a Canonibus injunctæ fuiſſent, vel a Confeſſario injunctę ſunt. Unde duo infert Cajetanus; 1. per ipſas etiam pleniores Indulgentias non remitti niſi pęnas quę injunctis pęnitentiis correſpondent; 2. plus ex Indulgentiis lucri ab iis percipi, quibus graviores a Confeſſario impoſitæ erant pęnitentiæ. Quapropter, inquit, orare debet pęnitens ut gravior illi ſatisfactio indicatur, quo deinceps per Indulgentiam a graviſſima pœna illi correſpondente liberetur.

20 Alii vero cum Suarez, ibid. ſect. 5. n. 8. & 14. docent Indulgentiam tam ſine, quam cum particula *de pœnitentiis injunctis*, non ſolum remittere pœnitentias injunctas, ſeu pœnas illis correſpondentes, ſed etiam alias quaslibet *juxta quantitatem ſeu largitatem conceſſionis*; ita ut verba *de pœnitentiis injunctis*, non ſint reſtrictiva, ſed ampliativa, adeoque eorum ſenſus ſit *etiam de pœnitentiis injunctis*.

21 Quod Indulgentia, quæ ſimpliciter, & abſque clauſula *de pœnitentiis injunctis* conceditur, pœnam omnem remittat, probant 1. quia Indulgentia valet prout conceditur, neque reſtringenda eſt, ſed potius inſtar favoris amplianda, quantum verba ferunt. Ergo cum verba generalem ſenſum ferant, generaliter, cum id in animarum favorem cedat, ſunt interpretanda. 2. Quia Bonifacius VIII. in frequenti Cardinalium Conſiſtorio declaravit ſuam hanc eſse intentionem, ut tam plenam indulgentiam concederet, quam per Eccleſiæ claves concedi poſſet. Atqui dubio procul poterat idem Pontifex Indulgentiam in prędicto ſenſu, ſeu ad quaslibet pœnas concedere.

22 Quod autem indulgentiæ ſub clauſula *de injunctis pœnitentiis*, eas etiam pœnas remittant, pro quibus nullæ pœnitentiæ injunctæ fuerint: Probant 1. quia ſic ſentiunt SS. Thomas in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 3.

Digitized by Google

art. 3. quæſt. 1. ubi ſimpliciter docet Indulgentias valere ad remiſſionem pœnarum, ſive pœnitentiæ ſint injunctæ, ſive non; Antoninus 1. part. tit. 10. Capit. 3. aliique plures graviſſimi. 2. Quia quod ſolvit majus, debet in eodem genere ſolvere & minus. Atqui indulgentiæ quæ ſolvunt injunctas a Confeſſario pœnitentias, majus quid ſolvunt, quam aliæ. Majus eſt enim remittere pœnam a Judice conſtitutam, quam quæ ab eo needum inflicta ſit: Siquidem in priori caſu duplex tollitur vinculum; unicum autem in poſteriori. 3. Quia probabile eſt eum, qui per voluntarias pœnitentias ex opere operantis pro peccatis ſuis ſatisfacit, prius extinguere pœnam debitam peccatis, pro quibus nulla ſibi pœnitentia injuncta eſt, quam eorum quæ jam in confeſſione judicata ſunt: quia pœnæ hujus remiſſio reſervatur pęnitentiæ ex Confeſſarii præcepto poſtea adimplendæ. Ergo pari jure credendum eſt Indulgentiam prius & facilius extinguere pęnam debitam peccatis, quibus nulla conſtituta eſt pęnitentia, quam extinguat pęnam iis debitam peccatis, pro quibus injuncta eſt pęnitentia. 4. Quia remiſſio de pęnitentiis injunctis, vel intelligeretur de pęnitentiis impletis, vel de non impletis. Neutrum porro dici poteſt. Non 1. quia tunc vel nihil remittitur, eo quod jam ſatisfactum ſit, vel remittitur pęna aliis peccatis debita: quod intendit Suarez. Non 2. quia alioqui melior eſſet conditio illius, qui pęnitentiæ ſibi injunctæ executionem diſtulit ex negligentia; quod abſurdum eſt.

Alii demum mediam ineunt viam cum Lugo, diſput. 27. de pęnit. 23
numer. 1. & docent, Indulgentiam, ſi abſque clauſula *de injunctis pœnitentiis* concedatur, ad omnes pęnitentias, etiam non injunctas, extendi; eandem vero addita prædicta clauſula ad eas tantum pęnas extendi, quæ impoſitæ ſunt.

Probant primam partem, tum ex dictis numer. 19. tum quia ſic ex- 24
preſſe declaravit Pius V. apud Bellarminum hic, Lib. 1. cap. 7.

Secundam vero partem probant, quia conſtat Indulgentias olim 25
magna ex parte inductas fuiſse, ut temperarentur graviſſimæ pęnitentiæ quæ juxta Canones pęnitentibus imponebantur. Eæ enim primitus multo fervore implebantur; at cum tepeſcente pietatis æſtu langueſcerent, ſæpe etiam omitterentur, cęperunt Pontifices per Indulgentias aliquid de injunctis pęnitentiis detrahere, remittendo vel annos, vel dies aliquot ex illis qui in pęnitentiam injungebantur. Ergo prima Eccleſiæ intentio fuit, ut injunctum pęnitentibus onus, quod ii præ fragilitate ſua ferre non poterant, imminuerent atque moderarentur. Jam vero nihil eſt cur relaxatio ad unum pęnitentiæ genus ex Eccleſiæ intentione relata, ad aliud extendatur. Ergo.

Nec nocent quæ contra objiciuntur a Suarez.

Non 1. Ubi enim Doctores Doctoribus opponuntur, habenda eſt ra- 26
tio probationum, non auctoritatis.

Non 2. Hæc enim regula: *Qui ſolvit majus, ſolvit & minus*, 27
de iis eſt intelligenda, quorum unum in alio, minus ſcilicet includitur in majori: Qua de cauſa diſpenſatus ad Sacerdotium, ad inferiores ordines diſpenſatus cenſetur. Porro diſpares pęnæ in ſe invicem

non includuntur. Neque ulla eſt connexio inter liberationem ab uno debito, etiam majori & liberationem ab alio.

28 Non 3: Quia aliud eſt pœnam facilius remitti poſſe; aliud Pontificem velle ut ea per Indulgentiam remittatur. Imo ne tollatur pœnitentis ſatisfactio, ſimulque ut ad eam implendam accendatur; æquum eſt ut a graviori pœna liberetur, ſed non ab omni. Valet enim exhortatio iſthæc: Debes centum: remittentur tibi miſericorditer octoginta: age ergo, & ſaltem enitere ut reddas viginti.

29 Non 4. Hæc enim remiſſio intelligitur de pœnitentiis non impletis, ſive per incuriam, ſive per oblivionem, ſive quia necdum advenerat tempus quo implendæ eſſent. Neque, ait ibidem Lugo numer. 13. novum eſt, quod hujuſmodi conceſſiones minus proſint diligentioribus. Nam quando per Jubilæum conceditur facultas commutandi vota; is qui votum ſuum jam implevit, nihil ex eo favore lucri habet: habet vero qui ex negligentia, vel aliam ob cauſam diſtulit executionem voti, *imo propter ejuſmodi perſonas minus diligentes fiunt ejuſmodi conceſſiones, ut liberentur a periculo, quod ob fragilitatem, vel negligentiam ſuam poſſunt incurrere.*

30 At, inquies graves illæ antiquorum Canonum pœnitentiæ jam injungi non ſolent. Ergo inutiles erunt Indulgentiæ, per quas pœnitentes ab his ſolum pœnitentiis liberarentur.

31 Reſpondet idem qui mox Cardinalis numer. 14. Graves quidem illas veterum Canonum pœnitentias jam de facto propter Fidelium ſocordiam non imponi ab homine; ſed tamen imponi a jure. Unde qui eas a Confeſſario per accidens non recepit ſub obligatione, poterit adhuc per Indulgentias liberari ab illo radicali onere & debito, quod ex lege habebat ſubeundi graves ejuſmodi pœnitentias. Sicque conciliabitur utraque opinio, ita ut Indulgentia non ſolum ab injunctis de facto pœnitentiis liberet, ſed ab aliis inſuper; iis nimirum quæ de jure injungendæ erant. Hæc ille, quæ ex dicendis partim innoteſcent, partim æquis limitibus coercebuntur.

32 4. Dividitur Indulgentia in *temporalem*, quæ ad certum tempus, puta ad ſeptennium conceſſa eſt; *indefinitam*, quæ ſimpliciter & abſque temporis ſeu durationis determinatione tribuitur; & *perpetuam*, quæ in perpetuum conceditur. Fatentur communiſſime Theologi, Indulgentiam ſine determinatione temporis conceſsam, eandem habere vim, ac quæ in perpetuum tribuitur; ſive quia agitur de materia favorabili, quæ verba quantum poſsunt, extendi poſtulat: ſive quia decet Principis privilegium, quod limitatum non eſt, tanquam perpetuo conceſsum reputari, verum Theologos inter controvertitur, an Indulgentia in perpetuum conceſsa, reapſe perpetua ſit. Negant Pontas, v. *Indulgence*, cas 7. Tournely, pagina 380. uterque ex Gamachæo, qui capit. 6. de Indulgentiis (Tom. 3. pagina 820) nixus Regula 57. Cancellariæ Romanæ, docet *Indulgentiam abſolute conceſſam alicui Eccleſiæ pro tali die cujuslibet anni futuri, reſtrigendam eſſe ad viginti annos, aut ad ſummum ad annos viginti tres*, id eſt uſque ad tempus magni Jubilæi.

33 At nemini jam licet dubitare, quin Indulgentia in perpetuum, vel inde-

indefinite conceſsa, reapſe perpetuo duret niſi forte revocetur, quod fieri non ſolet. Ita expreſse contra Pontaſium docet R. P. Theodorus a Spiritu S. ſacræ Indulgentiarum Congregationis Conſultor, in ſuo de hac materia Tractatu Romæ impreſso ann. 1743. ubi & quinquageſimam ſeptimam Cancellariæ regulam a Gamachæo peſſime citatam eſse oſtendit; & a Clemente VIII. revocatam. Idipſum invicte probat R. P. Servatius Le Febvre, in ſupplemento Theologiæ Franciſci Henno: ubi pagina 381. refert authenticum ejuſdem S. Congregationis Decretum, quo ad inſtantiam Provincialis ſui definitum eſt die 22. Januarii, an. 1753. Indulgentias, quæ conceduntur, ſeu *pro tali die cujuslibet anni futuri;* ſeu ſub forma, *in perpetuum*, non reduci ad viginti annos, ſed in perpetuum durare.

5. Dividitur indulgentia in localem, realem & perſonalem.

Localis ea dicitur quæ certo loco affixa eſt, quam proinde lucrantur, qui ſub conditionibus in Diplomate expreſſis locum hunc inviſunt. Hæc porro ut plurimum particulari cuidam diei affixa eſt. Aliquando tamen ſingulis diebus durat in perpetuum; qualis ea eſt quam percipiunt, qui certa Terræ ſanctæ Loca; vel limina Apoſtolorum Romæ viſitant. Et *tunc*, ait S. Thomas in 4. diſt. 20. quæſt. 1. artic. 3. quæſt. 2. ad 4. *quoties vadit aliquis* ad hunc locum, *toties*, * ſervatis ſervandis, *Indulgentiam conſequitur*. Secus de Indulgentia non perenni, quæ ſemel tantum percipitur. Vide Pontas ibidem Caſ. 16. qui Caſ. 8. obſervat non poſse plenariam novam Indulgentiam conſtitui in loco, qui alia jam ſimili vel diſsimili Indulgentia fruatur; ob hanc Brevis Pontificii clauſulam: *Volumus autem, ut ſi alias Fidelibus in quocumque alio anni die dictam Eccleſiam, ſeu Capellam, aut Altare in ea ſitum viſitantibus, alia aliqua Indulgentia, vel perpetua, vel ad tempus nondum elapſum, conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint*. Quod apud Sylvium in reſolutionibus, verſ. *Indulgentia*, numer. 3. declaravit Urbanus VIII. 2. Poſse tamen quibuſdam ejuſdem loci incolis, v. gr. ob Confraternitatem, cui ſe ſe adſcribit, novam aliam, eamque plenariam Indulgentiam concedi: quia etſi de jure communi locales duæ Indulgentiæ ſimul non ſubſiſtunt; poteſt tamen localis alia ſubſiſtere cum alia perſonali, qualis ea eſt quæ piis Sodalitiis conceditur. Unde S. I. Congregatio die 16. Martii anno 1677. approbante Papa declaravit, prædicta clauſula *minime contineri Altaria privilegiata pro defunctis, neque Indulgentias aut certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitati, Regularibus & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis qui Chriſtiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui SS. Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione quadraginta horarum interſunt, neque ſtationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentias, inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas; neque demum quæ pro una vice conceduntur. Ceterum, ſi alia Indulgentia, ſive plenaria, ſive non plenaria, in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio R. Pontifice generatim Chriſti Fidelibus Eccleſiam, vel aliquod*

* Hæc S. Thomæ deciſio limitanda eſt ex dicendis, cap. 5. q. 5.

quod ejus Altare, ſeu Capellam viſitantibus, eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat mentio in Litteris Apoſtolicis, has litteras ob adjectam clauſulam eſſe prorſus irritas ac nullas, ita refert Ferraris, verſ. *Altare privilegiatum*, numer. 7. Ut ſolvantur nonnullæ aliæ difficultates.

Quæres 1. Quid juris, ſi pereat locus, cui annexa erat Indulgentia, vel in profanum convertatur?

35 Reſp. 1. Certum eſt non perire Indulgentiam, ſi Eccleſia per partes tantum & paulatim deſtruatur atque reædificetur: Quia ſemper perſeverat eadem numero Eccleſia.

36 Reſp. 2. Si Eccleſia penitus concidat, nec reædificetur, perire cum ipſa Indulgentiam, utpote eidem affixam.

37 Reſp. 3. Si reædificetur Eccleſia; vel in eodem loco extruitur, vel transfertur in alium. Si 1. Probabilis ſatis eſt opinio eorum, qui Indulgentiam perſeverare opinantur; præcipue ſi ſtatim inchoetur reædificatio: quia propter actus vicinitatem cenſetur eadem Eccleſia moraliter perdurare. Imo videtur etiam ſubſiſtere Indulgentia, licet inſtauratio ad multum tempus differatur: quia idem eſt ſitus quoad locum, idem & Templum in morali hominum æſtimatione. Si 2. multopere dubitat Suarez, ibidem diſput. 52. ſect. 1. numer. 9. an permaneat Indulgentia. Iſthæc enim conceſsa fuit huic numero Eccleſiæ, non autem in communi Eccleſiæ talis oppidi. Porro Eccleſia in alium locum translata nullatenus manet eadem Eccleſia, vel quoad ædificium, vel quoad ſolum, ſeu ſitum. Ergo multo veriſimilius eſt Indulgentiam in hoc caſu extingui, niſi aliunde ex privilegii verbis ſatis conſtet Indulgentiam non reſtringi ad hunc locum quaſi materialem, ſed concedi vel Eccleſiæ quam hæc vel illa Religio aut Communitas eo in loco habet; vel intuitu Patroni. Hactenus ferme Suarez. Bene, meo quidem judicio, ſibi conſulent, qui in caſu Eccleſiæ, non modo translatæ, ſed & continenter in eodem loco reædificatæ, novas ſibi, quod facile eſt, Indulgentias accerſent; niſi ex privilegii verbis probabiliſsime conſtet priores perdurare.

Quæres 2. an, quando annexa eſt Indulgentia viſitationi alicujus Eccleſiæ, neceſse ſit eam corporaliter ingredi, & an ingreſsus ille ſufficiat.

38 Reſp. ad 1. penſanda eſse privilegii verba; hæc enim ſi expreſse requirant ingreſsum in Eccleſiam, vel actionem quæ ſine hoc ingreſsu fieri non poteſt, puta celebrationem aut communionem in tali Eccleſia, viſitationem quinque Altarium, non poterit quis Indulgentiam lucrari, etiamſi per vim, vel propter populi multitudinem ab Eccleſiæ ingreſsu arceatur. Si autem verba impleri poſsint per moralem acceſſum ad Eccleſiam, ut impleri poſse videntur, cum Bulla ſolum exigit ut quis Eccleſiam viſitet, imo, & probabiliter, cum exigit ut quis in Eccleſia oret; tunc qui ob vim, puta quia occluſæ ſunt januæ, vel ob populi turbam, nonniſi ante fores orare poterit, nihilo minus lucrabitur Indulgentiam; quia ex morali hominum exiſtimatione Eccleſiam inviſiſse reputabitur. Ita Suarez, ibidem numer. 7. Honoratus a S. Maria, in Gallico de Indulgentiis & Jubilæo Tractatu, pagina 133. alias 112. Blaſius ab Aſsumptione, in Opere cui titulus:

Re-

Digitized by Google

Recueil de Cas de conſcience, & de queſtions qui concernent le Jubilè, capit. 5. caſ. XI. pag. mihi 196. Quarti, in Tract. de Jubilæo, pagin. 120. Lugo, diſput. 27. numer. 98. ubi, etſi non requirit motum corporis ad hoc ut Altaria cenſeantur viſitari, cum quis in eo Eccleſiæ loco & ſitu eſt in quo moraliter reputetur orare coram unoquoque ex iiſdem Altaribus; credit tamen non eſſe ſatis ut quis intra Eccleſiam poſitus animo convertatur ad tale Altare. *Imo*, inquit, *etiamſi ſis in loco apto, ut in medio Eccleſiæ, vellem tamen aliquo geſtu vel converſione capitis aut corporis, ſignificari converſionem ad ſingula Altaria. Nam exigitur viſitatio ſenſibilis; hoc eſt, talis actio, quæ exterius ſignificet orationem fieri ad tale Altare.*

Reſp. ad 2. Vel cum viſitatione Eccleſiæ præcipitur aliquod ſpeciale opus in Eccleſia faciendum, puta orationum aliquot recitatio; vel non. Si 1. extra dubium eſt non percipi Indulgentias ab iis, qui ſolo in Eccleſiam ingreſſu contenti, iiſdem orationibus defuerunt. Si 2. conſtat quoque Indulgentiarum expertem fore, qui locum hunc, ut & alia loca profana, puta ex curioſitate, aut illuc tranſeundo inviſeret: Quia viſitatio ad Indulgentiam requiſita, debet neceſſario pia eſſe ac religioſa, & in Dei aut Sancti honorem cedere. Ita idem Suarez, num. 4. 39

Indulgentia realis eſt ea quæ annexa eſt quibuſdam rebus piis, puta cruci, numiſmatibus, ſeu medaliis, ut paſſim loquuntur, Roſariis, &c. & conceditur Fidelibus, qui res eaſdem devote geſtant, ſub conditionibus in Indulto expreſſis. De his infra. 40

Sed hic exurgit dubium, quod nonnihil etiam locales Indulgentias ſpectat. Quid enim ad pietatem vel ſatisfactionem intereſt, quod quis in hoc potius Templo preces fundat, quam in alio, iiſve potius ad orandum calculis utatur, quam iſtis. 41

Reſp. cum eodem Suarez, ibidem Indulgentiam huic Templo affixam multum conferre ad augendam devotionem, tum erga locum ipſum, tum erga Sanctum qui in eo colitur, quemque magis ac magis honorari intendit Eccleſia. Faciunt etiam Indulgentiæ, ut Fideles cultum & gloriam Dei & Sanctorum ejus in eodem loco per eleemoſynas adaugeant; qui finis ſemper honeſtus eſt, & ad Indulgentiæ effectum accommodatus. 42

Pari jure cum Indulgentia conceditur imagini, cruci, reive cuipiam alii per ſe ipſam dignæ reverentiæ; fit ex conceſſione iſta ut imago hæc majori ſit in veneratione, & Fidelium devotio in prototypon ipſius vehementius exardeſcat. Quod vero ad calculos ſeu grana benedicta pertinet, ut iis annectatur Indulgentia, ſatis eſt quod ex ſe & ante Indulgentiam, ſint veluti quædam actus religioſi, orationis nempe, inſtrumenta; & ea ſecum deferre, quædam ſit virtualis profeſſio fidei. Cur autem his numero granis alligetur Indulgentia, non aliis, ratio præcipue duplex affertur: Alia quod non deceat Indulgentias, ne vileſcant, Roſariis omnibus annecti: alia quod eædem res, ut majoris boni principium, longe pluris æſtimentur, quatenus ſigna ſpeciali modo ad profitendam fidem, & exercendos religionis actus deputata. 43

Digitized by Google

44 Circa realem Indulgentiam hæc breviter annotanda; 1. re moraliter deſtructa, ita ut nec eamdem formam gerat, nec eadem res eſſe in æſtimationem communi cenſeatur, perire Indulgentiam; 2. ex adverſo perſeverare Indulgentiam, ſi res ita priorem formam retineat, ut pro eadem moraliter habeatur. Unde qui pereuntem Roſarii funiculum funiculo novo reſarcit; aut pauca grana deperditis ſubſtituit numero minori, non excidit a jure Indulgentiæ; 3. ad lucrum Indulgentiæ realis neceſſum ſæpius eſſe ut rem deferamus nobiſcum, juxta tenorem privilegii; eo ſcilicet tempore quo intenditur conſecutio Indulgentiæ; nec enim ex corona Indulgentiam lucratur, qui eam ſervat domi, dum recitat; 4. contra Bonacinam hic, diſput. 6. quæſt. 1. punct. 7. numer. 2. neminem poſſe lucrari Indulgentiam utendo re alteri ad Indulgentiam conceſſa; quia Indulgentia, licet, realis ordinem dicit ad perſonas quibus res ſacræ diſtribuuntur. Hinc qui habet numiſma vel coronam, quibus ex indulto Papæ annexa eſt Indulgentia, ſi hæc alteri donet vel commodet, non transfert cum iis Indulgentiam, niſi id expreſſe conceſſerit Pontifex: atque ita declararunt Alexander VII. die 6. Februarii 1657. & Innocentius XIII. die 15. Junii 1721. De his rurſus capit. 8. numer. 6. & ſeq.

45 Indulgentia perſonalis eſt ea quæ conceditur immediate perſonis, ſeu in individuo, ſeu in communi, non tamen omnibus generatim, ſed tali v. g. Sodalitio vel Confraternitati adſcriptis: & hi, ubicumque fuerint, Indulgentiam per opera præſcripta, ſeu ſani, ſeu in articulo mortis lucrari poſſunt, ſecundum tenorem ejus.

46 Circa hæc tria veniunt notanda, 1. ſub Indulgentiis alicui Oppido vel Civitati conceſſis, ipſos etiam Clericos comprehendi; quia & ipſi pars ſunt Chriſtianæ plebis. Idem de Religioſis etiam exemptis dicendum, quoad ipſas Epiſcopales Indulgentias. Nam ſunt exempti in favorem, non vero in detrimentum; adeoque quoad favorabilia cenſentur ſubditi, eo ipſo quo ſunt de talis Epiſcopi territorio. Ita idem Suárez cit. diſp. 52. ſect. 1. n. 13.

47 2. Eum qui Indulgentiam concedit, ejus participem fieri poſſe.

48 3. Paucos eſſe qui Indulgentiam in articulo mortis, ſumme licet utilem, lucrentur; quia pauci præſtant quæ tum præſtari debent. Sed de his, Deo dante, in decurſu.

CAPUT SECUNDUM.

De Effectibus Indulgentiarum.

UT intelligatur plenius, & ſimul, quantum opus erit, vindicetur allata in præcedenti Capite Indulgentiæ definitio operæ pretium eſt ut partes ejus potiſſimas revocemus ad examen, & a cavillis pluribus tueamur. Diſcutiendum igitur in præſens, 1. an Indulgentia temporalem ſolum pœnam, non item æternam, vel ipſam culpam dimittat; 2. an vere coram Deo remittat id omne quod remittit; 3. qua

Digitized by Google

qua ratione effectum hunc præſtet; 4. an Indulgentia eos quibus applicatur, ab operibus pœnitentiæ eximat; 5. quo inſtanti effectum ſuum pariat Indulgentia. De quibus ſit

Conclusio I. Indulgentia per ſe non confert remiſſionem culpæ mortalis, imo nec venialis.

Prob. 1. pars, quam de fide certam exiſtimat Suarez, diſp. 50. ſect. 1. numer. 2. Prob. inquam, 1. quia peccatum mortale nunquam remittitur ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, uti docet Tridentinum, Seſſ. 6. capit. 7. Atqui gratia ſanctificans non poteſt infundi, ſeu per Indulgentiam, quæcumque ea ſit, ſeu per ullam remiſſionem extra Sacramentum factam. Minor eſt de fide: cum Tridentinum, Seſſ. 6. Can. 4. & Seſſ. 14. capit. 2. expreſſe doceat, neminem ſive infidelem, ſive baptizatum conſequi poſſe juſtificationis gratiam ſine Baptiſmi aut Pœnitentiæ Sacramentis, vel contritione cum eorum voto. Jam vero Indulgentia, nec octavum quoddam Sacramentum eſt, nec contritio. Atque etiamſi recipiens quis Indulgentiam, haberet contritionem cum Sacramenti voto, jam Indulgentia non operaretur remiſsionem peccati mortalis, ſed inveniret illud deletum perfecta contritione, quæ peccatum quodcumque tollit, etiam ubi deeſt Indulgentia, aut cum eam homo hic & nunc lucrari non intendit. Ergo. 1

Prob. 2. quia Eccleſia non ſolvit actualia peccata, niſi per modum judicii. Atqui Indulgentiæ non conceduntur per modum judicii. 2

Prob. 3. quia omnes Indulgentiarum formulæ ſemper declarant per illas compenſari ſatisfactionem in pœnitentibus contritis vel confeſsis. Ergo præſupponunt ad earum effectum requiri ut jam ablatum ſit mortale peccatum, ſeu per confeſsionem, ſeu per contritionem. 3

Atque hinc ſequitur pœnam æternam mortalibus peccatis debitam per Indulgentias remitti non poſſe. Quæ enim culpam, pœnæ æternæ principium, remittere non poſsunt, non poſsunt pœnam hanc remittere. Unde ea vel cum culpa concomitanter remittitur, vel conſequenter per ſatisfactionem, &c.

Prob. 2. pars, 1. quia Indulgentiarum formulæ non concedunt pœnæ remiſsionem, niſi contritis & confeſsis. Ergo ſupponunt culpam alterutro modo prius tollendam eſse, quam ſolvatur pœna. 4

2. Quia culpa venialis de lege ordinaria tolli non poteſt ſine hominis actu; quo prior ejus voluntas aliquo modo immutetur: ſecus de pœnæ remiſsione, quæ mutationem hanc non requirit. Atqui per Indulgentiam non datur actus hujuſmodi contra peccatum veniale. Indulgentia enim neque dat contritionem, cum eam nec ipſa Sacramenta dent; nec ejus defectum ſupplet, ut facit Pœnitentia, quæ juſtificat cum attritione, ad juſtificationem extra Sacramentum impari. Quoties enim remiſsio culpæ etiam venialis contingit ſine diſpoſitione per ſe ſufficiente ad remiſsionem ejus, neceſsum eſt ut interveniat cauſa, quæ ex opere operato ad hujus culpæ remiſsionem concurrat, cujuſmodi eſt Sacramentum. Atqui Indulgentia, nec ad culpæ etiam venialis, nec ad alium quemvis effectum concurrere poteſt per actionem ex opere operato; utpote quæ ſolis Sacramentis 5

competat. Ergo. Et hæc communior eſt Theologorum opinio contra Paludanum & alios paucos.

6 Dixi in Concluſione Indulgentiam non conferre *per ſe* remiſſionem ullius culpæ, immediatam videlicet; quia indulgentia ad remiſſionem hanc concomitanter prodeſse poteſt, quatenus nimirum & varia poſtulat pietatis opera, quæ indubie ad obtinendam Dei miſericordiam diſponunt, & varios, qui ab ea removent, obices tollit, puta reſervationem peccati, cenſuras, ipſa etiam quandoque vota, quod tamen ſolæ Jubilæorum Indulgentiæ præſtare conſueverunt.

7 Objic. Nonnulli Pontifices in Diplomatibus ſuis teſtantur ſe abſolvere *a culpa*, vel *a peccato*. Atqui verba hæc, utpote generalia, de peccato etiam lethali intelligi debent, ad minimum autem de veniali. Ergo.

8 Reſpondent aliqui neg. maj. Indulgentiæ enim *tali tenore*, ſeu quæ a culpa & pœna ſimul abſolvant, *nuſquam a Sede Apoſtolica emanant, ut dicit Felinus in Tractat. de Indulgentia*, & poſt eum Barth. Fumus, in Armilla: ita ex bonis Theologis refert Maldonatus, Tom. 2. de Pœnit. q. 6.

9 Atque hinc Sabbatina, ut ajunt, Bulla, in qua Joannes XXII. ex juſsu B. Mariæ, quæ ſub habitu Virginis Carmelitæ eidem apparuerat, Carmelitis tribuit Indulgentiam: qua *Fratres dicti Ordinis a ſupplicio abſolventur & culpa;* gravi falſitatis ſuſpicione apud eruditos plures laborat. Neſcit nemo quot Indulgentiæ variis temporibus prodierint, quæ nedum a S. Sede profluerent, ab eadem indignanter rejectę ſunt. Sane ſi *falſa latinitas vitiat Reſcriptum*, habet Bulla hæc quam refert Amort, pagina 146. unde explodatur. Sed & hinc vitioſa eſt, 1. quod juxta eam, *qui ſanctum intrabit* Carmelitarum *Ordinem, ſalvabitur*; 2. quod, & ibidem ſic loquitur B. Virgo ad Confratres & Conſorores Ordinis prænominati: *Ego Mater gratioſe deſcendam Sabbatho poſt eorum obitum, & quod invenium in Purgatorio liberabo.* Hinc Bulla hæc, *vera an ficta, non diſputo*, inquit Amort, ſic explicata eſt ſub Paulo V. ut Carmelitis *permittatur prædicare, quod populus Chriſtianus poſſit pie credere*, B. Virginem prædictis Fratribus & Sororibus; qui chriſtiane deceſserint, *ſpeciali protectione poſt eorum tranſitum, præcipue in die Sabbathi, adfuturam.*

10 Reſp. 2. diſt. maj. Teſtantur quandoque Pontifices ſe abſolvere a culpa vel peccato, id eſt a pœna peccatis debita, C. Id eſt ab ipſo peccatorum reatu, ſubdiſt. abſolvere diſpoſitive, quatenus varia concedunt privilegia, quæ ad obtinendam peccati remiſſionem non parum conducunt, C. Formaliter & efficienter, N. Peccatum non raro ſumitur pro pœna peccati; ut cum Chriſtus *pro nobis peccatum* factus eſse dicitur, 2. Corinth. 5. 21. quo ſenſu Theologorum pars maxima illud intelligit II. Machab. 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur;* neque enim, ajunt, eo loci agitur de ipſa remiſſione peccati, quod in primo poſt mortem inſtanti dimittitur per vividum contritionis actum; ſed de condonatione pœnæ peccato debitæ. Sed, quidquid de eo ſit, conſtat Pontifices eo ſenſu culpam remittere per Indulgentias, quod multam

ejus

ejus remiſſionis obtinendæ facilitatem procurent; tum plures Confeſſa-
rios offerendo ; tum & removendo non paucos obices , ut ſtatim
diximus .

Conclusio II. Indulgentia pœnam canonicam remittendo, con-
ſequenter vere & coram Deo remittit pœnam Purgatorii : quo autem
in gradu, & qua menſura, ſoli Deo notum eſt.

Prob. I. pars I. ex ratiocinio S. Thomæ , Suppl. q. 25. art. ubi ſic 11
O. *Dicendum quod ab omnibus conceditur , Indulgentias aliquid valere, quia
impium eſſet dicere , quod Eccleſia aliquid vane faceret . Sed quidam dicunt
quod non valent ad abſolvendum a reatu pœnæ , quam quis in Purgatorio
ſecundum judicium Dei meretur ; ſed valent ad abſolvendum ab obligatione
qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam , vel ad quam etiam
obligatur ex Canonum Statutis . Sed hæc opinio non videtur vera . 1. quia
eſt expreſſe contra privilegium Petro datum, cui dictum eſt, ut quod in terra
remitteret , in cælo remitteretur .˙.˙. Et præterea Eccleſia hujuſmodi Indul-
gentias faciens , magis damnificaret , quam adjuvaret ; quia remitteret ad
graviores pœnas , ſcilicet Purgatorii , abſolvendo a pœnitentiis injunctis* ,
per quas citra dubium eædem Purgatorii pœnæ imminutæ fuiſſent ;
(unde , prout notat Sylvius ibidem , verum eſſet quod dixit Luthe-
rus, Indulgentias eſſe fraudes ſeu deceptiones Fidelium .) Ergo *remiſ-
ſio quæ* per Indulgentiam *fit quantum ad forum Eccleſiæ, valet etiam quan-
tum ad forum Dei.*

Confirm. quia clavium Eccleſiæ effectus proprie reſpicit futurum ſæ- 12
culum ; cum ideo claves cæli vocentur . Atqui Indulgentiæ fundantur
in poteſtate clavium; ut infra dicemus. Ergo .

Prob. 2. Quia condonatio quam inceſto fecit Apoſtolus, 2. Corinth. 13
2. 10. non minus efficax fuit , quam ſi a Chriſto ipſo facta eſſet ;
quandoquidem facta ſit Chriſti vice & auctoritate, ſeu, ut loqui au-
det Apoſtolus, *in perſona Chriſti*. Atqui condonatio a Chriſto ipſo facta,
in foro Dei rata fuiſſet & efficax. Ergo.

Prob. 3. Proſunt, quocumque tandem modo, defunctis Indulgentiæ, 14
ut paulo poſt oſtendemus . Atqui non proſunt eis quoad ſolutionem
pœnæ cujuſvis ab homine, quia jam iſti non ſubjacent . Ergo proſunt
quoad ſolutionem pœnæ in foro Dei debitæ.

Prob. 4. Non minor eſt efficacia Indulgentiæ per Chriſti & Sancto- 15
rum merita nunc conceſſæ, quam illius quæ olim lapſis concedebatur
per libellos Martyrum. Atqui hæc ſic a pœnis humanis, ſi ita loqui fas
eſt, ſolvebat, ut etiam coram Deo valeret. Minor patet , tum ex S.
Cypriano , qui Tract. de Lapſis agnoſcit *merita Martyrum* coram Deo
plurimum valere; nempe , ait Epiſt. 14. pag. 27. *ut lapſi Fideles cum
pace a Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur*. Unde Tertullianus,
jam ad Montani partes abreptus, Martyres, quod ſibi aſſumerent po-
teſtatem dimittendi per merita ſua pœnas divinæ juſtitiæ debitas, his
verbis ſugillabat , Lib. de pudicitia , cap. 22. (pag. 575.) *Sufficiat
Martyri propria delicta purgaſſe : ingrati & ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere ,
quod pro magno fuerit conſecutus*. Ergo.

Prob. 5. tum ex Sixto IV. S. P. qui in Conſtitutione, *Licet ea*, pro- 16
ſcripſit iſtam Petri Oxonienſis theſim : *Romanus Pontifex Purgatorii
pœnam*

Digitized by Google

pœnam remittere non poteſt . Tum ex Leone X. qui inter alios Lutheri Articulos hunc n. 14. perſtrinxit : *Indulgentiæ his qui eas veraciter conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud juſtitiam divinam*. (Tom. 14. Concil. p. 395.)

17 Prob. 2. pars contra eos, qui tot Purgatorii dies vel annos per Indulgentiam remitti credunt , quot in Bulla Indulgentiæ exprimuntur . Prob. inquam, 1. quia Indulgentia quadragenæ v. g vel ſeptenæ, eas ſolum pęnas remittit , quarum quis obtinuiſſet remiſſionem canonicam per dies 40. vel ſeptem annos pœnitentiam obeundo . Atqui prorſus incertum eſt an per hujuſmodi pęnitentiam obtinuiſſet remiſſionem pęnæ in Purgatorio per dies 40. vel annos ſeptem ſubeundæ . Nec dubium eſt quin e duobus qui æque rei eandem pœnitentiæ menſuram præſtant, multo plus veniæ obtineat, qui pęnitentiam hanc jugi & alacri ſtudio decurrit, quam qui remiſſe & ſegniter exequitur. Ergo.

18 Prob. 2. quia fieri facile poteſt , ut Deus ſecundum æquiſſimas ſapientiæ ſuæ leges, graviores aliquando ſed breviores, aliquando leviores ſed diuturnas magis, defunctis pęnas conſtituat. Atqui in hac hypotheſi, quæ ſupremo omnium rerum arbitro nihil repugnat, fieri naturaliter non poteſt, ut numerus annorum Purgatorii decreſcat pro numero annorum pœnitentiæ, vel impletæ, vel indulgenter remiſſæ. Ergo *inſcrutabilis judicii eſt* definire quoto in gradu operetur Indulgentia. Sed unum id ſcire refert, remiſſionem pęnæ eo futuram majorem, quo major fuerit pęnitentis cujuslibet , aut Indulgentiam lucrantis devotio . Unde tritum illud, de quo infra, valere Indulgentias quantum ſonant, *modo nec clavis erret, nec Fidelis deficiat*.

Objectiones quotquot hic proponi poſſent , Capite proxime ſequenti expendentur.

Conclusio III. Indulgentiæ viventibus applicantur per modum ſolutionis ſimul & abſolutionis judiciariæ; defunctis autem per modum meræ ſolutionis, ſive per modum ſuffragii .

19 Ut intelligatur Concluſio , prænotandum eſt Indulgentias per modum abſolutionis judiciariæ applicari , quando Eccleſia ſatisfactionum Chriſti ſuperabundantium diſpenſatrix , virtute clavium immediate & moraliter Fidelibus ſibi actu ſubditis applicat eaſdem Chriſti ſatiſfactiones , quibus ſolvuntur pœnæ temporales a Fidelibus debitæ pro peccatis . Contra vero Indulgentiæ applicantur per modum ſuffragii , ſolutionis meræ , & oblationis , quando Eccleſia ſatisfactiones Chriſti e theſauro ſuo virtute clavium extractas , offert Deo in ſatiſfactionem pœnarum juſtitiæ divinæ debitarum , pro illis qui non amplius ſubjacent juriſdictioni ipſius , quod aliqui ſatisfactionum applicationem moralem vocant , alii oblationem vocare malunt . Quapropter Pontifex quoad vivos ſe habet inſtar viri, qui debitoribus in proprio ejuſdem carcere incluſis dat in manu pecuniam unde ſe redimant : quoad defunctos vero, inſtar viri qui extraneos in alieno carcere incluſos juvare volens , nec ſuam ad eos pecuniam immediate transferre valens, quia id non ſinunt leges loci , eandem hujus carceris domino offert , ut eos ab ergaſtuli ærumnis miſericorditer eruere dignetur. Jam

Prob.

Prob. 1. pars: Ut Indulgentiæ vivis applicentur per modum ſolutionis ſimul & abſolutionis juridicæ, duo ſufficiunt, 1. ut Eccleſia Indulgentias largiendo, ſolvat debita Fidelium quibus eædem applicantur: 2. ut debita hæc non ſolvat ſimpliciter, ſed ſolvat, ſubditos ſuos juridice abſolvendo. Atqui 1. Eccleſia per Indulgentias ſolvit Fidelium ſuorum debita. Quæ enim in locum ſatisfactionis a Fidelibus debitæ, pro poteſtate ſibi conceſſa offert infinitas Chriſti ipſius ſatisfactiones, hæc utique non gratis relaxat debita ſuorum, ſed abundantiſſime ſolvit & perſolvit. Atqui Eccleſia in locum ſatisfactionis, &c. Nimirum vero Eccleſia in diſpenſatione theſauri ſibi commiſſi non ſe habet ut domina, quæ pro arbitrio abſolvat, ſed ut judex, Chriſti judicis perſonam ſuſtinens. Atqui judex qua talis debet juſtitiæ jura ſervare illæſa. Ergo quod una ex parte dimittit, ex alia ſolvendo ad minus æquivalenter, compenſare debet. Atque hinc Clemens VI. in Extrav. comm. *Unigenitus*, 2. *de pœnitentiis*, *&c.* docet per Indulgentias fieri ſolutionem ex theſauro Eccleſiæ. Merito igitur S. Thomas, Suppl. q. 25. art. 1. ad 3. docet, quod *faciens Indulgentias*, *ſolvit pœnam de bonis Eccleſiæ communibus*. 20

2. Eccleſia Fidelium debita ſolvit abſolvendo. 1. Quia poteſtas Eccleſiæ quantum ad Indulgentias his nititur Chriſti verbis: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram*, *erunt ſoluta & in cœlis*. Atqui verba hæc juridicam abſolutionem important. Unde Martinus V. plenariam Indulgentiam tribuens in Conſtantienſi Concilio, dicit ſe *abſolutionem plenariam* concedere; quo etiam *abſolutionis* verbo frequenter utitur Gregorius VII. 2. Quia Indulgentia vivis conceſſa non valet, niſi concedatur ſubditis. Ergo requirit ut concedens in eos quibus concedit, juriſdictionem habeat. Atqui juriſdictio hæc non eſt neceſſaria niſi ad abſolvendum juridice. Unde Alexander III. cap. *Quod autem*, 4. *de pœnitentis*, *&c. Cum*, inquit, *a non ſuo Judice ligari nullus valeat*, *vel abſolvi*, *Indulgentiæ ſolis illis proſunt*, *quibus proprii Judices eas indulſerunt*. 3. Quia Indulgentiæ eo diſtinguuntur a ſuffragiis, quod hæc privata auctoritate fieri poſſint, non illæ. Ergo Indulgentiæ vivis conceſſæ ſunt abſolutiones. 21

Prob. 2. pars. Ex dictis, ad abſolutionem requiritur juriſdictio in eum qui abſolvitur. Atqui Eccleſia nullam habet juriſdictionem in defunctos, utpote qui jam ſolius Dei foro ſubjaceant. Unde, juxta aliquos, non dixit Chriſtus generatim: *Quæcumque ſolveritis*; ſed *quæcumque ſolveritis ſuper terram*; id eſt, interprete, ut volunt, Chriſto, Joan. 21. quidquid ſolveritis quantum ad eos qui velut *oves* in hoc mundo paſci a vobis poſſunt, *erit* judicialiter *ſolutum in cœlis*. 22

Non deſunt equidem qui iſta Chriſti verba ſic explicent: *Quoſcumque ſuper terram poſiti feceritis ſolutionis & ligationis actus*, *ii in cœlo rati erunt*. At ii ſimul docent per ſolutionem non intelligi ſolum abſolutionis proprie dictæ actum, ſed generaliter quamcumque remiſſionem, diſpenſationem, relaxationem, &c. Sicut etiam per actum ligandi generaliter intelligitur ligatio per legem, per decretum fidei aut morum, per excommunicationem, per pœnitentiæ injunctionem. Ita Sylvius, ad q. 71. art. 10. Porro juxta expoſitionem hanc quæ Suarezio non improba- 23

probabilis eſt, ſtat defunctorum animas in terris, ſeu a Pontifice ſolvi, nec tamen proprie & judicialiter abſolvi.

24 Confirmat. Quæ nullos alios juriſdictionis actus, in ſubditum neceſſario exercendos, in animas Purgatorii exercere poteſt, non poteſt in eaſdem exercere actum abſolutionis judiciariæ a pœnis. Atqui Eccleſia nullos alios actus juriſdictionis, qui in ſubditos ſolos exerceri poſſint, in animas purgantes exercet: ſic enim nec excommunicantur defuncti, licet quandoque declarentur mortui eſſe in vinculo excommunicationis; nec ab excommunicatione per vitam contracta liberantur, quamvis viventes aliquando liberentur ab onere non communicandi cum ipſis per orationem & ſuffragia. Ergo Indulgentiæ defunctis applicantur per modum ſolutionis. Cum autem ſolutio hæc nunquam pro defunctis pendatur a viventibus, niſi per pœnalia quædam opera a Pontificibus præſcripta, merito dicitur habere rationem ſuffragii. Quia ſuffragium nihil eſt aliud quam *Opus bonum & pœnale, remiſſionis pœnæ proximi impetratorium*. De his adi Suarez, citat. diſp. 53. ſect. 2. & 3.

25 Objic. 1. contra 1. part. Abſolutio dari poteſt invito, ut patet in Cenſuris. Atqui Indulgentia non poteſt invito dari.

26 R. ad 1. diſt. maj. Abſolutio, quæ nullam in ſuſcipiente diſpoſitionem vel actionem requirit, dari poteſt invito, quemadmodum ea quę tollit cenſuras, C. Abſolutio, quæ certas requirit diſpoſitiones, ut abſolutio ſacramentalis a peccatis, aut Indulgentia, N.

27 Obj. 2. Ad abſolutionem Judiciariam prærequiritur cauſæ cognitio: Atqui Indulgentia hanc cauſæ cognitionem non requirit. Unde dari ſolet in communi iis omnibus qui hoc vel illud executi fuerint.

28 R. diſt. maj. Ad abſolutionem judiciariam, quæ datur in particulari, ſecundum allegata, requiritur cauſæ cognitio, C. Ad abſolutionem generalem, & conditionate tantum datam, ſubdiſt. Requiritur cognitio generalis cauſæ, C. Cognitio in ſpecie, N. Itaque abſolutio particularis, ſeu *ab homine*, particularem cauſæ cognitionem requirit, ut patet in abſolutione ſacramentali a peccatis. Verum abſolutio communis, ſeu *a jure*, communem tantum cauſæ notitiam requirit: hæc autem nunquam deeſt. Novit enim Eccleſia Fideles ſuos ſumma Dei Indulgentia indigere: Etſi aliunde inveſtigare debet an hic & nunc Indulgentiæ theſauros aperiri expediat.

29 Obj. 3. Si Indulgentiæ per modum abſolutionis juridicæ concedantur, Papa earum particeps eſſe non poterit: cum nemo in eum juriſdictionem habeat, nec ipſe ſemetipſum abſolvere valeat. Atqui falſum conſequens.

30 R. neg. ſequel. majoris: poteſt enim Rom. Pontifex Indulgentiis frui, vel ſubjiciendo ſe Sacerdoti, qui eum ſicut alios a culpa per Sacramentum Pœnitentiæ abſolvat, & a pęna per Indulgentiam; vel quia, licet ſe ipſum directe abſolvere non poſſit, poteſt tamen iis uti rebus, quas aliis conceſſerit; neque enim ad Indulgentias participandas accedit ut Prælatus, ſed tanquam unus de Chriſti grege, cui illæ in communi ſunt propoſitæ. Ita Sylvius, p. 109.

31 Obj. 4. contra 2. part. Si quid obſtet ne Indulgentiæ per judicii & ab-

& abſolutionis modum concedantur defunctis, id præſertim quod defuncti jam Eccleſiæ juriſdictioni non ſubſint. Atqui falſum conſequens. Eccleſia enim mortuos aliquando excommunicat, aliquando ſolvit ab excommunicatione. Ergo.

32 Reſp. ad 1. neg. min. quæ omnino ſenſui Eccleſiæ repugnat. Dum enim Pontifices in gratiam defunctorum Indulgentias largiuntur, hanc pene ſemper adhibent clauſulam, *per modum ſuffragii*; prout videris in Diplomatibus Alexandri VI. Clementis VII. Julii III. Gregorii XIII. Leonis X. in Epiſtol. ad Cajetanum, quam laudat Eſtius in 4. diſtinct. 20. §. 11. Unde cum Joannes Angeli propoſitionem hanc emiſiſſet: *Animæ in Purgatorio detentæ ſunt de juriſdictione Papæ*, Sacra Facultas Pariſienſis eam, prout refert qui præſens aderat Major, in 4. diſt. 20. qu. 2. reprobavit ut *ſuſpectam, ſcandaloſam, & nullatenus publice prædicandam*.

33 Ad 2. dico Eccleſiam nec mortuos percutere cenſuris, nec a cenſuris ſolvere directe & quoad ipſos, ſed quoad viventes, quibus declarat vel errore facti damnatum fuiſſe innocentem, vel eodem errore abſolutum reum. Ita Bellarminus hic, Lib. 1. cap. 14. & nos jam pridem, ubi de cenſuris.

An autem reipſa ex Indulgentiis per ſuffragii modum juventur defuncti, expendemus cap. 6. In præſenti enim abſolutionem ſuffragio oppoſuimus, ut magis de utriuſque diſcrimine conſtaret.

Circa quæſtionem quartam, an ſcilicet Indulgentia eximat ab operibus pœnitentiæ, quædam recepta ſunt apud Theologos, quædam in controverſiam vocantur.

34 Et quidem 1. conſtat per Indulgentiam, quin & ſine Indulgentia ſpeciali, eximi peccatorem a laborioſis illis Canonicæ Pœnitentiæ operibus, quæ fuſe a nobis Tom. 6. part. 1. recenſita ſunt. His enim jam nunc nemo ſubjicitur.

35 Conſtat 2. neminem eſſe, qui ob Indulgentias quempiam ab omni prorſus pœnitentia eximat. Tunc enim ad minus in locum pœnitentiæ a Confeſſario injunctæ ea ſubingreditur, quæ ad Indulgentiam lucrandam præſcripta eſt; quæque non raro gravior eſt ea quam pluribus vere Chriſtianis injungeret Confeſſarius; ut patet in magnis Jubilæis, quæ & jejunia nonnulla, & crebras Eccleſiarum plurimarum viſitationes, & in iis preces pie recitatas indicunt.

36 Sed & conſtat 3. neminem per Indulgentiam, quæcumque ea ſit, eximi a pœnitentiis medicinalibus ſibi in Tribunali ſacro impoſitis. Unde cui injunctum eſt, ne tabernam, ne puellam hanc, ne hunc perditæ famæ adoleſcentem frequentet, id ad amuſſim obſervare tenetur, alioquin Indulgentiam minime lucraturus; quia qui periculum amat, jam reus eſt peccati, cujus ſe periculo gravi exponit, prout alibi expendimus.

37 Tota igitur lis eſt, an ab aliis quibuſcumque pœnitentiis diſpenſet Indulgentia? Porro circa quæſtionem ad hoſce limites redactam non una eſt omnium ſententia. Sunt enim plures, non infimi nominis Theologi, qui pœnitentem ab omni, modo non medicinali, pœnitentia, per Indulgentiam eo uſque eximi opinantur, ut hunc ei deeſſe tuto poſſe exiſti-

exiſtiment. *Omnes fere Catholici conveniunt*, ait Suarez, diſp. 50. ſect. 3. numer. 1. *per Indulgentias relaxari pœnitentias injunctas in Sacramento Pœnitentiæ*. Concinit Lugo, diſp. 27. numer. 22. ubi hæc: *Communis ſententia, ni fallor, Antiquorum & Recentiorum ſimpliciter & univerſaliter affirmat liberari pœnitentem ab obligatione implendi pœnitentiam: quam videtur expreſſe docere Sanctus Thomas, in 4. diſtinct. 20. quæſt 1. artic. 3. quæſtiunc. 1.* (Supplem. quæſt. 25. artic. 1.) his verbis *O. Dicendum eſt quod* Indulgentiæ *valent, & quantum ad forum Eccleſiæ, & quantum ad judicium Dei, ad remiſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem, & abſolutionem, & confeſſionem, ſive ſit injuncta, ſive non*. Unde vult duntaxat *conſulendum* eſſe *eis qui Indulgentias conſequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abſtineant, ut etiam ex his remedium conſequantur, quamvis a debito pœnæ eſſent immunes; & præcipue quia quandoque ſunt plurium debitores, quam credant*.

38 Idem apud Lugo docent expreſſe Navarrus, Sylveſter, Angelus, Armilla: generatim vero, qui citra diſtinctionem ullam docent, per Indulgentias tolli obligationem pœnitentias implendi, ut Alexander Alenſis, S. Bonaventura, Durandus, &c.

39 Eadem eſt Sylvii doctrina in eand. q. 25. art. 2. pag. 112. qui tamen ob citatas S. Thomæ rationes conſulit ne Fideles propter Indulgentias ab operibus pœnitentiæ ſibi injunctis abſtineant.

40 Conſonat Habertus, §. 1. de Indulgent. ubi hæc habet, pag. mihi 403. *Quia pœnitentes non accedunt ſatis parati, ut per abſolutionem reatus pœnæ totaliter expungatur, Sacerdotes ex præcepto divino tenentur imponere ſatisfactiones congruas ad eluendum quod ſupereſt pœnæ temporalis. Porro Indulgentia eſt ejuſmodi ſatisfactionis remiſſio & pœnæ relaxatio*. Qui rurſus §. 3. Reſp. 1. ſic ſtatuit: *Indulgentiæ quæ abſolute & abſque reſtrictione conceduntur, ſe extendunt ad omnem pœnam temporalem, ſive injunctam, ſive injungendam*. Vult nihilominus idem Magiſter, ut nemo injunctæ ſibi pœnitentiæ deſit; quia nemo certus eſt an Indulgentiam lucratus ſit.

41 Non deſunt tamen qui per Indulgentiam eas tantum remitti pœnas credant, quæ vel olim a Canonibus imponebantur; vel a Sacerdote injungerentur, ſi, non habita fragilitatis pœnitentium ratione, parem delictis eorum pœnitentiam injungeret, quam paſſim minorem indicere conſuevit. Ita vir minime ſuſpectus Rev. P. Honoratus a Sancta Maria, in Gallico de Indulgentiis Tractat. pag. nunc 46. ubi tamen utcumque contradictoria loqui videtur. Ad hanc opinionem non parum accedit Tournelyus, pag. 353. ubi ſtatuit Concluſ. 5. quod *Indulgentiæ vix unquam hominem penitus eximunt ab omni pœna temporali, & laborioſis pœnitentiæ operibus*. Dolendum ſane quod partem hanc arripiant lubenter, qui Indulgentias deprimere amant. Sed quid non tollendum a Theologia, ſi ab ea reſecari oporteat id omne quo abutuntur viri *prurientes auribus*, & Eccleſiæ parum addicti? Nos ut diſſentientes animos, ſi potis erit, conciliemus, hæc arbitramur ſtatuenda, quæ pio & erudito examini ſponte ſubjicimus.

Conclusio IV. Indulgentiæ nec eximunt, nec quemquam eximere

re poſſunt a laborioſis pœnitentiæ operibus, quæ ad obtinendam cum Deo reconciliationem aliquando prærequiruntur.

42 Prob. 1. Indulgentia nec eximit, nec eximere poteſt ab iis quæ ad ejus conſecutionem ex natura rei prærequiruntur. Atqui ad Indulgentiæ conſecutionem prærequiritur ſtatus gratiæ, & vera cum Deo reconciliatio; quæ potiſſimum in peccatoribus crimini jam pridem addictis nonniſi per prævia laborioſæ pœnitentiæ opera impetrari ſolet. Minor conſtat, 1. ex iis quæ diximus Tom. 6. Part. 1. cap. 6. num. 166. 2. Ex agendi ratione Apoſtoli, qui 1. Corinth. 5. verſ. eodem. Inceſtum Corinthium gravi addixit pœnitentiæ, ut *ſpiritus* ejus *ſalvus* fieret *in die Domini*; id eſt, ut cum Deo reconciliari mereretur; quam quidem pœnitentiam non ante indulgenter relaxavit Apoſtolus, quam ſceleſtus ille per annum totum ea defunctus eſſet. 3. Ex S. Cypriano graviter eos redarguente, qui Libellaticis, priuſquam judicari poſſent ad divinam reconciliationem habiles, pacem & communionem, quam iis expoſtulaverant Martyres, præpropere indulgebant. *Contra Evangelii vigorem*, ait Tractat. de lapſis, (pag. 173.) *contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & accipientibus nihil profutura*. Minus tamen quid, ob Martyrum preces & commendationem exigebat S. Doctor, quam ceteroquin exegiſſet. Unde Epiſtol. 10. *Peto*, inquit, alloquens Confeſſores qui Libellaticis veniam orabant, *ut eos, quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei ac diſciplinæ congruentes Litteras dirigatis*. Ubi obſervanda verba hæc, *pœnitentiam ſatisfactioni proximam*, id eſt, quæ ad æqualitatem accedat.

43 Prob. 2. Quia, ut bene Tournelyus, pag. 354. contraria opinio plura inveheret abſurda & incommoda: ex ea enim ſequeretur 1. hodiernas Indulgentias veteribus longe diſſimiles fore; iſtæ enim; ut mox vidimus, gravem exigebant pœnitentiam; noſtræ vero aut nullam, aut leviſſimam. 2. Facilius in gratiam recipi, qui peccaverunt poſt Baptiſmum, quam qui ante: Cum his per Indulgentias ſuccurri non poſſit, illis poſſit facillime; præſertim in urbibus, queis Indulgentiæ non deſunt. 3. Majorem fore vim Indulgentiarum, quam Sacramenti Pœnitentiæ; quandoquidem raro contingat totam pœnam in iſto Sacramento dimitti. His adde quod ſi Fidelium vulgo ſemel perſuaſum eſſet, omne pœnæ debitum per Indulgentias ſine congrua pœnitentia extingui; hinc erumperent torpor, negligentia diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ipſarumque conſequenter Indulgentiarum deſpectus. Unde patens hæreticis, aliiſque non tam Indulgentiæ quam Papæ oſoribus, aperiretur campus Eccleſiæ inſultandi.

Conclusio V. Indulgentia nunquam eximit a tota pœnitentia per Confeſſarium injuncta. An a parte ejus pœnali eximat, controvertitur. Curandum in praxi ut hæc tota impleatur.

44 Probat. 1. pars: Ex Tridentino, Seſſ. 14. cap. 8. Confeſſarius pœnitenti ſatisfactionem injungere tenetur, tum *ad peccatorum vindictam atque caſtigationem, tum ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum*.

mentum. Atqui nulla eſt in terris poteſtas, quæ poſtrema hac diſpenſare valeat; præſertim cum major ſit pœnitentiæ ut medicinalis neceſſitas, quam ut ſimpliciter afflictivæ, prout Tom.6. part. 1. oſtendimus. Et vero quis ob Indulgentiam permittere auſit, ut tabernam vir devotus vino, amaſiam impudicus, pro more ſuo antiquo inviſat. Merito igitur Suarez, diſp.50. ſect.2. n.7. *Quia Indulgentia nec moderatur paſſiones, nec pravam conſuetudinem ſeu habitum remittit, non obſtante Indulgentia manet eadem obligatio applicandi medicinam præſervativam: in quo etiam Doctores conveniunt*.

45 Receſſit quidem ab ea communi opinione Card. de Lugo, diſp.27. n.22. quem ſecutus eſt Martinon, diſp. 53. nu. 79. Uterque nimirum contendit, per Indulgentiam tolli debitum pœnitentiæ etiam ut medicinalis: Scilicet, inquiunt, quamvis Confeſſarius ſit ſimul Judex & Medicus, *non tamen obligat ut Medicus, cujus eſt ſolum conſulere, non præcipere*. Ergo ſolum obligat ut Judex, proinde quatenus pęnitentiam imponit in pęnam peccati. Atqui ceſſat obligatio pęnæ, eo ipſo quod per Indulgentiam condonatur pęna.

46 Et vero, pergit Lugo numer. 26. ſi condonata pœna Sacerdos adhuc obligaret ad jejunium per modum medicinæ, vel jejunium illud deberetur ut ſatisfactio ſacramentalis, quæ ſit pars Sacramenti, vel non. Porro deberi non poteſt ut ſatisfactio, quia qui nihil jam debet pro peccatis, non poteſt obligari ad ſolvendum; nec poteſt puniri a Judice ille cui condonata eſt pœna. Ergo jejunium illud non imponitur ut ſatisfactio: ergo non erit pars integralis Sacramenti. Ex hoc autem infertur, nec poſſe illud imponi ut puram medicinam; quia inauditum eſt, quod pœnitens ex mero præcepto Confeſſarii obligetur ad aliquid, quod ſi ponatur, non poſſit eſſe pars integralis Sacramenti.

47 Hæc ille, quæ ſi a moroſo quopiam paulo ſeverius expenderentur, gravem forte cenſuram non effugerent. Quod enim quia terreni Medici conſulunt, non autem præcipiunt, Confeſſarius qua Medicus, dum pęnitentiam medicinalem imponit, conſulat tantum, non pręcipiat; in Eccleſia Dei prorſus inauditum eſt. Profecto ubique receptum eſt, quod pęnitentię Miniſter, ſive pręterita peccata puniat, ſive pręſervet a futuris, id Dei auctoritate, & clavibus utendo, faciat. Ergo non obſtantibus argutiis dicendum, quod pęnitentia quæcumque ab eo impoſita, ſit vere ſacramentalis, & ut ſic ex opere operato producat; ſeu remiſſionem pęnę, ſi quę luenda ſuperſit; ſeu gratiam, qua pęnitens contra futuros lapſus muniatur.

48 Prob. 2. Pars, quia circa punctum iſtud Theologi graves gravibus adverſantur. Qui pęnitentiam pęnalem vi Indulgentiæ remitti credunt pugnant, 1. unanimi pene Theologorum conſenſu, de quo ſupra Suarez. Ab eo autem non eſt recedendum ſine gravibus argumentis.

49 2. Quod pęnam omnem dimittit, eam etiam dimittit quæ a Confeſſario impoſita eſt. Atqui Indulgentia, plenaria ſcilicet, per ſe omnem pęnam dimittit, ſeu, ut loquitur Habert. pag. mihi 416. pęnam, ſive injunctam, ſive injungendam.

50 Prob. min. 1. Quia Chriſtus Matth. 16. abſolute & abſque limitatione

tione ulla dedit Apoſtolis poteſtatem ſolvendi. Nec eſt cur ea poteſtas ad has vel illas pœnas reſtringatur. Licet enim Indulgentiæ quædam ſub clauſula *de injunctis pœnitentiis* tribuantur; plures tamen, potiſſimum a Bonifacio VIII. in extravag. *Antiquorum*, a Clemente VI. in extravag. *Unigenitus*, Sixto IV. in extravag. *Quemadmodum*, & aliis ſubinde, præſertim autem in Jubilæis, plenarie & citra reſtrictionem conceſſæ ſunt; ſeu quantam claves ſe ſe poſſunt extendere, prout teſte Gloſſa in prædictam extrav. *Antiquorum*, declaravit ipſe Bonifacius VIII.

2. Si Indulgentiæ pœnitentiam a Confeſſario injunctam non remittunt de ſe; vel quia effectum hunc habere non valent, vel quia ad effectum alium deſtinantur a Pontifice; nempe ad remiſſionem pęnæ Canonicæ, vel ad ſupplendam quæ pęnitentibus ineſt; plene ſatisfaciendi impotentiam. Atqui nullum ex his dici poteſt. Non 1. Ecquis enim neget ſanguinem Chriſti ſat habere virtutis ut ſuppleat pauca quædam jejunia a Confeſſario indicta. Non 2. tum quia Pontifices volendo, quod identidem volunt, ut Indulgentia omnem, quem claves ferunt, effectum ſortiatur, effectum hunc non reſtringunt, tum quia alioquin Indulgentiæ iis ſolum prodeſſent primi ordinis peccatoribus; qui tot admiſere crimina, ut ea nulla idonea ſatisfactione redimere poſſint: non autem juſtis inſignibus, qui duntaxat venialium ex obreptione rei, eadem non ita difficulter abluere valent, & ſæpe ſatis abluunt, ut ſtatim a morte gloria cęleſti donentur; tum quia ſi quis pęnitentiam mortali ſuo delicto parem a Confeſſario accepiſſet, quod fieri poteſt, is nullam ex indulgentia perciperet pęnæ ſuæ relaxationem; quia nihil eſſet tunc in ejus pęnitentia ſupplendum. Ergo dicendum videtur per Indulgentias remitti pęnam, ſive injunctam, ſive injungendam; vel potius eam in opera ad Indulgentiam præſcripta commutari. 51

His tamen non obſtantibus contrariam opinionem tenent non pauci: atque inter eos Amort ad calcem Tractatus præcitati; ubi poſtquam confeſſus eſt *minus poſſe* pœnitentias ratione Jubilæi, hanc ſtatuit theſim, pag. 46. *Doctrina Theologorum illorum, qui aſſerunt per Indulgentias plenarias tolli obligationem ad ſatisfactionem ſacramentalem, repugnat intentioni ſummorum Pontificum, menti Conciliorum, communi ſenſui Patrum & Theologorum primi ordinis, ac denique traditioni & praxi conſtanti Eccleſiæ per quatuordecim priora ſæcula*. Congerit is quidem non pauca quæ ſolvi poſſint; ſed & non pauca habet quæ ſuam hanc cauſam ſolide juvent; ut quod Martinus V. conceſſa per Bullam Cruciatæ Indulgentia maxima, velit ut hæc proficiat, *injuncta pro modo culpæ ſalutari pœnitentia;* quod Sixtus V. in Jubilæo ann. 1589. præcipiat ut *juxta modum delicti* imponatur ſalutaris pęnitentia, &c. Sed de his, quibus non egent cauti Confeſſarii, quæque vix proſunt laxioribus, adeantur tum idem Theologus, tum quæ in Jubilæis edi ſolent Paſtoralia Epiſcoporum Documenta. Unde 52

Probat. 3. Pars, 1. Quia cum quæſtio hæc in opinione poſita ſit, pars quæ Sacramenti integritati magis conſulit, præferri debet; cum præcipue ſine gravi incommodo preferri poteſt. Porro Sacramenti 53

integritati conſulit, qui injunctam ſibi in ſacro Tribunali pœnitentiam exequitur.

54 2. Quia non poteſt quis a ſacramentali ſatisfactione immunis eſſe, niſi prout certus eſt ſe Indulgentiam totam lucratum eſſe. Id autem non ita certo conſtare poteſt, & ei multominus qui parcus in Deum, pœnitentiam ut plurimum ſatis modicam omittit.

55 3. Quia ut Indulgentia tota percipiatur, neceſſe eſt, ut nec Fidelis deficiat, nec clavis erret. Atqui plerumque deficit Fidelis; & fieri poteſt ut clavis erret; licet id minime ſit præſumendum. Ergo cum debitor tandiu debitor teneatur, quandiu illud ſolutum fuiſſe non pr.-bat; pœnitens, non obſtante Indulgentia, Pœnitentiam injunctam exequi debet.

56 4. Quia Pontifices rebus mature expenſis, hanc ſuis Jubilæorum diplomatibus clauſulam apponunt: *Injuncta ſalutari pœnitentia*. Ergo non debet præſumi eorum mentem eſſe ut ab ea immunes ſint qui Indulgentiam lucrari volunt. Hinc ſuſpectum videri poſſit, quod narrat Gloſſa in extravag. *Antiquorum De pœnitent. & remiſſ.* videlicet Bonifacium VIII. in anni ſancti Jubilæo, quod ſub ipſius Pontificatu ann. 1300. celebratum eſt, noluiſſe ut Confeſſarii ullas pœnitentibus illud lucraturis pœnitentias indicerent; & ægre tuliſſe, quod a nonnullis fuiſſent indictæ. Tutior ſane & ſalubrior eſt praxis quam tenuere plerique ejus ſucceſſores. Atque id demum communiſſime fatentur utriuſque partis Theologi.

57 Hinc colliges dubium eſſe id quod poſt Lugo, ibidem, numer. 31. tradit Martinon citat. diſput. 63. numer. 83. *pœnitentes* ſcilicet, *quibus ex præcedentibus quibuſcumque confeſſionibus ſuperſunt multæ pœnitentiæ implendæ, juvari poſſe & levari hoc onere per Indulgentias plenarias*, ad quarum opem recurrere poſſint, ſive ex conſilio vel præcepto Confeſſariorum: (*quod*, inquit, *præceptum aut conſilium dari poteſt non auditis peccatis pro quibus illæ fuerint injunctæ, atque etiam extra ſacramentalem confeſſionem*) ſive ex voluntate propria, & ſine cujuſquam conſilio vel juſſu: *quia hæc non eſt commutatio juridica ad quam neceſſaria ſit poteſtas juriſdictionis & cognitio cauſæ; ut quando pœnitentia injuncta ab uno confeſſario mutatur ab alio: Sed eſt ſimplex obligationis ceſſatio per ſubſtractionem materiæ, quæ ſubſtractio materiæ fit a Summo Pontifice concedente Indulgentiam, & condonationem pœnæ, qua condonata ceſſat obligatio ſatisfaciendi*. Id, inquam, ob rationes modo propoſitas nonnihil dubii habet. Quanquam opinio hæc (quam, inquit, ibid. Lugo, *viri doctiſſimi Salmanticenſes a me conſulti approbarunt*, & in Mſſ. approbaverat Alphonſus Rodriguez) inſervire poſſit erga eos, quibus confeſſio etiam utcumque generalis, (qualem ab iis faciendam eſſe, qui pœnitentiæ ſibi injunctæ obliti ſunt, innuimus Tom. 5. pag. 118.) vel admodum incommoda eſſet, vel ob ſcrupulos, tentationes, aliaque id genus periculoſa.

58 Objic. contra 1. part. cum Lugo ubi ſupra: Satisfactio quæcumque, etiam medicinalis, eſt pœna; neque ad eam obligare poteſt Confeſſarius, niſi quatenus eam imponit in pœnam peccati. *Sicut, licet judex debeat procurare quod pœna delinquentis ſit talis, ut ſimul ſit medi-*

medicina in futurum ; non tamen poſſet imponere illam pœnam , nec verberare reum , ſi pœna fuiſſet a Princ.pe condonata . Atqui ubi condonatur pœna omnis, ut fit per Indulgentiam, jam nulla eſt obligatio ad pœnam. Ergo.

Reſp. Diſting. min. ubi condonatur pœna omnis , tam quæ eſt a Medico , quam quæ eſt a Judice , Conc. pœna omnis , ſed tantum prout eſt a Judice puniente , Neg. ſi enim idem homo Judicis ſemel & Medici partes agat , & multo plus Medici , quam Judicis ; fieri facile poteſt , imo & debet , ut qui vindictam remittit , non remittat medicinam . Idque in exemplo quod a Lugone proponitur , videre eſt . Si enim Princeps cuipiam homicidium in taberna horumce criminum feraci condonet ; poteſt Judex , gratiæ Regiæ executor, non conſulendo tantum , ſed & præcipiendo , taberna hac reo in perpetuum interdicere . Et vero , ſi Indulgentia omnem prorſus etiam medicinalem pœnitentiam remitteret , qui lucrata Indulgentia , pœnitentiam ſibi a Confeſſario injunctam lubens adimpleret , ut moris eſt , nullum per eam ex opere operato fructum conſequeretur. Id autem , licet a Delugo conceſſum , nemo , ut quidem exiſtimo , admittet. Quidni enim Medicina contra peccatum gratias ad peccati fugam neceſſarias, ex opere operato producat . Adde dubium ſemper eſſe an ipſa etiam pœna, quæ eſt a Judice, condonetur ; quia ſemper dubium eſt an percipiatur totus Indulgentiæ fructus. 59

Obj. Contra 2. part. Non poteſt ab ullo mortalium irritari ſententia in ſupremo Tribunali lata. Atqui ſuprema eſt ſententia qua Confeſſarius hominem ligat , & pœnitentiæ addicit . Is enim qua Judex nullum in terris Superiorem agnoſcit. Ergo. 60

Reſpondent qui cum Suarez ſentiunt , diſting. major. Non poteſt irritari directe , proprie & per veram diſpenſationem ſententia ſuprema , Conc. Non poteſt irritari indirecte , & per materiæ ſubſtractionem , Neg. Se habet Prælatus , dum Chriſti ſatisfactiones cuipiam applicat , quoad pœnitentiam a Confeſſario injunctam ; ſicut ſe habet vir opum dives , qui proprio ex ære ſolvit mulctam , qua quis condemnatus eſt ex Senatuſconſulto . Atqui vir ille dives , tametſi debitorem a lege ſibi impoſita eximit , nullam tamen juriſdictionem habet in Senatum qui legem hanc tulit ; ſed tantum materiam ejus aufert . Ergo pari de cauſa Pontifex , dum Indulgentias largitur , nullam in Confeſſarii pronuntiatum auctoritatem habet; ſed tantum ejus materiam ſubtrahit . Sane vero poſset Chriſtus pœnitentiam alicui a Confeſsore injunctam dimittere , illum ab omni pœna liberando . Atqui quod facit Vicarius Chriſti , id Chriſtus ipſe facere cenſetur. 61

Ergo , inquies , gravium reus criminum , propter quæ ex Confeſſarii præcepto tenetur eleemoſynas largiri , orationi ac jejunio incumbere, &c. ab his per Indulgentiam plenariam immunis erit. Id autem quis ferat. 62

Reſp. 1. neg. ant. ex his enim non pauca erunt neceſsaria ad comparandum illum juſtitiæ ſtatum , ſine quo non percipiuntur Indulgen- 63

tiæ. Nec enim gravium criminum rei ſtatim cum Deo reconciliari ſolent.

64 Reſp. 2. Diſt. ab his immunis erit, ſi conſtet ipſi quod Indulgentiam plene lucratus ſit; & aliunde operæ hæc in meram vindictam impoſita ſint, non autem ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, C. Secus, N. Porro nullus, abſque revelatione ſpeciali, certus eſse poteſt, reatum pœnæ cui obnoxius erat, per Indulgentiam eſse expunctum. Etſi enim pœnitens confidere poteſt, ſe in gratiam Dei rediiſse: at temere confideret, ſe eo uſque rediiſse in gratiam, ut non peccatum modo, ſed & omnes peccati pęnas abſterſerit. Unde David, qui peccatum ſuum a ſe translatum eſse reſciebat, graves ex eo ſibi pœnas imminere expertus eſt; & ſæpius inclamavit: *Amplius lava me, &c.* Adde quod homo de Indulgentiæ lucro certus, a vindicativa quidem & mere pœnali ſatisfactione liber foret; non autem a pœnitentia medicinali; ut ſupra oſtenſum eſt.

65 Inſt. Ex hac reſponſione ſequitur Indulgentias nullius jam eſse utilitatis. Cum enim hodie non vigeant antiqui pœnitentiæ Canones; levior quæ peccatoribus indicitur ſatisfactio, magis eſt ad novæ vitæ cuſtodiam, quam ad vitæ præteritæ vindictam. Atqui ex dictis per Indulgentias non remittitur ſatisfactio tantum medicinalis. Ergo nihil eſt quod remittatur.

66 R. Neg. ſequel. *Imo*, ait Habertus, pag. 419. *Quia Eccleſia propter refrigeſcentem charitatem de priſtina ſua diſciplina aliquid remiſit*, imo multum *fideles exiſtunt amplius obnoxii; & debitores juſtitiæ divinæ; magiſque indigent Indulgentiarum ſubſidio.*

67 Objic. 2. Sacramentum Pęnitentiæ non poteſt privari ea ſui parte, quæ ad minus eſt integrans, quin & in voto eſsentialis jure divino. Atqui talis eſt ſatisfactio, ut patet ex Trid. Seſs. 14. cap. 3. & 8.

68 R. 1. Sacramentum nunquam privari tota ſatisfactione; cum ea ſemper adimplenda ſit, prout medicinalis eſt. Quin nec uſquam privatur ſatisfactione pęnali; tum quia hanc ſemper, ob incertitudinem percepti Indulgentiæ fructus, exequi ſtudent Fideles ex Confeſsariorum pręcepto; tum quia nulla Indulgentia comparatur ſine operibus a Pontifice præſcriptis. Porro Confeſsarius hæc ad minimum injungere cenſetur ei qui Indulgentiam lucrari volet. Unde hic occurrit ſubſtitutio pęnitentiæ, non autem ejus ablatio.

69 Reſp. 2. Diſting. min. Satisfactio eſt pars integrans Sacramenti, cum manet ejuſdem ſatisfactionis fundamentum, ſcilicet reatus pœnæ in foro Dei, Conc. Cum fundamentum illud aufertur per ipſam Dei auctoritatem, Neg. Sacramentum pęnitentiæ non poſtulat integritatem ſatisfactionis, niſi ut dimittatur pœnæ reatus coram Deo. Ergo qui hunc effectum conſecutus eſt, nihil detrahit Sacramento, eo quia integritatem hanc omittat. Imo, ait Suarez diſp. 50. ſect. 3. numer. 7. cum Sacramentum pœnitentiæ ſit juſtum, ex ſe poſtulat ut ſatisfactio non exigatur, ſi debitum jam alia via ſolutum ſit, vel remiſſio conſecuta. Verum hæc vix ullius in praxi ſunt utilitatis ob rationes paſſim mox expoſitas.

CON-

Digitized by Google

Conclusio VI. Indulgentiæ effectum ſuum pariunt, quo inſtanti conſummatum eſt moraliter opus eas lucrandas præſcriptum.

Probat. Quia percipitur fructus indulgentiæ, cum ponitur conditio, cui annexa eſt Indulgentia. Atqui ponitur conditio hæc, cum moraliter conſummatum eſt opus, ad eam lucrandam neceſſarium. Ergo. 70

Dixi, cum conſummatum eſt *moraliter*. Si enim tali jejunio alligata ſit Indulgentia, non videtur neceſſarium ad ejus conſecutionem, ut jam præterierit phyſice dies tota, adeo ut non poſſit jam frangi jejunium hujus diei; ſed ſatis eſt, ut homo peracto jam, ut moris eſt, jejunio, ad illud punctum devenerit, ut conſcio Deo, jejunium minime ſit violaturus. Quo pacto Martyrium, uti Tom. 4. pag. 403. diximus, effectum ſuum obtinet, non in ipſo phyſico mortis inſtanti, quo jam anima a corpore ſeparata eſt, quodque eſt primum hominis non eſſe, ſed aliquo antea inſtanti, quo & mors neceſſario ſecutura eſt, & charitas nuſquam amittenda. 71

Non nego, gratiam Indulgentiæ percipi poſſe per partes; ut ſi conceſſa ſit iis qui divina Officia in tali Feſto audierint; fieri poterit ut quis Miſſam audiendo, deinde veſperas, poſtea *ſalutem*, certam ex Miſſa, ex veſperis, ex ſalute lucretur Indulgentiam, quæ poterit dici pars reſpectu Indulgentiæ diei totius. Sic enim qui ſatisfactionem ſacramentaliter injunctam adimplet per partes, per partes aliquam pœnæ ſibi debitæ remiſſionem conſequitur: alioqui nihil ex ea perciperet lucri, ſi quid omitteret; *quod ſine dubio falſum eſt*, ait, Suarez diſp. 52. ſect. 2. numer. 9. Verum ſtat in hoc caſu Indulgentiæ partem nonniſi impleto opere, cui annexa eſt, v. g. audita Miſſa, obtineri. 72

An Indulgentiæ ſapienter conceſſæ effectum ſuum habeant infallibiliter, liquebit ex dicendis in decurſu. Nihil longius videtur mihi, quam ut Indulgentiarum exiſtentiam, unde cetera pendent, vindicem. At vix earum definitio poterat intelligi, niſi ſatis intelligerentur effectus. 73

C A P U T T E R T I U M.

An poſſit Eccleſia Indulgentias diſpenſare.

INdulgentias negarunt duodecimo Eccleſiæ ſæculo Valdenſes, quorum articulus XVI. in Concilio Lateranenſi III. proſcriptus is erat: *Prælatorum Indulgentiæ nullius ſunt valoris*. Idem error a pluribus tribuitur Wiclefo, ut qui articulo ſuo XIV. dixerit: *Fatuum eſſe Indulgentiis credere*. Scribit tamen Jacobus Leufant, in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis, Wiclefo non ipſam rem, ſed rei abuſionem improbatum fuiſſe. 1

Fuerunt & Indulgentiæ lapis offenſionis, in quem impegit Lutherus. Is videlicet, ut norunt omnes, dolore furens & invidia, quod Princeps Albertus, Moguntinus Archipræſul, Indulgentias, quas ſub 2

certa ſtipe, adverſus Turcas, & ad conſtruendam Divi Petri Baſilicam inſumenda conceſſerat, Leo X. in Saxonia prædicandas commiſiſſet, non Auguſtinianis, ut moris erat antiqui, ſed Joanni Tetzelio e Dominicanorum familia, inſurrexit primo in abuſus qui graves erant; tum, pro erroris indole, ipſam rerum ſubſtantiam impugnavit eo quo ſolebat furore. Unde cum primo dixiſſet Indulgentias eſſe *pias fraudes*, poſtea dixit: *Revoco hoc, & dico, Indulgentias eſſe impias ſceleratiſſimorum Pontificum fraudes & impoſturas*. Novatorem e veſtigio ſecuti ſunt Zuinglius & Calvinus Novatores. Contra eos ſit.

Conclusio. Eccleſia recepit a Chriſto poteſtatem Indulgentias conferendi.

3 Probat. 1. ex Matth. 16. verſ. 19. ubi ſic Chriſtus Petro: *Tibi dabo claves Regni Cælorum: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum in Cœlis*. Atqui generalis hæc & ampliſſima promiſſio, nullum, *quodcumque* ſit, vinculi genus excipit. Ergo ſicut indubie ad peccata in Sacramento Pœnitentiæ quoad culpam remittenda extenditur; ſic & extendi debet, ſi poteſt, ad remittendas extra idem Sacramentum pœnas peccati. Atqui ad has etiam poteſt extendi; tum quia nihil repugnat quin ſuperſtites peccatorum pœnæ ex applicatis Chriſti paſſionibus abluantur; tum quia exigebat infinitus erga nos Chriſti amor, ut medium tribueret, quo omnia ſalutis impedimenta ab Electis ſuis removerentur; quæ inter ſalutis impedimenta eſt etiam vinculum, ſeu reatus pœnæ temporalis; tum denique quia ex iiſdem verbis ſemper collegit Eccleſia datam ſibi eſſe poteſtatem ſolvendi vota, & juramenta; quæ ceteroquin divini juris ſunt. Ergo.

Probat. 2. Poteſtas qua ſemper uſa eſt Eccleſia, nonniſi ab ipſo Chriſto profluere poteſt; neque enim directa a Spiritu Sancto Eccleſia tranſilit fines ſuos. Atqui hac *indulgentiali* poteſtate, ſi ita cum nonnullis loqui licebit, ſemper, & ab ipſis primordiis uſa eſt Eccleſia.

4 Probat. min. inductione. Et quidem 1. ex agendi ratione Apoſtoli erga inceſtum Corinthium, quam totam refero ex II. Corinth. 2. ubi ſic verſ. 6. & ſeq. *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt*, inceſto videlicet, *objurgatio quæ fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt . . . Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti, ut non circumveniamur a ſatana, &c.* Ex iis ſic in forma. Ut ex eo loci concludatur Indulgentiarum uſus, ſufficit ut Apoſtolus non dimittat inceſto ipſam peccati culpam, aut pœnam exteriorem excommunicationis, cui is propter crimen ſuum addictus erat; aut ulteriorem, quam in Eccleſiæ foro debebat ſatisfactionem; adeoque dimittat, quantum in ſe erat, pœnam peccati, prout hodieque in Eccleſia per Indulgentias dimittitur. Atqui

5 1. Apoſtolus non dimittit ipſam peccati culpam, tum quia loquitur de abſente, in quem non exercetur pœnitentiæ miniſterium; tum quia quod dimittit Apoſtolus, id ad Corinthiorum preces dimittit:

mittit : porro abſolutio ſacramentalis, per quam dimittitur culpa, non datur ad preces aliorum, ſed ad confeſſionem & inſtantias pœnitentis.

2. Nec dimittit exteriorem excommunicationis pœnam, uti minus recte ſentit Suarez, diſp. 49. ſect. 2. Namque 1. illud *in perſona Chriſti*, quod in his fundatur Chriſti verbis: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram*, ad amplius aliquid, quam excommunicationem extendi poteſt. Ergo nihil eſt cur ad eam reſtringatur, contra communem Theologorum ſententiam; 2. quia perſpicue indicat Apoſtolus ſe donare aliquid diverſum ab eo quod donaturi erant Corinthii: *cui donaſtis*, inquit, ſeu, ut interpretantur verſio Arabica & Tertullianus, *cui donabitis, & ego donavi*. Atqui Miniſtri Eccleſiæ Corinthi inceſto donaturi erant abſolutionem a cenſura, quam & ipſi contra eum tulerant ex eo mandato Apoſtoli, 1. Corinth. 5. verſ. 13. *Auferte malum ex vobis*. Ergo quod donat Apoſtolus non eſt ſolutio ab excommunicatione; 3. quia utcumque dubitat Apoſtolus num aliquid donet: *Quod donavi*, inquit, *ſi quid* tamen *donavi*. Atqui non erat cur dubitaret an inceſtum ſolveret a cenſura, ſi ſolvere voluiſſet; eſſe vero poterat cur dubitaret, an eum a ſuperſtite delicti pena ſolveret, quia dubium erat an pœnæ alicujus debitor maneret, qui crimen ſuum tam acri diluerat penitentia, ut verendum eſſet, *ne* tandem *abundantiori triſtitia* abſorberetur. 6

3. Demum, non relaxat Apoſtolus ſatisfactionem in ſolo Eccleſiæ foro debitam. Cum enim dixiſſet: *Si quid donavi propter vos, in perſona Chriſti*, ſubjungit continenter: *Ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus*. Ergo utilis erat inceſto condonatio eidem ab Apoſtolo facta. Atqui ſi condonatio hæc pœnam tantum in Eccleſiæ foro, non autem in foro divino debitam relaxaſſet, jam nedum fuiſſet utilis inceſto, fuiſſet eidem inſigniter noxia. Sane vero utilior eſt duræ pœnitentiæ continuatio, quæ debitas in foro Dei pœnas exſolvit, quam ejuſdem relaxatio cum ſubjectione iiſdem penis. 7

Probat. 2. eadem minor propoſitio ex uſu Eccleſiæ, tum ſecundo, tum tertio ſæculo. 7

8 Tertullianus, Lib. 1. ad Martyres, cap. 1. teſtatur Confeſſores carceribus detentos Indulgentias hujuſmodi procuraſſe iis qui in perſecutione lapſi erant. Sic ille, pag. 137: *Quam pacem quidam in Eccleſia non habentes, a Martyribus in carcere exorare conſueverunt: & ideo eam etiam in vobis habere, & fovere, & cuſtodire debetis, ut ſi forte & aliis præſtare poſſitis*. Hanc quidem Indulgentiarum poteſtatem ſuggillat Tertullianus idem factus Montaniſta, Lib. de pudicitia, cap. 22. at dum impugnat, a Catholicis probatam fuiſſe oſtendit.

Cyprianus aliquando equidem cum Martyribus diſputavit quoad Indulgentias; at non circa poteſtatem eas concedendi, ſed duntaxat circa uſum, quem illegitimum credidit quoad eos, qui necdum pœnitentiam delictis ſuis pene parem egiſſent; quanquam & hos, ſi urgeat periculum mortis, in pace dimitti velit Sanctus Doctor. *Qui*, 9

Bb 4 ait

ait Epiſtol. II. pag. 25. *libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo ceperint, exomologeſi facta, & manu eis in pœnitentiam impoſita, cum pace a Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur.* Atqui, per hos textus lapſi non tantum liberabantur a pœnitentiis juxta Canones ſubeundis, uti docuit Petrus de Oſma a Sixto IV. condemnatus, ſed & a pęnis divinæ juſtitiæ debitis ſolvebantur. 1. Quia lapſi, per Martyrum Indulgentias *apud Dominum in delictis ſuis* adjuvabantur; qui autem *apud Dominum* juvantur, non ab exterioribus ſolum Eccleſiæ vinculis immunes fiunt. 2. Quia ex iiſdem Indulgentiis ad Martyrum preces conceſſis fiebat, ut lapſi Fideles *ad Dominum cum pace ſibi a Martyribus* iiſdem *promiſſa* remitterentur. Porro ſi Indulgentia hæc ſolum ab Eccleſiæ pęnis exemiſſet, nedum ad Dominum miſiſſet cum pace, nihil aliud ea fuiſſet, uti blaſphemavit Lutherus, quam *impiiſſima*, non *Papæ*, ſed Martyrum *impoſtura*, *noxia Fidelibus*, *eoſque in infernum deducens falſa ſpe* conſecutæ remiſſionis, quam per canonicas pęnitentias obtinuiſſent; nullatenus autem in gratiam Martyrum a Deo poterant conſequi. 3. Quia Tertullianus jam Montaniſta, ut Martyrum Indulgentias derideret, hæc Lutheri more eructabat: *Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus.* Ergo tunc Eccleſiæ toti perſuaſum erat, ex Martyrum meritis *purgari* Fidelium delicta. Atqui non quantum ad culpam, quæ nonniſi ex præviis pęnitentium actibus purgari poteſt. Ergo quoad pęnam; non exteriorem, quam obtinuiſſe non erat *pro magno* Martyribus, qui huic obnoxii non fuerant. Ergo interiorem & coram Deo.

10 Idem confirmari poteſt ex pluribus Conciliis: Nicænum I. Can. 11. alias 12. ſtatuit, ut qui ſerio pęnitentiæ vacant, Indulgentiæ aliquid ab Epiſcopo obtinere poſſint. *Licebit*, ajunt Patres, *Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare*. Idipſum habent Concilia Ancyranum, cap. 5. Laodicenſe, Can. 12. Neocæſarienſe, Carthaginenſe IV. quæ proinde ſicut Nicænum, volunt ut qui ſegnius pœnitentia defuncti fuerant, totum ejus ſtadium emetiri cogantur. Atqui nihil eſt id aliud, quam prioribus indulgere, non vero poſterioribus. Nec quiſquam facile capiet, Concilia hæc ſatisfactionem ſaluberrimam minuendo, haud eam ex Chriſti & Eccleſiæ meritis compenſaſſe: fuiſſet enim hæc alioqui crudelis miſericordia, ut toties Pontificibus objecere Lutherani. Ergo jure ac merito declarat Trid. Synodus, in Decreto de Indulgentiis, ad calcem Seſſ. 24. quod *poteſtas conferendi Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit.* Neque id ex ſolis, quas modo adduxi, auctoritatibus comprobatur, ſed ex pluribus antiqui ævi monumentis. Unde

11 Probat. 3. eadem prima minor ex conceſſione Indulgentiarum facta a plurimis Pontificibus pietate ſimul & ſcientia conſpicuis. Namque 1. S. Gregorius Magnus qui ſæculo VI. labente vixit, in diebus Stationum Indulgentias conceſſit, prout referunt Sanctus Thomas in 4. diſt.

diſt. 20. numer. 1. art. 3. & qui eum præceſſit Gullielmus Altiſiodorenſis, Lib. 4. Summæ Theol. Tract. 6. capit. 9. ac diu poſt Bonifacius VIII. 2. Idem fecit Leo III. qui anno 795. ſedere cœpit, qui *per Allemaniam & Galliam multas Indulgentias* contulit, ut teſtatur S. Ludgerus, in Epiſt. de S. Svviberto, quæ poſt hujus vitam extat apud Surium, Tom. 2. 3. Sergius junior, ſeu II. qui circa anno 844. trium annorum Indulgentiam fecit iis qui S. Martini Eccleſiam in montibus per diem ejus feſtum inviſerent, ut conſtat ex ejus rei memoria, quæ in eadem Eccleſia extat in marmore antiquiſſimis litteris inciſo, nulla ut fingi poſsit fraudis ſuſpicio. Atqui nemo ſibi in animum inducat, prædictos Pontifices, viros procul dubio ſanctiſsimos malique doli incapaces, rem novam ac præteritis retro temporibus inauditam, comminiſci auſos fuiſſe. Sed nec concipiet quiſquam, neminem e tot Epiſcopis ac Doctoribus, qui *per Allemaniam & Galliam* florebant ſæculo octavo, rei novitate attonitum, contra ſacrilegam profanationem reclamaſſe. Ergo quidquid ab his Pontificibus factum eſt, id ab eorum deceſſoribus factum erat: rarius quidem, quia quandiu viguit pœnitentia canonica, vetitum eſt ne ſanctæ ejus ſeveritati derogaretur; aliquando tamen, cum id ſpeciales cauſæ exigerent.

Huic tamen, quod utcumque eſt Bellarmini, argumento nolim admodum inniti. 1. Quia Joannes Diaconus, in vita S. Gregorii, Lib. 2. capit. 28. ſcribit equidem ſanctum hunc Pontificem Stationes per Baſilicas, & Martyrum Cœmeteria ordinaſſe; at de Indulgentia ne verbum quidem habet, ſicuti nec Anaſthaſius, aut Gulielmus, uterque Bibliothecarius, uterque etiam pene ad finem uſque noni ſæculi ſuperſtes. 2. Quia nullo magnæ fidei momento probari poteſt, Indulgentias ad tres vel ſeptem annos a quopiam Pontifice ante ſæculum XI. fuiſſe conceſſas. Porro Stationarias, ut ajunt, S. Gregorii Indulgentias ſeptennes fuiſſe ſcribit S. Thomas, ibidem ut & Guillelmus, Antiſiodorenſis primum, ſubinde Pariſienſis Epiſcopus. Ita Franciſcus Pagi in Sergio II. numer. 12. Quanquam fieri potuit ut Stationibus a S. Gregorio M. annecterentur Indulgentiæ, quæ temporum lapſu pro Septennibus a populo habitæ fuerint: nec prorſus obeſt argumentum negans e ſilentio Bibliothecarii utriuſque petitum; cum neuter omnia prorſus geſta Pontificum exſcripſerit. 12

2. Multo infirmioris eſt momenti Epiſtola S. Ludgero adſcripta, quam in vita ejus, §. 4. n. 34. potenter excutiunt Bollandiſtæ, ſimulque affictam Leoni III. Indulgentiarum effuſionem. 13

3. demum, exploratæ fidei non eſt marmorea tabula, quam ad an. 747. exſcripſit Baronius, & ut fraudis expertem habet Bellarminus. Hujus auctoritatem ſolide convellit Papebrochius, in Conatu Chronico-Hiſtorico, Diſſert. 17. ubi lapidis hujus inſcriptionem, quanta eſt, redarguit falſitatis & convincit. 14

Non deſunt tamen his temporibus certa Indulgentiarum exempla, quæ mortuis facilius quam vivis conceſſa videantur. Sic, ut advertit Mabillonius in præfat. ad ſæculum VI. Benedictinum, numer. 108. & 109. Joannes VIII. Indulgentiam his qui in bello contra Paganos anno 878. occubuerant, vel in futurum occumberent, conceſsit; eandem- 15

demque gratiam Epiſcopi Bajoariæ petierunt a Joanne IX. ſub annum 900. pro Arnulpho Imperatore mortuo, cujus animam ipſius auctoritatis poteſtate abſolvi poſtulaverunt. Sibi quoque *ab Apoſtolico* Indulgentiam, quam fletibus multis rogaverat, obtinuit Salomon, Epiſcopus Conſtantienſis, qui trium adverſariorum ſuorum necem procuraverat.

16 Nec dubium quin variis temporibus Indulgentiæ plures conceſſæ ſint, quarum periit memoria. Sic in Codice Mſſ. Lucenſis Eccleſiæ, inter Vaticanæ Bibliothecæ Libros aſſervato legitur Alexandrum II. peracta anno 1070. ejuſdem Eccleſiæ dedicatione, conceſsiſſe, *ut octo dierum ſpatio dedicationis memoria perageretur annis ſingulis, conceſſa Indulgentia*. Idem, ſed ſpecificata *anni unius de injunctis pœnitentiis* remiſſione, fecit Honorius II. in conſecratione Eccleſiæ Caſæmarii, ut videre eſt apud Baronium ad annum 1130. Speciales poſteriorum temporum Indulgentias fuſius proſequi ſuperfluum fuerit. Neſcit nemo quot & quales à S. Gregorio VII. an. 1084. & 1090. a Paſchali II. an. 1100. & aliis deinceps Pontificibus fuerint erogatæ. Veniendum ad eas, quę in frequentibus Conciliis conceſſa fuerunt.

17 Prob. itaque 3. Concluſio ex Conciliis pluribus quæ Indulgentiarum largitionem approbando, Catholicum de iis dogma neceſſario approbaverunt.

18 Concilium Claromontanum an. 1095. cui interfuerunt Archiepiſcopi tredecim, & tam Epiſcopi, quam Abbates baculo inſigniti 205. comprobavit datam Crucigeris Indulgentiam, qua Urbanus II. iiſdem *injunctas pro ſuis delictis pœnitentias* relaxabat: ita ut, ajebat Pontifex, *qui in vera pœnitentia deceſſerint, & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis ſe non dubitent habituros*.

19 Concilium Lateranenſe numeroſiſſimum an. 1116. celebratum, Indulgentiam dierum 40. iis qui ad ipſum convenerant donatam, lubentiſsime ſuſcepit. De quo vide Abbatem Uſpergenſem, in Chronico ad eundem annum.

20 Concilium Lateranenſe IV. generale, ſub Innocentio III. habitum, cui interfuerunt Epiſcopi 412. varios, qui circa Indulgentias prodierant, abuſus emendavit, ut patet ex cap. 14. *de pœnit. & remiſſ.* Abuſus porro teſtatur rem eſse antiquiſsimam: Non enim irrepunt abuſus, niſi in rebus quæ diu fuerunt in uſu.

21 Concilium Conſtantienſe, non ſolum damnat errores Vvicleſi de Indulgentiis, ſed & plenariam, quam in exitu Concilii tribuit Martinus V. Indulgentiam humiliter & grata mente acceptat.

22 Denique Concilium Trid. Seſs. 25. ita Indulgentiarum abuſus reprobat, ut rei ſubſtantiam approbet atque revereatur.

Ex eo autem quod hanc Conciliorum ſibi adverſantium auctoritatem derideant Pſeudoreformati, non magis ſequitur eam reipſa deridendam eſse, quam quia Nicænum Ariani, Epheſinum I. Neſtoriani, Calcedonenſe Eutychiani deriderent, ſequitur hæc contemptu & ludibrio digna fuiſse. Moris eſt ut qui in Tribunali quocumque cauſa cecidit, Tribunal illud mordaci dente inſectetur.

23 Prob. 4. Dogma miraculis indubiis confirmatum extra omnem dubii

bii aleam poſitum eſſe debet. Atqui Indulgentiarum prædicationem a S. Bernardo factam Deus miraculis inſignibus confirmavit. Minor patebit ex dicendis in brevi Diſſertatione, ad hujus Capitis finem apponenda.

Objic. 1. Admitti non poteſt doctrina, quæ nullum habet in Scriptura vel Traditione fundamentum. Atqui Indulgentiarum doctrina .·.. 24

Non in Scriptura, cum textus Matth. 16. 19. ad ſummum de remittenda per claves culpa peccati intelligatur; nihil vero probet exemplum inceſti Corinthii; tum quia nihil erat quod ei condonaretur; ſeu quia non ei conſtituta erat certa pœnitentiæ menſura; ſeu quia impoſitam ſibi pœnitentiam anni totius decurſu impleverat; tum quia nondum ille a culpa fuerat abſolutus, ſed a culpa ſimul & pœna ad imperium S. Pauli abſolutus fuit. 25

Non in Traditione, cum altum ſit apud Græcos atque Latinos Patres de Indulgentiis ſilentium. Ergo. 26

Reſp. ad 1. neg. min. conſtat enim ex allatis probationibus, quarum ſenſus in Eccleſia quaſi de manu ad manum tranſmiſſus eſt, datam fuiſſe Petro ejuſque ſucceſſoribus poteſtatem pœnitentibus, ſecundum pietatis leges, indulgenter ſubveniendi. Nec obſunt quæ contra futiliter objiciuntur. 27

Non 1. Verba enim Chriſti, quantum generaliter fieri poteſt, ſalvis vocum proprietate, & Chriſtianæ prudentiæ regulis, intelligi debent. Ergo ad peccatorum dimiſſionem in ſolo Pœnitentiæ Sacramento impetrandam reſtringi non debent, uti jam diximus, n. 2. 28

Non 2. Nihil enim dubii eſt quin gravis, eaque diuturna, *in interitum carnis* indicta fuiſſet Corinthio illi pœnitentia; quam etſi jam anno forte toto impleverat, necdum impleverat ſcandaloſo ſuo crimini adæquatam. Unde meruerat quidem fervore ſuo, ſed & ſimul indigebat, ut ſibi per Indulgentiam opitularetur Apoſtolus; quod & fecit, non quia jam culpæ ſuæ pœnam exhauſiſſet inceſtus, ſed *ne abundatiori triſtitia* abſorberetur. 29

Quod additur Corinthium hunc nondum a culpa ſua abſolutum fuiſſe; 1. gratis dicitur, cum Corinthius & ex plena ſua contritione, & ſacramentaliter, quod nemini non contumaci negat Eccleſia, potuiſset abſolvi. 2. Si verum eſse ſupponatur, nihil probat. Nihil enim ad Indulgentiam intereſt an ea ante abſolutionem concedatur, an poſtea; licet de facto ab iis ſolum percipiatur, qui cum Deo reconciliati fuerint. 30

Non 3. quod e Traditionis ſilentio eruitur; 1. Quia ex allatis Tertulliani & S. Cypriani textibus, non inepte colligitur indulgentiarum doctrina. Sane ex eorum verbis conſtat, eos qui lapſi erant, non quidem ſine ſatisfactione, ſed ante conguram, ut alioqui futura erat, ſatisfactionem, in omnia non lapſorum jura fuiſse reſtitutos. Atqui non reſtituebantur, niſi quia judicabantur, partim ex propriis, partim ex Martyrum operibus, divinæ juſtitiæ ſatisfeciſse. Hæc autem divinæ juſtitiæ ſatisfactio, vel nulla erat, vel pœnam in foro Dei debitam remittebat. Utique lapſorum ſatisfactio propria remittebat pœnam, ut facile intelligunt omnes præter Lutheranos. Ergo & eamdem 31

dem pœnam remittebat aliena Martyrum ſatisfactio, quæ propriæ æquiparabantur.

32 2. Quia Patres alii, licet ſpeciatim de Indulgentiis non diſſerant, ſæpe tamen de conceſſa Eccleſiæ tam ſolvendi, quam ligandi poteſtate diſſerunt. Atqui ſub illa ſolvendi poteſtate continetur poteſtas Indulgentias erogandi; quemadmodum ſub ea continetur poteſtas diſpenſandi in votis, & juramenta relaxandi, quam Patres in ſpecie non attingunt.

33 3. Quia duo obſtabant, ne Patres Indulgentias fuſius commendarent; alterum, quod id ad vindicandam fidem non eſſet neceſſarium, nondum exortis Indulgentiarum calumniatoribus; alterum, quia id utcumque noxium fuiſſet ſalubri, qui tum vigebat diſciplinæ rigori. Neſcit nemo quot ambagibus ex paulo notiori Indulgentiæ doctrina obnoxius fuerit Cyprianus.

34 Inſt. Si S. Cyprianus credidiſſet pœnas peccati remitti ad Martyrum vota, non tantam exegiſſet a lapſis ſatisfactionem; ſed iis ſtatim a prioribus ſinceræ pœnitentiæ indiciis pacem reddidiſſet. Atqui falſum conſequens. Ergo credidit quidem pœnam ab Eccleſia exterius remitti, ſed tunc tantum, quando vi contritionis perfectæ jam a Deo remiſſa eſſe præſumebatur.

35 Reſp. neg. maj. plura enim obſtabant ne confeſtim pax lapſis reſtitueretur. 1. Terror aliorum, qui inſtante nova perſecutione, ex ſeveriori erga lapſos diſciplina in officio continendi erant. 2. Quod qui pacem ex Martyrum libellis quærebant, eam uti rem ſtricto jure ſibi debitam urgerent; cum tamen Indulgentiarum conceſſio ſit penes Epiſcopum. 3. Quod ex lapſis reconciliationem Eccleſiaſticam tam vivide ambientibus, multi nullo pene ſuo opere gratiam hanc promeruiſſe viderentur. Cyprianum audiiſſe juvet; ſic ille Epiſtola 11. ad Confeſſores in carceribus detentos: *Credideram quidem Preſbyteros & Diaconos, qui illic præſentes ſunt, monere vos & inſtruere pleniſſime circa Evangelii legem, ſicut in præteritum ſemper ſub Anteceſſoribus noſtris factum eſt,* (nota antiquam conſuetudinem) *ut Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum deſideria conſiliis ſuis & Scripturarum præceptis gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore agnoſco . . . a quibuſdam Preſbyteris* contrarium fieri. *Illi contra Evangelii legem, contra veſtram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim graviſſimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo & Clero impoſitam, offerre lapſis pacem, & Euchariſtiam dare, id eſt, ſanctum Domini corpus profanare audent.* Et infra: *Oro vos quibus poſſum precibus, ut Evangelii memores, & conſiderantes quæ & quanta Anteceſſores noſtri Martyres conceſſerint, quam ſolliciti in omnibus fuerint: vos quoque ſollicite, & caute petentium deſideria ponderetis . . . inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum; ipſorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne, ſi quid abrupte & indigne, vel a vobis promiſſum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.* Ubi & Indulgentiarum antiquitas traditur, & quam caute diſpenſari debeant oſtenditur; quod, ut patet ex Hiſtoria Cypriani, & relatis

Digitized by Google

latis mox verbis, non ſatis caute obſervabant nonnulli ex Martyribus.

Neque tamen, quia tot diſpoſitiones a lapſis requirebat Cyprianus, idcirco arbitrabatur per eas expunctam fuiſſe pœnam omnem, quam eorum culpa merebatur; (alioqui enim nihil conceſſiſſet votis Martyrum) Sed id perſuaſum habebat quod & hodie perſuaſum habet Eccleſia, nec Sanctorum, nec ipſius Chriſti ſatisfactiones cuipiam applicari poſſe, niſi obices, quibus earum effectus retardari poſſit, per ſeriæ pœnitentiæ, non tamen omnimodæ, labores removeantur.

Objic. 2. Auguſtinus & alii Patres inſtar principii ſupponunt, peccatum vel ab homine in præſenti vita puniri, vel a Deo in futura. Atqui in hypotheſi Indulgentiarum, neque homo peccatum ſuum puniret in hac vita; quando quidem non punitur quod gratis condonatur; nec Deus in altera; quia non punitur quod remiſſum eſt. 36

Reſp. diſt. maj. Supponunt peccatum puniri, niſi ab homine in præſenti vita puniatur, adæquate, vel inadæquate, C. Niſi puniatur adæquate, ſubdiſt. Supponunt puniri, cum defectum humanæ ſatisfactionis non compenſat ſuperabundans Chriſti aut Beatorum ſatisfactio, C. ſecus, N. Punitur hominis peccatum donec ſatisfactione congrua expungatur. Verum ubi meruit homo, ut ſatisfactioni ſuæ accedat juxta Eccleſiæ conſilium ſatisfactio Chriſti, tunc peccatum ex aliqua parte punitur, & ex aliqua indulgenter relaxatur. Idque, ut ubique miſericordia & veritas obvient ſibi, vel in ipſis inferis, diſpari tamen ſenſu, locum habet. Qui enim Sanctos ultra condignum remunerat Deus, idem reprobos plectit citra condignum, ex communi Doctorum ſenſu. 37

Inſtabis 1. Pœna temporalis, ſi quæ poſt remiſſam culpam luenda ſuperſit, divino jure debita eſt peccato. Sed quod lege divina peccato debitum eſt, ab homine condonari nequit. Ergo. 38

Reſp. diſting. min. Non poteſt condonari ab homine per propriam ejus virtutem, C. per poteſtatem utendi clavibus a Deo conceſſam Eccleſiæ, N. Et vero majus eſt remittere peccata, quod nemo de ſe poteſt, niſi Deus, quam remittere pœnam peccatis debitam. Atqui tamen peccata remittit homo per claves; cum ſcriptum ſit Joannes 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Ergo & eodem jure poteſt a fortiori homo pœnam peccati, ſolvendo, dimittere; cum ſcriptum ſit Matth. 16. *Quæcumque ſolveritis*. Neque inde gloriandum homini, cum quidquid condonat, id, Apoſtoli exemplo, donet *in perſona Chriſti*. 39

Ceterum cui per Indulgentiam dimittitur pœna, non abſolvitur gratis, ſed ex Chriſti ſatisfactionibus debitum ſolvit. Sicut vere ſolvit debitum, qui illud alieno ære ſibi miſericorditer conceſſo perſolvit. Ita S. Thomas, Suppl. q. 25. art. 1. ad 2.

Inſt. 2. Uſus clavium non poteſt extra tribunal pœnitentiæ exerceri. Atqui Indulgentiæ conceduntur extra Tribunal illud. 40

Reſp. neg. maj. Etſi enim uſus clavium quoad culpæ remiſſionem, quæ juridicam cauſæ totius notitiam requirit, nonniſi intra Pœnitentiæ tribunal exerceri poteſt, poteſt tamen ille multis in caſibus extra 41

idem

idem Tribunal exerceri, ut patet in juramentis & in votis, quæ nonniſi per uſum clavium ſolvuntur. Ergo pariter quoad dimiſſionem pœnæ temporalis extra pœnitentiæ tribunal poterit exerceri. Et vero ideo poteſtas ſolvendi reatum culpæ in ſolo Pœnitentiæ Sacramento exeritur, quia poteſtas illa ab Ordine ſacro dimanat. Atqui contra poteſtas ſolvendi reatum pœnæ non ab Ordine ſacro profluit, ſed mera eſt poteſtas juriſdictionis, uti ſubinde dicemus. Ergo.

42 Inſt. 3. Remiſſio pœnæ peccatis debitæ, extra Sacramentum, pertinet ad poteſtatem *excellentiæ*, quæ ſolius Chriſti propria eſt. Ergo poteſtas hæc tanta in hominem transfundi non poteſt.

43 Reſp. diſt. conſeq. Non poteſt in hominem transfundi ab homine, C. Ab ipſo Chriſto, N. Qui enim largiri potuit facultatem remittendi culpam, potuit & magis largiri facultatem remittendi pęnam. Diſtat tamen inſigniter vel ex eo capite Miniſter a Domino. Is enim vi propria & culpam & pœnam ſine ſatisfactione condonare poterat: id vero non poteſt Miniſter, ſed tantum ſatisfactionem Chriſti infinitam miſeræ hominis ſatisfactioni ſubſtituendo.

44 Neque tamen hinc inferas, nullam pœnitenti in diebus plenarię Indulgentiæ, a Confeſsario injungendam eſse ſatisfactionem, ab operibus ad Indulgentiæ lucrum præſcriptis diverſam. Tum quia ſemper cavendum eſt, quod enixe cavebat Cyprianus, ne concidat propriæ ſatisfactionis ſtudium; tum quia ſatisfactio, qua parte pœnale aliquid habet, habet & quod medicinalis ſit; tum denique quia ſemper verendum eſt ne quis Indulgentiam, ſaltem quanta indiget, minime percipiat. Sed de his jam ſupra.

45 Objic. 3. Lex & Prophetæ non aliam peccatorum remiſſionem annuntiant, quam per Chriſtum, cujus in ſanguine mundari nos docet Evangelium. Atqui doctrina Indulgentiarum annuntiat nobis remiſſionem peccatorum per libellos ſupplices, ac merita Martyrum. Ergo doctrina hæc Legi, Prophetis & Evangelio contradicit.

46 Reſp. neg. min. quatenus, ut quid probet, falſo & calumnioſe ſupponit, vel libellos, vel ſatisfactiones Martyrum per propriam & independentem a virtute Chriſti efficaciam concurrere ad ſatisfactiones noſtras. Cum e contra doceamus Catholici, partim cum B. Petro, Act. 4. 12. *Non eſse aliud nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos*, quocumque modo *ſalvos fieri*; partim cum Apoſtolo dilecto, I. Joan. 2. verſ. eod. Chriſtum eſse propitiationem *pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam totius mundi*. Annectimus quidem Sanctorum ſatisfactiones ſatisfactionibus Chriſti; ſed ut commendemus, tum omnipotentiam ejuſdem Chriſti, qui ut amicos ſuos nimis honoraret, iis conceſſit unde ſua & aliena debita utcumque redimerent; tum ſummam illam benignitatem, qua, ut loquitur Ambroſius, Lib. 5. in Luc. cap. 5. *Aliorum merito ignoſcit aliis, & dum alios probat, aliis relaxat errata.*

47 Inſt. Eſto Deus ex aliorum merito ignoſcat aliis; inde profecto nihil in gratiam Indulgentiarum depromi poteſt. Si quidem ad eas non ſufficit ut adhibeantur Beatorum interceſſiones ad obtinendam pro peccatis noſtris miſericordiam Dei, ſed requiritur ut Eccleſia ſatisfactio-

ctiones Sanctorum pro alienis delictis diſpenſet auctoritative, ut ajunt. Neque enim jam amplius Papa Sanctos precatur ut orent pro pœnitente, ſed eorum ſatisfactiones etiam ab invitis ſumit, & pro genio ſuo applicat. Unde damnata eſt hæc Baji propoſitio, numer. 60. *Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta; ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur, ut digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur*. Cum igitur conſtet nihil aliud olim a Martyribus factum eſse, quam ut pro lapſis intercederent; conſtare debet doctrinam Indulgentiarum ex Martyrum facto nullatenus probari. Quæ ut paucis contrahantur, ſic diſputo in forma. Ut ex Patrum textibus & Martyrum facto aliquid in gratiam moderni Indulgentiarum dogmatis elici poſſit, neceſse eſt ut probetur, non quidem Martyres interceſſiſse pro lapſis, ut erga eos temperaretur Canonicæ pœnitentiæ rigor; id enim extra dubium eſt; ſed ſatisfactiones Martyrum lapſis juridice fuiſse applicatas. Atqui poſtremum iſtud neutiquam probari poteſt. Unde nuſquam contigit ut Martyres Indulgentias lapſis orarent, ſed tantum ut iſti ad Euchariſtiæ participationem, relaxata ſibi Canonica pęnitentia, ante tempus admitterentur. Ergo.

Reſp. diſt. min. Non poteſt probari Martyrum ſatisfactiones lapſis juridice applicatas fuiſse, ſi per applicationem juridicam ea intelligatur, quæ fit imperioſe, & citra deprecatoriam Eccleſiæ oblationem, C. Si per applicationem juridicam ea intelligatur, in qua ad preces Eccleſiæ, & ex Chriſti benevolentia, ſatisfactio ſuperabundans unius compenſat coram Deo debitum ſatisfactionis alterius, N. Itaque certum eſt 1. ſatisfactiones Sanctorum non ita diſpenſari ab Eccleſia, quaſi hæc ſupremam earum ſe dominam eſse confidat, ac de iis pro nutu, invitis quadantenus Chriſto & Sanctis, diſponat, prout impudenter ſubindicat objectio. Certum eſt 2. ut bene obſervat Amort, ibidem pagina 9. quod ſicut omnis ſive Sanctorum, ſive Eccleſiæ oratio, aliquam involvit oblationem; quia oratio per bona opera Deo commendari debet; ſic & viciſſim oblatio omnis, qua Deo exhibentur propria vel aliena juſtorum opera pro effectu indebito, involvit tacite aliquam deprecationem. Ergo Martyrum interceſſio non obeſt Indulgentiarum dogmati, poſito quod Martyrum ſatiſfactiones pęnam a lapſis debitam ex parte exolverint, & utcumque redemerint. Atqui rem ita eſse conſtat ex ſupra dictis. Conſtat nimirum lapſos hinc habuiſse ut ad Dominum cum pace mitterentur, ut ex remiſsa ſibi pęnitentia nihil funeſti detrimenti caperent, ut juſtitiam divinam placaſse cenſerentur. Ergo. 48

Poteſt id non male confirmari ex iis quæ ſcribit Sozomenus Libr. 7. Hiſtor. capit. 16. ubi ſic: *In Occidentalibus Eccleſiis, & maxime in Romana, eſt manifeſtus pœnitentium locus. Stant enim in eo mœſti, & cum lamentatione ſe in terram ponentes projiciunt. Tum Epiſcopus ſimiliter humi cum ejulatu collabitur, ac tota Eccleſiæ multitudo lachrymis ſuffunditur. Pœna demum quaſi pro debito exſoluta, quiſque a peccatis abſolvitur*. 49

Conſo-

50 Conſonat id Ambroſii , vel alterius , quiſquis ille ſit , Auctoris Libr. I. de pœnitentia , capit. 15. *Bene* , *ait* Apoſtolus : *Expurgat vetus fermentum . Velut enim operibus quibuſdam totius populi purgatur , & plebis lacrymis abluitur , qui orationibus & fletibus plebis redimitur a peccato , & in homine mundatur interiore . Donavit enim Chriſtus Eccleſiæ ſuæ , ut unum per omnes redimeret , quæ Domini Jeſus meruit adventum , ut per omnes redimerentur . ˙ . ˙ . Tota Eccleſia ſuſcipit onus peccatoris , cui compatiendum & fletu & oratione , & dolore eſt ; & quaſi fermento ejus ſe totum conſpergit , ut per univerſos ea quæ ſuperflua ſunt in aliquo pœnitentiam agente . ˙ . ˙ . purgentur* . Atqui ſuppoſito , quod verum eſt , Eccleſiæ theſaurum non modo ex Sanctorum qui jam in cœlis regnant , ſed & ex juſtorum qui adhuc vivunt , meritis coaleſcere ; vera & germana ſe in textibus mox adductis præbet Indulgentiæ imago . Ubi enim unus per alium , ex conceſſione Chriſti , redimitur ; ubi onus , non quidem peccati , quod perſonale eſt , ſed pęnæ, ab omnibus ſuſcipitur , ita ut quod ejus reſiduum erat , purgetur, hic ſane eſt æternæ pęnæ relaxatio , quæ Indulgentiam conſtituit. Atqui ex textibus modo adductis, præſertim autem ex poſteriori, unus per alium redimitur, &c. Ergo.

51 Nec obſunt duo quæ in contrarium objecta ſunt . Non I. Neque enim damnata eſt Baji propoſitio , quia aſſereret juſtorum opera pro nobis per tacitam deprecationem offerri ; hanc enim admittunt ut minimum ii omnes , qui cenſent opera illa , ut pro alienis peccatis valeant , indigere gratuita Dei acceptatione ; ſed quia propior Lutheri aſsecla crederet nullam iis operibus ineſse condignitatem , nullam gratiæ inhabitationem , vi cujus acceptentur ratione ſui , ita ut Deus ab his etiam operibus moveatur ad indulgendum nobis : quod dubio procul Catholici omnes rejiciunt.

52 Non 2. Etſi enim Martyres non exorabant formaliter & explicite Indulgentiam pro lapſis ; eam tamen virtualiter & implicito pro iiſdem orabant ; cum precabantur ut ii quaſi peracta pęnitentia ad Euchariſtiæ participationem admitterentur , & ad Dominum cum pace migrarent . Nec dubium quin Epiſcopi votis Martyrum annuendo , Indulgentiam hanc largirentur ; cum aliena hac ſatisfactione ſatisfactionem a lapſis divinæ juſtitiæ debitam ita redimi crederent , ut lapſos coram Deo vere adjuvari arbitrarentur.

53 Confirm. tum quia alioqui hæc pęnitentiæ relaxatio lapſis admodum funeſta fuiſset, uti ſupra ponderavimus ; tum qnia relaxationem hanc ſemper intellexit Eccleſia eo quo nunc intelligimus ſenſu; quandoquidem Indulgentias largiendo, id unum facere credidit , quod primitus a S. Paulo, & a S. Cypriano factum eſt.

54 Neque eſt quod objiciatur S. Cyprianum ſæpius de hujuſmodi Indulgentia conqueſtum eſse : Nec enim ipſam rei ſubſtantiam redarguit , ſed duntaxat abuſum , qui tantus erat , ut nonnulli Sacerdotes *contra Evangelii legem* , *contra honorificam* Martyrum *petitionem* , *ante actam* a viris ſanis *pœnitentiam* , *ante exomologeſim graviſſimi atque extremi delicti factam* , &c. *lapſis pacem & Euchariſtiam dare præſumerent*. Porro qui ſolum abuſum redarguit, rem ipſam approbat.

Objic.

Objic. 4. Si Eccleſiæ inſit poteſtas Indulgentiarum, ea vel Ordinis erit, vel juriſdictionis; & hæc rurſum vel a ſolo ſummo Pontifice, vel ab aliis exerceri poterit.

Pro ſolutione ſit

Conclusio II. Potentia largiendi Indulgentias, non eſt Ordinis, nec Ordinem prærequirit, ſed eſt juriſdictionis. Ita communiter Theologi cum S. Thoma, in 4. diſt. diſt. 20. q. 1. art. 4. quæſt. 2. Ita etiam Canoniſtæ.

Prob. 1. pars. Si poteſtas illa eſſet poteſtas Ordinis, poſſet Sacerdos quilibet vi ordinationis ſuæ conferre Indulgentias. Atqui id non poteſt: cum id nequidem poſſit Epiſcopus ſimplex, id eſt abſque Epiſcopatu reali conſecratus: quia neuter vi ordinationis ſolius quemquam ligare vel ſolvere poteſt. Cujus rei ratio a priori eſt, quod nemo ex ſola Ordinis poteſtate ſubditos habet: nullus autem niſi ſubditis Indulgentias conferre poteſt, uti definit Alexander III. cap. 4. *de pœnit. & remiſſion.* Ergo. 55

Prob. 2. pars. Si quem Ordinem prærequirat poteſtas illa, maxime ſacerdotalem, qui ſolus ad remittenda peccata inſtitutus eſt. Atqui hunc non requirit. 56

Prob. min. Ex uſu Eccleſiæ, ſecundum quem Cardinales & alii non Sacerdotes ex Pontificis gratia Indulgentias largiuntur; quas etiam tribuit Papa electus, licet necdum conſecratus, ſicut & abſolvit a cenſuris. Ergo poteſtas Indulgentiarum nec eſt de ſe poteſtas Ordinis, nec Ordinem prærequirit. 57

Et vero ſi Indulgentia Ordinem prærequireret, maxime quia per eam vera datur abſolutio, idque per clavium poteſtatem. Atqui hæc ratio nulla eſt. Licet enim ad remittendam in Sacramento Pœnitentiæ culpam, & cum ipſa pœnam æternam requiratur poteſtas Ordinis, non tamen ad abſolvendum a pœna temporali: hujus quidem remittendæ facultas oritur a poteſtate clavium, ſed inadæquata & partiali, qualem habere poſſunt etiam inferiores Eccleſiæ Miniſtri, qui idcirco in juramentis & votis diſpenſare aliquando poſſunt. Non nego, Indulgentias communiter percipi in foro Pœnitentiæ, quia communiter percipiuntur cum abſolutione a peccatis, ad quam prærequiritur poteſtas Ordinis; ſed nego eas per poteſtatem Ordinis dari, ſeu offerri. 58

Prob. 3. pars, 1. quia actus qui a Judice nonniſi in ſubditos exerceri poteſt, eſt de ſe actus juriſdictionis, ſive Ordinem ſacrum prærequirat, ſive non. Atqui Indulgentia nonniſi in ſubditos erogari poteſt. Minor patet ex citat. capit. 4. *de pœnitentiis & remiſſion.* ubi conſultus Alexander III. *an Indulgentiæ*, ſeu *remiſſiones*, *quæ fiunt in dedicationibus Eccleſiarum* . . . *aliis proſint quam his qui remittentibus ſubſunt*, reſpondet non prodeſſe, *eo quod a non ſuo Judice ligari nullus valeat, vel abſolvi.* 59

Prob. 2. Diſpenſatio in aliqua lege, & conceſſio alicujus privilegii, actus eſt juriſdictionis. Atqui Indulgentia magnum ſane importat privilegium, quo gravis vitæ alterius pœna in pœnam operis alicujus multo leviorem commutatur; rurſus per eamdem Indulgentiam 60

ſit certa quædam diſpenſatio in lege, qua reus certæ ſatisfactioni addictus erat. Ergo.

61 Objicit Durandus 1. quod juriſdictio etiam in invitum exerceri poſſit; non autem Indulgentia tribui invito; 2. quod alioqui Indulgentiæ largitor non poſſet ejuſdem particeps eſſe; quia nemo in ſe ipſum juriſdictionem exercere poteſt; 3. quod Eccleſia Indulgentias applicet defunctis, in quos juriſdictionem non habet. Verum hæc floccì facienda. Unde

62 Ad 1. diſt. Juriſdictio coactiva in invitum exerceri poteſt, C. juriſdictio gratioſa & voluntaria, quæ certas ex parte ſubjecti diſpoſitiones requirit, N. Itaque juriſdictio coactiva in invitum exerceri poteſt, ut patet ex omnium Tribunalium praxi. At juriſdictio gratioſa, quæ ſine piis ſubjecti diſpoſitionibus prodeſſe nequit, & voluntaria quædam ejus opera prærequirere ſolet, non poteſt in invitum exerceri, ut patet ex terminis. Ceterum juriſdictio in Indulgentiis exerceri ſolita, non eſt ſemper ex parte Superioris omnino voluntaria; poteſt enim quandoque ad eam obligari, *ſaltem ex charitate, ſi magna ſit ſubditorum neceſſitas*, ut bene Suarez, diſt. 49. ſect. 3. num. 8. Sed neque Indulgentiarum conſecutio prorſus ſemper eſt voluntaria: quia poteſt quis a Confeſſario, vel a Superiore ad eas lucrandas obligari. Verum obligatio hæc non naſcitur ex illa Indulgentiarum juriſdictione, ſed ex alia, quam habent Sacerdotes ad ligandum vel ſolvendum in foro ſacramentali, quæ longe diverſa eſt, quæque, quatenus etiam ligare ac punire poteſt, aliquid participat juriſdictionis contentioſæ.

63 Ad 2. neg. ſeq. poteſt enim vel ipſe Papa alicui in ſe ut in peccatorem nonnihil tribuere juriſdictionis, quantum ad pœnam; ſicut & tribuit in ſacro Tribunali, quantum ad culpam. Deinde cum juriſdictio in totam Communitatem exercetur, effectus ejus redundat in ipſum Judicem, tanquam partem Communitatis.

64 Ad 3. Nihil quidem juriſdictionis habet Eccleſia in defunctos, ſed habet in viventes, quibus concedit ut per modum ſuffragii lucrentur Indulgentiam pro defunctis. De hoc infra.

CONCLUSIO III. Poteſtas concedendi Indulgentias, tantum reſidet in primis Eccleſiæ Paſtoribus, Epiſcopis nimirum, ac præſertim ſummo Pontifice, qui multo plus hac in parte poteſt, quam Epiſcopi.

65 Prob. 1. pars. Poteſtas Indulgentiarum eſt actus juriſdictionis, & quidem ex virtute clavium dimanans. Atqui juriſdictio hæc, ſi quibus, certe primariis Eccleſiæ Paſtoribus competit; iis nempe quibus jure quodam proprio competit ſolvere & ligare, oves Chriſti paſcere, & regere Eccleſiam Dei, Matth. 16. 19. Joan. 21. 17. Act. 20. 28. Ergo.

66 Confirm. 1. Indulgentiarum conceſſio eſt diſpenſatio boni communis, ſeu theſauri Eccleſiæ conceſſio. Atqui diſpenſatio boni communis non privato cuilibet, ſed iis ſolum competit, qui Communitati præficiuntur. Ergo.

67 Confirm. 2. ex Concilio Conſtantienſi (Tom. 12. Concil. pag. 270.) ubi

ubi Martinus V. hæreſis Vvicleſianæ ſuſpectum interrogari jubet, *utrum credat, quod Papa omnibus Chriſtianis vere contritis ac confeſſis, ex cauſa pia & juſta concedere poſſit Indulgentias in remiſſionem peccatorum; & quod ſinguli Epiſcopi ſuis ſubditis, ſecundum limitationem ſacrorum Canonum, poſſint etiam illas concedere.*

Et vero conſtat ex dictis poteſtatem hanc a S. Cypriano & Collegis ejus, ſecundum id quod ab anteceſſoribus eorum factum erat, quoad lapſos exercitam fuiſſe. Atqui quod potuere priores Epiſcopi, poſſunt id poſteriores, niſi quid reſiſtat; quæ reſtrictio ex mox dicendis innoteſcet. Ergo. 68

Hinc colliges cum multis contra multos, quos ſequitur Sylvius hic, quæſt. 26. art. 3. Epiſcopos non a jure ſolum Eccleſiaſtico, ſed a Divino, ſubalterno tamen, & juxta Canones reſtringibili, poteſtatem habere concedendi Indulgentias: Etſi enim Petro datum eſt, ut cum agnis ipſas etiam oves paſcat, datum eſt tamen Epiſcopis ut agnos paſcant, ut ligent & ſolvant, &c. Hæc autem quæ a Chriſto eſt poteſtas, ad Indulgentias etiam, ſicut & ad vota & juramenta extenditur. Unde in his poteſt equidem, ex Chriſti inſtitutione reſtringi, prout patet ex uſu; ſed non omnino extingui. Et vero, ex confeſſo Sylvii, habent Epiſcopi poteſtatem ordinariam concedendi Indulgentias, non mere delegatam, quia hanc habent *ex vi muneris, ſeu officii Epiſcopalis*. Ergo ſicut officium Epiſcopale habent a Chriſto, ſic & ab ipſo habent potentiam largiendi Indulgentias. 69

Neque ſolum poteſtatem hanc divino jure habent Epiſcopi, ſed & vetare poſſunt ne ullæ in Diœceſibus ſuis, niſi de licentia ſua, publicentur Indulgentiæ; prout ſtatutum eſt in Conciliis, Cameracenſi, an. 1567. Rothomagenſi, an. 1581. Turonenſi, an. 1583. Narbonenſi, an. 1609. & a Clero Gallicano, in generalibus Comitiis, anni 1625. Ratio eſt, tum quia cavendum ne Indulgentiæ apocryphæ pro genuinis exponantur; tum quia ponderandum eſt, an quæ generatim ſalubres ſunt, huic vel illi loco profuturæ ſint, an non potius contemptui, licet iniquo, futuræ. Jam 70

Prob. 2. pars, quia æquum erat, ut qui gregem totum, & oves ipſas cum agnis, ſeu cum populis Epiſcopos ipſos regit atque moderatur, in quacumque materia, (potiſſimum vero in præſenti, quæ ipſum Chriſti theſaurum ſpectat;) plus quam ceteri haberet auctoritatis. Id autem de facto contigit. Nimirum vero Papa & *omnibus Chriſtianis* Indulgentias tribuere poteſt, uti ſupra ajebat Martinus V. & plenarias, data cauſa largiri valet, & non ita raro largitur. Contra, Epiſcopi, nec aliis quam Diœceſanis ſuis beneficium hoc impendunt; neque illud tam ample largiri auſint. Licet enim Cypriani ævo poteſtas eorum quantum ad præſens hoc caput ſolis recti & æqui limitibus reſtricta fuiſſe videatur, ab ea tamen non minimum detractum eſt a Concilio Lateranenſi IV. Can. 62. eo quod ipſa plures in Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimentum abuterentur. En Concilii verba, prout referuntur cap. *Cum ex eo*, 14. *de pænitent.* &c. *Quia per indiſcretas Indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pænitentialis ſatisfactio-* 71

enervantur, decernimus, ut cum dedicatur Baſilica, non extendantur Indulgentiæ extra annum, ſive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis conſecretur; ac deinde in Anniverſario Dedicationis tempore quadraginta dies injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat. Hunc quoque numerum dierum Indulgentiarum Litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet cauſis aliquoties conceduntur. Hac occaſione

72 Quæres 1. an hæc potentiæ Epiſcopalis reſtrictio non ſolum in foro exteriori locum habeat, quod fatentur omnes, ſed & in foro pœnitentiæ; ita ut Epiſcopus non poſſit, audita confeſſione pœnitentis, ampliorem ei tribuere Indulgentiam, quam quæ ſibi a Concilio Lateranenſi permiſſa ſit.

73 Negat Suarez id eum poſſe; tum quia Epiſcopi in pœnitentiæ foro *non ſe gerunt proprie ut Epiſcopi, ſed ut Sacerdotes habentes jurisdictionem huic foro proportionatam, ex vi cujus nulla poteſt indulgentia concedi;* tum quia *ſi ſimul uti velint jurisdictione Epiſcopali ad concedendas indulgentias, jam formaliter non remittunt in foro pœnitentiali, ſed in foro indulgentiarum,* quod ab illo *diſtinctum eſt. Quod autem ſimul cum altero concomitanter & ſecreto exerceatur, per accidens eſt, nec mutat naturam talis actionis, nec excludit illam a limitatione Concilii generalis,* quod *abſolute loquitur, & univerſalem ponit negativam.* Hæc ille.

74 Aliter, (ſi tamen aliter; ſecunda enim Suarezii ratio quæſtionem de nomine inſtituere videtur) poſt Innocentium, Joannem Andræam, & quoſdam alios Canoniſtas ſentiunt Sylveſter V. *Indulgentia*, numer. 1. & Proſper Fagnan, in citat. cap. *Cum ex eo*, 14. *de pœnitent.* &c. numer. 17. qui aſſertum ſuum non probat. Ratio eſſe poſſit, tum quia reſtrictio juris Epiſcopalis, utpote odioſa, ſtricte interpretanda eſt, proinde limitanda ad conceſsionem publicam, de qua ſola loquitur Concilium Lateranenſe; tum quia cum Epiſcopi, aliis diſtenti negotiis, raro confeſsiones excipiant, non eſt verenda illa hæc indulgentiarum profuſio, quæ e tot Antiſtitibus totum per orbem ſparſis immineret, & cui occurrendum ipſi etiam Epiſcopi agnoverunt in Lateranenſi Concilio.

75 Nihil, meo quidem judicio, vetat quominus opinionem hanc practice ſequantur Epiſcopi, qui Miſsionibus per ſe ipſos incumbunt. Si enim forte poteſtatis ſuæ limites excedant, non valebit quidem Indulgentia quoad exceſſum, ſed valebit quoad gradum jure permiſſum; quia in iis quæ dividi poſſunt, *utile per inutile non vitiatur;* & ita poſt Navarrum & alios plures tenet Barboſa, part. 3. de officio & poteſt. Epiſcopi, Allegat. 88. numer. 22. pag. mihi 358. Subdit idem numer. 24. non poſſe Epiſcopum Indulgentiam concedere pro mortuis, quia ejus facultas videtur ab Apoſtolica Sede reſtricta ad ejus ſubditos degentes in hac vita. Et id quoque, licet traditum a non paucis, mihi dubium eſt. 1. Quia ut jam dixi, reſtrictio, ut odioſa, præſumi non debet, ſed certo probari. 2. Quia defuncti non magis immediatæ ſummi Pontificis, quam Epiſcoporum, jurisdictioni ſubſunt; unde eos nonniſi viventium ope juvare poteſt: quidni autem id per ſubditos ſuos poſsint Epiſcopi? 3. Quia limitatio, quæ ad glo-

gloriam Dei non confert, Apoſtolicæ Sedi nonniſi per injuriam affingi poteſt. Atqui limitatio vi cujus non poſſet Epiſcopus patri, matri, & aliis familiæ ſuæ defunctis ſuccurrere per Indulgentiam, non utique conferret ad gloriam Dei. Ergo hæc non debet, nec poteſt ſupponi. Cavendum tamen ne Epiſcopi ultra poteſtatis ſuæ fines excurrere præſumant.

Quæres 2. An Epiſcopus ante conſecrationem ſuam poſſit Indulgentias largiri, & num id poſſit per delegatum. 76

Reſp. ad 1. affirm. modo ſit poſt nominationem vel electionem ſuam confirmatus. Ratio eſt quia ex tunc fruitur poteſtate juriſdictionis; & ita docent multi apud Barboſam, ibid. n. 7. unde. 77

Reſp. ad 2. poſſe Epiſcopum ope delegati conferre Indulgentias, quia poteſtas juriſdictionis de ſe habet quod delegari poſsit. 78

Non poteſt tamen facultas illa committi laico, quia laici de jure ab Eccleſiaſticis muneribus, quale iſtud eſt, excluduntur. Ita idem Barboſa, num. 11.

Ut vero Epiſcopus per ſe aut per delegatum Indulgentias tribuat, neceſſe eſt ut per Eccleſiaſticam cenſuram non ſit ab uſu juriſdictionis ſuæ ſuſpenſus; tunc enim ne eas quidem Indulgentias, quæ per modum ſuffragii, non autem abſolutionis, conceduntur, impertiri valide poſſet. Eſto enim conceſsio Indulgentiæ per modum ſuffragii non ſit actus juriſdictionis; at ſaltem eſt actus adminiſtrationis Eccleſiaſticæ, qua etiam privatur excommunicatus. Ita Suarez, ibid. n. 18. 79

At non obeſſet Indulgentiarum validitati ſtatus peccati in quo verſaretur, ſive Papa, ſive Epiſcopus, qui eas concederet; quia peccati ſtatus validum juriſdictionis uſum non impedit. *Et ideo*, ait S. Thomas, Suppl. quæſt. 26. art. 4. O. *Indulgentiæ æque valent, ſi fiant ab eo qui eſt in peccato mortali, ſicut ſi fierent ab eo qui eſt ſanctiſſimus;* quia neuter dat de ſuo, ſed ſolum de theſauro Eccleſiæ. Idem docet Suarez, ibidem numer. 20. ubi addit, eum qui in tali ſtatu Indulgentias tribuit, *per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo*, non peccare; *quia ibi non intervenit abſolutio ſacramentalis, neque illa eſt tam ſacra, tamque gravis actio, nec confert aliis eſſentialem ſanctitatem, ut eam in Miniſtro requirat tanquam condignam diſpoſitionem.* Fatendum nihilominus non adeo levem eſſe actionem, qua diſpenſantur Chriſti merita, ut qui eam facere vult, ſinceræ contritionis actum tuta conſcientia omittere poſſe videatur. 80

Quæres 3. An Epiſcopi pure titulares, vel Epiſcoporum Coadjutores, proprio jure Indulgentias erogare poſsint. 81

Reſp. Negat. ſequitur ex eo quod facultas illa, non ipſi caracteri anexa ſit, ſed pendeat a juriſdictione, quam nec titulares Epiſcopi habent, nec Coadjutores. Atque ita definiit ſacra Congregatio 13. Jun. 1591. apud Ferraris v. *Indulgentia*, num. 20. Poſſunt tamen utrique ad id muneris ab Epiſcopo, cui ſubſunt, delegari, cum vel ipſi Clerici ad illud deputari valeant.

Quæres 4. An Epiſcopus illam juriſdictionem extra territorium ſuum exercere poſsit. 82

Reſp. Epiſcopum, qui extra Diœceſim ſuam degit, Indulgentias conce- 83

cedere poſſe, non quidem incolis alienæ hujus Diœceſeos, in quos nullam habet juriſdictionem; ſed propriis ſuis ſubditis, ſive hi in ſua Diœceſi, ſive in alia commorentur. Ratio eſt, tum quia juriſdictio voluntaria ab abſente in abſentem ſubditum exerceri poteſt; tum quia Epiſcopus Diœceſanum ſuum, ubicumque ſit, ſacramentaliter abſolvere valet, aut etiam a cenſuris ſolvere. Quod autem Jura dicunt, neminem extra territorium jus dicere poſſe, id intelligendum de juriſdictione contentioſa, quæ publicum tribunal requirit.

84 At, inquies, cum plures Epiſcopi Eccleſiam conſecrant, eorum quiſque plenariam anni unius Indulgentiam confert; nec tamen tunc ſubditis ſuis eam confert; ſed incolis loci, in quos ad ſummum ex eis unus juriſdictionem habet.

85 Reſp. In hoc caſu dari a jure ſingulis Epiſcopis juriſdictionem in incolas loci illius; qui proinde, tametſi vacaret Epiſcopalis Sedes, eandem Indulgentiam largirentur; ſed quod notandum eſt, ad annum duntaxat; quia Epiſcopi ii omnes per modum unius ſe habent.

86 Ceterum poſſent ſinguli iidem Præſules, propriis quiſque Diœceſanis eandem largiri Indulgentiam, hac conditione ut recentem Baſilicam pie inviſerent. Quia nihil repugnat quin Indulgentiam annectant operi a ſubditis ſuis extra proprium territorium adimplendo, ut bene Suarez cit. diſp. 55. ſect. 3. num. 17. Favet, quod utcumque objici poſſe videretur, caput *Quod autem*, 4. *de pœnit. & remiſſ.* ubi Alexander III. decernit, *Remiſſiones*, ſeu Indulgentias, *quæ fiunt* in *dedicationibus Eccleſiarum*, *aut* ex charitate *conferentibus ad ædificationem pontium* . . . *prodeſſe illis tantummodo*, *quibus ut proſint*, *proprii Judices*, ſeu Epiſcopi, *ſpecialiter indulſerunt*. Siquidem in hypotheſi noſtra quilibet Epiſcopus Baſilicæ conſecrator, eſt Diœceſanorum ſuorum proprius Judex. Ergo ſi remiſſionem iis prodeſſe velit ſub certa conditione, proderit indubie, ſi conditionem hanc impleant Diœceſani illius.

87 Quæres 5. An Archiepiſcopus eaſdem in Provincia ſua Indulgentias concedere poſſit, quas Epiſcopus in propria ſua Diœceſi.

88 Reſp. Affirm. ſiquidem ſermo ſit de locis in quibus viget invecta per Decretales diſciplina. Hæc enim licet extra viſitationis aut appellationis caſus ordinariam quantum ad cetera juriſdictionem abneget Archiepiſcopis; extraordinariam nihilominus quoad Indulgentias iiſdem concedit, Cap. *Noſtro* 15. eod. tit. *De pœnit.* ubi ſic Honorius III. *Breviter reſpondemus*, *quod per Provinciam tuam libere potes concedere Litteras* remiſſionis; *ita tamen quod Statutum generalis Concilii non excedas*.

89 Quæres 6. An Concilium generale, cui Papa nec per ſe, nec per Legatos ſuos præeſt, poſſit Indulgentias Eccleſiæ toti concedere.

90 Negat fuſe Suarez cit. diſput. 55. ſect. 1. quia Concilium acephalum nec poteſtatem hanc habet a Chriſto, qui eam non contulit Eccleſiæ; cum hæc ad ejus regimen neceſſaria non ſit pro brevi eo tempore quo Eccleſia caret Capite; Nec a Pontifice, cui hanc immediate contulit Chriſtus, quandoquidem ſupponatur vel nullus eſſe Papa, vel ſaltem poteſtatem hanc prædicto Concilio non impertiri; nec demum ab Eccleſia; cum ea corpori Eccleſiæ tradita non fuerit a Chriſto. Nec refert quod Concilium tunc Congregatum repræſentet univerſalem Eccleſiam;

ſiam; hanc repræſentat ſine capite, atque adeo ſine illa poteſtate. Ita & Sylvius hic q.26. art. 3.

Aliter ſentiunt Canoniſtæ plures & Theologi, nec immerito; 1. Quia opinio contraria ſupponit, totam, quæ ſingulis Paſtoribus ineſt, juriſdictionem a Rom. Pontifice, ceu a fonte rivulos, in eoſdem Paſtores derivari; quod falſum eſse ſuo loco probabimus. 2. Quia Indulgentia, *brevi eo tempore quo Eccleſia Capite caret*, longe utilior eſse poteſt, quam quæ quotidie conceduntur a Papa; puta cum, ut olim, agitur de extinguendo exitiali ſchiſmate. Ergo non eſt cur facultatem ejus impertiendæ in caſu tam urgenti cenſeatur Chriſtus denegaſſe. 3. Quia Concilium, vacante Sede Apoſtolica, generales cenſuras ferre valet. Si autem generaliter ligare poteſt, quidni & per Indulgentias ſolvere. 4. Quia Concilium Baſileenſe, non modo ſeſs. ultim. ubi jam ad ſchiſma converſum erat; ſed & ſeſs. 24. quam contra Sylvium legitimam fuiſse agnoſcit Suarez ibidem numer. 8. Indulgentiam conceſſit. Reponit is quidem Indulgentiam hanc concedi potuiſse ex generali ſummi Pontificis licentia, cujus legati nondum receſserant: at licentiam hanc vel a Papa datam fuiſse, vel a Concilio, quaſi ea indigere crederet, fuiſse acceptatam non probat. Quia tamen incertum eſt quo uſque Concilium illud legitimum fuerit; aliis canonicitatem ejus ad ſexdecim primas ſeſsiones reſtringentibus; aliis ad ſeſsionem 25. protendentibus; aliis illud ſemper illegitimum fuiſse opinantibus cum Cabaſsutio in Notitia Eccleſ. vix certi quidpiam ab hujus Concilii factis elici poteſt, donec auctoritas ejus eliquata fuerit; quod non eſt præſentis loci. 91

Quæres 7. An Cathedrales Capitulum Indulgentias, ſede vacante largiri poſsit. 92

Negant plures cum Dom. Soto, & Suare diſp. 55. ſect. 4. nu. 5. quia licet Capitulum ſuccedat Epiſcopo in juriſdictione, non tamen in dignitate. Porro jura poteſtatem Indulgentiarum annectunt, & quaſi reſervant Pontificiæ dignitati. Et ita tenent Navarrus & alii quorum opinionem approbat Sylvius qu. 26. art. 7. 93

Aliter ſentiunt Sylveſter v. *Capitulum*, & Zerola in praxi, v. *Indulgentia*. Quia & teſte ibidem Sylvio, *uſus obtinuit quod Vicarii generales Sede vacante concedunt indulgentias* 40. *dierum ſicut Epiſcopi*. Atqui, juxta Suareſium ibidem n. 3. conſuetudo, licet per ſe ſolam non poſſit eſse origo hujus juriſdictionis, quando tamen præſcripta eſt, eſt indicium juriſdictionis aliquando legitime conceſsæ. *Quia non eſt veriſſimile in re tam gravi, propria auctoritate fuiſſe uſurpatam, & tanto tempore tacentibus & conſentientibus Prælatis continuatam*. Ergo quiſque antiquum Eccleſiæ ſuæ morem ſine ſcrupulo ſequi poteſt. 94

Quæres 8 Quid in indulgentiali materia poſsint Cardinales, Archidiaconi, Pœnitentiarii, & generales Epiſcoporum Vicarii. 95

Reſp. Eos nihil poſse jure ordinario: quia jus illud nec a Chriſto accepere in perſona Apoſtolorum, quibus non ſuccedunt; nec generatim, ab iis quibus a Chriſto creditum eſt. Ergo nihil in præſenti negotio poſsunt, niſi quod ex ſpeciali licentia, vel præſcripta conſuetudine, ſibi conceſsum fuerit. Sic Legati ex ſpeciali vel generali ſummi 96

Pontificis auctoritate Indulgentias in univerſis legationis ſuæ locis impendere poſſunt. Sic referente Navarro, Cardinales largiuntur Indulgentias centum dierum; quod *magis conſuetudine, quam lege niti* declarat Bellarminus, Lib. 1. capit. 11. Sic demum parem centum dierum Indulgentiam a majoribus Pœnitentiariis erogari poſſe ſcribit Paludanus in 4. diſt. 20. quæſt. 4. art. 2. quod ipſi ex loci, in quo deſudant, conſuetudine dijudicare debent.

97 Quæres 9. Quid juris de Abbatibus, Prelatis Religionum & Parochis.

98 Non defuere, qui cum Angelo, & Barth. Fumo, verſ. *Indulgentia*, numer. 5. & num. 2. crediderint Parochos, imo Sacerdotes omnes, qui jus habent confeſsiones audiendi, poſſe in ipſo confeſsionis Sacramento Indulgentias concedere, remittendo id quod expiandum ſupereſt, cum minorem injungunt pœnitentiam, quam quæ ſufficiat ad exhauriendam pœnam totam peccatis debitam. Verum *ſententia communis contrarium docet*, ut teſtatur Bellarminus Cit. Capit. 11. & quidem merito, cum Innocentius III. in Concilio generali, Lateran. IV. can. 60. qui refertur Capit. 12. *De exceſſib. Prælat.* ſevere redarguat *graves & grandes quorumdam Abbatum exceſſus, qui ſuis finibus non contenti, manus ad ea quæ ſunt dignitatis Epiſcopalis* extendebant, *concedendo etiam indulgentiarum Litteras*. Unde, inquit, *præſenti Decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia ſe præſumat extendere, ſi proprium voluerit evitare periculum, niſi forſan quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa*, conſuetudine videlicet, *valeat ſe tueri*. Atqui hæc deciſio Superiores Religionum, Parochos & alios tangit; cum his minus quam Abbatibus inſit *Epiſcopalis dignitas*, cui annexa eſt Indulgentiarum potentia. Ergo.

99 Confirm. 1. Tum quia poteſtas largiendæ Indulgentiæ, quam Parochis & Confeſſariis tribuunt Angelus & alii pauci, non oritur ab Ordine, prout ipſi male ſupponunt; tum quia ſi ab Ordine proflueret, non idcirco competeret Parochis. Hi enim ſicut & quicumque alii Sacerdotes approbati, nullam habent juriſdictionem niſi in foro pœnitentiæ. Atqui de ratione Indulgentiæ eſt ut ſit remiſsio pœnæ independenter a Sacramento. Quod enim Indulgentia in ipſa etiam confeſſione dari poſsit concomitanter, non mutat naturam ejus. Unde qui hanc in ſacro Tribunali largitur, poteſt & extra ipſam largiri.

100 Confirm. 2. Quia poteſtas diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ non convenit niſi veris Prælatis, qui Rectores ſunt integri populi. Atqui ſoli Epiſcopi, ut qui præſint toti populo, atque hominibus omnium ordinum, ætatum, ſexuum, conditionum, ſunt proprie & ſimpliciter Prælati. Abbates enim qui ſolis præſunt Monachis, ſunt tantum quaſi patres unius vel multiplicis domus: Parochi vero plebi ſuæ præſunt tanquam uni familiæ. Ergo *Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii hujuſmodi Prælati* (qui *non ſunt ſimpliciter* & proprie *Prælati*) non *poſſunt Indulgentias facere*. Ita S. Thomas Suppl. quæſt. 26. art. 1.

101 Objic. 1. Religionum Præfecti ſpiritualia communitatis ſuæ bona quibuſdam benefactoribus ſuis, per *affiliationis* Litteras communicare ſolent. Atqui communicatio hæc eſt Indulgentia proprie dicta.

Reſp.

Reſp. Neg. min. 1. Quia communicatio hæc non fit theſauro merito- 102
rum Chriſti & Sanctorum, ſed ex piis Fratrum operibus. 2. Quia per eam non applicantur ſatisfactiones præteritæ, quæ cum ſuperabundarunt, in Eccleſiæ theſaurum tranſvectæ ſunt; ſed futura tantum opera; 3. Quia per communicationem hanc *non ſolvitur* quis *a debito faciendi ſatiſfactionem injunctam, ad quam obligatus eſt ex præcepto Eccleſiæ;* ſecus de Indulgentiis. Ita ibid. S. Thomas; cujus tertia hæc ratio ex dictis cap. præced. metienda eſt.

Obj. 2. Quilibet Sacerdos ſacramentaliter abſolvendo, non culpam 103
tantum, ſed & pœnæ aliquid remittit. Atqui remiſſio hæc vera eſt Indulgentia.

R. Neg. min. Indulgentia enim, ut dictum eſt, eſt remiſſio pœnæ 104
per externi fori juriſdictionem conceſſa, & vi cujus pœna alioquin debita, ſaltem ex parte imminui poteſt. Porro Parochi & confeſſarii qua tales non habent juriſdictionem fori externi; nec poſſunt auctoritate Chriſti ſatisfactionem a pœnitente debitam auferre; quam contra delictis parem injungere debent; vel ſi id non ferat pœnitentis infirmitas, *reſiduum ei committere, per ſe aſſumendum, vel a Deo expectandum*. Ita idem S. Thomas.

Obj. 3. Ipſi Corinthii Fideles inceſto fecerunt Indulgentiam, ſecun- 105
dum id Pauli 2, Corinth. 2. *Cui aliquid donaſtis, & ego*. Nec dubium quin id quotidie faciant ii etiam de populo, qui aliis ſatisfactiones ſuas applicant. Ergo.

Reſp. Diſt. fecerunt Indulgentiam, quatenus voto, precibus, com- 106
miſeratione obtinuerunt, ut ab Eccleſiæ præpoſitis donaretur; quo ſenſu Auguſtinus Lib. 3. de Bapt. cap. 18. Ait *remiſſionem peccatorum dari per gemitus columbæ*, Conc. Fecerunt per ſe ipſos, Neg. Non aliter Corinthia plebs inceſto reſiduum pœnæ dimiſit, quam ipſum vel impœnitentem vinxit anathemate, vel pœnitentem ab eodem anathemate ſolvit. Atqui neutrum hoc per ſe ipſam fecit, ſed per Epiſcopos. Ergo nec Indulgentiam eidem conceſſit, niſi hoc ſenſu, quod hanc ipſi per interceſſionem ſuam acceleravit.

Quod additur de ſatisfactionibus quas aliis quandoque applicant Fideles, conſtat eas ab Indulgentiis plurimum differre; tum quia, etſi quandam important pœnæ ſolutionem, non tamen juridice applicatam; tum quia cum iis ſtat hominem a nulla pœnitentiæ ſibi injunctæ parte liberari. Ita idem Sylvius.

DISSERTATIO.

De Indulgentia a S. Bernardo Cruce-ſignatis denunciata.

NEſcit nemo bellum ſacrum adverſus Saracenos Terræ Sanctæ inva- 107
ſores, & Chriſtiani nominis hoſtes infenſiſſimos, a S. Bernardo, hortante Ludovico VII. cognomento, juniore; imperante autem Eugenio III. anno R. S. 1146. prædicatam fuiſſe in Galliis primum, deinde

deinde in Germania; ubique autem tanto ſucceſſu, ut, quemadmodum ſcribit Otto Friſingenſis Epiſcopus, *non ſolum ex Romano Imperio, ſed etiam ex vicinis Regnis, id eſt ex occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac Nationibus hac expeditionis fama ad ſumendam Crucem commotis repente totus pœne occidens ſiluerit;* atque ut ſcribit ipſe Bernardus, urbes & caſtella incolis deſtituta remanerent, & uxores viduæ ante mortem maritorum.

Cum autem Cruce Signatis ad id belli profecturis ampliſſimas Indulgentias conceſſiſſet Eugenius III. videlicet *omnium, de quibus corde contrito confeſſio facta fuerit, peccatorum remiſſionem;* juvat expendere an Indulgentiarum dogma vel ex ipſa Bernardi prædicatione confirmari poſſit. Difficultatem movet infœlix belli hujus exitus, in quo tot Signatorum millia, morbo, ærumnis, & hoſtili gladio corruerunt, ut frequentibus per Orbem ferme totum dicteriis Bernardus impeteretur. Sit paucis

CONCLUSIO. Indulgentiarum dogma vel ex una S. Bernardi *Cruciata*, ut ajunt, denuntiantis prædicatione, ſolide probatur.

108 Prob. Dogma innumeris hominis inſigniter ſancti miraculis confirmatum, pro indubio haberi debet. Atqui Indulgentiarum dogma innumeris, & quidem viri inſigniter ſancti, miraculis confirmatum eſt.

109 Major conſtat. Etſi enim contendunt plures dæmonem prodigia quædam, non ſpecie tenus, ſed ipſa re vera operari poſſe; at nec ea uſquam per viros inſigniter ſanctos, nec Eccleſiæ ipſius juſſu & nomine; nec demum in iis circumſtantiis perpetrabit, in quibus nec ab auctoritate ulla rejici, nec aliis efficacioribus ſignis elidi poſſint.

110 Prob. Itaque minor ex Gaufrido, teſte coætaneo, & plerumque oculato. Sic ille in vita D. Bernardi, cap. 4. (edit. 2. Mabilloni, Tom. 2. pag. 1120.) *Evidenter verbum hoc prædicavit*, nempe ut Occidentales *in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum iter* in Paleſtinam *arriperent, aut liberaturi fratres, aut ſuas pro illis animas poſituri*. Et prædicavit quidem, *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Sed quantis & quam multiplicibus ſignis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam & eodem tempore ſcribi cœperant, ſed ipſa demum Scriptorem numeroſitas ſcribendorum, & materia ſuperavit Auctorem: nimirum cum aliquando una die viginti, ſeu etiam plures ab incommodis variis ſanarentur, nec facile ab hujuſmodi* curationibus *die ulla vacaret. Denique plures eo tempore Chriſtus per ſervi ſui tactum & orationem, ex ipſis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convaleſcere, ſurdos fecit audire & mutos loqui; mirabilius reſtituente gratia, quod minus præſtitum fuerat a natura*.

111 Nec ſolum ante Jeroſolymitanum iter, ſed & poſt infelicem ejus ſucceſſum probavit Sanctus Bernardus ſe ore Dei ipſius & juſſu fuiſſe locutum. Sic enim ibidem numer. 10. proſequitur Gaufridus, (pag. 1121.) *Accedit autem, ubi primum de ejuſdem exercitus diſſipatione lamentabilis intra Gallias inſonuerat rumor, ut illuminandum Dei famulo filium cæcum offerens pater, multis precibus vinceret excuſantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenus ſi ab eo verbum prædicationis illius exierat, & prædicanti Spiritus ejus affuerat, in illius illumi-*

luminatione oſtendere dignaretur. Dum vero poſt orationem orationis præſto-lar tur effectum: Quid facturus ſum? ait puer; video enim. Attollitur illico clamor adſtantium, plures enim non modo e Fratribus, verum etiam e ſæcularibus aderant, qui ut puerum videre videntem, multipliciter conſolati, Deo gratias referebant.

Miracula hæc quæ in genere ſolum recenſet Gaufridus, plura ſigillatim refert qui præſens Thaumaturgo aderat in Germania Philippus, Legionenſis Archidiaconus, exinde a S. Bernardo in Monachum Claræ-vallenſem converſus. Verum hæc tot & tanta ſunt, ut hæc apud Auctorem ipſum legi oporteat, Lib. 6. vitæ S. Bernardi, p. 1. cap. 2. & ſeq. (Tom. 2. pag. 1167.) 112

Idem fatetur, ceteroquin Bernardo nequaquam favere ſolitus, Otto Friſingenſis, Lib. 1. de geſtis Frederici, cap. 30. Narrat enim Bernardum, quem cogente factorum evidentia, *ſanctum Abbatem* vocat, cap. 60. *plurima in publico vel occulto feciſſe miracula*. Sane vero eam, quam infinitis hominibus Cruce ſignationem perſuaſit, vix aliter perſuaſit quam miraculis: cum eo quod *Romana lingua* loqueretur, vix a populo intelligi poſſet. Adi vitam ejus eodem Lib. 6. cap. 4. num. 16. pag. 1173. 113

Quin & de miraculis in expeditionis ſacræ ſuſceptionem a ſe perpetratis, ut quæ nemine laterent, Eugenium ipſum, modeſte tamen, interpellare audet Bernardus, poſt auditam Cruce-ſignatorum internecionem. Sic enim loquitur Lib 2. de Conſiderat. cap. 1. ubi apologiam ſuam inſtituit, (Tom. 1. pag. 417. numer. 3.) *Sed dicunt forſitan iſti*, obtrectatores Bernardi: *Unde ſcimus quod a Domino ſermo* Cruce ſignationem annuntians, *egreſſus ſit? Quæ ſigna tu facis, ut credamus tibi? Non eſt quod ad iſta reſpondeam: parcendum verecundiæ meæ. Reſponde tu pro me & pro te ipſo, ſecundum ea quæ audiſti & vidiſti.* 114

Quod autem Bernardus vir fuerit eximie ſanctus, haud quidem probabimus eorum ſuffragio, qui miſera hac noſtra ætate, ſub Chriſtiani larva, quam prorſus deponere non auſint, impii faciem obtegunt; ſed nec ex judicio Eccleſiæ, quam tacite dedignantur: venient nobis in ſuppetias ejuſdem Eccleſiæ hoſtes infenſiſſimi, qui Sancti Doctoris mores & vitam commendavere. Bernardus, judice Luthero, in Colloquiis Convivialibus, *omnes Eccleſiæ Doctores vincit*. Eundem *virum Dei* nuncupat Bucerus, Lib. de concordia, artic. de juſtificatione. *In Libris de conſideratione ita loquitur, ut veritas ipſa loqui videatur*, ait Calvinus, Lib. 4. Inſtitut. cap. 10. & 12. Bernardi Meditationes, ait Heinſius, orat. 3. *rivus paradiſi, ambroſia animarum, pabulum Angelicum, medulla pietatis*. David Chytræus, in orat. de Phil. Melanchone, *Bernardus admirabili Religionis ſtudio, & ſacrarum Litterarum peritia .·.·. Melliflui nomen non immerito* adeptus eſt. Georgius Carleton, in conſenſu Eccleſiæ Catholicæ, &c. *Utinam tales multos, imo vel unum talem hodie haberemus .·.·. qualem Bernardum fuiſſe conſtat, &c.* Et hæc contra quemdam tacite dicta ſunto, quia ſilendum *a bonis*. 115

Obj. Prædicatio temere ſuſcepta, & cujus exitus orbem totum lacrymis 116

mis implevit, temere ad minus in argumentum veritatis trahitur; Atqui talis fuit Cruciatæ prædicatio a S. Doctore facta.

117 Reſp. neg. min. pro prima parte. Nec enim temere factum eſt, quod cogente utriuſque Poteſtatis imperio factum eſt, & a Deo per innumera prodigia confirmatum. Atqui nemo neſcit denunciatam a Sancto Bernardo fuiſſe Crucis-ſignationem, primum ex juſſu Ludovici VII. poſtmodo autem; (quia nihil inconſulta, in negotio tanti momenti, Sede Apoſtolica, tentandum eſſe crederet Bernardus) juſſu Summi Pontificis. Unde in eodem cap. 1. Libri 2. de Conſider. *Quaſi vero*, inquit, *temeritate in opere iſto, aut levitate uſi ſimus. Cucurrimus plane in eo, non quaſi in incertum, ſed jubente te, imo per te Deo, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: ut ſupra ajebat Gaufridus, & a nobis probatum eſt.

118 Reſp. ad 2. part. neg. maj. Neque enim funeſtus belli ſacri exitus argumentum eſt malæ Bernardi prædicationis, ſed peſſimæ Crucigerorum converſationis, qui viam ſuam omni criminum genere vitiantes, ſacram expeditionem ſacrilege dehoneſtarunt, ut tradidere coævi Scriptores, & in his Willelmus Tyrenſis. Aſt Bernardum de his temperate loquentem audire placet. Sic ille ibidem numer. 2. (pag. 415.) *Et quo modo tamen humana temeritas audet reprehendere, quod minime comprehendere valet? Recordemur ſupernorum judiciorum quæ a ſæculo ſunt, ſi forte ſit conſolatio .˙.˙.˙. Rem dico ignotam nemini, & nunc nemini notam. Nempe ſic ſe habent mortalium corda. Quod ſcimus, cum neceſſe non eſt, in neceſſitate neſcimus. Moyſes educturus populum de terra Ægypti, meliorem illis pollicitus eſt terram .˙.˙.˙. Eduxit, eductos tamen in terram, quam promiſerat, non introduxit. Nec eſt quod Ducis temeritati imputari queat triſtis & inopinatus eventus: omnia faciebat Domino imperante, Domino cooperante, & opus confirmante ſequentibus ſignis. Sed populus ille, inquis, duræ cervicis fuit .˙.˙.˙. Bene illi*, Hebræi, *increduli & rebelles; hi autem*, Cruce-ſignati, *quid? Ipſos interroga. Quid me dicere opus eſt, quod fatentur ipſi? .˙.˙. Quod ſi illi ceciderunt & perierunt propter iniquitatem ſuam; miramur iſtos eadem facientes, eadem paſſos? Sed numquid illorum caſus adverſus promiſſa Dei? Ergo nec iſtorum. Neque enim aliquando promiſſiones Dei juſtitiæ Dei præjudicant. Et audi aliud.*

Jud. 20. Num. 3. *Peccavit Benjamin: accinguntur reliquæ Tribus ad ultionem, nec ſine nutu Dei. Deſignavit denique ipſe Ducem præliaturis: itaque præliantur, freti & manu validiori, & cauſa potiori, & quod bis majus eſt, favore divino. At quam terribilis Deus in conſiliis ſuis ſuper filios hominum! Terga dedere ſceleratis ultores ſceleris, & paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum, & Dominus ad eos: Aſcendite, inquit. Aſcendunt denuoque fuſi & confuſi ſunt. Ita Deo primum quidem favente, ſecundo & jubente, juſti juſtum certamen ineunt, & ſuccumbunt. Sed quo inferiores certamine, eo fide ſuperiores inventi ſunt. Quid putas de me facerent iſti, ſi meo hortatu iterato aſcenderent, iterato ſuccumberent? &c.*

Num. 4. .˙.˙.˙. *Hæc pauca vice apologiæ dicta ſint, ut ipſa qualiacumque habeat conſcientia tua ex me, unde habeat me excuſatum, & te pariter, etſi non apud eos qui facta ex eventibus æſtimant. Perfecta & abſoluta cuique excuſatio, teſtimonium conſcientiæ ſuæ. Mihi pro minimo eſt ut ab illis judicer,*

qui

qui dicunt bonum malum, &c. Et ſi neceſſe ſit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum eſſe. Bonum mihi, ſi me dignetur uti pro clypeo.

His concinit Otto Friſingenſis, cir. cap. 60. ubi hæc: *Si dicamus ſanctum illum Abbatem ſpiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuiſſe, ſed nos ob ſuperbiam laſciviamque noſtram ſalubria mandata non obſervantes, merito rerum perſonarumque diſpendium reportaſſe*, *non* erit id *ab antiquis rationibus vel exemplis diſſonum*.

Neque tamen magno ſucceſſu caruit expeditio ſacra, quæ coram hominibus infelix, multos cives peperit cœlo, qui ſi fratres ſuos non liberaverunt, *ſuas pro illis animas* poſuere; ita ut ſi ex profectione illa Orientalis Eccleſia liberari non meruit, certe cœleſtis meruerit impleri & lætari, nempe ob eorum mortem, qui ut ſcribit Gaufridus ubi ſupra, *in fructibus pœnitentiæ purgatas variis tribulationibus Chriſto animas reddiderunt*. Quod & Joannes Caſæ-Marii Abbas ſanctus ſibi ex revelatione compertum Bernardo ſignificavit, ut videre eſt in ejus ad eundem Bernardum Epiſtola; quæ apud Mabillonium eſt inter Bernardinas, num. 386. 119

Et hæc, ſi forte nonnihil extra rem dicta videbuntur, ſingulari noſtræ in S. Doctorem obſervantiæ indulgebit Lector. Dolemus ſane tanti viri memoriam a nonnullis de induſtria obſcurari. Nuncupet eum quis hominem ſine titulo & ſine caractere; præponat ei Sugerium, imo forte falſos Hiſtoriæ qui Sugerium celebrant, faſtis Eccleſiæ, qui Bernardum coli jubent; ægre quidem feremus, ſed non impendio admirabimur. Unum timemus, ne qui carnalia hæc legunt Clerici juniores, hominum facta non ex Evangelii regulis æſtiment, ſed ex mundana celebritate, quam ceteris majorem habere ſolent reprobi, quæque nihil profuiſſet Sugerio, niſi Bernardi monitis obtemperans, & ſuos, & Cœnobii ſui mores immutaſset. *Quid* enim *prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, &c.* 120

CAPUT QUARTUM.

De Theſauro, Indulgentiarum fonte.

PER Eccleſiæ theſaurum quæ vox in præſenti metaphorica eſt, intelligitur cumulus & congeries bonorum ſpiritualium, quorum diſpenſatio Eccleſiæ concredita eſt. Patet porro ex dictis cap. præced. & ex mox dicendis confirmabitur, theſaurum hunc exiſtere, videlicet in inviſibilibus mentis divinæ ærariis, & Dei acceptatione. Verum tria hic inquiruntur; 1. an theſaurus ille primario & eſſentialiter coaleſcat ex meritis Chriſti, & de hoc nulla eſt inter Theologos difficultas; etſi Franciſcus Maironis, de Minorum familia, minus apte quid ea de re ſcripſerit; 2. an ipſa Sanctorum, ſeu jam regnantium cum Chriſto, ſeu hodieque ſuperſtitum merita ad theſaurum illum pertineant; 3. poſito quod ſic, an Sanctorum merita ad Indulgentiam concurrant per modum ſuffragii tantum, ſeu interceſſionis impetratoriæ; 1

riæ; an non etiam per modum ſolutionis & abſolutionis; quod quidem circa caput ſalva fide diſputant Theologi. Sit

CONCLUSIO I. Theſaurus Eccleſiæ primario coaleſcit ex infinitis ac ſuperabundantibus Chriſti meritis atque ſatisfactionibus. Concluſio videtur eſſe *de fide*, ait Suarez infra, *& ſaltem contraria ſententia erronea cenſetur*.

2 Probat. 1. Quia non eſt ditior fundus, unde coaleſcere poſſit theſaurus Eccleſiæ, quam merita Chriſti, qui, teſte Paulo, 2. Corinth. 8. verſ. 9. *Propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis*. Unde Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus, De pœnitent. &c. In ara Crucis innocens immolatus* Salvator, *non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet; ſed copioſe velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe .'.'. Quantum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis & ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit? Quem quidem theſaurum, non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per B. Petrum Cœli clavigerum, ejuſque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit Fidelibus ſalubriter diſpenſandum*.

3 Probat. 2. Si theſaurus Eccleſiæ non coaleſcat ex meritis Chriſti, vel quia hæc in ſe ipſis finita ſint, ut cenſet Durandus; vel quia licet infinita ſupponantur, ſufficiens præmium habuerunt; cum propter ea exaltatus ſit Chriſtus, & habuerit nomen quod eſt ſuper omne nomen, uti docere videtur Maironis. Atqui neutrum dici poteſt. Non 1. Conſtat enim merita Chriſti, non ſolum ex acceptatione divina, quæ ea, ut ſic loquar, pluris æſtimaverit, quam valerent, infinita eſſe, ſed in ſe & ex ſe, *propter unionem ad Verbum*, ut ſtatim ajebat Clemens VI. & fuſius probant Theologi in Tractat. de Incarnatione; alioqui enim Chriſtus non fuiſſet per ſe Redemptor perfectus, ut qui ex ſola Dei indulgentia haberet, quod merita ſua nobis in omni gratiarum & ſatisfactionum genere prodeſſent. Non 2. quod hæreſim ſapit, ut obſervat Maldonatus hic, quæſt. 2. generali, pag. 371. Vel enim, cum dicit Maironis ſuum Chriſti meritis par præmium retributum eſſe, loquitur de præmio eſſentiali, nimirum de viſione beatifica; vel, quod ratio ejus probat, de præmio accidentali, id eſt de exaltatione humana Chriſti, de dilatatione Eccleſiæ, &c. Atqui neutro ſenſu admitti poteſt opinio ipſius. Non priori, quia præmium eſſentiale, vi unionis hypoſtaticæ Chriſto debitum erat, & ei connaturale. Non poſteriori: 1. quia confundit merita Chriſti cum ejus ſatisfactionibus; quæ tamen duo longe diverſa ſunt: unde etſi Chriſtus ſupponatur ſecundum merita remuneratus, manent tamen ejus ſatisfactiones, quæ cum ipſi non profuerint, nobis, ne ſuperfluæ dicantur, prodeſſe debent. 2. Quia nomen ſuper omne nomen, quod Chriſto datum eſt, quantumcumque ſit, cum infinito valore operum Chriſti comparari non poteſt. 3. Quia ſi jam exhauſta foret per accidentalem Chriſti gloriam merces operum ejus, jam nec quidquam per Chriſti merita poſtulare, nec per ea remiſſionem peccatorum in Sacramentis aut ex Sacrificio conſequi poſſemus; quæ omnia,

nia, ait Suarez, diſp. 51. ſect. 1. numer. 5. ſunt abſurda & hæretica. Ergo.

Obj. Ex aſſertione hac noſtra duo ſequuntur, 1. theſaurum hunc, utpote infinitum, etiam poſt judicii diem perpetuo duraturum, & ſine condigno pretio permanſurum; 2. eum ne ab ipſo quidem Deo exhauriri poſſe & condigne remunerari. Atqui primum juſtitiæ Dei, ſecundum omnipotentiæ ejus repugnat. Ergo. 4

Reſp. Conceſſa maj. neg. min. Sicut enim perpetuo durat potentia Dei, nec vere otioſa dici poteſt, licet non operetur infinita, quæ operari poſſet; ſic & perpetuo durabit theſaurus ſatisfactionum Chriſti, licet non durent quibus applicari poſſit. Neque id derogat vel juſtitiæ divinæ, quæ concedit totum id ad quod efficaciter ordinatur Chriſti ſatisfactio; vel divinæ potentiæ, cui ſufficit ut tantum remunerare poſſit, quantum Chriſtus mereri potuit; unde merita Chriſti non vincunt potentiam Dei, ſed potentiam, vel potius impotentiam hominum ad peccandum; quia plus potuit ipſe ſolus ſatisfacere, quam poſſint omnes homines demereri. Ita idem Suarez n. 9. 5

Conclusio II. Coaleſcit etiam theſaurus Eccleſiæ ex ſupereffluentibus Sanctorum omnium meritis atque ſatisfactionibus.

Probat. 1. ex citata jam Clementis VI. Decretali, in qua ſic proſequitur: *Ad cujus quidem theſauri cumulum B. Dei Genitricis, omniumque Electorum a primo juſto uſque ad ultimum, merita adminiculum præſtare noſcuntur: de cujus conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti merita, quam ex eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum*. Atqui his Concluſio noſtra diſerte continetur. 6

Confirm. ex Bulla Leonis X. quam videris apud Cajetanum, 3. p. q. 48. art. 5. ubi docet, Indulgentias concedi *ex ſuperabundantia meritorum Chriſti & Sanctorum*, ſubditque *theſaurum meritorum Chriſti & Sanctorum* a Pontifice diſpenſari. 7

Probat. 2. Ut Eccleſiæ theſaurus ex ipſis Sanctorum ſatisfactionibus coaleſcat tria ſufficiunt, 1. ut Sancti multi ſatisfactiones multas habuerint, quibus non indigebant; 2. ut probabile non ſit eas otioſas manere & inutiles; 3. ut proinde Deus & ipſi Sancti nobis eas applicari velint. Atqui conſtat. 1. Sanctos non paucos ex ſuis pro Chriſto paſſionibus ſatisfactiones habuiſſe plurimas, quibus non indigerent. Quis enim id neget de B. Virgine, quæ etſi ab omni labe immunis, tot tamque acerba pertulit, ut animam ejus gladius doloris pertranſierit? Quis id inficietur de Chriſti Præcurſore, qui ab infantia degens in deſertis ſatisfactiones ſatisfactionibus per totam vitam, potiſſimum vero in morte cruenta cumulavit? quis id vocet in dubium de tot martyribus, qui a Baptiſmo recentes, proinde ab omni culpa & pœna liberi, atrociora quæque Neronum ac Domitianorum ſupplicia perpeſſi ſunt? 8

2. Nec probabile eſt hujuſmodi ſatisfactiones otioſas manere. Deus enim nullam condigni meriti partem abſque præmio relinquit. Ergo quæ uni ſuperflua ſunt, alteri indigenti applicare exiſtimandus eſt; præſertim ſi id exigant leges ab eo conſtitutæ, eoque collineent ſanctorum vota. Atqui, &c. 9

3. Utrum-

10 3. Utrumque iſtud merito ſupponitur . Conſtat enim ex Scripturis Deum ex Sanctorum precibus moveri ad condonandas ipſis etiam impiis pœnas , quas promeruere . Sic pepercit non tantum juſto Loth propter fidem Abrahæ; ſed & rebellibus Iſraelitis propter Moyſen ſervum ſuum: ipſi Sodomæ parciturus , ſi decem in ea juſtos reperiſſet . Atque ea erat intima primævæ Eccleſiæ fides , cum ad Martyrum vota debitas lapſis pœnas moderabatur . Quin & id utcumque exigit quæ a Deo inſtituta eſt *communio Sanctorum*. Per hanc enim efficitur ut membra ſe invicem juvent, & quod ab uno perficitur , ad alium quodam jure, quantum fieri poteſt , pertineat . Ergo nihil eſt cur Sanctorum merita ab Eccleſiæ theſauro excludantur ; eſt vero cur in eodem dicantur aſſervari, non ut quid eſſentiale , quaſi abſque iis non ſufficiant merita Chriſti; abſit ; ſed ut ſecundarium aliquid , per quod Deus ſanctos ſuos honorari voluit.

11 Obj. 1. Admitti non debet opinio , quæ cedit in dedecus Chriſti . Atqui talis eſt opinio quæ ſatisfactiones Sanctorum coadunat Chriſti ſatisfactionibus. Annon enim iſtæ ſufficiunt? Annon indignum eſt quod operi divino uniatur humanum ? An plus recipit homo ex applicatis ſibi Sanctorum ſatisfactionibus, quam ex ſolis Chriſti? An utræque ſimul applicantur, vel ſeorſim; ita ut juventur homines partim à Chriſto, partim a Sanctis.

12 Reſp. Ad 1. Neg. min. imo hinc inſigniter commendatur Chriſti ſatisfactio, quæ tantæ virtutis fuiſſe oſtenditur , ut ipſis etiam hominum operibus vim tribuerit , qua non ſibi tantum , ſed & fratribus ſuis prodeſſe valerent . Utique ſufficit ſola Chriſti ſatisfactio : at dignum erat, ut, quo amicos ſuos honoraret , non minus ſatisfactiones ipſorum ad pœnæ noſtræ remiſſionem acceptaret, quam Stephani preces ad converſionem Pauli . Sane ad converſionem hanc ſufficiebat gratia ; & tamen in divinis conſiliis decuit ut ad eam concurreret mortalis homo. Neque id mirum ; cum in hac regenda & conſervanda rerum univerſitate Deus cauſis ſecundis utatur, non ex neceſſitate quidem aut indigentia, ſed ex libera, imo & ex omnipotenti ſua voluntate.

13 Nec obſunt quæſtiones in argumento propoſitæ ; tum quia operationis divinæ modum & viam rimari temeratium eſt ; tum quia quæ tantam adverſariis bilem movent , nihil præferunt abſurdi . Neque enim abſurdum eſt 1. quod operi divino annectatur humanum ; cum id quotidie fiat & in naturali hominum ac brutorum conſervatione ; & inſigniter factum ſit in generis humani per Incarnationem redemptione ; & pluribus conſecratum ſit Scripturæ exemplis, ut cum Exodi 14. 31. dicitur *Iſraelitas crediſſe Domino & Moyſi ſervo ejus* : cum IV. Reg. 19. v. 34. dicit Deus : *protegam urbem hanc , & ſalvabo eam propter me , & propter David ſervum meum*; cum Apoſtolus 1. Corinth. 3. ſe facit *adjutorem* Chriſti, &c.

14 2. Nec abſurdum eſt quod quis ex Chriſti & Sanctorum ſatisfactionibus unitis plus recipiat, quam ex ſolis Chriſti. Non quod tantumdem & amplius a Chriſto ſolo dari non potuerit; ſed quia quod per ſe daturus erat, in ſanctos ſuos referri voluit; præſertim cum quidquid in iis eſt boni , ab ipſo dimanet. Hinc.

3. Nec

Digitized by Google

3. Nec abſurdum eſt, quod partim a Chriſto, partim ab homine juventur homines, ſive id ſimul & ſemel fiat, ſive ſeorſim, quod a ſuprema ejus voluntate pendet. Id enim & ad Sanctorum gloriam eximie confert; & Chriſti meditationi non adverſatur. Abſit enim ut Sancti dicantur Redemptores etiam ex parte: cum is ſolus poſſit dici redemptor, qui propria virtute pro alio perfecte ſolvit, & ex perfecta juſtitia meruit, ut ſua ſolutio pro aliis acceptaretur. Ita idem Suarez, diſput. 51. ſect. 2. numer. 21. pag. mihi 660. vide infra numer. 42. 15

Objic. 2. Satisfactio unius nonniſi de voluntate ejus alteri applicari poteſt. Alioqui, ait Maldonatus, qui ſuperfluas ſatisfactiones non habet, pro aliis poſſet ſatisfacere; imo poſſet quis non cogitando, ſatiſfacere pro omnibus. Atqui Sancti non potuerunt velle ut bona opera quibus incumbuerunt, pro futuris deinceps aliorum peccatis applicarentur; tum quia non poteſt quis hodiernam ſuam orationem pro futuro alterius peccato applicare; quia nemo dominus eſt operis ſui niſi dum operatur; tum quia Sancti præ modeſtia ſua, vix ſe levioribus ſuis delictis expungendis pares exiſtimabant. 16

Reſp. 1. Neg. maj. & dico cum Lugo diſp. 27. num. 37. applicationem hanc non ab ipſis Sanctis fieri, ſed a Deo, qui ſatisfactionis eorum Dominus eſt; & ex ea moveri poteſt ad dimittendam aliis pœnam, quam promeruere; non modo ſicut movebatur Deus ex meritis David ad protegendam Jeroſolymam; ſed & moveretur Princeps ad compenſandam fratris injuriam intuitu pœnæ quam frater ejus innocens laudabiliter perpeſſus eſſet. Porro Deus nec aliis applicat ſatisfactionem, quæ mihi neceſſaria eſt; nec pro omnibus idoneam habet ſatisfactionem, quæ non ſufficit pro omnibus. 17

Reſp. 2. Neg. min. Sancti enim generalem habuere intentionem, ut Deus quo vellet modo de eorum ſatisfactionibus, ſeu per ſe, ſeu per Eccleſiæ miniſterium diſponeret. Ex eo autem quod alius alii orationem hodiernam pro futuro ejus peccato applicare nequeat; non ſequitur quod ea a Deo per Eccleſiam pro præteritis peccatis applicari non poſſit. Ita ferme Suarez, cit. ſect. 2. n. 17. quem male ſatis emendat Lugo ubi ſupra. 18

Nec obeſt Sanctorum modeſtia; cum ea non obſtante ſemper exoptent ut *fiat voluntas* Dei, *ſicut in cælo, & in terra.* 19

Obj. 3. Supponit aſſertio noſtra eſſe quædam Sanctorum opera ipſis ſuperflua: Atqui id falſum eſt. Non eſt enim ſuperfluum id quod mercedem ſuam habet. Atqui nullum eſt vel minimum opus Sanctorum quod mercede ſua careat, ſaltem accidentali. Sic Confeſſoribus datur ex Martyrio laureola ſua, ſicut & Virginibus, &c. 20

Confirmatur, 1. quia Sancti nihil fecerunt, niſi quod facere debuerunt, ſecundum id Luc. 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* 2. Quia *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. verſ. 18. 21

Reſp. Diſt. maj. ſupponit aſſertio quædam eſſe opera Sanctorum ipſis ſuperflua, ſeu ſuperabundantia in genere pœnæ & ſatisfactionis, C. in 22

genere bonitatis & meriti, Neg. Fatemur nullum eſſe Sanctorum opus in genere meriti, quod eis ad mercedem quamcumque ſuperfluum ſit. At contendimus eſſe non paucas Sanctorum ſatisfactiones, quæ eis ſuperfluentes ſint ad remiſſionem pœnæ propriis peccatis debitæ; quia fieri poteſt, ut vel nullam hujuſmodi pœnam promeruerint, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia; vel ſi quam, meruerint, certe multo minorem quam quæ per pœnalia eorum opera compenſari poſſit; ſecundum illud Job 6. *Utinam appenderentur peccata mea, & calamitas quam patior, in ſtatera, quaſi arena maris hæc gravior appareret*. Jam vero mirum fuerit, ſi exceſsus ille otioſus maneat, & nemini cedat in bonum; præſertim cum ejus applicatio Sanctis honorifica ſit, & iis præmii *accidentalis* loco eſse queat.

23 Nec obeſt quod Martyribus ſua tribuatur aureola; hæc enim vi legis a Deo conſtitutæ datur, non vero propter ipſas Martyrii pœnalitates. Unde licet Martyr tota hac pœna, imo longe majori indigeret ad ſatisfaciendum pro peccatis ſuis: quod ſupponi facile poteſt in Romanis militibus, qui a gentilitate ad fidem una die converſi ſunt, & morte damnati; haud tamen ſua ipſi deeſset aureola. Idem de virginibus, ſed cum proportione, dicendum.

24 Ad 1. Confirm. diſting. Sancti qui ſola præcepta implent, nihil faciunt niſi quod debent, Conc. Sancti qui ipſa conſilia exequuntur, ſubd. nihil faciunt niſi quod debent, id eſt quod Deus ab ipſis exigere non poſſit multiplici titulo, Conc. quod non debeant ſtricte, Neg. Eſt tota hæc Patrum ſolutio: ſic Sanctus Bernardus Tractat. de præcept. & diſput. non ita longe ante finem: Dicit Chriſtus: *Servi inutiles ſumus, &c. at ſi dicat: Si ſolis contenti eſtis præceptis* .·.·.·.·. *& non ſponte etiam perfectionis vos conſiliis mancipatis, liberi quidem eſtis a debito, non tamen pro merito glorioſi, evaſiſtis pœnam, ſed non acquiſiſtis coronam*; inſignem ſcilicet, quæ præcepta ſimul & conſilia exequentibus præparata eſt. Qui enim pœnam evadit, coronam aliquam neceſſario aſſequitur. Præterea aliud eſt, quod Sancti humiliter dicant ſe ſervos inutiles eſse; aliud quod omnino tales ſint; cum enim id dicunt, dicit Chriſtus: *Euge ſerve bone & fidelis*, ut obſervat S. Chryſoſtomus.

25 Ad 2. Confirm. fatemur hujus temporis paſſiones, per ſe & a gratia ſecluſas, nullam habere cum gloria proportionem, imo nec, quocumque ſpectentur ſenſu, eidem gloriæ pares eſse; quia breves & modicæ ſunt; gloria autem immenſa & perpetua. At cum eo ſtat gloriam rependi ut laboris noſtri mercedem. Ut autem eam vere merentur Sancti; ſic & eam aliis procurare ſuo modo poſsunt; ſive iis gratiam impetrando, quod fit per interceſſionem; ſive ab iis removendo ejuſdem gloriæ obices, quod fit per ſatisfactionem.

26 Objic. 3. Ex Concluſione noſtra ſequitur, 1. Theſaurum Eccleſiæ ante Chriſtum, proinde ante Eccleſiam incepiſse; 2. eum quotidie augeri, cum tamen in infinitum augeri non poſſit; 3. ad eum deferri ipſas juſtorum viventium ſatisfactiones. Atqui hæc totidem ſunt portenta.

27 Neg. min. 1. Nihil abſurdi quod ſatisfactiones Abelis, Jobi, &

alio-

aliorum id genus in memoria divina vixerint, ſuo tempore applicandæ. Quod quidem negat Suarez eadem ſect. 2. num. 20. factum in Sinagoga cui cœlorum claves datæ non erant. Unde theſaurus ille uſque ad Chriſtum clauſus fuit, nemini hactenus data illius aperiendi poteſtate.

2. Nihil abſurdum eſt quod infinitum intenſive augeatur extenſive per novas ſatisfactiones. 28

3. Nec abſurdum quod viventium qui in juſtitia morituri ſunt, ſatisfactiones in theſauris cœleſtibus recondantur. An autem eæ, dum adhuc in terris degunt, parentibus aut amicis eorum applicentur, ſolus novit, qui pro ſupremo nutu facit. 29

Obj. 4. In Sacramentis non applicantur nobis Satisfactiones Sanctorum. Ergo neque per Indulgentias. 30

Confirm. quia Pontifex Indulgentias largiendo, non abſolvit auctoritate Sanctorum. Ergo. 31

R. Ad 1. neg. conſeq. Voluit Chriſtus in Sacramentis, quæ fidei noſtræ fundamenta ſunt, & totam ab eo vim ſuam habent, ſolus operari; Voluit vero in Indulgentiis, ſicut & in precibus quas alii pro aliis fundunt, operationem ſuam utcumque partiri cum hominibus; ſic tamen ut totum ſit præcipue ipſius, quia ab eo totum deſcendit. 32

Ad 2. Nego rurſus conſeq. quia licet ex Sanctorum ſatisfactione fiat ſolutio, non ſit tamen per poteſtatem ab ipſis ſanctis acceptam, ſed per poteſtatem acceptam a Deo; qui ſolus & Sanctis dedit unde ſatisfacerent; & ſatisfactionem hanc e pœna præterita repetitam acceptare potuit pro pœna nunc debita. 33

Obj. 5. Non cohæret noſtra hæc doctrina cum doctrina Clementis VI. Is enim non dicit augeri Eccleſiæ theſaurum ex ſatisfactionibus, ſed *ex meritis* Sanctorum. 34

R. meriti nomen vel a Clemente VI. ſumi materialiter, quia ſatisfactio quævis habet etiam rationem meriti, licet ſub hac meriti ratione non reponatur in theſauro; vel ſumi latiori ſenſu, pro omni bono opere, quod a Deo acceptari poteſt in ſatisfactionem; & ſic ſæpe loquuntur Theologi. 35

Inſt. Si Clemens VI. non loquatur de meritis formaliter ut meritis, ſtare non poteſt id quod ipſe dicit, videlicet ad hujus theſauri cumulum pertinere *omnium Electorum merita, a primo juſto uſque ad ultimum*. Nam habuere quidem juſti omnes merita; ſed non omnes habuere ſatisfactiones ſuperfluas; ſeu quia eas aliis, vivis aut defunctis, applicaverint, ſeu quia iis pro ſemetipſis indigerent, ut de eis conſtat quibus aliquid ſuperfuit in Purgatorio abluendum. 36

Confirmatur 1. quia dicit idem Pontifex, *de* hujus theſauri *minutione non eſſe formidandum, pro eo quod quantum plus ex eo trahitur ad juſtitiam, tanto magis* augetur. Quæ ratio non valet, ſi de ſatisfactionibus intelligatur. Neque enim quicumque theſauri participes ſunt, eum propriis augent ſatisfactionibus, licet omnes propriis eum adaugeant meritis. Ergo neceſſum eſt ut de meritis proprie dictis intelligatur Clemens VI. 37

Reſpondent aliqui cum Suarez, ead. ſect. 2. num. 14. & ſeq. juſtorum omnium 38

omnium merita congrua manere in theſauro, quorumdam vero tantum ſatisfactiones, eorum videlicet qui ſibi ſuperfluas habuerunt.

39 Alii vero, quibus non placet hæc ſolutio; reſpondent cum Lugo, diſput. 27. numer. 44. verba Pontificis non eſſe intelligenda de omnibus Electis materialiter, ſed per accommodam diſtributionem, ita ut ſenſus ſit ſatisfactiones Electorum omnium, qui quaſdam habuere ſuperfluas, in theſauro reponi. Sunt enim Electi innumeri, qui nec congrua merita, nec ullas prorſus ſatisfactiones habuere, ut infantes poſt Baptiſmum mortui, & ex iis plures qui jam deſtituti ſenſibus, per Baptiſmum aut Pœnitentiam, quæ antea expetierant, reconciliati ſunt in extremis. Hoc ergo reſtricto ſenſu intelligendus eſt Clemens VI. cujus mentem clarius expreſſit Leo X. cum pœnæ nobis debitæ ſolutionem fieri dixit ex ſuperabundantibus Sanctorum ſatisfactionibus; & hanc fuiſſe Romanæ Eccleſiæ doctrinam.

40 Quæres 1. an in theſauro reponantur etiam ſuperfluæ juſtorum aliquando reprobandorum ſatisfactiones.

41 Reſpondet Lugo, ibid. nu. 47. eas quidem manere in theſauro, quandiu ii ſunt in gratia; at poſt mortem deleri; quia ſcilicet imitantur merita, quæ per peccatum mortificantur. Et vero quis credat, Deum nunc alicui condonare pœnam intuitu ſatisfactionis olim præſtitæ a Juda, dum eſſet in ſtatu gratiæ. Merito igitur Clemens VI. ubi de theſauro, ſolorum Electorum mentionem facit.

42 Quæres 2. an Indulgentiæ nunquam aliunde quam ex theſauro concedantur; & viciſſim an nunquam diſpenſetur theſaurus niſi per Indulgentias.

43 Reſp. ad 1. affirm. tum quia falſum eſt quod docuit Medina, Pontificem poſſe immediate, & citra theſauri opem, pœnam remittere, ſicut ex cauſa in voto diſpenſare poteſt: tum quia exigit rectus ordo, ut divinæ juſtitiæ, dum etiam gratis condonare dignatur, ſatisfiat per condignam ſatisfactionem. Hæc autem ſatisfactio, utpote non ſolum remittens pœnam, ſed vere redimens, e theſauro, qui ſatisfactiones continet, depromi debet. Unde hanc Indulgentiæ conceſſionem ſolent Pontifices appellare ſolutionem & diſpenſationem theſauri.

44 An autem ad omnem Indulgentiam concurrant Sanctorum ſatisfactiones, ſicut & Chriſti, non omnino conſtat. *Veriſimile eſt tamen ita fieri: quia cum Chriſtus voluerit Sanctos honorare, admittendo eos ad ſuum conſortium in hac pœnæ remiſſione operanda, magis videtur ad eorum honorem pertinere, ſi nunquam eorum conſortium in hoc effectu rejiciat.* Ita Lugo, numer. 55. ubi & conjectat theſauri hujus diſtributionem ſic a Deo diſpoſitam eſſe, *ut in fine mundi omnes ſatisfactiones Sanctorum ſuperfluæ, quæ in illo continentur, ſuum effectum adæquatum habuerint.*

45 Reſp. ad 2. cum eodem, num. 56. ſatisfactiones Chriſti in theſauro contentas diſpenſari etiam per Sacramenta; & quoties, etiam extra Sacramenta, remittitur ſeu culpa quæpiam, ſeu etiam pœna, abſque condigna ſatisfactione. At vero concluſæ in eodem theſauro Sanctorum ſatisfactiones nonniſi per Indulgentias ab Eccleſia diſpenſari poſſe videntur.

Digitized by Google

tur. Sacramenta enim totam ſuam efficaciam habent ex meritis & ſatisfactione Chriſti. Ergo nihil ad ea Sancti concurrunt. *Extra Sacramenta autem non apparet quando aut quomodo Eccleſia poſſit facere talem applicationem, niſi per Indulgentias.* Hæc idem, quem de ceteris interroga. Vide & Bellarminum, Lib. 1. cap. 3.

Jam expendendum eſt quomodo Sanctorum ſatisfactiones nobis proſint; id enim dupliciter fieri poſſe intelligitur. 1. Ita ut Sanctorum merita, non per modum ſolutionis, ſed tantum per modum impetrationis concurrant ad pœnæ nobis, vel mortuis debitæ relaxationem; quatenus ſcilicet merita Sanctorum ab Eccleſia offeruntur Deo, non ut quædam ſolutio pœnæ hujus, ſed ut motivum ex quo Deus propitietur peccatoribus, eoſque dignos efficiat, quibus Chriſti merita per Indulgentias applicentur. 2. Ita ut ipſa Sanctorum merita, ſeu magis ſatisfactiones, ad remiſſionem hanc immediate concurrant per modum veræ ſolutionis; quatenus nimirum ex ſuperfluis eorum ſatisfactionibus eruit Eccleſia pretium aliquod, per quod una cum infinitis Chriſti ſatisfactionibus pœnæ noſtræ vere ſolvantur. Is autem modus longe diſtat a priori: aliud eſt enim impetrare ut alicui debitum ſuum ab alio remittatur; aliud remiſſionem hanc ſoluto in ejus locum debito illo conſequi. Sit jam 46

Conclusio III. Satisfactiones Sanctorum ad Indulgentias concurrunt, non modo per viam impetrationis, ſed & per modum veræ ſolutionis.

Probat. 1. quia ſatisfactiones Sanctorum non concurrunt immediate ad Indulgentias per modum ſolutionis, ſeu veræ ſatisfactionis; maxime quia, ut adverſarii volunt, non poteſt quis pro alio ſatisfacere, ſolvendo pœnam ejus. Atqui falſum eſt non poſſe hominem in virtute Chriſti pro alio ſatisfacere, pœnam ejus ſolvendo. 1. Quia opinio id negans *valde nova eſt in Theologia, ideoque omnino vitanda in materia adeo gravi*, ut docet, cui hac in parte fides haberi poſſit, Suarezius, diſput. 48. ſect. 2. numer. 4. ubi contra citat Sanctum Thomam, in 4. diſtinct. 20. quæſt. 1. art. 2. Sanctum Bonaventuram, & alios complures. 2. Quia evidenter repugnat Catechiſmo Romano, qui ſub finem materiæ de pœnitentia, numer. 61. hæc loquitur: *In eo ſumma Dei bonitas & clementia maximis laudibus & gratiarum actionibus prædicanda eſt, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio poſſit ſatisfacere; ita ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Nec vero*, ſubdit, *de hoc cuiquam Fidelium dubitandi locus relictus eſt, qui in Apoſtolorum Symbolo Sanctorum communionem profitetur.* 3. Quia communis eſt Eccleſiæ ſenſus quod juſtus unus pro alio ſatisfacere poſſit. Atqui in proprietate ſermonis ſatisfacere, non eſt gratuitam pœnæ remiſſionem cuipiam obtinere, ſed ſolvere debitum ejus: alioqui Cœlites pro nobis ſatisfacere poſſent, quia etiamnum pro nobis orare poſſunt, & pœnæ remiſſionem nobis efficacius impetrare, quam poſſit viator viatori alteri. Ergo. 47

Probat. 2. Quia opinio contraria male admodum cohæret cum verbis Pontificum, qui de Indulgentiis ſermonem habuere; præſertim autem Leonis X. qui in Bulla a Cajetano relata, docet per Indulgen- 48

tias remitti pœnas temporales *ex ſuperabundantia meritorum Chriſti & Sanctorum*. Atqui, ut bene ponderat Suarez, diſp. 51. ſect. 2. num. 8. vocula *ex* non dicit cauſam intercedentem, ſed proprie indicat pretium ex quo fit ſolutio: idque eo certius eſt, 1. quod Pontifex ſola *ſuperabundantia* Sanctorum merita recenſet, non autem alia, quæ tamen non minus intercederent; 2. quod paulo poſt ſubdit, *theſaurum meritorum Chriſti & Sanctorum diſpenſari*, idque per modum *abſolutionis vel ſolutionis*. Atqui diſpenſare merita alicujus, non eſt propter ipſa quidpiam impetrare, & multo minus cum ea *per modum ſolutionis* diſpenſantur.

49 Probat. 3. Quia vel ſuperfluæ Sanctorum ſatisfactiones nobis per modum ſolutionis prodeſſe poſſunt, vel non. Si non; dicant adverſarii unde & quo pacto id repugnet. Si ſic; ergo non debet his denegari effectus ille, qui quanti apud Deum ſint Beati evidenter demonſtrat; qui impedit ne ſatisfactiones eorum effectu ſibi admodum congruo priventur; qui demum oſtendit in eis ad apicem impleri illud Chriſti apud Lucam 21. *Et capillus de capite veſtro non peribit*.

50 Probat. 4. Ex cenſura hujus Baii propoſitionis, numer. 60. *Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur, ut digni ſimus qui pretio ſanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur*. Atqui cenſura hæc opinionem noſtræ adverſam directe afficit. Neque enim negabat Bajus Sanctorum paſſiones nobis prodeſſe impetrando, ſed tantum negabat prodeſſe redimendo, ſeu condignum pretium ſolvendo. Hinc & alia iſta ejus propoſitio, numer. 59. pariter confixa. *Quando per eleemoſynas aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum Deo pretium offerimus, ſicut quidam errantes autumant: nam alioqui eſſemus ſaltem aliqua ex parte noſtri redemptores; ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur*. Quod & expreſſerat idem Theologus hac theſi, numer. 10. *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpe remanet, & corporis reſurrectio proprie nonniſi meritis Chriſti attribuenda eſt*. Ergo eodem modo, licet non eadem nativa vi, proſunt nobis humanæ ſatisfactiones, quo ſatisfactiones Chriſti; nec inde timendum quod ex parte ſimus redemptores noſtri. Atqui ſatisfactiones Chriſti nobis, non impetrando ſolum proſunt, ſed vere & proprie ſolvendo. Ergo.

51 Obj. 1. Opinio hæc Scripturæ & Patribus adverſatur; Scripturæ quidem, ubi Chriſtus lavit nos a peccatis noſtris, Apocalyp. 1. Et *ſemetipſum dedit redemptionem pro omnibus*, 1. Timoth. 2. Patribus autem, ſic enim Origenes, Homil. 84. in Num. *Talis hæc fuit hoſtia, ut una ſufficeret pro totius mundi ſalute. Ceteri enim precibus peccata, hic ſola poteſtate dimiſit*.

52 Auguſtinus, Tract. 24. in Joan. *In fraternorum peccatorum remiſſionem nullus ſanguis Martyrum funditur*.

53 Sanctus Leo, Epiſtol. 97. alias 83. *Quamvis multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi: acceperunt juſti, non dederunt coronas . . . . . Singulares

lares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo ſine perſolvit.

Demum qui preſſior eſt Sanctus Thomas, 3. p. q. 48. art. 5. ad 3. *Paſſiones Sanctorum proficiunt Eccleſiæ, non quidem per modum redemptionis, ſed per modum exempli & exhortationis.* 54

Unde ſic: Si Sancti ad Indulgentias per modum ſolutionis concurrerent, jam Chriſtus neque ſolus a peccatis laviſſet nos in ſanguine ſuo, neque ſolus fuiſſet propitiatio mundi. Atqui falſum conſequens, ex citatis textibus. Ergo.

R. neg. maj. qui enim primaria & eſſentialis eſt redemptionis noſtræ origo, ſeu cum eam per ſe facit, ſeu cum dat Sanctis ut ei ſuo modo cooperentur; ille ſolus proprie nos lavit a peccatis, & mundi propitiatio nuncupatur. Atqui Chriſtus ſolus, &c. 55

Inſt. Ad minus ex opinione noſtra ſequitur Sanctos nobis aliter prodeſſe quam per preces, per exempla, per modum exhortationis, eoſque idcirco debitum noſtrum aliquatenus perſolvere. Atqui id negant citati Patres. 56

Reſp. diſting. min. Negant Patres Sanctos nobis aliter prodeſſe quam per preces, quantum ad remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ, de qua ex profeſſo loquuntur, ut Chriſti redemptionem commendent, Conc. Quantum ad remiſſionem pœnæ alicujus temporalis, ſubdiſt. Negant nobis aliter prodeſſe quam per preces, quia ſatisfactiones Sanctorum nobis non applicantur, niſi per gemitus columbæ, & ſupplicem Eccleſiæ oblationem, Conc. Quaſi ea nullo ſenſu nobis applicari poſſint, Neg. Conſtat itaque 1. Sanctos nonniſi pro nobis intercedendo, noſtram a peccatis reſurrectionem obtinere poſſe; 2. eorum ſatisfactiones non habere ex propria virtute, quod pœnæ nobis debitæ reatum extinguant; unde & ad hunc finem a Deo acceptari debuerunt, & aliunde non acceptantur, niſi conſequenter ad demiſſam Eccleſiæ oblationem. At ſimul conſtat, poſita utraque hac, tum divinæ acceptationis, tum & factæ per Eccleſiam oblationis conditione, prodeſſe nobis eaſdem ſatisfactiones, etiam titulo ſolutionis; tum quia ex eo titulo primævis temporibus in gratiam lapſorum acceptatæ ſunt; tum quia id nullus objectorum Patrum negavit. Qui enim plus faceſſit negotii Angelicus Doctor, dicit quidem paſſiones Sanctorum valere nobis *per modum exempli & exhortationis*; ſed nec expendit eo loci an etiam valeant per modum ſatisfactionis; quia id non poſtulabat neceſſario textus Apoſtoli ex Coloſſ. 1. verſ. 24. quem explicat; neque eas ſic valere negat: quin & expreſſe ſtatuit ſic valere, tum artic. 2. ibidem ad 1. ubi hæc: *Dicendum quod caput & membra ſunt quaſi una perſona myſtica: & ideo ſatisfactio Chriſti ad omnes Fideles pertinet. In quantum etiam duo homines ſunt in charitate, unus pro alio ſatisfacere poteſt.* Et Supplem. quæſt. 13. artic. 2. O. *Quantum ad ſolutionem debiti, unus poteſt pro alio ſatisfacere, dummodo ſit in charitate.* Qui rurſus ibidem quæſt. 23. artic. 1. *Sicut aliquis conſequeretur remiſſionem pœnæ, ſi alius pro eo ſatisfeciſſet, ita, ſi ſibi ſatisfactio alterius per eum qui poteſt, diſtribuatur.* Ergo prodeſt Sanctorum ſatisfactio per Pontificem diſtributa, ſicut prodeſt ſatisfactio ab uno alteri applicata 57

in charitate. Atqui hæc indubie prodeſt per modum ſolutionis, licet hæc non ſine precibus fiat. Ergo.

58 Objic. Ex citata Clementis VI. Extravagante, *omnium Electorum merita* conferunt *ad cumulum theſauri*. Atqui non omnium Electorum merita ad eum conferunt per viam ſatisfactionis; cum ex eis plures in Purgatorio debita ſua ſolvere cogantur. Ergo neceſſe eſt ut ad eam conferant per viam impetrationis.

59 Reſp. Huic argumento a nobis eſſe ſatisfactum num. 34. & ſeq. unde dicendum vel merita congrua Sanctorum ad theſaurum etiam pertinere; vel vocem *omnium* ad eos debere reſtringi, qui ſuperfluas ſatisfactiones habent.

CAPUT QUINTUM.

De Indulgentiarum validitate, & uſu.

COmmune eſt apud Theologos effatum, *Indulgentias tantum valere, quantum ſonant, vel prædicantur*; modo clavis non erret, nec Fidelis deficiat. Nunc igitur videndum quid, vel in clavi requiratur, ne erret; vel in Fideli, ne deficiat: quæ duo duobus Articulis proſequemur.

ARTICULUS PRIMUS.

De requiſitis ad valorem Indulgentiæ.

UT ſolvatur prima quæſtio, quæ claves ſpectat, videndum an & quæ cauſæ ad Indulgentiarum conceſſionem requirantur.

1 Cauſa porro quadruplex ſtatuitur a Philoſophis, *efficiens*, a qua producitur effectus; *finalis*, ſeu *motiva*, quæ ad agendum determinat; *materialis*, quæ vel eſt *in qua*, ſeu ſubjectum; vel *ex qua* res quæpiam coaleſcit; ac demum *formalis*, per quam res in eſſe ſuo conſtituitur.

2 In præſenti non movetur quæſtio de cauſa efficienti principe; hanc enim unum eſſe Chriſtum miſericordiæ omnis & veniæ fontem confitentur omnes. Sed nec ſermo eſt de cauſa materiali; vel *ex qua*, quæ dubio procul in Eccleſiæ theſauro conſiſtit; vel *in qua*, ſeu de Indulgentiarum ſubjecto; quod Capite ſequenti expendemus. Demum nec agitur de cauſa formali, quæ ex Indulgentiæ definitione ſatis deducitur. Præcipua igitur difficultas eſt de cauſa finali, licet occaſione hujus de aliis etiam nonnulla diſputari poſſint. Sit

CONCLUSIO I. Ut Indulgentia licite concedatur, requiritur cauſa aliqua. Ita omnes.

3 Probat. Poteſtas Indulgentiarum in ædificationem data eſt Eccleſiæ Pontificibus, non in deſtructionem. Atqui Indulgentiæ ſine cauſa conceſſæ in deſtructionem & grave Eccleſiæ damnum vergerent, prout decla-

declaravit in Concilio Lateranenſi Innocentius III. capit. *Cum ex eo* 14. *de pœnitent.* &c. ubi ait, *quod per indiſcretas & ſuperfluas Indulgentias . . . & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur.*

Objic. Ut alicui detur temporale ſubſidium, cauſa ſufficiens eſt indigentia ejus. Ergo & ut diſpenſetur ſpiritualis Indulgentiæ eleemoſyna, ſufficit indigentia lucrantis Indulgentiam. Atqui hæc ſemper reperitur. Ergo. 4

Reſp. neg. ant. intellectum de eo cujus deſidiam, otium & facilitatem proruendi in vitia foveret intempeſtiva liberalitas. Atqui Indulgentia citra cauſam conceſſa occaſionem daret licentius peccandi, & *pœnitentialem ſatisfactionem* paulatim enervaret; præterquam pro mala hominum indole, quibus communia vileſcunt, facillime veniret in contemptum. Ergo Indulgentiæ ſine cauſa conceſsio *non eſſet opus miſericordiæ, ſed crudelitatis*. Ita Cardin. de Lugo, diſput. 27. numer. 138. Adde cum Sylvio hic, quæſt. 25. pag. 114. eleemoſynam fieri ex bonis propriis, quorum quiſque dominus eſt; Indulgentiam vero ex bonis communibus, quorum Prælati ſunt tantum diſpenſatores. Sed de hoc plenius Conc. ſeq. 5

Conclusio II. Ut valeat Indulgentia requiritur non ſolum auctoritas ex parte dantis, ſed & cauſa legitima, ſeu Indulgentiæ gradui proportionata.

Prob. 1. pars, quia ex vulgari Juris effato, non eſt major defectus quam, defectus poteſtatis. 6

Prob. 2. pars 1. ex communi Theologorum ſententia, contra veteres nonnullos, quorum meminit Paludanus. 7

2. Ex modo loquendi Pontificum, qui omnes juſtam ad Indulgentias cauſam requirunt. Sic Clemens IV. citat. Extravag. 2. *de pœnitent. Eccleſiæ theſaurum* Petri ſucceſſoribus commiſſum eſſe dicit, *Fidelibus ſalubriter diſpenſandum, ex propriis ac rationabilibus cauſis*. Sic, ut alios eodem ſenſu loquentes prætercam, Martinus V. vult in fide dubios interrogari, num credant Indulgentias juſtis de cauſis a Papa concedi poſſe. 8

3. Quia nec Papa, nec quivis alius, dominus eſt theſauri Eccleſiæ, ſed merus diſpenſator, ſecundum illud D. Pauli, I. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*; tum Petri, Epiſtolam I. cap. 4. *Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*. Atqui diſpenſator non poteſt ſine cauſa de rebus domini diſponere. 9

4. Ideo non poteſt Pontifex ſine cauſa valide diſpenſare in voto, quia vinculum ejus eſt de jure divino. Atqui pariter vinculum ſeu reatus pœnæ eſt de jure divino. Ergo. 10

5. Quia, ut ait Lugo, ibid. num. 139. ſi Papa ſupremus eſset Indulgentiarum arbiter, poſset diebus ſingulis omnes Purgatorii animas uno verbo liberare. Id autem quis vel cogitare auſit? 11

Quod autem cauſa hæc Indulgentiæ gradui proportionata eſse debeat, ſecus ac præeunte S. Thoma ſenſerunt plures apud Suarem, diſp. 54. ſect. 3. numer. 1. Prob. 1. ex locutione prædictorum Pontifi- 12

cum,

eum, qui poteſtatem Indulgentiarum exerceri volunt *ex juſtis & rationabilibus cauſis:* juſta enim cauſa ea eſt quæ cum boni diſtributione proportionem habet. 2. Quia fidelis diſpenſator non ſolum indiget cauſa, ſed & cauſa æquali, ſi non ſecundum quantitatem, certe ſecundum proportionem. 3. Quia tam diſſonum eſt rationi pro cauſa modica Indulgentiam magnam, quam modicam pro cauſa nulla largiri. Ergo ſi non valeat poſterioris hujus conceſſio, nec valebit conceſſio prioris. 4. Quia Bonifacius VIII. cum Indulgentiam pleniſſimam anno ſancto viſitantibus Baſilicas SS. Petri & Pauli concederet, ſubjunxit: *Unuſquiſque autem plus merebitur, qui Baſilicas ipſas devotius frequentabit*. Supponit igitur, ait Lugo, num. 141. certiorem eſſe Indulgentiæ effectum, quo major fuerit cauſa.

13 Objic. 1. Valet collatio Beneficii facta indigno; licet conferens non ſit dominus, ſed diſpenſator, & peccet contra jus divinum. Ergo pari jure valet Indulgentia ſine cauſis paribus conceſſa; licet in hoc, ut in Beneficii caſu, graviter peccet diſpenſator.

14 Reſp. *Quidquid ſit de antecedente*, neg. conſeq. Ex his enim quæ ſunt contra jus divinum, quædam per ſe irrita ſunt, quædam vero gravibus de cauſis tolerantur, donec irrita fiant. Sic donatio prodiga, & collatio iniqua Beneficii prohibentur divino jure; & tamen ſubſiſtunt, donec per leges aut Superiores irritentur. Et vero grave eſſet incommodum, quod quis pro vero haberetur Parocho, licet talis non eſſet: neque ex eo quod valeat collatio ipſi facta, ſequitur incommodum irreparabile, cum jure ſuo privari ſemper poſſit & debeat. Aliud eſt de Indulgentia, ſicut & de voti diſpenſatione; utraque enim divino jure irritatur; partim quia irritatio hæc nihil habet incommodi, partim quia exiſtimata utriuſque hujus diſpenſationis validitas, funeſtos haberet exitus. Quid enim gravius quam ut voto ligatus votum non impleat, aut ut dimiſſam ſibi peccati pœnam exiſtimet, cui pœna hæc dimiſſa non eſt. Ergo a Beneficio, etiamſi indigno valide collatum ſupponatur, ad Indulgentiam ſine cauſa factam nulla eſt illatio. De his adi Suarem, diſp. 54. num. 12. & ſeq.

Lugo, p. 628.

15 Objic. 2. Indulgentiæ duobus nituntur; 1. meritis Chriſti & Sanctorum; 2. poteſtate abſolute a Chriſto conceſſa *quodcumque ſolvendi*. Porro quæ nituntur ſolis Chriſti meritis nullam cauſam requirunt; ſed id ſolum ut a legitimo Superiore diſpenſentur. Unde Pontifices Indulgentiam abſolute concedunt iis qui præſcripta opera præſtant, nec de cauſa loquuntur. Annon vero deciperent Fideles, abſolute permittendo id quod ſolum conditionate largiri valent?

16 Reſp. diſt. maj. Nituntur meritis Chriſti, ſed fideliter diſpenſandis, C. Diſpenſandis temere & pro arbitrio, N. Abſolutio a peccatis, & votorum diſpenſatio, nituntur etiam meritis Chriſti, & poteſtate *ſolvendi* per eum conceſſa. Atqui tamen neutra valet, ſi abſque cauſa legitima detur. Ergo nec pari jure valet Indulgentia citra cauſam conceſſa. Utique in Evangelio reprobatur Villicus diſſipans bona domini ſui; neque diſſipationem theſauri ſanguine ſuo acquiſiti ratam habet Chriſtus. Ergo *hic*, ut alibicumque, *jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*.

Quod

Quod additur, Pontifices de cauſa nihil loqui, 1. falſum eſt, cum finem a ſe intentum in Diplomatibus ſuis exprimere ſoleant; & is aliunde ex circumſtantiis facillime intelligi poſsit. 2. Nec, ſi quandoque verum ſit, quidquam probat; quia, ut bene Sylvius, in verbis ſine reſtrictione prolatis, conditio quæ ex rei natura ineſt, per ſe ſatis intelligitur. *Talis autem eſt aliqua neceſſitas, vel cauſa proportionata, ad hoc ut œconomus fideliter diſpenſet theſauros ſibi concreditos*. Unde neminem decipiunt Pontifices, qui cum generatim docuerint ſe *ex piis & juſtis cauſis* Indulgentias largiri poſſe, id in ſpeciali quocumque caſu præſtare cenſendi ſunt. 17

Objic. 3. Si vera ſit aſſertio noſtra, Fideles ſemper anxii erunt de valore; atque adeo de lucro Indulgentiæ. Id autem abſurdum eſt. 18

Reſp. neg. maj. Namque 1. non erunt anxii Fideles, quoties cauſa effectui manifeſte proportionata erit, quod ſæpe contingit. 2. Nec anxii eſſe debent, cum cauſa, licet de ſe impar, a Pontificibus tamen prudenter æſtimatur ſufficiens & vere proportionata. Cenſent enim multi pie & probabiliter cum Suare, diſp. 54. ſect. 3. num. 11. & Lugo, ibid. num. 145. valere eo in caſu Indulgentiam, quia id unum a diſpenſatore requiritur, ut ſecundum prudentiæ regulas agat; nec infidelis diſſipator dici poteſt, qui ſic operatur. 3. Nec anxii erunt, ſi cauſa evidenter improportionata ſit: (quod difficile ſupponi, & difficilius præſumi poteſt) quia tunc perſpicua erit Indulgentiæ nullitas; non quidem ex omni parte, ſed quantum ad exceſſum. Docent enim communiter Theologi, Indulgentiam, quæ errante clave, ſeu deficiente cauſa omnimodis pari, non valet ad totum, valere ad partem. 1. Quia Pontifex id ſaltem quod poteſt, remittere intendit: ergo ſi non poteſt remiſsionem totam ponere, ponet partem illius; ſicut abſolvens pœnitentem, qui venialia quatuor confeſſus, de uno non dolet, abſolvit a tribus, quia id vult & poteſt. 2. Quia in diviſibilibus *utile per inutile non vitiatur*, ut conſtat ex cap. 3. *de pœnit. & remiſſ.* Præcipua ergo Fidelium anxietas ex eo repetenda eſt, quod raro opera ſibi a Pontificibus præſcripta eo animi & cordis fervore adimpleant, quo ad obtinendum finem & effectum Indulgentiæ, eadem impleri neceſſe eſt. De quo infra. 19

Objic. 4. Nonniſi temere dici poteſt, Pontifices irritas Indulgentias ſæpiſsime largiri. Atqui id poſita opinione noſtra certum & apertum erit. Namque 1. ſæpius concedit Papa Indulgentiam inæqualem, propter eamdem cauſam. Ergo ſine proportione. 2. Pleniſsima anni ſancti Indulgentia conceditur Romano civi, Urbis Baſilicas inviſenti, quod opus leviſsimum eſt. 3. Pontifex non raro grandes pro vivis atque defunctis Indulgentias tribuit recitanti paucas orationes; quæ certe cauſa nihil habet cum tanta gratia proportionis. Idem a fortiori dicendum de Indulgentia iis conceſſa qui præ foribus Eccleſiæ S. Petri adſunt, dum Papa ſolemniter benedicit populo in die Paſchatis. 20

Reſp. ad 1. neg. min. quæ triplici quod objectum eſt argumento peſsime probatur. Unde

Ad 1. Ex eo quod major quandoque, quandoque minor eamdem ob cauſam concedatur Indulgentia, non ſequitur cauſam majori Indul- 21

dulgentiæ imparem eſſe; ſed tantum Pontificem non id omne largiri quod poſſet; *in quo non errat, ſed minus eſt liberalis*, ut obſervat Suarez, diſp. 54. ſect. 2. numer. 17. Adde cum eodem & Sylvio, pagina 114. 1. proportionem ad Indulgentiæ effectum requiſitam non conſiſtere in indiviſibili, ſed varios habere gradus, & moraliter æſtimandam eſſe, ut ferme pretia rerum. 2. Fieri poſſe, ut eadem cauſa uno tempore ſit magis ob circumſtantiarum mutationem proportionata ad effectum, quam tempore alio. Utique eadem oratio, idem jejunium, eadem eleemoſyna, plus cum Indulgentia majori proportionis habet, quando major eſt Eccleſiæ neceſſitas.

22 Ad 2. Reſp. cum Lugo, numer. 142. proportionem cauſæ in ordine ad Indulgentiam, non debere deſumi ab his vel illis perſonis in particulari, nec ab opere uniuſcujuſque per ſe conſiderato: (ſic enim incerta forent omnia, cum idem jejunium aliis aſperum ſit, aliis facile) ſed e bono communi, & intento per Indulgentiam fine, qui ex eo bonorum operum aggere obtinetur, quique non minus ad honorem Dei, Eccleſiæ bonum, ac pietatis augmentum in Fidelibus conducit, quam integra ſatisfactio a pœnitente adimpleta. Porro maxime cedit in honorem Dei, Eccleſiæ utilitatem, profeſſionem fidei, & Fidelium unionem, quod orbis totus pari charitatis æſtu ſuccenſus confluat ad eumdem locum, ubi eſt Vicarius Chriſti, & omni auro pretioſiores innumerorum Martyrum, Petri præſertim & Pauli Reliquiæ conquieſcunt. Ergo potuit opus iſtud, etſi aliquibus leve, quia tamen grave ratione finis, plenaria Indulgentia compenſari. Hac de cauſa per Bullam Cruciatæ, non Indulgentiæ ſolum maximæ, ſed & privilegia non pauca iis erogantur, qui, ad fovendum contra Infideles bellum, Juliorum duorum ſtipem largiuntur; etſi enim eleemoſyna hæc opus eſt exiguum reſpectu divitis, bonum tamen quod ex illa eleemoſynarum congerie profluit, maximi eſt momenti. Unde Maldonatus: *Fieri poteſt*, inquit, *ut melius agat pœnitentiam, qui jejunaturus erat per integrum annum, dato uno aureo nummo ad redimendos captivos, aut defendendam Eccleſiam ab hoſtibus, quod Indulgentiis præſcribitur; quam ſi jejunaſſet totum annum. Non quod non ſit facilius unum aureum nummum dare, quam jejunare totum annum, ſed quod propter præſentem neceſſitatem & alias circumſtantias, pluris eſt* ad Dei gloriam, proximi ſalutem, Eccleſiæ præſidium, *dare unum aureum, quam jejunare*. Pari jure valere poteſt Indulgentia dierum 40. iis conceſſa, qui Horas canonicas concludunt per orationem *Sacroſanctæ & individuæ Trinitati*, &c. quia magnum eſt quod conjunctis animis Clerici Sacroſanctam Trinitatem, Virginem Deiparam, Sanctos omnes, ſuo quemque ordine & gradu concelebrent. Sed heu! quam pauci, niſi decipior, quod enixe velim, Indulgentias illas, quarum de nimia facilitate conquerentur, etiam ex parte (quod in omni opinione fieri poteſt) lucrantur de facto. Utinam ſemel in menſe.

23 Ad 3. dico 1. hujuſmodi Indulgentias non concedi ſolum propter breviuſculam hanc precum recitationem; ſed ob plures circumſtantias quæ tranſeunt in partem cauſæ; puta propter Religioſam Profeſſio-

feſſionem quam ex perſonæ amplexæ ſunt ; propter augendum cultum alicujus Sancti , cujus veneratio multum Fidelibus profutura ſit ; propter egregia merita Principis alicujus , *ad cujus inſtantiam & preces ſit conceſſio* . Quæ autem Indulgentiæ extrinſecis id genus motivis non juvantur , aliis juvantur ; & talis eſt quæ ipſo Paſchatis die præ foribus Divi Petri tribuitur a Summo Pontifice . Etſi enim eo concurrere facile eſt pluribus ; at magnum eſt quod coadunata plebs Paſtori , in homine mortali Chriſti Vicarium palam veneretur , & proteſtetur facto , ſe nunquam a fide & communione ipſius eſſe divellendam . *Lugo , n. 143.*

Dico 2. nemini Theologo venire in mentem ut quamcumque Indulgentiam vindicet in ſpecie ; an enim ſemper interveniat cauſa reapſe proportionata , *res eſt facti : quare ſicut non eſt certum abſolvi eum valide , quem Papa abſolveret ; aut ſemper validam eſſe diſpenſationem voti quam concederet ; ſic non oportet quod ſit certus valor Indulgentiæ conceſſæ* . Hæc tria certa ſunt & ſufficiunt ; 1. in dubio præſumendum pro valore Indulgentiæ ; multa enim norunt Superiores , quæ latent ceteros , quæque efficiunt ut coram Deo æquum ſit quod philoſophantibus non ita æquum videtur ; 2. nullam eſſe Indulgentiam ex qua non poſſit quid lucri percipi , quia nulla eſt quæ pro gradu operis & motivi non valeat ad certum aliquem gradum ; 3. dolendum quod in amplis urbibus, quæ plenarias Indulgentias non raro exhibent, tam pauci , & ii vix unquam qui hac gratia magis indigent, eam ſibi procurare enitantur. 24 *Idem ib.*

Saltem, inquies , arguendum quod Indulgentiæ nonnullæ abſque ullius operis impoſitione concedantur ; puta iis qui certa numiſmata ſecum deferunt, aut jacentibus in articulo mortis , qui jam plerumque omni ſenſu deſtituti ſunt.

R. ad 1. errare & turpiter errare eos , qui ad Indulgentiæ lucrum ſatis eſſe putant, ut cruces , numiſmata , & ſimilia materialiter deferantur. Hæc ergo non proſunt, niſi ſub certis precibus , quæ licet ratione ſui modicæ, non tam ut facilius, quam ut ferventiori animo recitentur, multum conducunt ad augendam devotionem, ſeu erga Chriſtum a Cruce pendentem, ſeu erga Virginem Deiparam. 25

Reſp. ad 2. Indulgenrias pro articulo mortis certas etiam conditiones requirere , de quibus infra ſuo loco . Ceterum Indulgentia , ſi quæ ſine opere actuali conceditur , conceditur in gratiam operis antea præſtiti. 26

Objic. 5. Sanctus Thomas, Supplem. quæſt. 25. artic. 2. expreſſe refellit eos qui contendunt , quantitatem remiſſionis menſurandam eſſe *ſecundum cauſam pro qua Indulgentia datur* . Idem in Reſp. ad 1. hæc loquitur : *In arbitrio dantis Indulgentiam eſt , taxare quantum per Indulgentiam de pœna remittatur . Si tamen inordinate remittat , ita quod homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur , peccat faciens tales Indulgentias : nihilominus quis plenam Indulgentiam conſequitur* . Et ad 5. *Cauſa* , inquit , *non requiritur ad hoc quod ſecundum eam menſurari debeat remiſſio pœnæ , &c.* Jam vero grave eſt ab Angelico diſſentire . 27

Reſpon-

Digitized by Google

28 Reſpondet Sylvius hic, pagina 114. non uſque adeo clarum eſſe quid ſenſerit D. Thomas; ſiquidem quæſt. 71. art. 10. hæc profert: *Ut Indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conveniens*. Et Suppl. quæſt. 26. artic. 3. *Poteſtas*, inquit, *faciendi Indulgentias plene reſidet in Papa, quia poteſt facere quod vult; cauſa tamen exiſtente legitima;* quæ poſtremæ voces bene ponderandæ ſunt.

29 Quod ergo in objectis textibus dicit S. Doctor, ſic intelligi poteſt, ut nolit quidem ad Indulgentias requiri cauſam effectui commenſuratam ſecundum abſolutam æqualitatem; (tunc enim non daretur a Pontifice Indulgentia, ſed adæquata ex parte hominis ſatisfactio, aut ſaltem unius operis in aliud æquale commutatio) ſed tamen requiri cauſam vere juſtam, aut quæ a Superiore prudenter talis reputetur. Sed de hac facti quæſtione adeatur Sylvius. Ut ſolvantur nonnullæ difficultates.

30 Quæres 1. An Indulgentia quæ defectu cauſæ non ſufficit ad pœnæ remiſſionem, valeat in ceteris, puta quoad abſolutionem a cenſuris, & caſibus reſervatis, commutationem voti, &c. Ratio dubitandi eſt, quia favores illi conceduntur in ordine ad Indulgentiam. Ergo ſi hæc nulla eſt, & ipſi debent nulli eſſe; quia ubi corruit principale, corruere debet & acceſſorium.

Dicendum nihilominus cum Suare, diſput. 53. ſect. 2. numer. 17. hujuſmodi facultates validas eſſe, licet Indulgentia ipſa non valeat. Ratio eſt, quia quod poſſit quis hunc aut illum vel abſolvere a cenſuris, vel, exiſtente legitima cauſa, diſpenſare a voto, res eſt quæ a voluntate Pontificis omnino dependet. Et licet hæc concedat in ordine ad Indulgentiam, non tamen vult ut Indulgentiæ valor ſit conditio ad eorum valorem omnino neceſſaria; ſed in utroque vult operari quantum poteſt. Hæc ille, quibus addideris, futurum alioqui ut Fideles circa factam ſibi votorum commutationem ſæpius anxii forent; quia licet de valore Indulgentiæ præſumere debeant, ſciunt tamen ne ipſum quidem Papam de eo plene certum eſſe. Quanquam vix fieri poteſt, ut Indulgentia quæ non valet ut plenaria, nequidem valeat ut aliquatenus partialis.

31 Quæres 2. an ad Indulgentiam requiratur cauſa publica, vel privata ſufficiat.

Reſp. cum Lugo, cit. diſp. 27. num. 145. ad Indulgentiam particularem ſufficere cauſam privatam; ad generalem vero requiri cauſam generalem, niſi forte bonum privatum tanti foret momenti, ut publico bono æquivalere prudenter judicaretur.

32 Quæres 3. quæ præcipuæ ſint Indulgentias largiendi cauſæ.

Reſp. cum Sylvio, Suppl. quæſt. 25. art. 2. concl. 3. has inter cauſas cenſeri præcipue Baſilicarum extructionem & conſecrationem, converſionem Infidelium, hæreſeon extirpationem, devotionem Chriſtianæ plebis, tum erga Sanctos, tum erga Sedem Apoſtolicam, gloriam Martyrum, eorumque vitæ & paſſionis commendationem, morbum corporibus, aut periculum animabus impendens; quæ poſteriores cauſæ, licet ut plurimum privatæ ſint, id tamen habent, quod multum commendent manſuetudinem Eccleſiæ, quæ membris ſuis

tene-

tenere compatitur, ne *abundantiori triſtitia abſorbeantur*, II. Corinth. 2.

Quæres 4. an Indulgentiæ cauſa, non ſolum ex conferentis, ſed & ex ſuſcipientis parte, eidem debeat eſſe proportionata. 33

Reſp. affirm. cum eodem ibidem Concl. 5. alioqui enim e duobus, quorum alter pie & chriſtiane vixit, alter immania quæque ſcelera perpetravit, uterque per eadem plane opera, neque ferventius ab iſto quam ab illo facta, plenam conſequentur remiſſionem: Id autem nemo facile vel difficile concipiat. Hinc Bonifacius VIII. in Extravag. *Antiquorum*. *Unuſquiſque*, inquit, *plus merebitur*, & *Indulgentiam efficacius conſequetur*, *qui Baſilicas amplius & devotius frequentabit*. Concinit Bonaventura in 4. diſt. 20. q. ult. ibid. *Ille qui dat Indulgentias, conſiderat cauſam pro qua reputat eum dignum tanta gratia: & ſecundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam cauſam, plus vel minus participant de Indulgentia*. Et Adrianus: *Concedo*, inquit, *quod eorum qui idem opus faciunt, unus plus conſequitur de Indulgentiis, quam alter*; quod & probat his B. Thomæ verbis, quæſt. 25. art. 2. ad 3. *Quando indeterminate datur Indulgentia contribuentibus ad fabricam Eccleſiæ, intelligitur tale auxilium quod ſit conveniens ei qui auxilium dat, & ſecundum quod accedit ad hoc, ſecundum hoc plus vel minus de Indulgentia conſequitur*.

Quæres 5. quomodo ceſset valor Indulgentiæ.

Reſp. ceſſare pluribus modis; & quidem 1. cum jam obtenta eſt, ſi pro una tantum vice conceſsa ſit. Porro pro una vice conceſsa cenſetur, quæ tali diei affixa eſt, uti contra Angelum & Roſellam docent Suarez, diſput. 57. ſect. 1. numer. 7. Bonacina, diſput. 6. quæſt. 1. punct. 5. numer. 32. Lugo, ibidem numer. 96. Quæ vero per totam octavam, propter populi concurſum & commoditatem perduraret, ſingulis ſemel diebus percipi probabiliter poſset, ut ſentit idem Lugo. Quod ſi Indulgentia iis qui talem Eccleſiam inviſerint, perpetua ſit, poterit quis eam lucrari *toties quoties* eamdem Eccleſiam viſitaverit; dum tamen actio hæc humano modo repetatur. Si quis enim ingrediendo & egrediendo, ſexcenties Eccleſiam hanc inviſeret, non utique ſexcenties lucraretur Indulgentiam; quia non eſset hæc alia moraliter viſitatio, ſed eadem moraliter continuata. Ita iidem. 34

Verum hæc nunc de Indulgentia ſolum partiali intelligi poſsunt; quandoquidem, teſte Dom. Viva, pag. mihi 612. declaravit Innocentius XI. Indulgentiam plenariam non poſse pluries eadem die comparari. *Quare ſolum*, ait idem Viva, *Indulgentia non plenaria poteſt ſæpius eodem die obtineri; & probabiliter etiam plenaria, ſi ea pro variis defunctis applicetur, quando conceditur a Pontifice, quod poſſit iis applicari; tum quia ſic nullus pluries eodem die Indulgentiam lucrabitur; tum etiam quia ſi in conceſſione Indulgentiarum non intelliguntur eæ conceſſæ pro defunctis per modum ſuffragii applicabiles, niſi id exprimatur; ut declararunt Sixtus IV. & Leo X.*; *a fortiori dicendum quod in revocatione Indulgentiarum, non intelliguntur revocatæ pro defunctis, niſi fiat ſpecialis mentio; cum revocatio ſit odioſa, atque adeo reſtringenda*. 35

An

36 An poſſit quis Jubilæi ejuſdem Indulgentiam pluries lucrari, quæſtio eſt ſuo loco expendenda.

37 Sed num tranſlato in alium diem Feſto, cui annexa eſt Indulgentia, transfertur & ipſa Indulgentia.

38 Reſpondent Sylvius in *reſolutionibus* v. *Indulgentia*, 2. Azor. Tom. 2. Lib. 1. cap. 28. quæſt. 8. & alii quos ſequitur Pontas eodem verbo, caſ. *6*. vel Indulgentia huic Feſto cum præfixa eidem die annexa eſt, puta Feſto Beati Vincentii, quod in diem Julii 19. cadit; vel ſimpliciter Feſto citra diei mentionem alligata eſt. Si primum, translato Feſto, ſeu ob Feſti majoris concurſum, ſeu in gratiam populi, non transfertur Indulgentia, niſi id ſpecialiter in Pontificio Diplomate expreſſum ſit; ſed manet diei affixa. Si ſecundum transfertur; quia pro Feſto independenter a die conceſſa eſt. Favet vulgata hæc regula: *Beneficium* Principis, quantum verba ferunt, *pleniſſime interpretandum eſt*.

39 E contra cenſent alii Indulgentiam non transferri, ſi Feſtum tranſferatur, (ſeu in Choro tantum, ſeu in Choro ſimul & foro) niſi forte feſtum ſit ex natura ſua vel uſu mobile. Probant 1. Ex hac S. Congregationis deciſione, quam referunt La Croix Lib.*6*. part. 2. numer. 2055. Amort. in qq. quæſt. 15. &c. *Translato Feſto, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, niſi ex conceſſione ſpeciali*. 2. Quia ſæpius conceſſit Papa vel Sac. Congregatio, ut cum Feſto transferretur Indulgentia, puta RR. PP. Minimis pro Feſto Sancti Franciſci de Paula, Jeſuitis pro Feſto Annuntiationis, &c. His porro conceſſionibus nihil opus fuiſſet, ſi Indulgentia cum Feſto etiam ſolemni (addo contra Amort, etiam maxime mobili) ex conditione rei transferretur. Huic opinioni adhærendum in praxi. Unde qui feſtum ſuum in aliam diem legitimis de cauſis transferre cogitant, & id cogitare debent, ut Indulgentiæ translationem obtineant.

40 2. Ceſſat Indulgentia per revocationem concedentis ſucceſſoris, aut Superioris; & hoc, etiamſi quis jam incœpiſſet facere opera ad Indulgentiæ hujus lucrum neceſſaria. Peccaret tamen qui ſine cauſa Indulgentiam alioqui utilem revocaret; & multo gravius, ſi jam graves ad ejus conſecutionem ſumptus facti eſſent; ut ſi quis belli ſacri Indulgentiam conſecuturus jam pene omnia ad id neceſſaria præparaſſet.

41 Docent porro Sylveſter h. v. n. 17. Navarrus de Jubilæo Notat. 31. n. 28. & alii, Indulgentiam ſubſiſtere, donec revocatio ejus moraliter perveniri potuerit ad locum, cui eadem conceſſa erat.

An autem valeret revocatio per actum mere interiorem facta, diſputant Theologi. Affirmat Suarez, diſput. 57. ſect. 2. numer. 10. quia cum Indulgentiæ efficacia pendeat ex concedentis voluntate, non poteſt illa vel dari ab initio, vel in decurſu ſubſiſtere, cum deeſt voluntas ejuſdem dandæ vel continuandæ. Aliter ſentit Lugo ibidem numer. 148. quia cum claves tam ad claudendum, quam ad aperiendum, pertineant ad juriſdictionem viſibilem, non poſſunt operari valide, niſi hæc per actus viſibiles atque externos exerceatur. Hæc diſquiſitio practice inutilis eſt, quia nulla unquam Indulgentia vel dabitur,

vel

Digitized by Google

vel ſemel data revocabitur, niſi per actum exteriorem. Unum igitur addere ſufficiat, videlicet Indulgentiam generaliter conceſſam, ſi pro tali determinate loco revocetur, non ideo pro locis aliis revocari, ut docet ibidem Navar. Notab. 26. numer. 8. quia ſtare poteſt Indulgentia Lugduni, licet deſinat Pariſiis. Qua etiam de cauſa ſi communem Eccleſiæ alicujus Indulgentiam revocari contingat, non revocantur Indulgentiæ, vel uni Capellæ, vel pio cuipiam ejuſdem Eccleſiæ Sodalitio conceſſæ; ſecundum hanc Juris Regulam in *6. Odia reſtringi, favores convenit ampliari.*

3. Indulgentia ceſſat aliquando per mortem concedentis, aliquando & ſæpius non ceſſat. Ceſſat quidem ſi conceſſa ſit ad beneplacitum dantis; quia ex capit. *Si gratioſe*, 5. *De Reſcriptis*, in *6. Beneplacitum* omne *per obitum* Roman. Pontificis *omnino extinguitur*. Non ceſſat vero, *ſi uſque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur. Tunc enim (quia Sedes ipſa non moritur) durabit perpetuo, niſi a ſucceſſore fuerit revocata*. Hinc generaliter poſt mortem concedentis permanent privilegia, gratiæ & facultates ab eo conceſſæ; quia hæc vel illimitate conceduntur, vel ad beneplacitum Sedis, non perſonæ. 42

4. Ceſſat Indulgentia, vel ex parte ſubjecti cui conceditur, vel per mortem ipſius, vel per ejus ab Eccleſia præciſionem: excommunicati enim nullam in communibus Eccleſiæ bonis partem ſibi poſſunt vindicare; quod probabilius in ipſis etiam contritis locum habet, ut dictum eſt in Tract. de cenſuris, part. 2. cap. 1. art. 3. ſect. 1. 43

5. Ceſsat, uti jam ſupra dictum eſt, ex parte rei cui annexa erat, per moralem ejus deſtructionem. Solet tamen concedi, ut ſi amittatur vel frangatur imago, granumve talem habens Indulgentiam, poſſit prima vice granum aliud, vel alia imago in locum prioris cum eadem Indulgentia ſubſtitui. Sed cuinam annexa erit Indulgentia, ſi prior imago quæ poſt idoneam diligentiam inveniri non potuit, tandem reperiatur? *Et quidem ego credo non amplius priorem, ſed poſteriorem habere Indulgentiam; quia verificata fuit conditio, ut poſſet rite eligi ſecunda, nempe quod prima fuiſſet amiſſa. Tutius tamen erit utramque retinere*. Ita Lugo, numer. 150. qui ſubdit electionem hanc, utpote quæ non ſit actus juriſdictionis, ſed conditio mera ad valorem Indulgentiæ, fieri poſse per ſolum mentis actum, ſine actu exteriore. 44

6. Ceſsat Indulgentia, cum ceſsat cauſa propter quam ea indefinite conceſsa erat; ſi cauſa ad perpetuam Indulgentiam ſufficiens non erat; ut cum conceditur ad obtinendum ſibi fœlix Eccleſiæ regimen, Jubilæum a novo Pontifice, qui paulo poſt moritur, ut contigit Pio III. qui diebus 26 Marcello II. qui diebus 22. Urbano II. qui diebus 12. Leoni XI. qui diebus 25. ſederunt. Si vero ad eam ſufficiebat, non ceſsat, etiamſi cauſa jam deſierit. Unde ſi indictum fuerit ad hebdomadas duas Jubilæum pro obtinenda pace, & pax hebdomada prima ſanciatur, perſeverabit tamen Indulgentia; quin & ab eis percipi poterit, qui nullam, niſi ſtabilita jam pace, Jubilæi hujus notitiam habuere. Ratio eſt, quia conceſſio hæc *a principio valida* 45

fuit propter neceſſitatem tunc urgentem, quæ proportionem habebat cum tota illa. Unde cauſa cur perſeveret Indulgentia hujuſmodi, *non eſt perſeverantia illius neceſſitatis, ſed neceſſitas præterita, quæ ſufficiebat ad concedendum pro tempore ſequenti* quidquid conceſſum eſt. Ita idem Cardinalis, num. 152. cujus opinio confirmari poteſt, tum quia gratiæ ab initio legitime conceſſæ ſemper durant, ut patet in diſpenſatione voti abſoluta; tum quia Deus ex futurorum operum intuitu moveri potuit ad dandum ſine mora id quod fortaſſe diu diſtuliſſet.

46 7. Ceſſat quandoque ad tempus Indulgentia propter concurſum alterius celebrioris; uti contingit tempore Jubilæi. Sed de his ſuo loco.

47 Quæres an ceſſet Indulgentia per renuntiationem internam illius cui conceſſa eſt?

Reſp. eam nequidem ceſſare per renuntiationem externam, niſi hæc a concedente acceptata fuerit; quia cum totus rei hujuſce valor proveniat ab applicatione theſauri facta per habentem claves, non poteſt is per voluntatem alterius impediri. *Poterit hic quidem eam non lucrari; non poteſt tamen facere quod non maneat poteſtas eam lucrandi*: Idem ubi ſtatim. Melius aut ſaltem clarius dixeris, Pontificem ſemper intendere & peroptare ut gratia ſemel conceſſa iis etiam proſit, qui ab initio eandem dedignati ſunt, ſi meliores & ſaluti viciniores ſenſus poſtmodum induerint.

ARTICULUS SECUNDUS.

De conditionibus ad Indulgentiæ conſecutionem neceſſariis.

QUæſtio eſt an ſicut ad Indulgentiæ valorem juſta requiritur cauſa ex parte Indulgentiam largientis; ſic ad lucrum ejus juſta requiratur cooperatio ex parte ſubjecti; imo annon præter hanc aliæ quædam requirantur conditiones.

48 Et quidem 1. fatentur omnes ad Indulgentiæ effectum prærequiri, ut quis charactere baptiſmali inſignitus ſit; neque enim a Paſtore diſpenſari poteſt theſaurus, niſi iis qui pertinent ad ovile, cujus ipſe eſt paſtor. Sicut tamen Indulgentia defunctis indirecte conceditur, ſic & indirecte per modum ſuffragii Catechumenis prodeſſe poteſt. Ad id enim ſufficit ut ex facultate Pontificis poſſint hominis juſti opera ad eum dignitatis gradum elevari, ut alii cuicumque juſto valeant ad remiſſionem pœnæ. Id autem etſi quoad baptiſatos fieri non ſolet; ne eorum, qui ſibimetipſis opitulari poſſunt; inertia foveatur, non tamen abſolute repugnat fieri. Ergo ſicut poteſt juſtus in gratiam Catechumeni jejunare, eique ſatisfactiones ſuas applicare; ſic & ei Indulgentiæ fructum applicare poſſe videtur; prout docet Lugo, numer. 77.

49 2. Conſtat etiam Indulgentiam iis tantum prodeſſe, qui aliquando rationis uſum habuerint; quia Indulgentia ad id ſolum valet, ut tollat reatum pœnæ temporalis; hunc autem non habent, qui nullum actuale peccatum, defectu rationis, commiſerunt: Aliunde tamen certum eſt, ut quis Indulgentiæ effectum obtineat, non requiri ut actu

compos

compos ſit rationis. Qui enim ut Indulgentiam conſequatur, jejunavit,
fructum ejus, tranſacto jejunio, aſſequetur; licet tunc vel dormiat, vel
delirio ex febri laboret.

Quin etſi credunt non pauci , eum qui ex rationis uſu in amen- 50
tiam incideret , non poſſe Indulgentiam ſubinde conceſſam lucrari ;
quia Indulgentia ſe habet per modum privilegii , quod ignoranti non
acquiritur, ſed ſcientiam & acceptationem privilegiati requirit : Non
deſunt tamen , qui cum Lugo , hic numer. 81. exiſtiment , ad In-
dulgentiam lucrandam nihil opus eſſe ut quis eam vel ſciat, vel lucra-
ri intendat; 1. quia fructus ſuffragii , ſeu ex opere operantis , ſeu ex
opere operato, puta ſacrificii, etiam ignoranti prodeſſe poteſt . Ergo
& pari de cauſa prodeſſe poterit fructus Indulgentiæ , ex communi
Eccleſiæ theſauro , etiam ignoranti , per Pontificem applicatus ; 2.
quia etſi quædam ſunt privilegia, quæ privilegiati actionem requirunt,
non tamen ſic ſe habere videntur ea, in quibus aliquid pro alio ſol-
vitur : unde ſicut poteſt ab aliquo ſolvi debitum Petri , licet Petrus
ſolutionem hanc ignoret ; ſic & poteſt communis theſauri diſpenſa-
tor ex eodem ſolvere debitum tuum , licet id ignores . Atque id de
facto intendere videtur Pontifex, ſeu cum moribundo ſenſibus deſtitu-
to , ſeu cum poſt Miſſam a ſe in Baſilica celebratam omnibus qui præ-
ſentes ſunt , licet omnes id non audiant , vel ſciant , Indulgentias
largitur. Ita idem, nu. 82. ubi ſubdit, aliud fore , ſi ad Indulgentiæ
aſſecutionem certa quædam opera pro ſpeciali quapiam neceſſitate ap-
plicanda requirantur, v. g. orationes contra imminens periculum reci-
tandæ; quia, inquit, non poteſt opus fieri cum tali intentione, ſine ali-
qua ejus notitia. Verum hæc inutilia ſunt , quia nullæ de facto igno-
rantibus conceduntur Indulgentiæ.

His præmiſſis , quæ partim certa ſunt , partim non improbabilia ,
quæritur 1. num ad lucrandam Indulgentiam requiratur ſtatus gratiæ
in fine operum ad eandem Indulgentiam præſcriptorum ; 2. annon
etiam requiratur in toto eorumdem operum decurſu . 3. an ad aſſe-
quendum hunc gratiæ ſtatum requiratur ſacramentalis confeſſio , cum
ejus mentio fit per hæc Pontificii Diplomatis verba : *Contritis & con-
feſſis* ; 4. an opera ad Indulgentiam præſcripta per alium impleri
queant; vel proſint non omnino impleta. Quæ ut cum aliis nonnullis
ſolvantur, ſit

Conclusio I. Ad Indulgentiam lucrandam requiritur ſtatus gra-
tiæ. Ita communiter Theologi poſt S. Thomam, Quodlib. 2. art. ult.

Probat. 1. Indulgentia eſt remiſſio pœnæ temporalis peccato debi- 51
tæ . Atqui pœna peccato debita remitti non poteſt , quandiu manet
peccatum ; quia peccatum , quandiu manet , ſua pœna dignum eſt .
Hinc eſt quod in Bullis dicantur Indulgentiæ concedi *contritis & con-
feſſis*. Ergo.

Probat. 2. Remiſſio pœnæ temporalis non indulgetur niſi in ordi- 52
ne ad vitam æternam . Atqui nemo in ſtatu mortalis peccati capax
eſt vitæ æternæ. Ergo nec in eodem ſtatu capax eſt remiſſionis pœnæ;
præſertim cum ante omnia deberet aſſequi remiſſionem pœnæ æternæ,
quam profecto obtinere non poteſt, qui lubens & volens perſeverat in

ſtatu peccati . Unde ſicut graviter reis non proſunt aliena ſuffragia , ſic nec iiſdem proſunt Chriſti vel Beatorum ſatisfactiones per Indulgentias applicatæ.

53 Probat. 3. Participatio Indulgentiarum pertinet ad communionem Sanctorum in charitate fundatam . Ergo cum per peccatum habituale tollatur hujuſmodi communio , tolluntur & quæ in ea fundantur Indulgentiæ.

Imo Fidelis nemo , quantumvis in gratia ſit conſtitutus , poteſt obtinere remiſſionem pœnæ peccati etiam venialis , cujus necdum veniam obtinuerit ; prout docent uno ore Theologi: quia culpa, quandiu manet, meretur & quaſi exigit pœnam.

Conclusio. II. Ut quis Indulgentiam conſequatur , neceſse non eſt ut omnia ad eamdem præſcripta exequatur in ſtatu gratiæ , niſi id Pontificio Diplomate expreſsum ſit : ſufficit ergo & requiritur , 1. ut omnia impleat animo vere pœnitenti ; 2. ut ſit in ſtatu gratiæ , cum operum , quæ ad Indulgentiam præſcripta ſunt , ultimum adimplet . Conſtat tamen eos plenius Indulgentiam lucrari , qui vel in ſtatu gratiæ , vel ex vehementiori pœnitentiæ ſpiritu omnia præſcripta exequuntur.

54 Prob. 1. pars, 1. ex multo communiori Theologorum ſententia.

55 2. Ex Bonifacio VIII. in Extravag. *Antiquorum* , ubi plenariam Indulgentiam concedit , *non ſolum pœnitentibus & confeſſis accedentibus ad Baſilicas* deſignatas ; ſed *etiam iis qui vere pœnitebunt & confitebuntur* . Ergo poteſt Indulgentia percipi , ſeu præcedat , ſeu ſubſequatur confeſſio . Atque hinc, ut advertit Sylvius in quæſt. 27. art. 1. in variis Jubilæis , puta anni 1606. & 1617. præſcribitur jejunium Feriis quarta, ſexta, & Sabbato, cum confeſſione prævia, vel ſequente . *Signum eſt ergo non eſſe neceſſarium quod opus impleatur in ſtatu gratiæ , cum peccatores ordinarie non juſtificentur ante confeſſionem* .

56 3. In Jubilæis præcipi ſolet , quod & injunxit Bonifacius VIII. in cit. Extrav. ut Romani Eccleſias viſitent per dies quadraginta , forenſes vero per quindecim . Atqui *moraliter fieri nequit ut omnes illæ viſitationes paſſim fiant ab omnibus in ſtatu gratiæ* . Hinc

57 Prob. 2. pars, quæ quatenus dicit ſatis eſse, ut injuncta opera fiant animo vere pœnitenti , ſequitur ex mox dictis: quatenus vero id requiri aſserit , non obſcure traditur a Gregorio VII. Is enim apud Baronium, Tom. XI. concedens Epiſcopo Lincolnienſi peccatorum Indulgentiam, ſubdit : *Si tamen bonis operibus inhærendo , commiſſos exceſſus plangendo , quantum valueris , corporis tui habitaculum , Deo mundum templum exhibueris* . Quæ verba expendens prædictus Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor , ait Sedis ſanctæ Indulgentias eis impendi , qui quantum ſuppetunt vires , bene operari non prætermittunt , non autem ignavis, otioſis, ac deſidia torpentibus.

58 Confirm. Ad Indulgentiam requiritur opus , quod natum ſit movere Deum per modum interceſſionis, ad concedendum effectum qui per Indulgentiam intenditur. Atqui nullum opus ; niſi vel in gratia fiat , vel ſaltem animo pœnitenti , cujus fervor defectum gratiæ ſuppleat , Deum movebit ad concedendam pęnæ remiſſionem , quę per Indulgentias inten-

Digitized by Google

intenditur. Ut quid vero vindicem Dei manum a ſe averterunt Ninivitæ, niſi quia *plenam terroribus pænitentiam egerunt*, ut docet Tridentinum.

Confirmat. 2. Vel is qui Indulgentiam lucrari vult, aliquem habet motum *bonæ pænitentiæ*, ut loquitur ibidem Sylvius, pag. 116. vel perſeverat in affectu ad peccatum ſuum: vix enim, ſi vix, poteſt eo in caſu medium quid inter utrumque fingi. Atqui nemo concipiet poſſe hominem, qui in affectu ad peccatum perſeverat, utcumque promereri remiſſionem pœnæ eidem debitæ. Ergo rejiciendum id quod poſt Suarez, diſput. 52. ſect. 6. docet hic Lugo, numer. 85. *opus licet in individuo non ſit bonum*, elevari per Indulgentiam ad obtinendum ipſius finem. 59

Probat. 3. pars, videlicet ad Indulgentiam ſufficere & requiri ut poſtremum opus fiat in ſtatu gratiæ. Siquidem ex Concluſione prima ad Indulgentiæ perceptionem requiritur ſtatus gratiæ. Atqui is non requiritur in decurſu operum præſcriptorum, ex Concluſione ſecunda. Ergo requiritur ſaltem in fine, & quando vel lucranda eſt Indulgentia, vel ei renuntiandum. 60

Prob. 4. pars 1. ex ipſius Eccleſiæ ſenſu, quæ hanc S. Bonaventuræ doctrinam approbat, in 4. diſt. 20. quæſt. ult. *Ille qui dat Indulgentias, cum eas tribuit, conſiderat cauſam pro qua reputat eum dignum tanta gratia, & ſecundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam cauſam, plus vel minus participant de illa gratia.* 61

Concinunt Bonifacius VIII. in citat. toties Decretali *Antiquorum*, ubi de Jubilæo quod anno 1300. ampliſſimum conceſſit, verba faciens: *Unuſquiſque tamen*, inquit, *plus merebitur & Indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas amplius & devotius frequentabit*. Et Innocentius IV. in cap. *Quod autem*, 4. *de Pænitent.* &c. ubi: *Licet*, inquit, *generaliter fiat Indulgentia propter laborem, propter devotionem, &c. tamen unus plus præ alio habet intra metam a Prælato conſtitutam, ſecundum quod plus devotus eſt, vel plus laborat, vel majoribus periculis ſe exponit.* 62

Prob. 2. Indulgentiæ non efficacius operantur quoad remiſſionem pœnæ, quam Sacramenta quoad effectus ſuos. Atqui hæc plus operantur in iis qui ad ipſa pie magis ac devote acceſſerint. Ergo. 63

Objic. contra 1. part. Opera per quæ percipiuntur Indulgentiæ, talia eſſe debent, ut Deus per ea placari poſſit. Atqui placari non poteſt Deus per opera extra ſtatum gratiæ facta, cum ea mortua ſint. 64

R. cum Sylvio, ibid. 1. Indulgentiam non niti labore noſtro, noſtriſve ſatisfactionibus, ſed meritoriis Chriſti & Sanctorum operibus, quæ in gratia perpetrata fuere. 65

R. 2. neg. min. Si enim vero quodam ſenſu placatus eſt Deus per Ninivitarum pœnitentiam, quæ non tota in ſtatu gratiæ perfecta eſt, poteſt diſpoſitive placari per opera extra gratiæ ſtatum perpetrata. Neque vero, ait Sylvius, opera quæ fiunt a pœnitentibus necdum juſtificatis, ſunt prorſus mortua, cum fiant per ſpiritum Dei, & proſint ad ſalutem vitæ æternæ. 66

Si tamen præciperet Papa, prout poteſt, ut opus injunctum perficiatur 67

 in

in gratia; tunc gratiæ ſtatus neceſsarius foret, cum opus præſtaretur, & quando Indulgentia eſset percipienda.

68 Obj. contra 2. part. cum Lugo, num. 85. Si ad Indulgentiæ aſsecutionem inutilia ſint opera cum peccato facta, qui præſcriptam ad Jubilæum eleemoſynam dabit ex vana gloria, Jubilæum non lucrabitur. Atqui id durum eſt.

69 Reſpondet Sylvius ibidem Concluſ. 1. & 2. his verbis: *Si peccatum veniale committatur quando Indulgentia eſt percipienda, & non vitiet opus ad eam conſequendam præſcriptum, non impediet fructum Indulgentiæ, niſi quoad remiſſionem pœnæ illi veniali peccato debitæ: ut ſi quis inter jejunandum pro conſequendis Indulgentiis, officioſe mentiatur. Ratio eſt, quia peccatum mortale poteſt remitti ſine veniali, & unum veniale ſine alio: nullum autem remitti poteſt, quando geritur affectus ad illud. Si autem peccatum veniale vitiet opus injunctum, ita ut illud ipſum ſit peccatum, quamvis veniale, impedit fructum Indulgentiæ; ut ſi quis jejunet vel oret ob vanam gloriam. Tale enim opus non eſt diſpoſitio requiſita ad Indulgentiam. Ita Adrianus in Tractatu de clavibus.* Sed his addendum quod dictum eſt in Tractat. de actibus human. cap. 4. artic. ſect. & concl. 2. videlicet poſse actui cuipiam noſtro advenire circumſtantiam venialiter malam, quæ totam ejus bonitatem ac meritum non auferat; ut ſi quis, non equidem ex vana gloria, ſed cum aliquo ejus motu ſtipem eroget. Quod autem is cujus actio omnino mala eſse ſupponatur, ad Indulgentiæ finem non deveniat, non eſt durum, ſed æquiſſimum; & ita docent Bellarmin. Layman, Amort, in quæſtionibus, quæſt. 36.

70 Saltem, inquies, ſi quis ultimum opus in peccato confecerit, & id ſincere poſt aliquot dies doleat, tunc demum Indulgentiam lucrabitur.

71 R. Hanc Indulgentiæ reviviſcentiam à nonnullis admitti, ſed negari a pluribus, quia nullum eſt fundamentum unde erui poſſit hanc eſse Pontificis intentionem.

72 Obj contra ult. part. Indulgentia, juxta Theologos, effectum ſuum parit quaſi ex opere operato. Ergo eum non parit ex proportionato operantis concurſu, ſed ex ſimplici præſcripti operis poſitione.

73 Reſp. neg. conſeq. Indulgentia effectum ſuum parere dicitur quaſi ex opere operato, quia remiſſio pœnæ non reſpondet merito actionum ad Indulgentiæ conſecutionem præſcriptarum, ſed obtinetur per applicationem ſatisfactionum Chriſti. Verum applicatio hæc reſpondet gradui cooperationis noſtræ, quæ ſe habet per modum conditionis ſine qua non. Unde *Indulgentiam efficacius conſequitur*, qui præſcripta opera *amplius & devotius* exequitur. Et vero, ut dictum eſt, Indulgentia non concurrit efficacius ad remiſſionem pœnæ, quam Sacramenta ad productionem gratiæ. Atqui tamen majori gratia donatur, qui Sacramenta pie magis ſuſcipit. Ergo.

74 Inſtab. Indulgentiæ valent quantum ſonant. Atqui non tanti valerent, ſi plus prodeſſent ei qui pie magis operatur, minus autem minus diſpoſito.

75 R. diſt. tantum valent poſitis ponendis, Conc. ſecus, N. ſicut enim

non

Digitized by Google

non valent ut plenariæ quæ ut tales conceduntur ſine cauſa ſufficiente, ſic nec plene proſunt quæ cum ſufficienti cauſa datæ, minus perfecte ſuſcipiuntur. Utique enim, ait idem Servatius Faber pag. 415. ſi magnus quilibet peccator per communem præſcriptorum operum executionem lucrari poſſet plenariam Indulgentiam, perinde ac juſti, qui non niſi venialibus culpis obſtricti ſunt, ſequeretur graviſſimos quoſque peccatores, ceteris aliunde paribus, virtute clavium ad cœlos transferri poſſe in curribus & in equis; juſtos vero, nonniſi incedendo pedibus, & flendo, mittentes ſemina ſua.

Neque hinc, ut jam obſervatum eſt, ſequitur, majorem, minoremve ſubjecti devotionem eſſe cauſam meritoriam remiſſionis pœnæ per Indulgentias obtentæ; ſed tantum eam ſe habere per modum conditionis ad applicationem ſatisfactionis Chriſti requiſitæ. 76

Quæres an Indulgentię iis etiam proſint, qui cum per ſe ipſos ſatisfacere valeant, minima contenti quæ ſibi a Confeſſario injungitur pœnitentia, poſtmodum deſides manent, ea ſpe quod reſiduum pœnæ ſibi debitæ in Purgatorio ſint exſoluturi. 77

Duplex eſt ea de re opinio. Prima, quam poſt Altiſiodorenſem & Paludanum tenet Cajetanus Tractat. 10. de ſuſcipientibus Indulgentiam, exiſtimat hanc iis duntaxat prodeſſe, qui ſolliciti ſunt ut in hac vita integre ſatisfaciant pro peccatis, atque ideo vel condignas ſatisfactiones ſibi imponi curant, vel ſponte aſſumptas implent pro viribus.

Fundamenta hujus opinionis, quam in poſtremo Jubilæo e ſacro ſuggeſtu annuntiavit Ill. Eccleſiæ S. ****. Princeps, iſthæc ſunt. I. Qui cum poteſt, ſatisfacere non vult, indignus eſt cui applicetur aliena ſatisfactio. Atqui Eccleſia theſauri ſui beneficium indigno applicare non intendit: ſicut in Republica bene inſtituta non diſtribuuntur bona communia ære alieno gravatis, ſi per ſe ipſos ſatisfacere valeant. Sed nec ab amico recte petes id quod tibi ipſi præſtare poſſis. 78

II. Cyprianus Confeſſores enixe precabatur, ut ad pœnitentiæ relaxationem eos ſolum Epiſcopo commendarent, quorum pœnitentia idoneæ ſatisfactioni proxima foret. Idem graviter redarguebat Preſbyteros, non modo quod citra Epiſcopi conſilium, ſed quod ante juſtum tempus lapſis Indulgentiam darent, iiſdem in damnum ceſſuram. Ergo ſentiebat B. Martyr iis ſolum prodeſſe Indulgentiam qui ſatisfactione ſua ad modum proportionatæ ſatisfactioni vicinum acceſſiſſent. 79

III. Concilia a nobis paſſim adducta iis duntaxat pœnitentiam relaxari volunt, quorum ſancta opera relaxationem hanc promeruerunt. Unde S. Chryſoſtomus, Homil. 5. in Matth. negat prodeſſe nobis Sanctorum merita, ſi ipſi deſides fuerimus; ſed tunc demum prodeſſe ait, ſi noſtram ipſi quoque ſollicitudinem impendamus. 80

IV. Indulgentiæ non conceduntur niſi vere pœnitentibus; non ſunt autem vere pœnitentes, qui non habent propoſitum faciendi dignos fructus pœnitentiæ. 81

Hæc ſententia, ait Eſtius, in 4. diſt. 20. aliis pleriſque non placet; eamque ut antiquæ opinioni contrariam rejicit Sylvius in eadem quæſt. 82

27. artic. 1. *Quæritur* 2. Rationes ejus ſunt, 1. quod qui vivum eſt Chriſti membrum ſit capax influxus, qui a Chriſto per Indulgentiam emanat. 2. Quod etiam particeps ſit communionis Sanctorum, proinde illorum ſatisfactionibus juvari poſſit. 3. Quod dum opus ad Indulgentiam præſcriptum adimplet, curat pro parte ſua ſatisfacere quantum requiritur, atque ita non omnino iners dici debet. 4. Quod Indulgentiarum uſus ideo invaluit, quia exigit quadantenus pietas Eccleſiæ, ut adjutricem præbeat manum Fidelibus, quorum animos & corda debilitaret antiquæ pœnitentiæ rigor. Atque hujus rei argumentum ſumi poteſt ab Apoſtolo, qui remiſſæ inceſto ſatisfactionis hanc reddit rationem, *ne forte is abundantiori triſtitia abſorbeatur*. Unde apparet iis utiliter relaxari pœnitentiam, qui graviorem ferrent impatienter: quapropter Chryſoſtomus, Homil. 4. in eundem Pauli locum hæc ſcribit: *Non enim quod dignus ſit, neque quod ſufficientem exhibuerit pænitentiam, ſed quod infirmus ſit. Ideo, inquit, dignor illum venia*. Quibus verbis videtur Chryſoſtomus id adſtruere quod negat Cajetanus, videlicet indignum, defectu ſcilicet proportionatæ ſatisfactionis, Indulgentiæ fructum conſequi. Neque obſunt Cajetani argumenta; Unde

83 . Ad 1. neg. maj. Non enim vere indignus eſt, qui licet poſſit, non vult tamen aliter quam per Indulgentias ſatisfacere, modo ita ſit affectus, ut per ſe ipſum, ſi deficeret Indulgentia, ſatisfacere niteretur.

84 Ad confirm. dicendum cum Sylvio, bonorum communium diſpenſatorem, licet ordinarie non poſſit ſolvere debitum ejus, qui de ſuo ſatisfacere poteſt, id tamen poſſe, ſi juſta quæpiam cauſa occurrat; ut ſi debitor ex inſolito labore, cui ſe, ad ſatisfaciendum, dedere cogetur, gravi triſtitia obruendus ſit, & animum deſponſurus; idque magis verum eſt, ſi boni communis theſaurus non poſſit exhauriri; & ſic nihil unquam ex eo ad indigentium opem deficiat. Sed nec amicitiæ repugnat ab amico aliquid petere quo ipſe non eget, etiamſi aliunde poſſis tibi ſuccurrere.

85 Ad 2. reponit idem Sylvius Cyprianum voluiſſe quidem ut lapſi ante certam ſatisfactionem minime reconciliarentur, quia id poſtulabat ratio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, non vero quia is ſatisfactionis gradus omnino & quaſi ex natura rei neceſſarius foret. Ceterum non deeſt omnis ſatisfactio ei qui præſcripta ad Indulgentiæ conſecutionem opera fideliter exequitur.

86 Ad 3. eadem eſt reſponſio, neque iners prorſus dici debet, qui multo cum dolore confitetur, qui pœnitentiam ſibi injunctam adimplet, prout implere ſolent Fideles, &c.

87 Ad 4. 1. *Vere pœnitens* dici poteſt, *qui habet propoſitum ſatisfaciendi per ſe, vel per alium, quatenus opus fuerit*; quique omnia laborioſi Jubilæi opera exequitur animo ſincere contrito. Hæc ille.

Sylvius p. 117.

88 Poſtrema hæc opinio ſpeculative defendi poteſt, ut ex modo dictis liquet. At priori practice, quantum fieri poterit, adhærendum. 1. Quia poſterior non probatur invicte, 2. quia ab Indulgentiis id omne removendum eſt quod torporem fovere poſſit, & Catholicum dogma maligno

maligno hoſtium ejus denti exponere; 3. quia Indulgentiæ majorem vel minorem effectum patiunt, pro majori vel minori pœnitentis pia diſpoſitione. Nec dubium quin debilem prorſus effectum in eo parerent, qui ſub earum prætextu ſibi deinceps otioſe indulgere intenderet; 4. quia cum ſatisfactiones noſtræ vix pares ſint quæ debitorum gravitati reſpondeant, raroque vel ipſæ pleniores Indulgentiæ ſecundum ſe totas proſint, ſapienter ſibi conſulit, qui propriæ ſatisfactioni Indulgentias, & Indulgentiis proprias ſatisfactiones adjicit. Unde nec otioſa erit Indulgentia, quæ ſatisfactionis defectum ſupplebit; nec ſatisfactio, quæ aliqualem Indulgentiæ abuſum reſarciet; & is videtur eſſe Tournely noſtri ſenſus, pag. 374.

Ex dictis colliges pro praxi, 1. eum qui quædam ex operibus ad Indulgentiam præſcriptis fecit cum affectu peccati mortalis, Indulgentiam non lucrari, niſi eadem iteret, vel in ſtatu gratiæ ſanctificantis, quod male exigit Tournely, pag. 375. vel pie & religioſe. Quod ſi hæc jam repeti non poſſint, in alia quæ fieri valeant, mutanda erunt a Confeſſario. 89

2. Rarum eſſe ut Fidelis poſt lucratam quamcumque Indulgentiam ab omni poſt hanc vitam pœna immunis coram Deo efficiatur; quia rarum eſt ut omnem ad certas veniales culpas affectum deponat, proinde ut remiſſionem pœnæ iiſdem debitæ obtinuerit, *Sæpe tamen*, ait Faber pag. 415. *videmus homines melioris vitæ, majori cum fervore & ſpiritu pœnitentiæ implere opera ad Indulgentias requiſita, quam homines vitæ communis*: Habenti dabitur, & abundabit, &c. 90

3. Non tamen negligendam eſſe Indulgentiarum praxim, iis qui ſe ſe in virtutis via languidos eſſe animadvertunt; cum quas ex integro non lucrantur, aliqua ſaltem ex parte percipiant, quæ pars longe ſuperat, ſeu opera, quæ ad Indulgentiæ lucrum fecerunt, ſeu quæ ut plurimum proprio motu feciſſent. 91

Conclusio III. Ad Indulgentiam *contritis & confeſſis* propoſitam non requiritur confeſſio ſacramentalis iis qui nullam peccatis mortalis conſcientiam gerunt, niſi expreſſe requiratur ut pars operis injuncti.

Prob. 1. pars contra Sanchez, Lib. 8. de Matrim. diſp. 15. num. 19. & alios quoſdam. Ut confeſſio in præſenti caſu minime requiri dicatur, ſufficit ut ea non requiratur a Pontifice, niſi ut diſpoſitio ad ſtatum gratiæ: qua quidem diſpoſitione non egent qui per Dei gratiam a mortalibus ſunt immunes. Atqui confeſſio non ut pars operis, ſed ut diſpoſitio ad gratiam requiritur in præſenti caſu. Probat. min. ex communi Doctorum ſenſu, qui ambiguas leges interpretatur. Sic enim cum Suarez, diſp. 52. ſect. 3. n. 6. docent Theologi *innumeri, quos congerit & ſequitur Diana, Tom. 1. Tract. de Bulla Cruciatæ, Reſol* 107. Jam vero non paterentur Pontifices, qui opinionem hanc non neſciunt, eam ubique doceri cum magno Fidelium detrimento, ſi ab eorum mente aliena foret. Quin & conſultus ea de re Clemens XI. ab uno e noſtris remiſit eum ad Theologos. Id autem docere cenſetur Theologi, quod eorum pars longe major & gravior docet. 92

Imo exiſtimat Suarez, diſp. 52. ſect. 3. n. 10. cum Gerſone & aliis pluri- 93

pluribus, confeſſionem in voto ſufficere ei qui perfectam gravis ſui peccati contritionem habet. Sed quia opinio contraria ſecurior eſt, ut ipſe fatetur, & aliunde rara eſt perfecta contritio, curandum ſemper ut confiteatur, qui Sacerdotis approbati copiam habet. Vide Tract. ſeq. cap. 3. num. 3.

94 Prob. 2. pars, quia ſi confeſſio requiratur ut pars præſcriptorum operum, non minus neceſſaria erit, quam opera quæcumque cetera.

95 Porro cenſebitur requiri ut pars eorumdem operum, quando non concedetur Indulgentia niſi illis qui confeſſionem præmiſerint. Tunc autem ſatis erit ſi fiat de peccatis non confeſſis. Quamvis enim Diploma annuntiet Indulgentiam peccatorum omnium, de quibus quis contritus fuerit & confeſſus, *non dicit quod jam de novo debeat eſſe contritus & confeſſus de omnibus tota vita factis*. Ita Sylvius, eadem quæſt. 27. artic. 1. Neque tunc ſufficiet communio pridie facta; quia Indulgentiæ a primis veſperis, non a mane incipiunt; ſed nec forte ſufficit confeſſio duobus ante communionem diebus peracta; quia juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam confeſſio non ſolet ordinari ad communionem, niſi eadem die fiat, vel præcedenti. Ita Amort in qq. quæſt. 32. ubi hæc ſubdit: *Si quæ tamen perſona haberet conſuetudinem in hebdomada bis confitendi, ſæpius autem communicandi, crederem confeſſionem etiam biduo præcedentem ſufficienter ordinari ad communionem*. Et id quoque non illubens credidero: ſed quis in hujus momenti rebus incerta certis ſciens & volens præponat?

Conclusio IV. Opus ad Indulgentiam requiſitum non poteſt per alium poni; nec prodeſt niſi integre poſitum.

96 Prob. 1. pars, quia facere ut alius jejunet, vel preces fundat, non eſt jejunare vel precari. Ergo cum Bulla præcipit ut jejunes vel ores, non ſufficit ut hæc per alium exequaris.

97 Aliud eſt, ſi conceſſum ſit ut quid per alium præſtes, puta ut alium in tui vicem Jeroſolymam tuis impenſis mittas. Item poteſt per alium dari eleemoſyna; quia hanc vere dat, qui de ſuo pauperi benefacit. Unde ſicut Indulgentiæ expers eſt, qui pecuniam furto, vel male partam, tribuit manu propria, ſic & ejus particeps efficitur, qui ſuam largitur per famulum.

98 Probat. 2. pars, quia Indulgentia non conceditur diviſibiliter pro partibus operis, ſed indiviſibiliter pro toto opere: ſicque, ait Lugo, numer. 89. differt a ſatisfactione ſacramentali, quæ diviſibiliter operatur; unde qui dimidium operis ad Indulgentiam præſcripti exhibet, non lucratur dimidium Indulgentiæ, niſi hæc etiam iis conceſſa ſit, qui certam, ſed totam, operis partem implent; puta qui tali die Matutinis aut Veſperis interſunt. Tunc enim pars quælibet ſpectatur ut totum reſpectu operantis.

Ut ſolvantur nonnullæ difficultates.

99 Quæres 1. an qui opera ad Indulgentiam præſcripta tempore deſignato exequi non poteſt, eadem alio tempore exequi poſſit.

R. non poſſe, ſi opera hæc certæ diei affixa ſint, puta viſitationi hujus Eccleſiæ die quarta Octobris; poſſe vero ſi certæ diei annexa non ſint, ut aliquando jejunium, vel eleemoſyna: tunc enim ex prudentis

Con-

Conſeſſarii diſpenſatione, vel commutari, vel in aliud tempus differri poſſunt; ſic tamen ut ſemper Indulgentiæ præmittantur.

Quæres 2. an poſſit quis uno & eodem actu lucrari plures Indulgentias, diſtinctis titulis ſeu cauſis conceſſas: an v.g. qui habet grana duo benedicta diverſis benedictionibus, quorum cuique conceſſum eſt ut, recitatis ſemel Litaniis, anni unius Indulgentiam præſtet, duos Indulgentiæ annos lucretur, ſemel Litanias recitando. 100

Reſp. neg. cum Suarez, eadem diſput. 52. numer. 1. quia aucta Indulgentia neceſſum eſt augeri cauſam; præſertim cum cauſa vix de ſe ad Indulgentiam ſimplicem ſufficiens videtur; quæ enim uni Indulgentiæ proportionata eſt, impar eſt pluribus. 2. Quia unaquæque Indulgentia poſtulat actum ad effectum illius applicabilem. Atqui idem actus finitus, ſi ad multa applicetur, minor eſt in ſingulis; 3. Quia alioqui qui duplici via haberet, quod recitando coronam B. Virginis, immunis foret a Breviario, ſemel recitando coronam, a gemino diei officio liberaretur, quod abſurdum eſſe merito advertit Lugo, ibidem num. 92.

Hic tamen notandum 1. ut quis plures in pluribus Eccleſiis Indulgentias lucretur, ſufficere ut in ſingulis oret, etſi in una tantum Euchariſtiam recipiat. An autem ſufficiat unica communio, ſi ſecunda Indulgentia non eadem die, ſed ſequenti, vel intra debitam diſtantiam occurrat, non convenit inter Theologos. Affirmat Lugo, n. 93. quia confeſſio & communio non videntur exigi directe ad Indulgentiam, ſed præſuppoſitive, & ut Fideles Indulgentiæ ſint magis idonei. Sed ut tutior, ſic verior apparet opinio negans; tum ob rationes num. præced. allatas, quæ recurrunt in præſenti; tum quia unica Lugonis probatio negari facilius poteſt, quam admitti. 101

Notandum 2. actum unum ad Indulgentias plures ſufficere, cum eæ per aliam tertiam conceſſæ ſunt ad modum unius; ut cum talem Eccleſiam inviſenti conceduntur omnes omnium Urbis Eccleſiarum Indulgentiæ. Sed & hic optandum quod cauſa tot & tantis Indulgentiis proportionata ſit. 102

Quæres 3. an poſſit quis eodem tempore lucrari diverſas Indulgentias, partiales ſcilicet (plenaria enim una, ſi integre percipiatur, idem facit quod plures) per actus diſtinctos, qui eodem tempore poni valeant: an v.g. qui *Saluti* intereſt, & Roſarium recitat, ſimul & Indulgentiam quæ Saluti huic annexa eſt, & quæ annexa eſt recitationi Roſarii percipiat.

Affirmant nonnulli, quia ſicut præcepta duo impleri poſſunt, puta audiendæ Miſſæ, & recitandi Officii, ſic & annexa utrique actioni merces ſimul poteſt obtineri. 103

Mihi deciſio hæc, niſi abſurda, ut minimum dubia videtur; 1. enim ſi quis audiendo Miſſam, & ſimul Officium ſuum recitando, duplicem, quæ unicuique harum actionum annexa eſt, Indulgentiam percipiat, eo plus quiſque lucrabitur, quo minus perfecte aget. Conſtat ſiquidem eum agere perfectius, ne quid ultra dicam, qui ſuum Miſſæ tempus, ſuum & Breviario ſpeciale aſſignat; 2. cum Eccleſia iis qui Miſſę vel *Saluti* interſunt, Indulgentiam tribuit, iis ſane qui pie & religioſe interſunt. 104

ſunt. Ergo & iis qui pias fundunt preces, ſeu Roſarii eæ ſint, ſeu aliæ quas voluerint. Ergo qui per *Salutis* tempus Roſarium recitat, eligit quidem e multis precibus unam, vi cujus Indulgentiam *Saluti* annexam promereatur; ſed nihil facit unde novam Indulgentiam lucrari poſſit. Ad ſummum ergo duplicem Indulgentiam lucrari poſſet, qui *Saluti* huic pie ſimulque flexis genibus intereſſet. Verum hic occurreret duplex actio, alia hominis Salutem pie audientis; alia hominis Salutem flexo genu audientis.

Hinc colliges ad minus dubium eſſe num ad Indulgentiam ſufficiat opus aliunde præceptum, puta recitatio Breviarii, vel adimpletio pœnitentiæ ſacramentalis, cum Indulgentia pias preces requirit. Ratio eſt, quia, extra particulares circumſtantias, cenſetur Pontifex ſtudium pietatis per opera ſupererogatoria promovere velle. Hinc Eugenius IV. Monachis Valliſoletanis Indulgentiam pro mortis articulo conceſſit, ea lege, ut jejunarent ſingulis feriis ſextis, & aliam diem jejunio huic conſtituerent, *ſi prædictis feriis ex præcepto Eccleſiæ, injuncta pœnitentia, voto, vel alias jejunare teneantur.*

105 Si tamen aliud conſtet de mente Pontificis, ut in Jubilæis, ubi, ob alia quæ concurrunt opera, contentus eſt jejunio aliunde præſcripto; vel quando neglectæ alicujus Legis obſervantiam revocare intendit, tunc ſufficere tactio jam præſcripta. Sic multæ die 19. Octobr. 1606. Præmonſtratenſibus conceſſæ ſunt Indulgentiæ, ſi dimidia hora vacarent meditationi, Matutinis de nocte adeſſent, &c. Vide Amort qu. 33.

106 Quæres 4. an poſſit quis pluries eodem die lucrari Indulgentiam iis conceſſam, qui quaſdam certa die Eccleſias pie inviſerint.

Reſp. negat. ſi ſermo ſit de Indulgentia eodem titulo conceſſa; unde qui in feſto Divi Benedicti mane inviſit Eccleſiam Monachorum hujus Inſtituti, veſpere autem ſacras ædes Monialium ejuſdem Ordinis, unam tantum Indulgentiam lucratur. Si autem ſermo ſit de Indulgentia non eodem, ſed duplici titulo conceſſa, puta in honorem SS. Bernardi & Franciſci, & quæ ad utramque præſcribuntur opera, pluries iterari valeant, nihil eſt cur non poſſit quis hanc & illam una die lucrari. Vide quæ ſupra diximus n. 258.

107 Quæres 5. num ad lucrandam Indulgentiam requiratur opus externum.

Reſp. negat. quandoque enim conceditur Indulgentia iis qui conſcientiæ examen cum ſincero contritionis actu inſtituunt; quandoque & iis, qui in mortis articulo, ſi ore non poſſunt, corde ſaltem nomen Jeſu invocaverint. Et vero ipſis etiam vivis, qui de Eccleſia bene meriti ſint, aliquando citra opus ullum actuale conceditur Indulgentia, cauſa ſcilicet & titulo remunerationis, ſolatii, medicinæ, &c. Ite Lugo ibid. n. 86.

108 Quæres 6. qualis ad lucrandas Indulgentias requiratur intentio.

R. Quando Bulla determinatam intentionem requirit, puta ut oretur pro concordia Principum, pro hæreſeon extirpatione, &c. ut minimum requiri ut oratio fiat *ſecundum intentionem Eccleſiæ*. Imo cenſet Amort, in qq. quæſt. 31. generalem hanc intentionem non ſufficere, ſed requiri expreſſam, ſaltem virtualiter perſeverantem in iis qui ejus capaces

paces

paces ſunt; quia preces cum intentione ſpecifica longe validiores ſunt, quam quæ generatim funduntur. Opinio hæc, etſi rigidior, vel ex eo tenenda eſt, quod prodeſſe poteſt, non autem nocere; tenenda tamen abſque nimia ſollicitudine: quotidie enim expoſitas Indulgentias lucrantur Fideles cum generali intentione id præſtandi quod optat Eccleſia, quodque quale ſit in ſpecie ut plurimum ignorant.

CAPUT SEXTUM.

De Indulgentiarum ſubjecto.

Conſtat apud Catholicos omnes, Indulgentias Fidelibus Eccleſiæ militantis per charitatem Chriſto conjunctis applicari poſſe. Cum enim ii & Indulgentiarum capaces ſint, & Eccleſiæ juriſdictioni feliciter ſubſint, nihil eſt cur erga ipſos non exerceatur clavium uſus. Tota igitur difficultas in eo eſt an ipſi etiam Fideles defuncti per Indulgentias juvari poſſint, & qua ratione; an per modum abſolutionis, vel per ſimplicem viam ſuffragii; an infallibiliter, an ad merum Dei beneplacitum; quid item ad id neceſſum ſit. Quæ ut intelligantur, nonnulla juvat prænotare. 1

Not. itaque 1. auxilium ſpirituale unius poſſe alteri prodeſſe ſeptem modis; 1. nempe per modum meriti condigni: ſic Chriſtus hominum redemptionem condigne promeruit. 2. Per modum Sacramenti: ſic per manus impoſitionem recipiunt Fideles Spiritum Sanctum. 3. Per modum ſacrificii; ſic incruenta Altaris victima ab uno pro aliis offertur. 4. Per modum interceſſionis: ſic Coloſſ. 1. dicit Apoſtolus: *Non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni ſapientia, &c.* 5. Per modum meriti de congruo, ut quis jejunet, aut Euchariſtiam ſumat ad obtinendam alterius converſionem; quo ſenſu ait ibidem Paulus: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.* 6. Per modum abſolutionis, qua ratione Indulgentiæ vivis proſunt. 7. Per modum ſuffragii, ſeu oblationis ſimplicis ad Deum directæ. 2

Not. 2. duo hic præcipue inquiri a Theologis; 1. an Indulgentiæ defunctis proſint per modum abſolutionis, an per modum ſuffragii; 2. in quo hæc ſuffragii ratio conſiſtat. 3

Senſit olim Joannes Angeli, animas in Purgatorio detentas eſſe de juriſdictione Papæ; quam ejus propoſitionem, uti cap. 2. animadvertimus, reprobavit ſacra Facultas Pariſienſis. Ex hac porro doctrina ſequebatur Indulgentias mortuis prodeſſe per modum abſolutionis. 4

Aliunde Cajetanus & Corduba exiſtimarunt, Indulgentiam per modum abſolutionis prodeſſe, cum infallibiliter prodeſt; prodeſſe vero per modum ſuffragii, cum applicatio ejus non parit effectum infallibilem. De his quædam nobis ſtatuendæ Concluſiones; ſed tamen ut quæ jam cap. 2. dicta ſunt, ſtrictim tantum & obiter refricemus. 5

CON-

Concluſio I. Indulgentiæ ipſis etiam mortuis proſunt, ſi in forma earum dicatur ipſas etiam defunctis applicari poſſe. Propoſitio pertinet ad fidem, ait Sylvius, in q. 71. Suppl. art. 10.

6 Probat. 1. ex citata pluries Auguſtini regula, Epiſt. 54. alias 118. num. 6. *Quod tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ audaciæ eſt*. Atqui tota per orbem Eccleſia Indulgentiarum mortuis applicationem frequentat. Prob. min. 1. quia, ut docet S. Thomas, ibid. arg. 1. Eccleſia *facit prædicari crucem, ut aliquis Indulgentiam habeat pro ſe, & duabus vel tribus, & quandoque etiam decem animabus, tam vivorum quam mortuorum;* quod eſſet *deceptio*, *niſi mortuis prodeſſent*. Ex conſtanti doctrina SS. Pontificum; ſiquidem Sixtus IV. teſte apud Sylvium Gabriele, declaravit Indulgentias per modum ſuffragii prodeſſe animabus in purgatorio igne detentis, cum ad eas per Rom. Pontificem difertim extenduntur. Idem fecere Paſchalis I. Pius II. Innocentius VIII. unde Leo X. in Bulla ad Cajetanum, legatione Pontificia tunc defungentem, (extat hæc apud eundem Cajetan. in 3. part. q. 48. art. 5.) ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, decernit ab omnibus tenendum, quod Indulgentiæ per Rom. Pontificem, ſive viventibus, ſive defunctis conceſſæ, eiſdem valeant ad pœnæ remiſſionem.

7 Probat. 2. Ut Indulgentiæ defunctis proficere valeant, duo ſufficiunt, 1. ut defuncti Fideles ſint nobiſcum ejuſdem corporis myſtici membra, per fidem & charitatem coadunata. 2. Ut ejuſdem corporis membra ſe invicem quacumque poſſibili ratione adjuvare poſſint. Atqui certiſſime conſtat, 1. defunctos Fideles ejuſdem myſtici corporis nobiſcum membra eſſe. *Neque enim*, ait Auguſtinus, Lib. 20. de Civit. Dei, cap. 9 *piorum animæ defunctorum ab Eccleſia ſeparantur* .·.·.·. *Cur enim pro eis iſta fiunt*, ſeu offeruntur ſacrificia, *niſi quia Fideles, etiam defuncti, ejus membra ſunt?* 2. Nec minus conſtat ejuſdem corporis membra alia aliis mutuo ſibi opitulari poſſe; cum teſte Apoſtolo, 1. Corinth. 12. 25. *Pro invicem ſollicita ſint membra; ita ut ſi quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra*. 3. Et illud etiam conſtat, poſſe viventes defunctis applicare Indulgentias: Non enim id magis repugnat, quam repugnet viventes ſua vivis aut defunctis ſuffragia, ſuas & ſatisfactiones applicare; quod quidem ultimum fieri poſſe, & de facto fieri tota docet Eccleſia. *Non eſt* igitur *aliqua ratio*, ait ibidem S. Thomas, *quare Eccleſia poſſit transferre communia merita, quibus Indulgentiæ innituntur, in vivos, & non in mortuos*.

8 Dixi in Concluſione, *Si in forma*, *&c.* quia, ut bene Sylvius, licet Fidelis quilibet poſſit opus proprium offerre Deo per modum ſuffragii impetratorii, tam pro vivis, quam pro defunctis, atque ita pro illis ſatisfacere; nemo tamen Indulgentiam cuipiam alteri applicare poteſt auctoritate propria, ſed tantum ex intentione concedentis; quia privatus nemo diſpenſator eſt ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum, ſed is ſolum cui theſauri communis diſpenſatio ſpecialiter commiſſa eſt: atque hinc ſolus Papa Indulgentias defunctis applicabiles concedere valet; quia ad extendendum extra militantem Eccleſiam Eccleſiæ theſaurum,

Digitized by Google

rum, requiritur plenitudo poteſtatis clavium, quæ ad unum Chriſti Vicarium pertinet. Ita ſaltem D. Thomas, hic q. 26. art. 3.

Conclusio II. Indulgentiæ non proſunt defunctis per modum abſolutionis & judicii, ſed per modum ſuffragii.

9 Prob. 1. pars, tum quia, ut jam dictum eſt cap. 2. defuncti non ſubſunt juriſdictioni Pontificis, cum is nec eos citare poſſit, nec cauſas eorum dijudicare; tum quia nonniſi in oves, quas Jo: 21 paſcendas ſuſcepit, auctoritatem habet. Defuncti autem non ſunt ex eis ovibus; cum Eccleſia nullum eis vitæ vel doctrinæ pabulum præbere poſſit.

10 Probat. 2. pars, tum ex ibidem dictis, tum quia Indulgentiæ nulla alia quam ſuffragii via defunctis communicari valent; non per viam judiciariæ abſolutionis, ut ex modo dictis liquet; non per modum meriti cujuſcumque aut impetrationis; cum Indulgentia, qua talis, nec ſit meritoria, nec impetratoria. Ergo ſupereſt ut defunctis proſit *per modum ſuffragii ſatisfactorii, id eſt eo modo quo ſuffragium ſatisfactorium prodeſt, ſcilicet per modum ſolutionis, ſatisfaciendo nimirum pro illis, & pœnas ab eis debitas ſolvendo de ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum, in Eccleſiæ theſauro reconditis, quæ a Pontifice offeruntur Deo in compenſationem*. Ita poſt Navarrum Sylvius, cit. q. 71. pag. 279.

11 Objic. 1. Papa nec directe, nec indirecte defunctum ligare poteſt, pœnam ejus augendo, vel protrahendo. Ergo nec directe, nec indirecte eum ſolvere poteſt, pœnam ejus minuendo, vel coarctando.

12 R. Prætermiſso antecedente, neg. conſeq. Diſparitas eſt, quod claves Pontifici datæ ſint in favorem Fidelium; (unde ne unum quidem per cenſuras ligare poteſt, niſi ut huic & aliis proſit) non autem in eorum perniciem: gravis porro contingeret pernicies animæ, cui jam terribiliter afflictæ, nova nec merita adderetur afflictio.

13 Objic. 2. Ex communione Sanctorum non ſequitur Indulgentias defunctis applicari poſse; hujus enim Sanctorum communionis participes ſunt Catechumeni. Atqui tamen non poſsunt Indulgentiæ Catechumenis applicari.

14 R. ad 1. neg. ant. Ad 2. diſt. Non poſsunt Indulgentiæ Catechumenis applicari per modum abſolutionis, quia non ſubjacent juriſdictioni Eccleſiæ, C. per modum ſuffragii, N. Si enim pro iis utiliter orari, atque etiam ſacrificium offerri poteſt, quidni & Indulgentiæ applicari. Adde quod defuncti Fideles plus ratione Baptiſmalis characteris ad Eccleſiam pertinent, quam Catechumeni.

15 Obj. 3. Si Indulgentiæ proſint defunctis, vel directe, vel indirecte. Neutrum dici poteſt.

16 Reſp. cum Gamachæo, diſp. de Indulgentiis, cap. 11. (Tom. 3. pag. 840. col. 2. B.) *Indulgentias non tribui ipſis defunctis directe, ſed potius indirecte ac mediate per homines viventes, quibus conceditur, ut pro defunctis illas obtineant, iiſque applicent, ſi velint; quemadmodum & poſſent ſuas ſatisfactiones privatas illis communicare, unde & hoc vocatur per modum ſuffragii*. Idem prædocuerat S. Thomas, citat. quæſt. 71. art. 10. ubi: *Dicendum*, inquit, *quod Indulgentia dupliciter alicui prodeſſe poteſt. Uno modo, principaliter. Alio modo, ſecundario. Principaliter quidem*

dem prodeſt ei qui Indulgentiam accipit, ſcilicet qui facit hoc pro quo datur Indulgentia, ut qui viſitat limina alicujus Sancti. Unde cum mortui non poſſint facere aliquid horum pro quibus Indulgentiæ dantur, eis directe Indulgentia valere non poſſunt; ſed *ſecundario & indirecte*, De ceteris objectionibus vide quæ diximus ſub finem Tractatus de Purgatorio.

Conclusio III. Indulgentiæ defunctis veriſimiliter proſunt, non ſolum ex libera Dei miſericordia, proinde ex congruo, ſed ex quadam juſtitia, proinde ex condigno, (niſi aliud exigat ratio divinæ juſtitiæ) ita Martinon, diſp. 63. num. 58. ubi in idem adducit Doctores Angelicum & Seraphicum, Alenſem, Suarez, &c. Eſt contra Eſtium, in 4. diſt. 20. §. 11. Sylvium ad quæſt. 71. art. 1. Tournely, pag. 370. &c.

17 Probat. 1. ex Bulla Leonis X. ad Card. Cajetanum tranſmiſſa, ubi dicitur: *Omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujuſmodi conſecuti fuerint, a tanta temporali pæna ſecundum divinam inſtitutionem pro peccatis ſuis debita liberari, quanta conceſſæ & acquiſitæ Indulgentiæ æquivalet.* Atqui his ſignificat Pontifex defunctos per Indulgentiam liberari infallibiliter, ſi juſta ac rationabilis Indulgentia veraciter acquiratur; non autem liberari, ſi Indulgentia hæc acceptetur pro libero Dei arbitrio; hoc enim idem eſſet ac dicere, eos liberari, ſi liberentur. Ergo.

18 Confirm. Quod Deus ex libera miſericordia acceptat, id pro nutu acceptat vel rejicit, uti conſequenter loquendo docent plures ex Adverſariis. Atqui fatetur ibidem Sylvius, Concluſ. 4 Indulgentias, *poſitis omnibus requiſitis*, prodeſſe *defunctis infallibiliter*, quod ſolide probat, tum quia Deus illa, quæ pro defunctis offeruntur, Eccleſiæ ſuffragia, ſemper acceptat, prout docet Auguſtinus, Enchir. cap. 110. & Lib. de cura pro mortuis, &c. cap. 1. tum quia Indulgentias defunctis infallibiliter prodeſſe tradit D. Thomas, hic, quæſt. 25. art. 2. Ergo Indulgentiæ acceptantur quidem ex miſericordia Dei, eo ſenſu quod Deus eaſdem ut vivis, ſic & defunctis inſtituerit; ſed non eo ſenſu, quod poſita ſemel hac inſtitutione, dubium maneat an proſint, necne.

19 Probat. 2. Ut Indulgentiæ defunctis proſint de condigno, duo ſufficiunt. 1. Ut ſatisfactionem divina juſtitia dignam exhibeant; 2. ut veri admodum ſimile ſit interveniſſe divinam de ſatisfactionis hujus acceptatione promiſſionem. Atqui primum conſtat; ſecundum vero pie & probabiliter credi poteſt. Et quidem 1. nemini dubium eſt quin Indulgentiæ ſatisfactionem divina juſtitia dignam exhibeant; quandoquidem ipſas Chriſti ſatisfactiones complectantur; 2. tam probabiliter quam pie credi poteſt interveniſſe certam acceptationis hujus promiſſionem, in ipſa ſcilicet quæ Petro facta eſt clavium promiſſione. Clavis enim, niſi errat aut inepta eſt, id omne ſolvit ad quod ſolvendum deſtinata eſt. Porro non abſurde creditur datas eſſe Petro claves, non quidem ut defunctos abſolveret, ſed ut iis viventium ope per Indulgentias mederetur. Siquidem per *ſolvendi* poteſtatem non abſolutio tantum judiciaria, ſed & favor omnis vi poteſtatis hujuſce conceſſus,

ceſſus, intelligi aptiſſime poteſt, & melius intelligitur, prout ex ipſo Sylvio advertimus, ſupra cap. 2. n. 22.

Et vero, ut bene Suarez, diſp. 53. ſect. 3. n. 4. niſi ſub *ſolutione*, de qua loquitur Chriſtus, intelligeretur ipſa etiam theſauri applicatio per modum ſuffragii, jam Indulgentiæ nec virtute clavium, nec Apoſtolica auctoritate tribuerentur pro defunctis, uti definit Leo X. ſed fieret per modum deprecationis, quomodo poſſunt quilibet Fideles orare Deum, ut propter Chriſti merita purgantes animas liberet a flammis: hinc autem plurimum decreſceret Indulgentiarum dignitas. 20

Atque hinc colliges cum Martinon, ibidem num. 59. poteſtatem largiendi Indulgentias, non eſſe generatim poteſtatem juriſdictionis, ſed cujuſdam auctoritatis theſauri Eccleſiaſtici diſpenſativæ, quæ circa vivos adjunctam quidem habet rationem juriſdictionis & abſolutionis; circa defunctos vero, diſpenſationis tantum, & ſolutionis factæ per modum ſuffragii. 21

Objic. Si Indulgentiæ ex aliquali Dei juſtitia & infallibiliter proſint defunctis, ii ſemper per quaſcumque Indulgentias plenarias ab omni pœna ſolventur; unde jam pro iis orandum non erit. Abſurdum conſequens. 22

R. neg. ſeq. maj. 1. quia ex his quæ in opinione poſita ſunt, non eſt argumentandum practice, potiſſimum in rebus unde pendet animarum pœna, vel liberatio. Fatemur porro cum Bellarmino opinionem noſtræ oppoſitam eſſe *rationabilem*, etſi noſtram, quam idem uti *piam* habet, paulo veriſimiliorem eſſe conjicimus. 2. Quia incertus eſt fervoris ac pietatis gradus, quo viventes Indulgentiam lucrantur, quam defunctis applicent. 3. Quia incertus quoque eſt gradus charitatis in quo Fideles deceſſerint; & is tamen regula eſt vel eſse poteſt gradus Indulgentiæ quæ eis applicatur. 23

Hinc Maldonatus, Tract. de Indulg. quæſt. 6. has quorumdam Altarium inſcriptiones redarguit: *Qui hic Miſſam facit, liberat animam Purgatorii, &c.* Licet enim ſenſus ſit per hanc celebrationem offerri Deo pretium æquivalens toti, quæ ab hoc vel illo defuncto debetur, ſatisfactioni; ſemper tamen incertum eſt an pretium illud ea qua par eſt pietate offeratur. Imo & incertum eſt an a Deo acceptetur, quia incerta eſt opinio noſtra. 24

Quin etſi moraliter loquendo, Indulgentiæ ex condigno prodeſſent defunctis, nihil abſurdi foret, ſi regula hæc ſuas, pro ſumma Dei ſapientia & æquitate, reſtrictiones pateretur, ne quis ante tempus a tota ferme pœna geminatis ſacrificiis & Indulgentiis ſolveretur. Atque hæc exceptio iis potiſſimum timenda eſt, qui temporali vel ſpirituali in proximum miſericordiæ defuerunt: quod legitime inferri poteſt, tum ex Parabola ſervi nequam, quem, quia in fratrem ſuum immiſericors fuiſset, *tradidit dominus tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum*, Matth. 18. 34. tum ex iis Marci 4. *in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*. His forte adjungi poſſit, quod refertur in vita Rabani Mauri, videlicet a Deo rejecta fuiſse ſuffragia oblata in favorem Monachi, qui vivens partem eleemoſynæ pauperibus per Abbatem conſtitutæ ſubtraxerat. (Regnald. 25

Tom. 7. part. 2. q. 5. fol. 289.) Favere poſſit quod in Bulla ad Cajetan. ait Leo X. videlicet eos quibus proſunt Indulgentiæ, a tanta pœna *ſecundum divinam inſtitutionem* liberari, quanta conceſsæ Indulgentiæ æquivalet; hæc enim divina inſtitutio poteſt quidem intelligi de effectu, infallibiliter, ſed juxta gradum & menſuram a Deo conſtitutam, obtinendo. Sed de his, quæ ſoli Deo nota ſunt, ſatis hactenus.

Conclusio IV. Ut Indulgentiæ defunctis proſint, variæ requiruntur conditiones.

26 Prob. inductione; 1. enim requiritur ex parte concedentis, ut a ſummo Pontifice conceſsæ ſint, quia ei ſoli tanta auctoritas conceſsa eſt. Ita Sylvius, ibid. Bellarminus, Lib. 1. cap. 14. & alii, a quibus non eſt temere recedendum.

27 2. Requiritur ex parte ejuſdem cauſa juſta; hæc enim ſi neceſsaria eſt, cum agitur de viventibus, qui humano foro ſubjacent; quanto plus requiritur quoad defunctos, qui ad forum Dei ſpecialiter pertinent? Unde S. Thomas, in 4. diſt. 45. q. 2. *Non quantum voluerit Pontifex defunctis poteſt concedere remiſſionem; ſed quantam poſtulat ratio*, ſeu *cauſa conveniens*, ut loquitur idem S. Doctor, Suppl. q. 71. art. 10. alioqui poſset pro arbitrio Papa *totum evacuare Purgatorium*, quod uti ridiculum explodit Angelicus cit. diſt. 45.

28 Porro, ut bene ubi ſupra Bellarminus, *non ſufficit pro cauſa utilitas illarum animarum, vel gloria Dei quæ redundaret ex animarum illarum liberatione: Nam ſi iſta ſufficerent, Chriſtus ipſe*, pius ac miſericors, *jam omnes animas liberaſſet. Itaque requiritur cauſa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, & Eccleſiæ utilitatem, ſicut de Indulgentiis pro viventibus diximus; ita ut S. Pontifex arbitretur gratiorem eſſe Deo rem illam, cujus gratia Indulgentiæ conceduntur, quam executionem juſtitiæ, quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorii*. Atque hinc, meo quidem judicio, præcipue repetendum, quod Indulgentiæ, licet quoad ipſos defunctos, poſitis omnibus ponendis, infallibiliter operari dicantur, pene ſemper maneant incertæ. Ecquis affatim noſse poteſt, an Deo *gratior* ſit illarum liberatio, quam prolixior cruciatus.

29 3. Requiritur ex parte viventium pia operis cujuſcumque ad Indulgentiam hanc præſcripti executio: Cum enim, ut ſupra docebat S. Thomas, Indulgentiæ directe & primario ſolis viventibus tribuantur, mortuis autem indirecte, non poſsunt hi, niſi per illorum opera adjuvari. Ergo his vel deficientibus, vel minus religioſe poſitis, Indulgentia ex toto, vel ex parte deficiet.

30 4. Ex eorumdem viventium parte requiritur ad *omnino tutius*, ſtatus gratiæ: Licet enim non deſint, qui ſtatum hunc, niſi in Diplomate exprimatur, probabiliter non requiri credant cum Sylvio & Suarez, diſp. 53. ſect. 4. n. 6. Corduba, &c. eo quia opus ad hujuſmodi Indulgentias præſcriptum, non eſt cauſa earumdem meritoria, ſed ſolum conditio ab iis præſtanda qui Indulgentiam lucrari volunt; multo tamen probabilius eſt requiri ſtatum gratiæ, ſaltem ſi ſacrificium exceperis. Ratio eſt 1. quia opera præſcripta non ſe habent ut conditio mere ſterilis, ſed ut complementum cauſæ finalis, ob quam conceditur Indulgentia. Ergo ſicut ad Indulgentiam ſibimet lucrandam requiritur

Digitized by Google

tur ſtatus gratiæ, ſic & ad eam aliis lucrandam. 2. Quia peccator non eſt idoneus qui Chriſti ſatisfactiones Deo in aliorum gratiam offerat. Nec obeſt quod malus Sacerdos poſſit per Miſsæ ſacrificium remiſſionem pœnæ obtinere aliis, non autem ſibi; quia in ſacrificio occurrit victima per ſe ipſam intercedens, non in Indulgentiis. 3. Quia ex Reſcripto Innocentii XII. cujus meminit Tournelyus pag. 372. conſtat Innocentium X. Alexandrum VII. Innocentium XI. certas in mortuorum gratiam conceſſiſse Indulgentias *utriuſque ſexus Fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis*. Hæc autem conditio, cum pia ſit, & Indulgentiarum ſecuritati conſulat, quidni non ſuppleatur ubi non eſt expreſsa?

5. Et id etiam ex eorumdem parte requiritur, ut injuncta opera fiant ex intentione obtinendi defuncto Indulgentiam. Alioqui enim opera hæc non eſsent formaliter opera Indulgentiarum, id eſt nulla ratione fierent in gratiam hujus defuncti; quod tamen in Pontificia Bulla requiritur. 31

6. Diſputant Theologi an ex parte eorum quibus applicatur Indulgentia, requiratur character Baptiſmalis. In affirmativam propendet Suarez, ib. n. 8. ea prætertim ratione, quod negent Patres ſacrificium Miſſæ pro Catechumenis offerri poſſe ad remittendum iis pœnam temporalem ex opere operato. Verum alibi obſervavimus, Patres aliquos pro Catechumenis ſacrificium obtuliſſe, puta Ambroſium pro Valentiniano: nec abſurdum quod Indulgentiæ nullam juriſdictionem poſtulantis participes ſint, qui non equidem ratione Baptiſmi, ſed ratione fidei & charitatis ad Eccleſiæ animam, & Sanctorum communionem pertinent. 32

7. Ambigunt etiam Doctores annon, ut defunctis proſit Indulgentia, neceſſum ſit ut de congruo in vivis meruerint eam ſibi prodeſſe. Cenſet enim Cajetanus, hic Tract. 16. q 5. Indulgentiam iis ſolum defunctis prodeſſe, qui dum viverent, devoti fuerunt clavibus Eccleſiæ, mortuos juvare ſtuduerunt, & pro peccatis ſuis ſatisfacere non neglexerunt. Atque id ex eo probat, quod juxta celebrem Auguſtini textum, Enchir. 109. ſuffragia non omnibus mortuis proſint, ſed iis tantum qui in hac vita meruerunt, ut ſibi prodeſſe poſſent. 33

Sententiam hanc Cajetani piam ac utilem eſſe dicit Bellarminus, cit. cap. 14. Lib. 1. quia viventes ad bona opera excitat. Sed eam minus veram eſſe, & ideo *ab omnibus paſſim refelli* contendit. Utique vero, inquit, Auguſtinus in adducto loco, nullas ex iis quæ in Purgatorio degunt animas, a ſuffragiis excludit; ſed ſolum animas reproborum, quia hi, utpote in peccato mortui, non meruerunt juvari poſt mortem. 34

Mihi quidem hæc Cajetani opinatio ſapit plurimum; & iis quæ ſuperius n. 24. ſecundum rationis, ut exiſtimo, & juſtitiæ leges dixi, non parum conſonat. Neque mirum foret, ſi dum reprobi, quia nihil boni meruerunt, a ſuffragiis omnibus excluduntur, juſti a certa ſuffragiorum ſpecie excluderentur, quia id per aliqualem eorum deſpectum meruiſſent. 35

Quæres an Indulgentiæ proſint ſpecialiter eis pro quibus in particulari ſuſcipiuntur, an omnibus in communi. 36

Senſit Præpoſitivus, de quo S. Thomas in 4. diſt. 45. q. 2. art. 4. ſuffragia

fragia ſemper prodeſſe defunctis in communi, eiſque amplius qui liberationi propinquiores ſunt: quo fere pacto lucerna pro Rege accenſa, vel Liber pro eo lectus, omnibus proſunt, & quibuſdam magis quam Regi. Aliter cenſent Doctores ceteri: licet enim fateantur, Indulgentias omnibus defunctis prodeſſe quoad gaudium accidentale; quia facit charitas, ut quis de alieno bono lætetur vel uti de proprio; docent tamen unanimes, ſuffragia, proinde & Indulgentias quæ per modum ſuffragii mortuis proficiunt, eis ſolis prodeſſe, quorum in gratiam ſuſcipiuntur. Atque id patet 1. ex Bullis Pontificum, puta Paſchalis I. Alexandri VI. Clementis VII. qui conceſſas a ſe Indulgentias per modum ſuffragii tribuunt animabus patris, matris, vel cujuſcumque alterius pro quo ſuſcipiuntur. 2. Ex ſenſu totius Eccleſiæ, & omnium Fidelium. 3. Ex Auguſtino, qui Lib. de cura pro mortuis, cap. 4. ſcribit, Eccleſiam ſuffragia quædam communia tranſmittere ad animas defunctorum, ut quibus ſpecialia deſunt a conſanguineis vel amicis, non deſint aliqua a communi matre, quæ eſt Eccleſia. 4. Quia nihil eſt cur ſatisfactiones uni cuipiam animæ per intentionem ſatisfacientis applicatæ, vel ei non plus proſint quam aliis, vel aliis ullo modo proſint. Nec oppoſitum probat gemina Præpoſitivi ſimilitudo; neque enim Indulgentiæ, vel privata ſuffragia, quidpiam habent ſimilitudinis cum lucerna vel libro, ſed cum pecuniæ ſumma, quæ in unius redemptionem expenſa, alium redimere non poteſt. Ita Bellarm. eod. cap. 14.

38 Quæres 2. an verum ſit omnes Indulgentias ex recenti ſummi Pontificis conceſſione poſſe applicari defunctis.

R. negat. cum Amort in qq. practicis, ad prolixi Operis calcem, pag. 53. Id equidem optaverat Ill. de Lerma, Congregationis Indulgentiarum Secretarius, prodieratque ab eadem Congregatione Decretum in favorem; (in quo quidquid pene a SS. Pontificibus in gratiam pie defunctorum conſtitutum eſt, fuſe recenſetur; idque inter cetera annotatur, ſuſpenſis per annum Jubilæi ceteris Indulgentiis, eas tamen quæ pro defunctis ſunt, integras perſeverare, prout a Clemente X. die 5. Maii an. 1674. declaratum eſt.). Verum Decretum illud neque a Papa ſubſcriptum eſt, neque publicatum.

39 Quæres 3. an Indulgentiæ quæ in defunctorum gratiam conceſſę ſunt iis qui certam Eccleſiam pie inviſerint, obtineri poſſint ab iis qui prędictam Eccleſiam, vel quia abſunt, vel quia legitime ſunt impediti, viſitare non valent.

R. negat. ita enim quoad vivorum Indulgentias reſponſum eſt Romæ an. 1709. 1716. 1724. 1732. ut videris apud eundem Amort, ib. Porro eadem eſt omnium Indulgentiarum ratio: unde etiam qui opus aliquod ex ignorantia vel oblivione prætermittit, excidit ab Indulgentia. Si tamen omiſſa pars eſſet quid minimi, ut in Roſario *Pater* & *Ave*, non nutaret Indulgentia, ex communiori Theologorum ſenſu, cui non immerito præſumitur congruere intentio Pontificis; cum prudentia œconomica quæ Doctores ſaniores regit, Pontificem ipſum dirigat. Eodem modo judicandum de jejunio, auditione ſacri, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

De Altaribus Privilegiatis.

PRivilegiata dicuntur Altaria, in quibus Sacerdos pro defunctis celebrans, plenariam eidem Indulgentiam lucrari poteſt. De his variæ proponuntur quæſtiones, quæ cum multam ſui partem ſint facti, ſola auctoritate reſolvi poſſunt.

Quæres 1. an Sacerdos celebrans in Altari privilegiato, non Indulgentiam tantum, ſed & Miſsam in defuncti ſubſidium applicare debeat. 1

Reſp. affirmat. idque extra dubium eſse conſtat, 1. quia Indulgentia ex Rom. Pontificis intentione annexa eſt ſacrificio prout ad hoc Altare oblato; 2. quia is eſt communis ſenſus Doctorum & ſimplicium, qui cum Miſsam in hujuſmodi Altaribus poſtulant, eandem defuncto applicari intendunt. Porro nefas fuerit legitimam hanc intentionem fruſtrari; 3. quia non deſunt, qui ad plenam animæ a Purgatorio liberationem, fructum Indulgentiæ una cum fructu Sacrificii concurrere velint; uti ſubindicat La-Croix, Lib. 6. part. 2. numer. 518. Vide infra, quæſt. 4.

Quæres 2. cui proſit Miſsa in Altari Privilegiato celebrata pro defuncto, ſi is jam ſanctus, vel reprobus, ipſa non indigeat. 2

R. eam vel a Deo acceptari in ſolamen eorum præſertim pro quibus non funduntur ſuffragia, uti docet D. Thomas, in 4. diſt. 45. qu. 3. art. 2. vel ſi defunctus jam regnet in cœlo, eam his applicari, de quorum ſalute magis eſt ſollicitus; vel demum, juxta tacitam petentis intentionem, ad amicos ejus, conſanguineoſve, aut alios indigentes devolvi. Quoniam vero hæc incerta videri poſſint, expedit ut qui Miſsam petit, celebrat, intentionem hanc concepte efformet.

Quæres 3. an Miſsa in Altari privilegiato celebrata, neceſsario eſse debeat de defunctis. 3

R. nec debere, nec ſemper poſse celebrari de *Requiem*. Ut autem tota hujus materiæ doctrina concipi facilius poſſit, varia S. R. Congregationis Decreta quæ huc ſpectant, referri placuit, prout habentur apud Meratium in Indice, n. 296. 430. 439. & 625.

Primum ſic jacet: *Omnibus & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujusvis Ordinis, etiam neceſſario exprimendi, diſtricte præcipitur, ut Miſſas privatas pro defunctis, ſeu de* Requiem *in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto, Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in Feſtum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento fit, ſed dicantur de Feſto currenti cum applicatione ſacrificii, juxta mentem eorumdem Benefactorum*. Sac. Rit. Congregat. approbante Alexandro VII. 5. Auguſti anno 1662. ubi notandum in hoc Decreto de ſolis Miſſis privatis ſermonem haberi; quod ut cujuſcumque dubii expers foret, prodiit die 20. Novembris 1664. Decretum illud ab eodem Pontifice comprobatum: *Anniverſarii & Miſſæ cantatæ de* Requiem, *relictæ ex diſpoſitione* 4

Teſtatorum quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, poſſunt celebrari, & proinde in Decreto die 5. Auguſti 1662. edito, non comprehenduntur.

5 II. ſic habet: *Miſſæ de Feſto duplici celebratæ in Altari pro animabus in perpetuum privilegiato .·.·. ſuffragantur ac ſi celebratæ fuiſſent pro defunctis, (ſeu de* Requiem *) ut declaravit Alexander VII 22. Januar. 1667.* Tunc autem addenda eſt Collecta pro defuncto, exceptis Feſtis primæ claſſis; quia dubium eſt, quidquid dicant Navarrus, Bellarminus, &c. an ſufficiat commemoratio defuncti ſub ſolo *Memento.*

6 III. Præcedentis extenſio eſt, & his exponuntur verbis: *Privilegium Alexandri VII. de 22. Januarii 1667. circa Miſſas de Feſto duplici in Altaribus perpetuo privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad Altaria, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata; ac proinde Miſſæ quæ ibidem de Feſto currenti, in quo Miſſæ defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragantur; ita ut animæ Chriſti Fidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas conſequantur in omnibus ac per omnia, perinde ac ſi Miſſæ defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent.* S.R.C. 20. Julii, annuente Clemente IX. 3. Auguſti 1669.

7 IV. Hæc ſtatuit: *Declarationes Alexandri VII. 22. Januarii 1667. & Clementis IX. 23. Septembris 1669. circa Miſſas defunctorum in Altari pro animabus Purgatorii privilegiato non celebrandas, licet loquantur tantum de Feſtis duplicibus, tamen intelligendæ ſunt etiam de diebus Dominicis & infra Octavas Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licet a Feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ defunctorum juxta ritum Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licitum eſt, ſervata ceteroquin Privilegiorum forma ad Altaria privilegiata celebrarentur.* Sac. Rit. Congr. 3. Aprilis 1688. ab Innocentio XI. per Breve quod incipit, *Alias poſtquam*, 14. Maii confirmatum, & denuo ab eadem demandatum 15. Septembris 1714. annuente Clemente XI. 29. ejuſdem menſis. Ergo ut defunctis in Altari privilegiato acquirantur Indulgentiæ, neceſſum non eſt ut in iiſdem diebus impeditis celebrentur Miſſæ de *Requiem*, ſed ſufficit ut iis applicetur Miſſa de Feſto vel de die currenti. Idque quidquid dicere videatur Amort, pag. 70. non de iis duntaxat Miſſis verum eſt, quæ ex fundatione Teſtatorum celebrandæ eſſent de *Requiem*, ſed de iis etiam quæ *ex ſola Fidelium* viventium *devotione* pro mortuis expetuntur: unde hi, ſi ſtipendium determinate conferant pro Miſſa de *Requiem*, monendi ſunt eam hac vel ſequenti die, utpote impeditis celebrari non poſſe, juxta declarationem nu. 4. recenſitam.

Sed quid juris 1. ſi privilegium Altari cum reſtrictiva hac clauſula *ad dies non impeditos*, ante declarationem Alexandri VII. conceſſum fuerit? An ei ſuffragabitur ejuſdem Alexandri VII. declaratio, ita ut per Miſſas in eo celebratas de Feſto currenti acquirantur Indulgentiæ. 2. Si Sacerdos juxta Diœceſis ſuæ ritum, Officium recitavit de dupli-

ci,

ci, & in aliena Eccleſia ubi Officium de ſemiduplici vel de feria recitatum eſt, Miſſam celebret in Altari privilegiato; an ut privilegium defuncto acquirat, tenebitur Miſſam celebrare de *Requiem*, vel juxta Officium ſuum de Feſto celebrare?

R. ad 1. negative, & ita teſte Amort, pag. 61. declaravit S. Congregatio 16. Julii 1725. nec immerito, cum privilegium iis tantum diebus valere poſſit, pro quibus conceſſum eſt. 8

Ad 2. reſpondet Merati, in titul. 5. part. 1. Rubric. *Quod cum ex Decreto Sac. ejuſdem Congregationis die 11. Julii 1701. poſſit Sacerdos in tali caſu celebrare in aliena Eccleſia Miſſas votivas, vel de* Requiem *ad ſatisfaciendum ſuis oneribus; hinc fit quod in prædicto caſu tenetur celebrare Miſſam de* Requiem *ut privilegium præfati Altaris in quo celebrare, ſuffragetur defunctis pro quibus offert ſacrificium: Privilegium quippe Alexandri VII. ſolummodo habet locum in illis Miſſis de Feſto duplici: vel de die occurrenti celebratis, in quibus non poſſunt juxta Rubricas & ſpecialia Decreta celebrari Miſſæ de* Requiem. *Cum igitur in præfato caſu, & inhærendo antedicto Decreto, prædictus Sacerdos in aliena Eccleſia celebrans, poſſit dicere Miſſam de* Requiem, *ut ſatisfaciat ſuæ obligationi, & Indulgentias Altari privilegiato conceſſas pro animabus in Purgatorio exiſtentibus acquirat, debet pro Feſto Miſſam non de ſuo Officio duplici, ſed de* Requiem *celebrare. Ita etiam præſcindendo a tali Decreto ſentit Hagerer.* Hæc ille, quæ propter auctoritatem Scriptoris hujus, in Italia tota celeberrimi, admiſerim magis, quam propter Decretum cui innititur, quodque hæc ſolum habet apud eundem Merati in Indice Decretorum num. 558. *Sacerdotes etiam Regulares diebus quibus propria Officia recitant ſub ritu duplici, celebrantes in aliis Eccleſiis, quando peragitur Feſtum cum ſolemnitate & concurſu populi, debent celebrare Miſſas conformando ſe ritui & colori earumdem Eccleſiarum: in aliis vero diebus poſſunt, ſed quando prohibentur Miſſæ votivæ, vel defunctorum, debent ſe uniformare, ſaltem quoad colorem.* 9

Quæres 4. an qui ſtipem recepit ut pro defuncti anima celebret in Altari privilegiato, oneri huic ſatisfaciat, ſi in Altari communi celebret, applicando defuncti animæ Indulgentiam aliam pro defunctis, quam v. g. annexam ipſe habet recitationi coronæ B. Virginis. 10

R. negat. cum Lezana, Fabro, & aliis; 1. quia certior eſt & authentica magis Indulgentia privilegiato Altari per Miſſæ celebrationem affixa, quam quæ recitationi hujus vel illius precis, vivæ, ut plurimum, vocis oraculo alligata eſt; 2. quia obtemperandum eſt legitimæ ſtipendium dantis intentionis: is porro Miſſam privilegiatam poſtulat, quam & tacite ad minus, ſpondet Sacerdos. Ergo.

II. Quæres 5. cum in conceſſione Altaris privilegiati apponi ſoleat clauſula hæc: *Dummodo in Eccleſia tot*, v. g. *viginti*, *quindecim* & ad minus *ſeptem Miſſæ quotidie celebrentur;* an teneat conceſſio, ſi minor in ea celebretur Miſſarum numerus.

Reſp. 1. ex omnium confeſſo perire vel ſuſpendi privilegium, ſi certus Miſſarum numerus ad ejus valorem præſcribatur, tanquam conditio: an autem ita de facto præſcribatur, controverti. Negant plures apud Dianam part. 9. Tract. 2. id regulariter ita eſſe, adeoque clau- 11

ſulam hanc volunt non apponi ut conditionem, quæ ad privilegii valorem neceſſaria ſit, ſed narrative tantum, ut innoteſcat Pontifici magnum eſſe in Eccleſia, cui privilegium oratur, Sacerdotum numerum. Id autem ſuadere conantur, 1. quia in hujuſmodi Brevibus non idem ſemper exprimitur numerus Sacerdotum; ſed in aliis ſeptem, in aliis quindecim, in aliis vero quadraginta. Quæ diverſitas non aliunde oritur, quam ex diverſitate ſupplicationum, quas recenſet Pontifex, cum gratiam largitur. 2. quia particula, *dummodo*, regulariter modum ſignificat, non conditionem. Porro modus actum, ſeu privilegium non conſtituit, ſed eidem perfecto adjicitur, hæc illi.

12 Aliter ſentiunt plures cum Sylvio in Reſolut. part. 2. v. *Altare privilegiatum*; eique opinioni, prout multo tutiori adhærendum eſſe opinamur. 1. quia Sedes Apoſtolica privilegium de quo agitur ægre admodum, vixque unquam concedit Eccleſiis, quæ pauciores quam ſeptem diebus ſingulis Miſſas habent; quod argumento eſt clauſulam, *dummodo*, non eſſe narrativam modi, ſed expreſſivam conditionis; tum quia nunquam Fidelibus ut certa exhiberi debet gratia, cujus valor, gravium ac timoratorum judicio dubius & anceps videatur. Et vero, cum tam facilis Romam pateat acceſſus, quidni interrogetur largitor gratiæ.

13 Non me fugit pluribus exadverſariis certum videri, vel, admodum probabile, quod poſita probabili opinione, licet reapſe falſa, de valore Indulgentiæ, ea nihilominus acquiri poſſit, prout docet Viva hic q. 3. pag. mihi 585. Verum etſi id admitti ſolet de ea probabilitatis ſpecie quæ tanta eſt apud cautiores Theologos, ut errorem communem generet: at rejiciendum prorſus, ſi de illa intelligatur probabilitate, quæ Scholas totannos invaſit, ipſumque pene divini amoris neglectum fecit probabilem.

14 Reſp. 2. Cum eodem Sylvio & aliis ſanioribus communiter. Si fortuito accidat ut una vel altera die deſit Miſſarum numerus, modo ut plurimum & communiter occurrat, non ideo ſuſpenditur Indulgentia; tum quia hujuſmodi conditiones non phyſice, ſed moraliter intelliguntur, ex leg. 3. 4. 5. & 6. ff. *De Legibus*, tum quia ita declaravit Sac. Congregatio anno 1707. his verbis: *Si tempore Quadrageſimæ vel Adventus*, quo Regulares in pagis & villis extra domum concionari ſolent, *deſit Sacerdotum numerus*, *Suſpenditur Altare privilegiatum: ſecus*, *ſi deſit propter infirmitatem alicujus Sacerdotis*. Unde merito colligit Faber pag. 438. ſuſpendi privilegium, licet Miſſarum numerus, ut in caſu mox adducto, deficiat ſine culpa rectoris Eccleſiæ. Ceterum reviviſcente poſt aliquod tempus numero Sacerdotum, reviviſcit & privilegium; ita colligitur ex Decreto S. Congregationis 10. Junii 1720. Imminuto tamen (non ad dies aliquot, vel ad certum tempus quaſi accidentaliter) præſcripto Sacerdotum numero, extinguitur omnino privilegium ex declaratione ejuſdem Congregationis die 16. Julii 1725.

15 Nec obeſt hæc Juris civilis Regula: *Cum non ſtat per eum ad quem pertinet, quominus adimpleatur conditio, haberi debet ut adimpleta*, hæc enim

enim ut aliæ non paucæ, fallit in pluribus; atque in his præſertim, quæ ex nota Superioris voluntate habent ſe ut conditiones neceſſariæ. Sic militarem gradum non aſſequitur, qui præliandi cupidine ſuccenſus morbo detinetur domi. Sic, ne ex præſenti campo egrediamur, qui Eccleſiam præſcriptam inviſere nequit, expers eſt Indulgentiæ. Quod & de eo dicendum, qui gravi adſtrictus peccato, ex Confeſſarii defectu clauſulam *Confeſſis* implere non valens, actum ſinceræ contritionis elicit, prout a ſacra Congregatione declaratum eſt 20. Septemb. 1634. cujus integrum decretum refert Amort.

Reſp. 3. ad valorem actualem privilegii nihil intereſſe an Miſſæ per Sacerdotes Eccleſiæ addictos celebrentur, an per extraneos, qui illic fortuito celebrent; quia Pontifex tot equidem Miſſas requirit, at non requirit ut ab his vel illis celebrentur. Adde quod pietatis eſt certam Presbyterorum multitudinem ad Eccleſiam ſuam accerſere. 16

Fieri tamen poteſt ut extranei Sacerdotes, quam per ſacrificia ſua loco procurant Indulgentiam, ipſi minime lucrentur, ſi nempe domeſticis tantum Sacerdotibus conceſſa ſit. Tunc autem eam nequidem acquirerent ejuſdem Ordinis religioſi, tantum hoſpites & advenæ; quia ut ibidem advertit Sylvius, licet ejuſdem ſint inſtituti, imo, licet per Conſtitutiones ſuas, domorum ad quas diverſantur Præpoſitis, quandiu ibidem degunt, obſequi debeant; non ſunt tamen vera ejuſdem domus membra, ſed in ea tantum hoſpites. Unde ſi de electione Prioris ageretur, non haberent jus ſuffragii. Concinit Pontas verſ. *Indulgence*, caſ. 11. Nihilominus cum in Apoſtolica conceſſione dicitur privilegium Altaris *ſolis Eccleſiæ* hujus *Sacerdotibus* profuturum; per eos Sacerdotes non intelliguntur tantum Canonici, Parochive aut Convictores ejuſdem Eccleſiæ, ſed & alii etiam qui ei deſervire ſolent, *ut Cantores, Organœdi, habentes cooperaturam, Coadjutoriam expectantiam, ac in primis Beneficiati. Ita colligitur ex reſponſo Sacr. Congregationis dato* 1713. *Menſes Septembris* Amort. ibidem pag. 70. 17

Subdit Faber pag. 440. ex ſpeciali Benedicti XIV. Indulto, dato 1740. Presbyterum etiam ſæcularem, qui in aliquo Eccleſiarum D. Franciſci Altari celebrat *pro anima fratris aut Sororis ejuſdem Ordinis*, eidem perinde ſuffragari ac ſi in Altari privilegiato celebraſſet. 18

Quæres 6. an per privilegiorum communicationem ipſæ etiam pro defunctis Indulgentiæ & cum his Altarium privilegia communicentur. 19

Reſp. communicari Indulgentias pro defunctis, non autem Altarium privilegia, quæ pro favore, ut ajunt, exorbitante habentur, & ſpeciali egent conceſſione. Ita ſemel & iterum declaravit S. Congregatio apud Amort. pag. 61.

Quæres 7. an cum obtinetur renovatio privilegii, pro Altari cujus privilegium nondum expiravit, valeat renovatio hæc, non obſtante clauſula: *Volentes Eccleſiam N. in qua aliud Altare privilegiatum non reperitur erectum, hoc ſpeciali dono illuſtrare*, &c. 20

Reſp. affirm. ſecundum ſuperius dicta cap. 1. n. 31. Ratio eſt quia clauſulæ hujus finis eſt excludere multiplex Altare privilegiatum, & quidem ejuſ-

ejuſdem rationis, ab una eademque Eccleſia. Atqui tunc non inducitur multiplex in eandem Eccleſiam privilegium; ſed ſolum efficitur ne idem etiam ad tempus deficiat.

21 Quin & ex ibid. dictis, ſi conceſsum fuerit Eccleſiæ Altare privilegiatum pro defunctis omnibus, non obeſt prædicta clauſula, quin aliud obtineri poſſit pro certo perſonarum genere, puta pro certi Sodalitii Confratribus, pro defunctis alicujus familiæ in hac Cappella ſepultis, &c.

22 Quæres 8. an Altari tantum portatili, cui Sancti alicujus imago appoſita ſit, annecti poſſit privilegium de quo loquimur.

Reſp. Annecti poſse; at dubium eſse an de facto annectatur; quia gratiam hanc ægre, nec ſtatim, conceſſit ſacra Congregatio an. 1715. Unde hujuſmodi privilegium oraturi, longe melius ſibi & aliis providebunt, ſi hujus ſui Altaris conditionem candide exponant. Vide Amort. pag. 70.

23 Quæres 9. an diruta Eccleſia, vel etiam Altari, concidat privilegium Altaris.

Reſp. concidere in priori caſu, (manente etiam Altari, ut deciſum eſse tradit Diana) & aliquando denegari pro nova Eccleſia, ut patet ex reſponſo S. Congregationis an. 1710. & 1712. apud Amort. in reſponſis, pag. 5. & 10. Non concidere autem, ſi manente, ſolumque reparata eadem Eccleſia, nova loco priorum Altaria conſtituantur. Ita eadem Congregatio an. 1723.

24 Quæres 10. an Indulgentiæ Altaris privilegiati ſuſpendantur in Jubileo.

Reſp. non ſuſpendi, ſicut nec ceteras pro defunctis Indulgentias. Ita declararunt Innocentius X. præſente Diana, & Clemens X. quorum ſenſui inhærere merito præſumuntur alii Pontifices, vide Amort. ibidem pag. 71. quicum obiter animadvertes falſum eſse, quod pio S. Roſarii Sodalitio conceſsum fuerit Altare perpetuo privilegiatum: quandoquidem illud de ſeptennio in ſeptennium renovari debeat, uti menſe Majo an. 1729. reſpondit S. Congregatio. Unde, inquit, *vehementer deciperetur populus, ſi in hac & ſimilibus confraternitatibus non peteretur confirmatio privilegii ſingulis Septenniis; quia in hac materia error populi non tribuit privilegium Altari*.

25 Quæres 11. an privilegium Altaris ad ſeptem annos conceſsum, incipiat a die gratiæ conceſsæ, an a die factæ ejus publicationis.

Reſp. *S. Congregatio die* 18. *Maji* 1711. *declaravit, non die publicationis, ſed a die Datæ Brevis, ſeptennii tempus incipere*. Idque a Clemente XI. approbatum eſt.

26 Quæres 12. quid requiri ſoleat ut Altari alicui tribuatur privilegium.

Reſp. id nulla certa lege definiri poſse. Communius tamen privilegium tribuitur Eccleſiis, quæ ab ingenti peregrinorum numero pie inviſuntur, aut in quibus Miſsæ plures diebus ſingulis celebrantur. Conſtat id ex pluribus decretis, quæ adducit Amort. in Reſponſis, &c.

27 Quæres 13. quid remedii, ſi ex Miſsis ad Altare privilegiatum celebrandis, tot ſuperſint, ut omnibus ſatisfieri non poſsit.

Reſp. Suppliciter agendum eſse apud S. J. Congregationem, ut Miſſæ illæ in alio Altari cum ſimili privilegio celebrari valeant. Atque id ann. 1710. & 1714. ab eadem S. Congregatione indultum eſt.

Tunc

Tunc tamen negatum ſæpius Altare aliud privilegiatum, etiam a ſecunda Novembris die uſque ad Paſcha. Quin & an. 1706. die Decembris 11. a Clemente XI. mandatum eſt Thianenſi Epiſcopo, ut in loco publico affigeretur tabula juxta decretum an. 1628. a Sacra Concilii Congregatione editum, ſequentis tenoris: *Sacr. Congregatio Concilii cenſuit, eleemoſynas tuto accipi poſſe, dummodo Sacriſta, vel alius Miniſter admoneat ſingulos qui eleemoſynas offerunt, tam magno celebrandarum numero, illorumque intentioni ſatisfieri non poſſe ipſa Miſſarum celebratione ac ſacrificii diſtincta applicatione, ſed tantum eos participes fore Miſſarum, quæ ſingulis diebus in dicta Eccleſia celebrabuntur.* Idem ibidem pagina 14.

Quæres 14. cur ſæpius defunctis applicentur plenariæ Altarium indulgentiæ; cum iis una ſufficiat. 28

Reſpondet Bonacina id fieri, 1. quia fieri poteſt ut defectus aliquis intervenerit in conceſſione Indulgentiæ, ut ſi abſque ſufficienti cauſa conceſſa ſit; 2. quia contingere poteſt defectus ex parte accipientis Indulgentiam, unde minuatur valor ejus, 3. quia fieri poteſt ut Deus Indulgentiam non acceptaverit. Quæ poſtrema ratio in noſtra etiam opinione locum habere poteſt, ut ſuperius dicta tantillum meditanti apparebit.

Quæres 15. an onera perpetua & fundationes ad Altaria privilegiata recipere liceat. 29

Reſp. neg. ita reſpondit S. C. die 14. Decembr. 1711. Amort. in qq. q. 20.

CAPUT OCTAVUM.

Solvuntur variæ Quæſtiones de Indulgentiis.

QUæſtiones illas proponam ſine ordine, ſed non ſine delectu.

1 Quæres itaque 1. an Roſaria Terræ ſanctæ, &c. ſi vendantur, excidant ab Indulgentia.

Reſp. affirm. Ita definitum a ſacra Congregatione, 14. Decemb. 1722.

2 Quæres 2. an cui conceſſum eſt a Pontifice, ut cum numiſmatibus, v. gr. Indulgentias, ſeu, ut ajunt, *intentiones* vel *benedictiones* diſtribuat, ſuam hanc facultatem diſtribuendi, poſſit alii in toto, vel ex parte impertiri.

Reſp. negat. 1. quia hæc tanta facultas merito præſumitur cuipiam ob ſingularem ejus prudentiam conceſſa. 2. Quia ſanxit Alexander VII. die 6. Febr. 1657. ne Indulgentia Roſario vel numiſmatibus affixa ab una perſona in aliam tranſiret, (citra ſpeciale privilegium.) 3. Quia qui contrariam opinionem tradiderat Gobatus, eamdem revocavit ob rationes Dianæ de oppoſita Romanæ Curiæ praxi teſtantis.

3 Unde colliges, quod ſi Religioſus *intentiones*, ut vocant, non diſtribuit, dum ageret in vivis, non poſſit ejus Superior eas poſt illius mortem diſtribuere; quia ſic non ab eo diſtribuerentur, cui ſoli demandata eſt diſtributionis hujus facultas.

Quæ-

4 Quæres 3. quid ſint Indulgentiæ Stationum, qui eas lucrari poſſint, & qua conditione.

Reſp. Indulgentias Stationum iis concedi qui certa Eccleſias * certave Oratoria pie inviſerint. Indulgentiæ illæ, quæ ante ſæculum XIII. *magnam remiſſionem* indeterminate ſpondebant, poſt Nicolaum IV. anni unius Indulgentiam, ſaltem pro Baſilica Vaticana continent. Ad eas porro lucrandas Religioſi preces ſuas offerre debent *pro Chriſtianorum Principum concordia*, *hæreſum extirpatione*, *Rom. Pontificis ſalute*, æterna, ſimpliciter; temporali conditionate, *ac ſanctæ matris Eccleſiæ exaltatione*. An autem in Eccleſiis Regularium, qui cum aliis Regularibus in privilegiis communicant, Stationum Indulgentias lucrari valeant ſæculares, vel ipſis Religioſis hodieque incertum eſt. Negant multi, tum quia ſicut per communicationem privilegiorum non communicatur favor Altaris privilegiati; ſic nec per eam gratia Regularibus facta ad ſæculares tranſire poſſe videtur; tum quia ita ſibi ab erudito, qui eruditos alios plures Romæ conſuluerat, reſponſum eſſe ſcribit Gobat, part. 2. cap. 8. numer. 343. Eadem erat ſententia Euſebii Amort, qui Opus ſuum an. 1735. juris fecit publici. Nihilominus docet R. P. Fœlix Poteſtas, in Examine Confeſſariorum, tom. 1. part. 4. cap. 8. de Miniſtro pœnitentiæ, numer. 3810. pia loca *viæ Crucis*, ſeu *Calvarii*, ſi a Minoritis erecta ſint, prodeſſe ad Indulgentiam *omnibus Chriſti Fidelibus utriuſque ſexus*. De quo infra.

5 Quæres 4. quæ ſint annotanda circa Indulgentiam Portiunculæ.

Reſp. hæc notatu digna eſse; 1. Indulgentiam hanc ab Honorio III. conceſsam eſse an. 1221. 2. eam ab initio affixam eſse rurali prope Aſsiſium Capellæ, dictæ *de Angelis*; idque ad annum uſque 1480. unde iis etiam D. Franciſci Religioſis vel Monialibus, qui Indulgentiam hanc conſequi intenderent, prædictam ad Capellam eundum erat ad diem 2. Auguſti. 3. Hanc a Sixto IV. & aliis ſubinde Pontificibus ſic extenſam, ut qui vel quæ in Ordine Seraphici Patris clauſulam ſervarent, eandem in Eccleſiis ſuis lucrari poſsunt. 4. Eandem PP. Capucinis a Paulo V. ad decennium, ſubinde a Gregorio XV. anno 1622. in perpetuum conceſsam fuiſse; prout & anno 1643. ab Urbano VIII. ad Eccleſias tertii Ordinis Sancti Franciſci propagata eſt; unde deducit Gobat Indulgentiam hanc non competere omnibus Minorum Eccleſiis per privilegiorum communicationem. 5. Indulgentiam illam non poſse pluries eadem die acquiri, prout ex dictis, atque e pluribus S. Congregationis Declarationibus generatim con-

* Eccleſiæ illæ in Urbe Roma ſunt ſeptem, nimirum Patriarchales quinque, videlicet S. Pauli intra muros, quæ Alexandrino Patriarchæ; S. Mariæ Majoris, quæ Antiocheno; S. Laurentii extra muros, quæ Jeroſolymitano; S. Petri, quæ Conſtantinopolitano, ſi quando Romam ob negotia adventarent, aſſignatæ erant; & Lateranenſis, ſeu Salvatoris, quæ omnium Eccleſiarum mundi antiquiſſima dicitur, & Rom. Pontifici, totius Occidentis Patriarchæ adſcripta eſt. Quia vero in harumce Eccleſiarum viſitatione tranſeundum erat per duas alias Baſilicas impendio celebres, videlicet SS. Fabiani & Sebaſtiani, ubi eſt innumerorum Martyrum Cœmeterium, & S. Crucis, ubi pars ſanctæ Crucis aſſervatur maxima; ideo invaluit uſus ut hæ duæ Eccleſiæ cum aliis quinque inviſerentur.

conſtat. *6.* Ad eam extra Aſſiſium * lucrandam requiri confeſſionem, communionem, viſitationem Eccleſiæ, & orationem juxta tres conſuetas intentiones. Dico *extra Aſſiſium*, quia Aſſiſii communionem requiri negat Rodriguez, Tom. 1. quæſt. 55. 18. 7. Eandem tempore Jubilæi non ſuſpendi in ipſa B. Mariæ de Angelis Eccleſia, ſed ceterarum inſtar in ceteris Ordinis Seraphici Eccleſiis ſuſpendi. 8. Eam in eadem S. Mariæ Angelorum Eccleſia quotidianam eſſe, ſeu quotidie acquiri poſſe, ex Indulto Innocentii XII. 28. Auguſti 1695. 9. in aliis ejuſdem Inſtituti Eccleſiis poſſe ipſam bis comparari, ſemel pro vivis, ſemel & pro defunctis, iterata Eccleſiarum viſitatione, prout a Concilii Congregatione anno 1700. & 1723. declaratum eſt. 10. Si forte poſſit quis Indulgentiam Aſſiſienſem lucrari per alium qui Eccleſiam hanc ſuo nomine inviſat, quod aſſerit Auctor *Portiunculæ Theologicæ*, & alii negant; non poſſe hanc intermedio hoc modo in aliis Minorum Eccleſiis certo percipi; unde id cum ad minus valde incertum ſit, non eſt populis prædicandum, inquit Amort, ibidem quæſt. 44. Nec obeſt quod Portiunculæ Indulgentia an. 1622. Minorum Eccleſiis communicata ſit; quia aliud eſt communicari Indulgentiam, aliud communicari privilegia eidem annexa; ſic Jubilæi tempore non ſuſpenditur Aſſiſii, quæ tamen ubivis locorum ſuſpenditur Indulgentia. 11. Et id notandum, Indulgentiam hanc profanis eſſe ludibrio, indevotis cuidam deſpectui, vere piis pretioſam, & perpetuo ſalubrem, prout B. Franciſcus prædixerat, & eventu comprobatur.

Quæres 5. quid advertendum circa Indulgentias reales, id eſt 6
certis rebus affixas, puta numiſmatibus, Roſariis, granis, aliiſque hujuſmodi.

Reſp. 1. conſtitutum eſſe ab Alexandro VII. die 6. Februarii 1657. ut Indulgentiæ coronis, imaginibus, & aliis id genus conceſſæ, *non tranſeant perſonam illorum qui ea de facto obtinent; neque commodari, aut etiam precario dari poſſint; alioquin careant Indulgentiis conceſſis*. Inſuper ut *alicui ex rebus præmiſſis perditæ altera pro ea ſubrogari nullo modo poſſit*, niſi id expreſſe conceſſum ſit.

2. Indulgentias non ſolere concedi *medalliis* Beatorum, ſed Sancto- 7
rum duntaxat; non referre tamen ſi ex parte una ſit Beati effigies, modo in altera ſit effigies Sancti alicujus, prout an. 1710. declaravit S. J. Congregatio.

3. Ad hujus Indulgentiæ aſſecutionem aliquando requirit ut quis rem 8
ſecum deferat; aliquando tantum ut eam domi decenter aſſervet. Unde inſpiciendus conceſſionis tenor.

4. Fracta re, ſic ut in æſtimatione morali non eadem ſit quæ prius, 9
perire Indulgentiam. Idem eſt ſi res deperdatur, de quo jam ſupra, cap. 1. num. 39. In dubio an res moraliter deſtructa ſit, non poteſt jam proponi Indulgentia, niſi ut dubia.

5. Dubitari poſse an uni eidemque Roſario plures applicari poſsint 10
Indul-

* Id eſt extra Eccleſiam B. M. de Angelis, quod notandum, quia Conventuales S. Franciſci in Civitate Aſſiſienſi Indulgentiam & ipſi quotidianam habent ex Brevi Innocentii XIV. *Commiſſa nobis*. Ita P. Fœlix Poteſtas, num. 3798.

Indulgentiæ, ſtantibus Decretis quæ hodie Indulgentias plenarias non concedunt Eccleſiis, niſi ſub hac clauſula: *Si alia Indulgentia conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint*. Si enim ne ipſis quidem Eccleſiis multiplex conceditur Indulgentia, an concedetur privatis?

11 *6*. Iiſdem rebus venditis, aut commodatis, perire in priori caſu Indulgentiam, non prodeſſe in poſteriori. Ita pluries definitum a S. C.

12 *7*. Roſarii nomine in Bullis Pauli V. Gregorii XV. & Urbani VIII. teſte Gobatio, intelligi Pſalterium B. Virginis, ſeu 150. ſalutationes Angelicas cum orationibus Dominicis quindecim; per coronam Chriſti triginta tres *Pater* & *Ave*; per coronam Dominæ noſtræ, 72. *Ave* cum ſeptem *Pater*, &c. Quanquam cum poſtremi Pontifices Coronis ac Roſariis Indulgentias tribuunt, videntur nomina hæc populari quam nunc habent ſignificatione intelligere.

13 8. Conceſſas prædictis ab Innocentio XI. Alexandro VIII. & Innocentio XII. Indulgentias, eſſe ſequentes: Qui ſemel in hebdomada recitant Coronam Domini ex *33*. *Patre* & *Ave* conſtantem; aut Coronam B. M. Virginis, ex *63*. *Ave*, interjectis ſeptem *Pater*; aut tertiam Roſarii partem; aut Officium B. Virginis, vel Defunctorum; hi quotieſcumque communicant in primariis anni Feſtivitatibus, videlicet Natalis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, SS. Trinitatis, Corporis Chriſti, Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, Nativitatis B. M. Nativitatis S. Joannis B. in Feſtis duodecim Apoſtolorum, ac in ſolemnitate Sanctorum omnium, ac denique in articulo mortis, invocato SS. Jeſu nomine, præmiſſis, ſi fieri poteſt, confeſſione & communione, plenariam lucrantur Indulgentiam, quam & defunctis applicare valent.

14 *9*. Numiſmata hæc quotidie a Papa poſt Miſſam benedici ſolere, & quidem quot quis, etiam plura numero millia obtulerit.

Quæres *6*. quid advertendum ſit circa Regularium Indulgentias.

15 Reſpondet Amort, q. 50. pag. 71. 1. Indulgentias omnes quæ antea Regularibus directe conceſſæ fuerant, a Paulo V. per Bullam *Rom. Pontifex*, an. *1606*. revocatas fuiſſe, neque ſubinde revalidatas eſse, ut patet ex propoſitionis hujus cenſura: *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie ſunt revalidatæ*.

16 2. In revocatione hac eas ſolum Indulgentias contineri, quæ utriuſque ſexus Regularibus directe conceſsæ erant; non autem quæ ipſis etiam ſæcularibus communes ſunt, ut ſunt Indulgentiæ Jubilæorum; aut quæ ad ſæculares ſolos pertinent, quales ſunt quæ in certis Sanctorum Ordinis Feſtivitatibus conceſsæ ſunt parentibus, cognatis, famuliſve Religioſorum.

17 3. Indulgentias Ordini uni vel Monaſterio conceſsas tunc ſolum ab Ordinibus aliis per communicationem participari, quando Monaſterio vel Ordini quatenus parti ſtatus Religioſi directe vel immediate conceſsæ ſunt; non item ſi eidem conceſsæ ſint relative ad ſæculares. Sic conceſsa uni Monaſterio per triduum Bacchanalium Indulgentia, ut populus ab hujus temporis impietate retrahatur, nedum Ordinibus aliis, ſed nec aliis ejuſdem Inſtituti domibus communicatur: Alioqui infinita eſset *in œconomia indulgentiali confuſio*. Idem.

4. In-

4. In generali Indulgentiarum unius Ordinis ad alium communica- 18
tione non comprehendi eas, quæ cum ſoleant difficillime concedi,
ob ſpecialia merita huic vel illi Ordini conceſsæ fuiſse præſumi de-
bent. Sane abſurdum fuerit, ut quæ profuſi in Eccleſiam laboris
merces ſunt & remuneratio, iis etiam qui de Eccleſia nihil bene,
quin & aliquando male merentur, citra delectum & examen appli-
canda venirent. Unde ſequitur in dubio an extraordinaria quædam
Indulgentia huic Inſtituto vel Domui, tanquam gratia ſingularis,
conceſſa fuerit, extenſionem ad alios Ordines dubiam eſse; adeo-
que ex Decreto *de Indulgentiis dubiis*, non poſse promulgari. Idem
pari de cauſa de aliis privilegiis dicendum. Unde ſi verum ſit iſtud
ejuſdem Scriptoris: *Nunquam, aut raro poſſumus eſſe certi, an non in-
tercedat in conceſſione Indulgentiæ factæ uni Ordini prorſus ſpeciale motivum,
quo non extante in aliis Ordinibus, Indulgentia non cenſeatur extendi ad alios
Ordines per generalem communicationem;* multam ſui partem corruet ſum-
mam illa privilegiorum & Indulgentiarum communicatio, cui tanto-
pere innituntur plerique Regulares.

5. Non ita abſtulit Paulus V. erogatas Regularibus Indulgentias, ut
omnes demerit: imo certiores iſtas benigne largitus eſt, apud Amort,
part. I. ſect. 5. pag. 169.

1. Plenariam cuicumque Fideli Chriſtiano ſuſcipienti habitum Reli- 19
gionis approbatæ cum intentione profitendi, modo habitum contritus,
confeſsus & ſacra communione refectus ſuſcipiat.

2. Plenariam cuilibet Novitio, qui pœnitens, confeſsus & ſacra com- 20
munione refectus, completo probationis anno, vota ſolemnia emiſerit.

3. Plenariam cuilibet Religioſo, qui in principali Feſto Ordinis ſui 21
contritus, confeſsus & Euchariſtia refectus, oraverit pro Eccleſiæ
exaltatione.

4. Plenariam cuilibet Religioſo Sacerdoti primam Miſsam celebran- 22
ti, & omnibus aliis Religioſis, qui, ſacra refecti Euchariſtia,
Miſsæ eidem interfuerint, aut ipſo die Miſsam ſimiliter celebra-
bunt.

5. Plenariam cuilibet Religioſo, qui pœnitens, confeſsus, ac ſacra 23
communione refectus, nomen Jeſu ore, ſi potuerit, ſin ſaltem corde,
devote invocaverit in articulo mortis.

6. Plenariam iis *qui de ſuorum Superiorum licentia, a negotiis per decem* 24
*dies alieni in Cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati,
in piorum Librorum, & aliarum rerum ſpiritualium animos ad devotionem
inducentium, lectionibus operam ſuam dederint; addendo ſæpe conſidera-
tiones & meditationes Myſteriorum fidei, divinorum beneficiorum, quatuor
noviſſimorum, Paſſionis D. N. J. C. & aliorum exercitiorum, orationum ja-
culatoriarum, aut vocalium, ſaltem per duas horas in diem & noctem, ora-
tionibus mentalibus ſe exercendo, adjunctis etiam confeſſione, communione, aut
celebratione ſacri, quoties hoc exercitium peregerint.* Hæc exercitia pro Mino-
ribus ad octo dies ab Alexandro VII. die 11. Junii 1659. reſtricta fuere.

7. Religioſi intra Clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devote 25
viſitaverint, & devote coram venerabili Sacramento oraverint pro
exaltatione Eccleſiæ, &c. conſequentur eaſdem Indulgentias, quas
viſi-

viſitantes Eccleſias Urbis & extra Urbem, diebus Stationum conſequuntur, in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitaſſent.

26 8. Quilibet Religioſus clauſtraliter vivens, & devote recitans quinquies *Pater* & *Ave*, coram venerabili Sacramento Eccleſiæ ſuæ, *in quolibet die quinque annos & totidem quadragenas* lucratur.

27 9. Eaſdem Indulgentias lucratur Religioſus, qui de Superiorum licentia extra Clauſtrum exiſtens, ſeu in itinere, ſeu alibi degens tanquam Prædicator & Lector, eadem coram cujuſcumque Eccleſiæ Altari præſtiterit.

28 10 Quilibet Religioſus qui *per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerit, ac confeſſus, & ſacra communione, ultima Dominica menſis hujuſmodi refectus fuerit, ſexaginta annos* Indulgentiarum, *& totidem quadragenas* percipiet.

29 11. Religioſi, *qui contrito corde & pœnitentes*, culpas ſuas & *peccata ac imperfectiones in Capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, exercitium virtutum facient, tres annos* lucrabuntur *& totidem quadragenas*.

30 12. Religioſi a Papa, vel a legitimo Superiore miſſi ad terras infidelium vel hæreticorum, Evangelii prædicandi cauſa, contriti, confeſſi & Euchariſtia refecti, plenariam Indulgentiam bis lucrantur, *videlicet quando ſe itineri accingunt*, ſeu in egreſſu Conventus ſui, *& quando Provinciam*, id eſt, Miſſionis ſuæ locum *ingreſſi fuerint*.

31 13. Lucrantur & plenariam, *qui ſpatio ſaltem duarum horarum in diverſo tempore interfuerint orationibus quadraginta horarum, quas Superior in viſitatione generali ordinaverit, ſi pœnitentes, confeſſi & communione refecti*, pro finibus conſuetis, *& pro diſciplinæ Regularis augmento oraverint*.

32 *Hæ Indulgentiæ*, ſubdit idem Pontifex, *etiam ſuffragantur Monialibus perpetuam clauſuram ſervantibus. Omnes autem & ſingulas Indulgentias quibuſcumque Ordinibus & Inſtitutis Regularibus, etiam Mendicantibus, tam vigore Litterarum Apoſtolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoſcumque Rom. Pontifices conceſſas, confirmatas & innovatas, revocamus. Datum Romæ 23. Maji 1606.*

33 Negat tamen Amort cit. quæſt. 50. per hæc poſtrema verba revocatum eſſe, tum privilegium communicandi in Indulgentiis cum aliis Ordinibus, an. 1519. quibuſdam Mendicantium Ordinibus conceſſum: tum privilegium facultatis lucrandi in propria Eccleſia Indulgentias Eccleſiarum ejuſdem civitatis, Lateranenſibus Canonicis indultum. Ratio ejus eſt, quod *privilegium hoc non ſit Indulgentia, ſed privilegium verſans circa Indulgentiam*.

34 Ut ut eſt, (forte privilegium iſtud nonnullis videbitur eſſe virtualis quædam Indulgentiæ conceſſio) ſunt & aliæ Indulgentiæ quas lucrari poſſunt Regulares, puta quæ variis Confraternitatibus & Eccleſiis conceſſæ ſunt, modo ad eas præſcripta, ſicut & alii obſervaverint: ſed & dubio procul earum capaces ſunt, quæ Fidelibus aut Eccleſiæ Miniſtris in communi tribuuntur. Harum nonnullas expendere juvat. Unde

Quæ-

Quæres 7. quid juris de Indulgentia pro defectibus in Breviarii recitatione commiſsis. 35

Reſp. Indulgentiam hanc, per quam Leo X. *orationem* Sacroſanctæ, &c. *devote poſt Officium recitantibus defectus & culpas in eo perſolvendo ex humana fragilitate contractas indulſit*, nonnullis ſuſpectam videri, eo quia is loquendi modus *culpas indulſit*, in authenticis Pontificum Indulgentiis ſit inſolitus. Sed cum Indulgentia hæc Breviariis juſſu Urbani VIII. *per aliquot eruditos & ſapientes viros* recognitis præfixa ſit, nihil eſt cur authenticitas ejus in ſuſpicionem veniat. Nec deſunt Bullæ quæ peccatorum remiſsionem ſpondent, ut ex paſsim dictis liquet. Unde hic, ut in illis, per culpas intelligi debent Pœnæ culpis debitæ, ſumpta cauſa pro effectu. Porro per culpas ex humana fragilitate commiſſas intelliguntur ſolum eæ veniales, quæ nonnihil irreverentiæ habent, quales ſunt, ait poſt Gobatium Amort, *deproperatio*, *diſtractio* brevis *voluntaria*, *vana gloria de amœnitate vocis*, *indignatio propter muſcam*, &c. Subdunt iidem, ut Indulgentia hæc percipiatur, ſatis eſſe, ſi prædicta oratio poſt totum Officium, imo ſi duabus aut tribus horis poſt Completorium recitetur; etiamſi Completorio ſubnexum ſit Matutinum diei ſequentis. His abſolute reniti nolim. Solent tamen melioris notæ Sacerdotes orationem hanc poſt Matutinum & Laudes, poſt minores Horas, ac demum poſt Veſperas & Completorium exſolvere. Nec timendum ne pluries per diem acquiratur Indulgentia; timendum ne quotidiana exercitatio ſæpius faſtidium & inattentionem redolens, prohibeat ne vel ſemel comparetur.

Quæres 8. quæ ſint Indulgentiæ Fidelibus omnibus communes, & quid circa illas obſervandum.

Reſp. 1. nec tutum eſſe, nec conſultum varias Fidelibus Indulgentias ex hujuſmodi gratiarum Compilatoribus exſcriptas proponere; quia fallunt plerumque, vel falluntur. Hinc Decretum de apocryphis Indulgentiis ab Innocentio XI. approbatum, & *inviolanter ſervari* juſſum, die 7. Martii 1678. quod videris ad calcem hujus Operis; ſed & ipſum illud Decretum prout a nobis primo editum eſt, quædam habet parum accurata, uti deinceps annotavimus. 36

Reſp. 2. conſtare de ſequentibus Indulgentiis, 1. Quilibet Fidelis confeſſus divino aſsiſtens Officio in Feſtivitate Corporis Chriſti, percipit Indulgentiam 400. dierum, ſi Miſſæ; 400., ſi Matutinis; 400., ſi Veſperis; 160., ſi cuilibet ex Horis minoribus interſit. Infra Octavam vero, mediam ejuſdem Indulgentiæ partem lucratur, ſi iiſdem interſit Officiis, proinde Indulgentiam 200. dierum, ſi Miſſæ, Matutinis, aut Veſperis; 80. vero, ſi minoribus Horis aſsiſtat. 37

Eandem conceſsit Sixtus IV. iis qui divinis Officiis in Feſto & per Octavam immaculatæ Conceptionis interſunt in Eccleſiis Minorum. 38

Sed & pares conceſsit Clemens VIII. iis qui Officio SS. Nominis Jeſu aſsiſtunt, & pro finibus conſuetis devote precantur. 39

2. *Qui hoc modo ſalutaverint alios, nempe ſuo vulgari, ſeu Latino ſermone:* LAUDETUR JESUS-CHRISTUS; *& qui ſic reſponderint:* IN SECULA, *vel* AMEN, *aut* SEMPER, *utriſque tam ſalutantibus, quam reſpon-* 40

reſpondentibus , ubicumque id factum fuerit , Indulgentiam 100. dierum conceſſit Sixtus V. quam 22. Januarii , anno 1728. renovavit Benedictus XIII. uterque vero *iis* qui per vitam *præfata agere conſueverint , ſi in articulo mortis conſtituti , & ore , vel ſi non potuerint , ſaltem corde SS. nomen Jeſu & Mariæ invocaverint , inſuper plenariam Indulgentiam adjecit* . Sed & uterque *eaſdem Indulgentias tribuit Prædicatoribus , qui inter prædicandum hortati fuerint , ut modo ſupra expoſito SS. Nomen Jeſu laudantes , ſe mutuo ſalutent , & idem Nomen Jeſu & Mariæ invocent , ceteriſque omnibus , qui hanc ſalutationis formam uſui eſſe curaverint.*

41 3. Ex eodem Sixti V. Indulto, qui devote recitaverint Litanias SS. Nominis Jeſu , trecentos ; qui autem Litanias Deiparæ ducentos dies Indulgentiæ lucrantur.

42 4. Qui facem deferunt , cum ad infirmos portatur Viaticum , lucrantur Indulgentiam ſeptem annorum , & totidem quadragenarum , ex Indulto Innocentii XII. die 5. Januarii 1695. Qui vero ſine lumine Sacroſanctum Viaticum comitantur , annorum quinque , & quadragenarum totidem Indulgentiam percipiunt . Sed qui legitime impediti facem per alium deferri curant , Indulgentiam annorum trium , triumque quadragenarum ſibi comparant , ex eodem Indulto, Indultum Innocentii XI. 1. Octobris 1688. ampliante.

43 5. Qui devote publicis quadraginta horarum precibus interſunt , & coram venerabili Sacramento orant per horæ unius ſpatium , lucrantur Indulgentiam trium annorum . Si interfuerint Proceſſioni Cathedralis , quæ in principio vel fine hujuſmodi precum inſtituitur , decem annorum ; ſi vero aliarum Eccleſiarum Proceſſionibus adſtiterint , annorum quinque Indulgentiam percipiunt . Item frequentius piis earumdem 40. horarum exercitiis præſentes, contriti, confeſſi, & ſacra communione refecti , plenariam omnium peccatorum remiſſionem obtinent, ex Indulto Gregorii XIII. die 5. April. 1580.

44 6. Qui ad campanæ pulſum devote ac flexis genibus , mane, meridie & veſpere recitaverint *Angelus Domini* , contriti , confeſſi , & ſacra communione refecti , in uno cujuslibet menſis die ad placitum eligendo , plenariam Indulgentiam ; in reliquis autem diebus , ſingulis vicibus dierum centum Indulgentiam lucrantur , ex Indulto Benedicti XIII. 14. Septembris 1724. (idem Pontifex 5. Decembr. 1727. Regularibus per Litteras in forma Brevis conceſſit , ut ſi quo tempore pulſatur campana , rebus ad regularem obſervantiam pertinentibus impediti ſint , eandem lucrentur Indulgentiam , cum ſublato impedimento eandem precem flexo genu recitabunt.) Gratiam hanc confirmavit die 20. Aprilis 1742. Benedictus XIV. & addidit poſſe Paſchali tempore loco *Angelus* recitari Antiphonam *Regina cœli* , cum verſu & oratione. Vide num. 46.

45 Duo hic exurgunt dubia , 1. an Salutatio Angelica ipſo etiam paſchali tempore flexo genu ad Indulgentiam recitari debeat , 2. an item ei addenda ſit ſtrophe ultima *Sancta Maria Mater Dei* .

Ad 1. negative reſpondet Amort. qu. 52. pag. 74. 1. quia non ea fuit intentio Pontificis ut ritum induceret novum , veteri qui admodum

dum antiquus eſt & laudabilis abrogato. Porro ritum ſtandi ad pre-
ces tempore paſchali perantiquum eſſe patet ex Niceno Concilio can.
29. ubi hæc: *Quoniam ſunt quidam in die dominico genua flectentes, & in diebus Pentecoſtes, ut omnia in diverſis locis conſonanter obſerventur, placuit ſancto Concilio a Paſchate uſque ad Octavas Pentecoſtes, ſtantes Domino vota perſolvere, vel Deo orationes effundere*. Idem diu ante obſervaverat Tertullianus, 2. quia Benedictus XIII. exigendo ut oratio hæc flexo poplite recitaretur, iiſdem uſus eſt verbis, quibus Joannes XXII. uſus erat, dum eandem orationi huic Indulgentiam alligavit. Atqui Bulla Joannis XXII. nuſquam in Italia ſic intellecta eſt, ut oratio prædicta Paſchali tempore vel dominicis diebus flexo genu perſolvenda eſſet; ut conſtat ex Romanis Scriptoribus, qui omnes cum Angelo Rocha Ordinis S. Auguſtini docuerunt, quod *Salutatio Angelica tribus vicibus recitari ſolet, genibus quidem flexis, Paſchatis, Reſurrectionis, & Pentecoſtes diebus exceptis, atque item Dominicis, & veſpere Sabbati totius anni*, &c.

Quia tamen genuflexionem expreſſe requirunt prædicti Pontifices, 46
eaque res eſt facilis aleæ, ſatius cum Sorboniſtis quibuſdam vere piis credideram adhærendum eſſe litteræ Bullarum, ubi id non incommode fieri poteſt: præſertim quia in Carmelitarum Cæremoniali præſcribitur ut *ad pulſationem Angelicæ ſalutationis Fratres, etiam tempore Paſchali genu flectant, exceptis Dominicis diebus a primis Veſperis, in quibus non genu flectent, ſed ſtabunt*. Verum qui Indulgentiam hanc confirmavit anno 1742. Benedictus XIV. voluit, 1. ut precatio illa a Veſperis cujuslibet Sabbati uſque ad Dominicam totam ſequentem a ſtantibus recitaretur, 2. ut tempore Paſchali loco *Angelus*, diceretur, etiam ſtando, Antiphona, *Regina cæli lætare*, cum verſiculo & oratione reſpondente, *Deus qui per reſurrectionem*; ita tamen ut qui antiphonam hanc memoriter neſciverint; eandem ex recitatione orationis *Angelus* Indulgentiam percipiant. Idem Pontifex die 23. Decembris 1740. *omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, qui ſingulis feriis ſextis totius anni hora tertia poſt meridiem ad ſonum campanæ Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Parochialium (quarum, inquit, Parochis, rectoribus, aliiſve quocumque nomine appellatis Superioribus, ut Campanam uniuſcujuſque Eccleſiæ hujuſmodi pulſari faciant, injungimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus)* flexis genibus quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam devote recitaverint, & oraverint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. matris Eccleſiæ exaltatione, necnon ſalutari perditorum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in *forma Eccleſiæ conſueta*, relaxavit. Vide Theodor. a Spiritu Sancto Tomo 2. de Indulgent. pagina 189. edit. in-fol.

Ad 2. reſpondet idem, Indulgentiam iis etiam accreſcere, qui 47
verſum *Sancta Maria*, &c. omittunt, juxta morem patrium, prout, ſaltem Navarri tempore, in magna Belgii parte, & ante annos 140. in Auguſtanis Germaniæ Breviariis, teſte ibidem Amort, omit-

tebatur. Idem de iis eſt, qui ultima hæc, magni tamen & pii momenti verba: *Nunc & in hora mortis noſtræ* prætermittuntur, prout docente eodem Navarro a Belgii & Hiſpaniæ laicis omitti ſolent. Huic deciſioni non illubens acceſſero; quia conditiones ad Indulgentias præſcriptæ juxta morem locorum intelligi debent, innumeris alioqui nuſquam profuturæ. Valent profecto ad Jubilæorum gratiam jejunia, prout in Gallia & Germaniis obſervantur; neque in his tamen a butyro & lacticiniis abſtinetur, ut fit in aliis locis.

48 En præcipuas Indulgentias, quæ Fidelibus univerſis obviæ ſunt; & quibus adjungi poſſint, quæ crebro in amplis Urbibus hinc & inde proponuntur. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac*, Iſaiæ 55. Sed heu! quot, ferrea hac virtuti ætate, Indulgentias neſciunt, quot ſtolide deſpicantur! quot vel ex ipſo Clero riſum moveas, ſi his in itinere tenerrimam hanc & pietatis plenam ſalutem exhibeat: *Laudetur Je'us Chriſtus!* quam tamen nos olim in Germaniæ litoribus frequentiſſimam exultanti animo vidimus. Doceant hanc praxim populos ſuos rurales Parochi, tum e ſuggeſtu, tum & præcipue exemplo: erit procul dubio ut cum tempore germinet atque coaleſcat. Hanc ego, auſpice te, piiſſime Jeſu, docebo pro viribus, nec plebeculam tantum, quæ docilior eſſe ſolet, ſed &, ſi potis erit, magnates ipſos: perſuaſus videlicet, neque præter nomen tuum eſſe nomen aliud in quo nos oporteat ſalvos fieri, neque illud ſatis unquam invocatum iri.

49 Quæres 9. quid annotari oporteat circa Indulgentias Confraternitatum. Reſp. Tria hæc potiſsimum; 1. adſcriptos Sodalitiis hujuſmodi non teneri ſub peccato preces in iis denotatas recitare; *quod quidem*, ait Navarrus in Miſcellaneis, numer. 8. & 14. *provide factum eſt ad tollendos ſcrupulos, quibus multi omittentium* (præſertim ex negligentia, ibidem) *anguntur*. 2. Eos die, hebdomada, vel menſe, quibus hæc omiſerint, alienos eſſe ab Indulgentia, quam alias lucrati eſſent. Sic Altare privilegiatum ſuo fruſtratur effectu, cum deſunt requiſitæ ad eum conditiones, quibus denuo poſitis reviviſcit idem effectus. 3. Non poſſe unam Confraternitatem alteri aggregari cum participatione Indulgentiarum ejus, uti ſemel & iterum reſpondet S. Congregatio.

Quæres 10. quid ſtatuendum de Indulgentia in articulo mortis.

50 Reſp. 1. articulum mortis eſſe unum illud, vel multiplex temporis punctum in quo cuipiam impendet proximum mortis diſcrimen, ſeu ex morbo, ſeu a caſu, puta naufragio, pugna imminenti, &c.

51 2. Dubium eſſe inter Theologos an Indulgentia hæc proſit in articulo mortis probabiliter *præſumptæ*, an tantum in articulo *veræ* mortis. Sunt qui eam in articulo tantum veræ mortis valere credant, cum Navarro: ſunt & qui eam valere opinentur, quoties mors probabiliter imminet; tum quia hæc intentio ex parte Pontificis plus rationi congruit quam oppoſita, adeoque *legalis* eſt & vera; tum quia durum eſt quod æger qui omnia ad hujus Indulgentiæ fructum accurate implevit, eodem orbatus maneat; tum quia non decet gratia hæc prima

vice

vice extinguatur, (prout cenſent alii) quia Pontificis mens eſt ut Fidelis ex hac vita mundus diſcedat. Quia tamen reſponſio hæc non eſt certa, ſuadet Navarrus, ut qui plures habet hujus generis Indulgentias; aliam in articulo mortis præſumptæ, aliam in articulo veræ mortis applicare nitatur.

3. Epiſcopos non poſſe aliis delegare facultatem largiendæ *agonizantibus* Indulgentiæ pro articulo mortis, juxta reſponſum S. Congregationis, an. 1710. Fuit tamen Epiſcopo cuidam conceſſa facultas Indulgentiam hanc, ſeu Monialibus per earum Directorem, ſeu aliis nocturno tempore per Confeſſarium applicandi. 52

4. Prædictam Indulgentiam non ſuſpendi tempore Jubilæi, prout contra Layman, Tannerum & alios quoſdam docet Viva hic, quæſt. 4. tum ex declaratione Urbani VIII. tum quia in generali diſpoſitione non veniunt quæ quis non eſset in ſpecie comprehenſurus. Abſit autem ut pii Pontifices hominem in extremo agone poſitum, tanta gratia privatum voluerint, præſertim ſi Indulgentiæ Jubilæi percipiendæ incapax ſit. 53

5. Indulgentiam hanc non prodeſse iis Confraternitatum ſociis, qui vel ab eis propria ſponte diſceſserunt, vel ob diſcolos mores ejecti fuere; vel cum iis inſcripti ſunt, non habuerunt ſeriam earum ſtatuta implendi voluntatem. 54

6. Indulgentiam hanc eo plus prodeſse, quo ſerius applicatur; quia cum per eam commiſsa tantum, non vero futura peccata dimittantur, fieri poteſt ut ea ſuſcepta quis venialiter ante mortem peccet, & ſic novis pœnis obnoxius fiat. Et id notandum a Confeſsariis. 55

7. Indulgentiam hanc raro prodeſse, ſeu propter inadvertentiam moribundi, ſeu propter Confeſsarii imperitiam. 56

Et quidem ex moribundi parte neceſsum eſt, ut conditiones ad Indulgentiam hanc præſcriptas obſervet ſedulo. Sunt autem eæ, 1. ut Confeſsarium ſeligat Indulgentiam hanc ſibi applicaturum; 2. ut peccata ſua ore confiteatur, & corde deteſtetur; 3. ut ad minus voluntatem hæc faciendi declaraverit verbis, aut ſaltem, quæ D. Antonini opinio eſt, eam animo ſincere conceperit. Siquidem, teſte Rodriguez, quæſt. 88. art. 2. declaravit Gregorius XIII. ſufficere confeſſionem & communionem in voto, quoad eos qui neutrius in actu exercito capaces erunt. Favet praxis recentiorum Pontificum, qui ægris, corde, ſi ore non poſsunt, nomen Jeſu invocantibus, plenariam tribuunt Indulgentiam, quando confiteri, & Euchariſtia reſici non valent.

Ex parte Confeſsarii requiritur ut Indulgentiam applicet, quod his verbis fieri conſuevit: *Auctoritate Sedis Apoſtolicæ mihi pro nunc commiſsa, concedo tibi plenariam remiſſionem peccatorum tuorum, de quibus es contritus & confeſſus, exceptis his quæ in confidentia hujus Indulti commiſiſti*. Haud tamen, ex communiori opinione, nutaret Indulgentia, ſi demerentur hæ voces, *exceptis his*, &c. Imo idonea & ſufficiens videtur formula quæcumque Indulgentiam ſatis declarans, qualis iſta fuerit: *Concedo tibi Indulgentiam plenariam in hac Bulla contentam*. Quod ſi ægrum, re integra, in phrænesim rapi con- 57

tingat, poterit nihilominus applicari Indulgentia, ſi hanc ejus intentionem fuiſſe ex præterita ipſius agendi ratione conjici poſſit. Ita ferme R. P. Honoratus a S. Maria, ubi Confeſſarios monet ut a moribundis ſciſcitentur, annon ratione alicujus Confraternitatis, vel aliunde, aliquo hujuſce generis privilegio inſigniti ſint.

Quæres 11. quid ſit Indulgentia *viæ Crucis*.

58 Reſp. Indulgentias *viæ Crucis* eas eſſe quæ a variis Pontificibus conceſſæ ſunt iis qui viam Crucis, ſeu varias ſtationes quas decurrit Chriſtus ſub aditum paſſionis, pie inviſerent Jeroſolymis. Has Benedictus XIII. an. 1726. extendit ad Fideles omnes, qui in Eccleſiis FF. Minorum *exercitium viæ Crucis* obirent. Ait Clemens XII. an. 1731. eandem gratiam conceſſit iis qui exercitium illud obirent extra Minorum Eccleſias in locis ab eorum Ordine non dependentibus; dummodo *via Crucis* a deputatis prædicti Ordinis Religioſis erigeretur. Erigitur autem depictis paſſim tabellis 14. in quibus exhibentur præcipuæ Chriſti paſſuri aut patientis ſtationes. Quæ vero cuique ſtationi reſpondeat Indulgentia, definiri non poteſt, cum id vetuerit S. Congregatio; conſtat tamen ex iis quaſdam eſſe partiales, quaſdam & plenarias. Ad earum acquiſitionem neceſſaria eſt in unoquoque loco brevis meditatio paſſionis Chriſti, vel privatim facta, ſi Indulgentia privatim, vel publice lecta & corde imbibita, ſi Indulgentia *proviſionaliter* comparetur. Indulgentia hæc pro vivis aliis ſuſcipi non poteſt, *ſed pro ſe duntaxat, vel pro defunctis*. Ita fert Encyclica Epiſtola Provincialis Minorum Bavariæ, apud Amort, q. 58. pag. 82.

59 Quæres 12. Qua hora incipiunt vel deſinunt Indulgentiæ certis diebus affixæ.

Reſp. cum eodem inſpiciendum eſſe conceſſionis tenorem. Unde quando conceditur Indulgentia a primis Veſperis uſque ad ſolis occaſum, ut fieri ſolet pro diebus feſtis, incipit ea hora, qua in eo loco, vel in vicinis Veſperæ dici conſueverunt; deſinit autem qua hora ſol infra horizontem, vel eidem loco, vel ſi is in imis vallibus jacet, vicinis montibus deſcendere incipit. Si autem Indulgentia abſque Veſperarum expreſſione tribuatur, v. gr. pro feria ſecunda vel tertia ante Cineres, probabilius eſt eam pro uſu in Eccleſia recepto a medio ad medium noctis perdurare; quia feriæ non habent primas Veſperas.

60 Quæres 13. an Indulgentiæ concedi ſoleant pro cultu Beatorum vel Sanctorum qui Martyrologio non inſcribuntur.

Reſp. id perraro impetrari, ut liquet ex reſponſis a Sacra Congregatione datis an. 1715. 1718. 1722. 1731. 1732. &c.

61 Quæres 14. quibus ſub conditionibus ſoleat Indulgentia concedi pro peregrinis.

Reſp. quandoque ob celebritatem loci, & aditus difficultatem concedi, etſi non ita frequens ſit peregrinorum concurſus; quandoque attendi ad numerum ſeu Miſſarum, quæ annuatim celebrantur in loco, ſeu proceſsionum quæ eo confluunt. *Nunc regulariter requiritur numerus centum millium peregrinorum ad novam conceſſionem; & ne tunc quidem ſemper conceditur, quando in vicinia eſt Eccleſia ſimilem*

habens

Digitized by Google

habens Indulgentiam. Sed pro confirmatione ſemel obtentæ gratiæ aliquando conceditu pro minori, dummodo teſtetur Epiſcopus, concurſum priorem, qui fuit motivum conceſſionis prioris, non fuiſſe imminutum. Sequuntur hæc ex variis S. Congregationis reſponſionibus. Idem, ibidem quæſt. 65.

Quæres 15. an pro authentica haberi poſsit Indulgentia, quando 62
habeatur duntaxat authenticum ejus exemplar.

Reſp. affirmat. modo conſtet exemplar illud, vulgo *Copiam* dicunt, ex Originali tranſumptum eſſe. Ita declaravit an. 1711. S. C. apud eundem, quæſt. 59.

CAPUT NONUM.

De Indulgentiarum abuſu.

CUm, uti pie ſcribit Servatius Faber, noſtrum non ſit Angelos Eccleſiarum judicare, de iis tantum abuſibus loquemur, qui ex Fidelium parte occurrunt; & hos quidem cum appellato mox Scriptore ad quinque revocabimus. Itaque

Indulgentiis abutuntur 1. qui ſub ſpe plenariam in articulo mortis 1
remiſsionem peccatorum conſequendi, deſides languent; nec ſatisfactoriis operibus incumbunt. Quaſi nempe ignorent Dominum inſtar furis ea hora qua non putant, venturum eſse? Quaſi rurſus contritionis donum eos certo maneat, qui nulla ratione illud promereri ſtuduerint? Quaſi demum Eccleſia intendat tepidorum inertiam per beneficia ſua fovere, ac veluti promovere. *Ecce ſpes ejus fruſtrabitur eum, videntibus cunctis præcipitabitur.* Job. 40.

2. Qui indiſcretas Indulgentias promulgant aut diſtribuunt; quod 2
quidem Religioſis ſub interminatione æternæ damnationis prohibetur Clement. 1. *de privilegiis*. Indiſcretæ porro dicuntur Indulgentiæ, 1. quæ vel nuſquam conceſsæ ſunt, vel deſierunt lapſu temporis, vel revocatæ ſunt. Nuſquam autem in rei veritate conceſsæ ſunt, quas ſubreptitie vel obreptitie impetrari contigit; 2. quæ ultra conceſſionis limites extenduntur, quæ privilegia nequaquam indulta continent, quæ media ad gratiæ lucrum prærequiſita diſsimulant, ne ab his deterreantur Fideles, &c. Hæc ſane figmenta improbat, quæ in omnibus verax eſt Eccleſia; ſic tamen ut dum deceptæ plebi nihil proſunt, graviter noceant deceptoribus; 3. quæ dubiæ ſunt, ſeu in radice ipſa, ſeu in progreſsu: unde nec jam licet tales exponere, nec uſquam vere licuit: quod malum ut averteret Trid. Synodus, ſtatuit Seſs. 21. cap. 9. *Indulgentias & alias ſpirituales gratias per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo .·.·. publicandas eſſe.*

3. Qui Indulgentias quaſi venales exhibent, & turpes earum oc- 3
caſione quæſtus faciunt. Hanc Lutherani erroris originem fuiſse nemo neſcit. Quapropter rurſus Tridentinum, Seſs. 25. in Decreto de Indulgentiis *ſtatuit pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in populo Chriſtiano abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe.*

eſſe. Quod ut inſigniter exequeretur Pius V. per Conſtitutionem *Etſi Dominici*, 13. Februarii anno 1567. revocavit Indulgentias qualeſcumque, pro quibuſcumque, & quacumque, etiam redemptionis captivorum maxime favorabili, cauſa conceſſas, *pro quibus conſequendis manus porrigendæ ſunt adjutrices*, id eſt dandum aliquid eleemoſynæ ad Eccleſiæ Fabricam, aliudve pium opus. Hinc & ſolent Pontifices hanc Diplomatibus ſuis clauſulam apponere: *Si aliquid datum fuerit ad obtinendum Indulgentiæ hujus privilegium, ea ſtatim nulla ſit & irrita*: ut ſemel norint Indulgentiarum oſores, cœleſtes Eccleſiæ theſauros non auro contra æſtimari, ſed gratis acceptos, gratis in Fidelium ſpirituale levamen diſpenſari.

4 Hic obiter notandum, quod ſi eadem Bulla Indulgentias duas, quarum una duntaxat quæſtuaria ſit, complectatur, alia non, poſterior iſthæc, revocata priori, perſeveret; quia utile per inutile vitiari non debet. Ita reſolvit Sacra Congregatio an. 1715.

5 4. Et ii fœde Indulgentiis abutuntur, qui certas orationes, imagines, amuleta ſacra, cum annexis, ut ajunt, Indulgentiis, Fidelibus, nec utique gratis, diſtribuunt; & quæ ut plurimum ex certa quam requirunt orationum formula, aliiſque circumſtantiis ſuperſtitionem redolent. De his generalem hanc regulam poſt Marchantium ſtatuit prædictus Faber: *Quidquid in Indulgentiis non menſuratur ordinaria & clara Pontificum regula, & moderatione ad ſacram Theologiæ limam, id tibi ut ſuperſtitioſum & vanum ſuſpectum ſit*.

APPENDIX QUARTA.

De Jubilæis.

MEns erat amplum & uberem de Jubilæo Tractatum exhibere: verum quia moralem hanc Theologiam Voluminibus quindecim abſolvi decet, breviori oratione complectendum erit, quod prolixiori dicendum meditabar. Summa igitur rerum faſtigia ſecutus, dicam 1. de nomine, eſſentia & diviſione Jubilæi; 2. de his qui Jubilæi percipiendi capaces ſunt; 3. de operibus ad lucrandum Jubilæum præſcriptis; 4. de privilegiis Jubilæi, præſertim in ordine ad cenſuras & vota; 5. de ſuſpenſione Indulgentiarum tempore Jubilæi.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, eſſentia, & diviſione Jubilæi.

1 JUbilæus, vel Jubilæum; (utrumque enim promiſcue dicitur, etſi malint aliqui ut annus quo Indulgentia conceditur, dicatur *Jubilæus*, ipſa vero Indulgentia Jubilæum) derivatur juxta quoſdam a voce

voce Latina *Jubilare*, quæ idem eſt ac ingentis lætitiæ ſignum edere; quod tunc fieri maxime poteſt cum Fidelibus aperiuntur Eccleſiæ theſauri; juxta ceteros a voce Hebraica *Jobel*, unde melius Jobelæus quam Jubilæus nuncuparetur. Jobel autem pro variis unde deducitur radicibus, idem eſt ac deducere in libertatem, dimittere, germinare, tuba clangere, &c. quæ omnia Hebræorum Jubilæo poſt quinquaginta annos redeunti apprime conveniebant. Tunc enim & ſervi manumittebantur, & remittebantur debita, & poſſeſſiones avitæ priſtinis poſſeſſoribus ſine pretio reſtituebantur, &c. Unde Levit. 25. 10. *Sanctificabis annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ: ipſe enim eſt Jubilæus: revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, &c.* Sed & tunc vel agri ſponte germinabant, vel anno Jubilæum præcedente geminam frugum menſuram dabant. Demum Jubilæus annus buccinæ ſonitu indicebatur.

Jubilæum novæ legis, quod & uberiores & ordinis longe ſuperioris gratias ſpondet & præſtat, definiri vel deſcribi poteſt: Remiſſio totius pœnæ temporalis peccatis debitæ in foro Dei, extra Sacramentum, cum ſingularibus privilegiis conceſſa per applicationem ſatisfactionum Chriſti in communi Eccleſiæ theſauro contentarum. Brevius vero, Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis ſub certis conditionibus conceſſa. Jubilæum quatenus *remiſſionem* importat, convenit cum Sacramentis, quæ etiam peccata ſuo quæque modo remittunt; quatenus *pœnæ totius temporalis* remiſſionem dicit, convenit cum Indulgentiis plenariis; quatenus demum magna & ſingularia privilegia importat, ab iiſdem diſtinguitur. 2

Cavendum porro ne Indulgentiis quæ privatis Eccleſiis *in formæ Jubilæi* aliquando conceduntur, eadem ineſſe credantur privilegia, quæ Jubilæis ipſis, ut male docent Vega, Filliucius, &c. hæc enim opinio nec practice tuta eſt, ut docet ipſe Gobat, nec ulla veriſimili ratione nititur: quin & probatur falſa eſſe, tum ex praxi, quæ optima eſt legum interpres; tum quia Jubilæum nonniſi præmiſſis jejuniis, orationibus, &c. concedi ſolet; tum quia nec ipſum anni ſancti Jubilæum hunc præſtare favorem ſolet, ut quiſque approbatum ab Ordinario Confeſſarium eligere poſſit, per quem a reſervatis abſolvatur. Ita Suarez, Tom. 5. in 3. part. diſp. 7. ſect. 5. Navarrus, Dom. Viva, hic qu. 1. art. 1. num. 4. 3

Jubilæum dividitur 1. in Romanum, Compoſtellanum, & extraordinarium. 4

Romanum illud eſt quod Romæ per totum annum ſanctum, ſingulis 25. annis hodie recurrentem celebratur. Et illud quidem in Feſto Aſcenſionis Domini, tum pro Romanis, tum pro ceteris Orbis Fidelibus promulgari ſolet. Incipit vero in Nativitatis Dominicæ vigilia, qua poſt meridiem aperitur porta ſancta, a Papa quidem porta S. Petri, a tribus vero Cardinalibus portæ Baſilicarum S. Pauli, Sancti Joannis Lateranenſis, & S. Mariæ Majoris. Perdurat autem toto anno uſque ad ejuſdem Nativitatis Dominicæ pervigilium, quo eadem porta ſancta novo muro occluditur, qui manet integer, donec iterum annus ſanctus recurrat. 5

Com-

6 Compoſtellanum illud eſt quod Compoſtellæ celebratur toto illo anno, quo S. Jacobi Feſtum incidit in Dominicam, & a vigilia Circumciſionis uſque ad ultimam anni ſequentis diem, tam incolis loci, quam peregrinis eo affluentibus apertum eſt.

7 Extraordinarium eſt illud, quod vel poſt annum ſanctum pro aliis Diœceſibus extra Romam, vel poſt inaugurationem Pontificis, aut in gravi Eccleſiæ periculo, aliove quocumque urgenti caſu conceditur.

8 Jubilæa Romanum & extraordinarium in eo conveniunt, quod utrumque & a ſolo Papa conceditur, & plenariam omnium peccatorum Indulgentiam Fidelibus confert. Diſcrepant autem 1. quod Jubilæum anni ſancti per annum integrum perduret; extraordinarium vero per unum aut alterum menſem, plerumque per duas tantum hebdomadas, 2. quod illud determinato tempore, quolibet nimirum vigeſimo quinto anno, conceditur, iſtud ad Pontificis beneplacitum, & prout exigunt caſus, indulgeri conſuevit; 3. quod in Jubilæo anno ſancto variæ adhibentur cæremoniæ, ut portæ ſanctæ apertio, non in aliis; 4. quod certius obtineatur anni ſancti, vel ſequentis in aliis Diœceſibus, Indulgentiæ; quia hæc & opera graviora magiſque proportionata requirit, & univerſaliorem habet cauſam, nempe Fidelium totiuſque Chriſtiani populi ſalutem; 5. quod in Jubilæis extraordinariis ſemper concedatur facultas commutandi vota reſervata, (Religionis & continentiæ perpetuæ exceptis) non autem, ſaltem expreſſe, in Jubilæis anni ſancti.

9 An autem privilegia extraordinariis Jubilæis conceſſa, ipſi etiam anni ſancti, ſeu ut hic intelligimus, Romano Jubilæo competant, ambigunt Doctores. Negant Lugo, Gobat, Blaſius ab Aſſumptione, part. 2. qu. 1. & alii non pauci; 1. quia in his materiis Pontificia Indulta non plus valent quam ſonant. Atqui Indulta ſeu Bullæ, quæ anni ſancti gratiam recenſent, plenariæ ſolum Indulgentiæ mentionem faciunt; de poteſtate vero eligendi Confeſſarium qui a reſervatis abſolvat, vota communiter, &c. penitus ſilent.

10 2. Quia Pontifices, qui extraordinaria Jubilæa concedunt, poſtquam dixere ſe largiri Indulgentiam anni ſancti, ſubjiciunt: *Inſuper cupientes, ut omnes Fideles tanti theſauri participes fiant, facultatem concedimus eligendi ſibi Confeſſarium qui a reſervatis abſolvat, &c.* Atqui ſi facultas iſta Jubilæis anni ſancti tacite ineſset, perperam diceretur ſuperaddi Jubilæis extraordinariis.

11 3. Quia Clemens X. *de gratiis Indulgentiæ anni ſancti annecti ſolitis*, a Jeſuita quodam anno 1651. interrogatus, *expreſſe negavit ſe illas concedere*, prout refert Gobat num. 562. quod & rurſus in *Notificatione* ſua declaravit.

12 Contrariam nihilominus opinionem veluti *probabilem* cum aliis multis, (dempta tamen eligendi Confeſſarii facultate) amplectitur Dom. Viva, quæſt. 3. artic. 3. unde cum per ipſum, ibidem artic. 2. *probabiliſſimum ſit Jubilæi favores*, non tamen Indulgentiam, *obtineri, ſequendo opinionem probabilem, etiamſi a parte rei falſa ſit;* conſequens eſt, privilegia de quibus loquimur, re ipſa prodeſſe, licet ea

Ponti-

Pontifex largiri non intenderit. Sua quidem ſunt utrique opinioni huic momenta; ſed nec ſi graviora ſint, quemquam movere debeant, ut ſibi per auctoritatem dubia extra neceſſitatis caſum in rebus tanti momenti provideat.

Dividitur 2. Jubilæum in Jubilæum ſimpliciter dictum, & Jubilæum *ad inſtar*. Verum hæc diviſio coincidit cum præcedenti; Jubilæum enim ſimplex eſt ipſum Jubilæum anni ſancti: Jubilæum *ad inſtar* idem eſt cum extraordinario, neque eſt *ad inſtar*, niſi ratione plenariæ Indulgentiæ, cum ceteroquin ex mox dictis plura habeat privilegia quæ non habet, aut ſaltem certo non habet Jubilæum anni ſancti. Id ſolum obſervari oportet per Jubilæum *ad inſtar* illud unum a pluribus intelligi, quod a Pontificibus extra annum ſanctum vel ſequentem conceditur. Certe moris eſt ut in Galliis anno v. g. 1726. & 1751. Jubilæum anni ſancti lucrari dicamur. 13

Quæres 1. cui competat facultas concedendi Jubilæum. 14

R. Hanc ſoli Pontifici competere, cum ipſe ſolus & plenariam Indulgentiam, & poteſtatem a certis votis diſpenſandi tribuere poſſit.

Quæres 2. quis fuerit Jubilæi inſtitutor. 15

R. Veri non eſt ſimile quod cum Polydoro Virgilio narrant plures, Jubilæi uſum a Bonifacio VIII. pro anno 1300. inſtitutum eſſe. Conſtat enim ex Extravag. *Antiquorum, de pænitent. & remiſſ.* Bonifacium non inſtituiſſe, ſed renovaſſe, & ad ſummum de novo ſtatuiſſe, ut Jubilæum determinato tempore, quovis nimirum centeſimo anno celebraretur, & plena tunc perciperetur Indulgentia ab iis qui Apoſtolorum limina pie inviſerent; quod quidem tanto Gentium omnium concurſu anno 1300. factum eſt, ut tota anni hujus ſerie ducenta peregrinorum millia in Urbe commorarentur. Verum dubio procul altius repetenda eſt inſtitutio Jubilæi; cum Alexander III. qui Eccleſiæ ab an. 1159. adeoque 130. & amplius annis ante Bonifacium præfuit, Compoſtellanæ Baſilicæ Jubilæum inſtar Romani conceſſerit, quod in Bulla ſua jam pridem a deceſſoribus ſuis Calixto II. Eugenio & Anaſtaſio, eidem Eccleſiæ indultum fuiſſe agnoſcit. Quin & plures inſtitutionem Jubilæi vel ab Apoſtolis, vel ab eorum ſucceſſoribus ortam eſſe contendunt, ut apud Ferraris & Palaum videre eſt.

Ut ut ſit, Clemens VI. Annum ſanctum, qui poſt unum duntaxat ſæculum rediens, paucis admodum prodeſſe poterat, ad quinquageſimum quemque annum reduxit anno 1350. Sed quia & hoc etiam temporis intervallum longius foret, Urbanus VI. anno 1378. Jubilæum poſt annos triginta tres in memoriam annorum quibus Chriſtus vixiſſe communiter creditur, haberi voluit; quod & ſervatum eſt a Martino V. & Nicolao V. uti refert Paulus II. in Conſtitutione *Ineffabilis providentia*, qua an. 1470. ſtatuit ut in poſterum celebraretur annus Jubilæus anno quolibet vigeſimo quinto, ut ætas omnis fieri poſſet tanti theſauri particeps. Atque hoc tempus annorum 25. hactenus a ſucceſſoribus Pauli II. religioſe obſervatum eſt; ſiquidem Alexander VI. Jubilæum pro anno 1500. edixit, Clemens VII. pro an. 1525. Julius III. pro 1575. Clemens VIII. pro 1600. Urbanus VIII. pro 1625. Innocentius X. pro 1650. Clemens X. pro 1675. Innocentius XII. pro an. ſæculari 16

Digitized by Google

culari 1700. Benedictus XIII. pro anno 1725. ac demum Benedictus XIV. pro an. 1750.

17 Quæ vero ſit epocha Jubilæi extraordinarii poſt annum ſanctum Regionibus aliis conceſſi, non omnino certum eſt. Conſtat id equidem a Clemente VIII. pro anno 1601. ab Urbano VIII. pro anno 1625. &c. factum eſſe; ſed an ante factum non eſſet, haud omnino conſtat. Id certum, gratiam hanc a Papa, non *motu proprio*, ſed ad inſtantiam, vel Nuntiorum, vel Epiſcoporum, quandoque etiam Regum indulgeri.

18 Sed neque conſtat quis omnium primus poſt coronationem ſuam Jubilæum conceſſerit. Nullus quidem, ſaltem in utriuſque Cherubini Bullario, id ante Sixtum V. an. 1585. feciſſe reperitur. Verum quia idem Papa in Conſtitutione ſua, quæ incipit: *Virium noſtrarum infirmitate, &c.* ſignate præmittit: *Similem indictionem per omnes fere Pontifices* promulgari ſolitam, extra dubium eſt conceſſionis hujus originem in Sixtum V. male refundi. Sed de his quæ ad praxim, hujus Operis ſummam, nihil pertinent, hactenus plus ſatis.

CAPUT SECUNDUM.

De his qui Jubilæi lucrandi capaces ſunt.

19 Conſtat ad hoc ut Jubilæum comparare quis poſſit, requiri 1. ut viator ſit; neque enim lucrari Indulgentiam poſſunt pie defuncti, etſi hæc eis applicari poteſt; 2. ut compos ſit rationis, quia alioqui præſcripta opera humano modo adimplere non poteſt: quanquam ut a dormiente; cum jejunii tempus impletur, percipi poteſt Indulgentia; ſic & ab eo, juxta plures, recipi poſſet, qui præſtitis univerſis aliis Jubilæi operibus, in dementiam lapſus, abſolveretur & Euchariſtia reficeretur; 3. ut Fidelis ſit & baptiſatus; tum quia alias confeſſionis & Euchariſtiæ incapax eſt; tum quia theſaurus Eccleſiæ ſolis ejus membris diſpenſari poteſt; 4. ut ab excommunicatione, ſaltem majori, liber ſit, ea enim ligatus, quamvis ſerio contritus, nec abſolutione donari, nec Euchariſtia refici poteſt: Quæ ex dictis Tom. II. metienda ſunt. His ergo prætermiſſis, quæ nihil difficultatis, ſaltem in præſenti expendendæ, habent.

20 Quæritur 1. quinam Romanum, ſeu anni ſancti Jubilæum lucrari valeant.

Reſp. eos ſolum, qui Romam ſe conferunt, ibique opera præſcripta ſecundum Eccleſiæ intentionem devote exequuntur; niſi ex privilegio habeant facultatem Jubilæum in proprio domicilio, vel extra Romam lucrandi.

21 Quæritur 2. quibus competat privilegium iſtud.

Reſp. Privilegium iſtud a Papa iis tribui, 1. qui vel in Urbe, vel etiam in itinere ad Jubilæi lucrum ſuſcepto, ante morbo corripiuntur, quam injuncta opera vel abſolvere, vel inchoare poſſint; 2. & iis etiam, ſaltem ex Bullis Innocentii X. & Clementis X. qui Romam con-

contendere non poſſunt, puta Sanctimonialibus, Anachoretis, Eremitis, iis item qui in carceribus, vel diuturna infirmitate detinentur. Ut autem hi gratia ſibi oblata fruantur, neceſſum eſt 1. ut hypotheticam quidem, ſed veram & ſeriam Urbis inviſendæ, ſi liceret voluntatem habeant; 2. ut vere ſint pœnitentes & confeſſi; 3. ut opera ſibi vel a Superioribus, vel a prudenti Confeſſario injuncta pro viribus implere ſtudeant; 4. ut prædictis obicibus, non autem aliis, qualis eſt conditionis ſtatus, detineantur. Nec enim Cauſidicus, Judex, Mercator, quia ſuo quiſque officio alligatus eſt, etiam cum ſincera itineris voluntate Indulgentiam lucrabuntur.

Quæritur 3. quid Sanctimonialium vel Eremitarum nomine intelligendum veniat. 22

Reſp. ad 1. Monialium nomine intelligi, tum eas quæ tribus Religionis votis obſtrictæ ſunt, tum & eas, juxta Vivam, quæſt. 7. artic. 1. quæ licet tria hæc vota non emittant, de licentia Epiſcopi collegialiter intra Monaſterium aliquod vivunt, cum obligatione ſervandi perpetuam clauſuram. Veniunt & Novitiæ, quæ in favorabilibus ſub Religioſarum vocabulo comprehenduntur; quin & juxta eundem Vivam eodem fruuntur privilegio, Quæſtuariæ, quę quibuſdam in locis civitatem, ſtipis captandæ gratia, circumeunt, dum interim reliquum Monaſterii corpus clauſuram ſervat; quia ſtat eas membra eſſe communitatis ad clauſuram adſtrictæ; quod in privilegiis quæ late interpretanda ſunt, ſufficit. At ſub Monialibus non veniunt educandæ quæ cum iis convivunt; quia eæ nullo ſenſu perpetuæ clauſuræ ſubjacent. Hæc ille, a quibus diſſentit P. Manſuetus Koch, Canonicus Regularis Lateran. in Opere cui titulus *Jubilæum univerſale*, ubi, pag. 76. ad privilegii hujuſce uſum perpetuam cum tribus votis clauſuram exigit; & meo quidem judicio non inepte; puellæ enim quæ ſine iiſdem votis clauſuram ſervant, ſunt vere ſæculares; etiamſi vota ſimplicia emittant & eo nomine parentibus ſuccedunt in bonis, niſi obſiſtat Lex Regia. Porro ſæculares puellæ a Monialibus omnino diſtinguuntur.

R. ad 2. cum eodem Viva, Eremitarum, ſeu, quod idem ſonat, Anachoretarum nomine veniunt, qui ſeorſim ab hominum conſortio eremum incolunt in ſolitudine, ut contemplationi vacent, etiamſi Religioſi ſint, ut Camaldulenſes. Monachi tamen cum ſeorſim ab hominum ſocietate non vivant, ſub Eremitis quoad præſens non comprehenduntur. Unde Caſſianus, Collat. 18. cap. 4. diſtinguit Monachos Cœnobitas ab Eremitis. Subdit idem Viva, Carthuſienſes, ſeu in Conventibus intra civitates, ſeu extra degant, eodem privilegio potiri, tum quia raro conveniunt inter ſe, tum quia & ipſi in cellulis vivunt ut cœleſtium meditationi vacent. Nec obeſt, inquit, quod de domo in domum tranſmigrent; quia hinc ſequitur paulo leniorem eſſe ipſorum clauſuram, quam Sanctimonialium, quę & ipſę identidem nihilominus ad ſalubres aquas, vel ob aeris incommodum alio tranſeunt; non tamen eos perpetuę, qualis viros decet, clauſuræ non eſſe mancipatos. Sane vero Carthuſienſes, quo meditationi vacent, & cellulis propiis non exeunt, niſi ad Eccleſiam, aut gravibus de cauſis. 23

Quæ-

24 Quæritur 4. quid carceratorum, vel infirmorum nomine intelligendum ſit.

Reſp. ad 1. Carceratorum appellatione veniunt, qui contra propriam voluntatem ita detinentur, ut quo viſum fuerit vagari non poſſint; quales ſunt non ii modo qui continentur in ergaſtulis, ſed & qui civitatem habent carceris loco: item qui ſub fidejuſſione relaxantur, quia hi ſtatim ut a Judice vocati fuerint, comparere tenentur; & potiori jure damnati ad triremes. Aliud eſt tum de militibus, tum de Religioſis; quia licet neutri arcem vel clauſtrum deſerere poſſint, haud tamen contra propriam voluntatem, quæ ad minus ſubſiſtit in cauſa, detineri cenſentur. Quod ſi ſub indignationis comminatione vetuerit Princeps ne quis e certo loco abſcedat, is, ut honeſtiori, ſed tamen vero carcere detentus, privilegio frui poſſet.

25 Reſp. ad 2. per infirmos a nonnullis eos intelligi, qui præ morbo Extremæ-Unctionis capaces ſunt. Sed male, quia multo durius in re favorabili, & quantum verba ferunt, extendenda. Malim ego cum aliis eos intelligi, qui præ caduca valetudine, quantumcumque velint, quod ſemper eſt ſupponendum, ſanctam peregrinationem ſine notabili periculo tentare non poſſent. Atque in eo ordine erunt epileptici, qui ægritudine ſua non raro corripiuntur, leproſi, cœci, claudi, ſaltem ſi Roma longius diſtent; ſenes item minime vegeti. Ubi notandum cum Viva, eadem quæſt. 7. art. 2. nu. 2. infirmitatem in Bulla requiſitam, quod & idem de carcere dicendum; debere eſſe diuturnam, id eſt quæ majori anni parte duratura ſit, aut ſaltem diu duratura præſumatur.

26 Quod de ſenibus & infirmis dictum eſt, ſpectat ad Religioſos, qui pejoris non ſunt conditionis quam ceteri, modo & itineris faciendi licentiam obtenturi eſſent, & ſinceram ejus decurrendi voluntatem gerant. Hac occaſione duo exurgunt dubia. Unde.

27 Quæritur 5. an Regularibus, qui niſi obeſſet infirmitas, Apoſtolorum limina eſſent inviſuri, opera pia ad lucrandum Jubilæum ab Ordinariis locorum injungenda ſint, an etiam a Superioribus eorum poſſint injungi.

28 Reſp. poſſe ab ipſis etiam Superioribus injungi, 1. quia vix probabile eſt mentem Pontificis eſſe ut in iis quæ juriſdictionis ſunt, Regulares ſubjiciat Ordinariis; 2. quia Pius V. anno 1571. in Conſt. 132. Dominicanis conceſſit, ut in Religioſos ac Moniales Ordinis ſui id poſſent, quod in Clericos & ſæculares ſibi ſubjectos poſſunt Epiſcopi, tam in ordine ad abſolvendum & diſpenſandum, quam in ordine ad alias quaſcumque facultates. Iſtud autem privilegium, quod *exorbitans* dici nequit, ad Regulares alios privilegiorum communicationem habentes extenditur. Si cui dubia erit deciſio hæc, quia Pontifex, cum de Sanctimonialibus & Eremitis loquitur, dicit opera ad Jubilæi lucrum eſſe iis ab eorum Superioribus, vel de ipſorum mandato a Confeſſariis injungenda; cum autem de infirmis aut carcere concluſis verba facit, jubet eadem opera ab Ordinario indici: is & ſua & Epiſcopi auctoritate uti poterit.

29 Quæritur 6. an Papa, qui Fideles univerſos ad anni ſancti gratiam invitat,

invitat, Religioſis eo ipſo licentiam faciat Romam abſque Superiorum facultate contendendi.

Reſp. neg. quia hæc vagorum curſitatio vergeret in ſummum Regularis diſciplinæ detrimentum. Sane qui tunc prætenderetur favor, & dubius admodum foret, & plurimis, juvenibus præſertim, impendio exitialis.

30 Quæritur 7. an peregrini, qui tranſeunt per Diœceſim vel Civitatem, cui apertum eſt Jubilæum aliquod, illud lucrari poſſint, ut incolæ loci, aut qui in eo quaſi domicilium habent; modo præſcripta ad ipſum opera perficiant.

Reſp. affirmat. modo peregrini illi in hac Diœceſi vel Civitate adimpleant opera, non dico quæcumque, ſed localia, quæ videlicet in hoc loco præſtari debent, ſcilicet Eccleſiarum viſitationem. Unde qui Baſilicas in hac urbe inviſit, & in alia, etiam ubi apertum non eſt Jubilæum, jejunat, rurſuſque in alia peccata deponit, & Euchariſtia reficitur, Jubilæi Indulgentiam obtinet: an etiam privilegia ſuo loco expendam.

31 Ratio primæ partis eſt, 1. quia uſu communi receptum eſt, ut gratiæ Pontificiæ alicui loco conceſſæ ad peregrinos & advenas extendantur. Neque vero eas Bullæ concedunt *incolis*, ſed *Fidelibus* hujus loci: ſunt autem in hoc loco Fideles, qui loci incolæ non ſunt. 2. Quia Jubilæi favor non eſt *mere* perſonalis, ſed etiam localis & realis, quatenus ad ſui conſecutionem certa opera in tali loco præſtanda, puta hujus vel illius Baſilicæ viſitationem exigit; 3. quia Epiſcopi legitimi gratiæ Pontificiæ interpretes in Diplomatibus ſuis, citra ullam incolæ & advenæ diſtinctionem teſtantur gratiam Jubilæi ad eos omnes ſpectare, qui præſcripta opera compleverint; 4. quia gratia Jubilæi, utpote nemini nocens & de ſe favorabilis, late eſt interpretanda, quantum ſinit verborum proprietas, 5. quia alioquin vagi, aut qui rerum ſuarum cauſa iter faciunt, vix ſummæ Jubilæi gratiæ participes fieri poſſent; quod quam durum ſit nemo non videt. Imo nec illud ii conſequi poſſent, quorum Epiſcopis a Papa fuiſſet denegatum, uti non ita pridem contigit.

32 Ratio ſecundæ partis eſt, quod ad Jubilæi conſecutionem ſufficit opera præſcripta adimpleviſſe. Sed qui deſignatas Eccleſias Lugduni inviſit, & Viennæ confitetur atque Euchariſtiam recipit, omnia ad Jubilæi conſecutionem præſcripta exequitur. Haud equidem ſufficeret ut Eccleſias Viennæ, ubi vel non eſt, vel non erit Jubilæum, inviſat; quia neceſſum eſt, ut non quaſcumque Eccleſias, ſed deſignatas viſitet. Verum neceſſum non eſt ut in hac potius quam in illa Eccleſia peccata deponat, vel communicet, quia id nulla lege conſtitutum eſt. Sane moris eſt, ut quiſque in Parochia ſua communicet; nec tamen quælibet Parochialis Eccleſia ſemper eſt ex earum numero quæ viſitandæ ſunt.

33 Confirm. quia privilegium Jubilæi ita locale eſt; ut perſonam afficiat. Ergo qui in hoc loco opera deſignata incœpit, jus acquiſivit ad idem Jubilæum; proinde illud alibicumque, cetera neceſſaria implendo, lucrari poteſt; modo hæc intra tempus conſtitutum, puta bimeſtre,

meſtre, exequatur. Nec dubium quin variis in Diœceſibus, modo in iis apertum ſit Jubilæum, & adhuc duret, Stationes ſuas exolvere poſſit; quia ſic verum eſt quod deſignatas Eccleſias, quoties locali lege præſcriptum erat, inviſerit.

34 Hinc 1. qui Meldis hebdomada prima Eccleſias quot quot opus erat, inviſit, Jubilæum lucrabitur, etiamſi Pariſiis jejunium, confeſſionem & alia perficiat, ſive Pariſiis apertum ſit Jubilæum, ſive non.

35 Hinc 2. qui Meldis Jubilæum lucrari neglexit, in vicinam Diœceſim tranſmeare poteſt, & Eccleſias inviſendo, quamdiu ſtat Jubilæi tempus, gratiam ejus conſequi.

36 Imo in Jubilæis *ad inſtar* poteſt toto anno Indulgentia obtineri; quia Jubilæa hæc ab initio Fidelibus univerſis conceſſa ſunt & aperta. Quod autem dicitur ea nondum in hac aut illa Diœceſi aperta eſſe, eo ſolum ſenſu verum eſt, quod in hac Diœceſi necdum obtineri poſſint, quia necdum in iis deſignata ſunt ſeu jejuniorum tempora, ſeu Eccleſiæ quæ viſitari debeant. Ita Manſuetus Koch, & melius Blaſius ab Aſſumptione, in Libro cui titulus: *Recueil de Cas de conſcience .·.·. ſur le Jubilé*, cap. 1. caſ. 16. & ſeq.

37 Quæritur 8. an qui in Diœceſi ſua Jubilæum lucratus eſt, illud denuo in alia, repetitis quæ præſcripta ſunt operibus, lucrari poſſit.

Negant plures cum Suarez, Navarro, Layman, Bonacina, & aliis contra non paucos, e quibus ſunt Diana, part. 5. Tract. 12. Reſolut. 28. Koch, qu. 1. num. 99. 1. quia qui Jubilæum Romanum in Urbe lucrati ſunt, idem denuo lucrari poſſunt, ex ſpeciali privilegio. Ad quid vero privilegium iſtud, ſi quiſque bis Jubilæum lucrari poſſit? 2. Qui Jubilæum in Urbe lucrati ſunt, illud tantum altera vice ad ſuos reverſi lucrari poſſunt. Ergo deterioris forent conditionis, quam qui ad Urbem, ſeu Romam, non contenderunt; hi enim ſi bis, utique decies & vicies Jubilæum lucrari poſſent. 3. Quia ita reſpondiſſe fertur Clemens VIII. & indubie idem anno 1620. reſolvit Sacra Congregatio. 4. Quia ſi quis Jubilæum bis obtinere poſſet, poſſet bis a cenſuris & reſervatis caſibus, quos denuo incurriſſet, abſolvi. Atqui id non concedit Papa, ſed ſolum ut *hac vice*, & *ad hunc* Jubilæi lucrandi *effectum* abſolvi valeant. Ita idem Blaſius, eodem cap. caſ. 2. Quia tamen nemo certo ſcit ſe Jubilæi gratiam promeruiſſe, ſunt qui pie Jubilæi opera repetant, ut ſi prima vice gratiam ejus non attingerint, hanc novo conatu promereantur. Et id, ſi ſine anxietate fiat, laudandum. Hæc illi, ad quos ſponte accederem. Aliud tamen definiit Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, §. 52. ubi hæc: *Qui hoc anno ſancto bis, aut pluries omnia & ſingula* Jubilæi *opera .·.·.·. iteraverit, bis quoque aut pluries poterit hoc anni ſancti Jubilæum lucrari. Nos enim habita ratione annui ſpatii, ad quod hujuſmodi Jubilæum protenditur* (quæ ratio pro ceteris ejuſdem formæ Jubilæis militare videtur) *ita de Apoſtolicæ liberalitatis plenitudine concedimus. Hoc tamen declarantes, neminem poſſe, niſi ſemel, id eſt prima tantum vice frui, ſeu potiri favoribus huic Jubilæo adjunctis*, quales ſunt, ut ibidem dicitur, abſolutio a cenſuris & caſibus reſervatis de novo contractis, commutatio votorum, &c.

Quæ-

Quæritur 9. an viatores ab itinere reverſi Jubilæum lucrari poſſint, & quandiu. 38

R. In Bullis Jubilæorum *ad inſtar* concedi viatoribus ut ad ſua reverſi Jubilæum lucrari poſſint; de hoc autem ſileri in Jubilæis anni ſancti, quæ in præſenti diſtinguimus a Jubilæis *ad inſtar*. Sed quia Bullæ pro Jubilæis anni ſancti Ordinariis concedunt facultatem procurandi viatoribus ad ſua reverſi Jubilæi, conſtat viatores gratiam hanc conſequi poſſe, ſi id expreſſerit Epiſcopus, quod cavendum ne unquam omittat.

39 Quandiu autem perſeveret facultas gratiam hanc conſequendi, nonniſi ex Epiſcopalis Mandati tenore dijudicari poteſt. Si enim expreſſerit Epiſcopus futurum ut Jubilæi participes eſſent qui *immediate* poſt reverſionem ſacro operi incumberent, excident a gratia, qui ex ignorantia vel deſidia rem aggredi prætermiſerint. Si vero nullum præſcripſerit tempus, exiſtimat citatus Caſuiſta, p. 1. cap. 5. caſ. 25. poſſe viatorem, qui etiam *per plures menſes* a reditu de Jubilæo non cogitavit, illud tandem, ad meliores ſenſus reverſum, promereri. Quoniam tamen deciſio hæc pia magis eſt quam certa, provide ſibi conſulunt, qui quamprimum moraliter valent, præſcriptis operibus vacant.

40 Quod ſi ab Epiſcopo conſtitutum ſit ut viatores Jubilæum lucrentur, ſi intra duos a reditu menſes præſcripta opera fecerint, gratiæ ejus particeps fieri poterit, qui uno aut altero die ante poſtremi menſis exitum, Confeſſarium pro tunc approbatum in Tribunali convenerit; is enim opera præſcripta in alia, juxta prædictum Auctorem, commutare poterit, quod difficile videtur, vel Jubilæi tempus eidem prorogare, prout iis quotidie fit qui procraſtinando, ad ultimos deſignati temporis dies devenerunt. Vide eundem Blaſium ad Aſſumpt. cit. cap. 5. caſ. 28. & ſeq.

41 Quæritur 10. an ad Jubilæi conſecutionem ſufficiat intentio habitualis vel interpretativa, ita ut qui Jubilæi plane neſcius opera omnia ad ejus lucrum ponit, gratiam ejus obtineat.

Affirmant Layman, Lib. 5. Tract. 7. cap. 6. n. 5. Diana, part. 5. Tract. 12. Reſol. 6. Koch, q. 1. ſect. 5. n. 75. Blaſius, cap. 2. caſ. 9. 1. quia ſi juſtus juſto alii plane neſcio ſatisfactiones ſuas applicare valet; poteſt univerſalis Eccleſiæ Paſtor ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum neſcio cuipiam, præſcripta tamen exequenti, applicare; 2. quia in humanis poteſt alter alterius inſcii debita expungere; 3. quia qui Miſſam feſta die audit, neſcius Feſti, Eccleſiæ legi ſufficienter obtemperat, &c. Hæc fuſius non proſequor, quia ſumme inutilia. Quis enim, niſi in fictitiis Caſuiſtarum hypotheſibus, jejunia, ſtationes in his numero Eccleſiis, orationes ſecundum Pontificis intentionem perſolvet, ſi de Jubilæo nihil audierit? Imo quis, niſi forte æger, qui id de induſtria celabitur, nullam, dum villæ & urbes Jubilæum reſonant, Jubilæi notitiam habebit; eave habita omnia ad conſecutionem ejus neceſſaria præſtet, abſque virtuali ejuſdem lucrandi intentione? Longe facilius fieri poteſt eadem hypotheſis quoad communes Indulgentias: nec enim mirum eſt, ſi quis earum inſcius communicet in Eccleſia cui affixa ſunt, & oret pro exaltatione S. Eccleſiæ, pro Principum concordia. In hoc

autem caſu Indulgentiam ſatis probabiliter percipi diximus in Tract. præced. cap. 5. num. 40.

42 Quæres 11. an poſſit quis Jubilæi Indulgentiam alii ſeu vivo, ſeu defuncto applicare.

R. ad 1. Etſi, quod tuentur multi, concedere poſſit ſummus Pontifex, ut vivus vivo alii Indulgentiam hanc applicet, nuſquam tamen id ab eo permiſſum eſſe; quia quiſque eam ſibi lucrari ipſe poteſt, & aliena indignus eſt ope, qui ſibimet opitulari non vult.

43 R. ad 2. eſſe hanc apud multos ſimplicioris judicii Fideles perſuaſionem, quod poſt conſecutum ſibi priore hebdomada Jubilæum, illud poſteriori defunctis lucrari poſſint; Sed perperam: In his enim quæ a Superioris voluntate pendent, id unum poſſumus quod ipſe conceſſit. Porro non ſolet Pontifex concedere ut Jubilæi Indulgentia defunctis cedat. Ita paſſim Theologi.

44 Quæritur 12. an Jubilæum ante lucrifieri valeat, quam fuerit promulgatum ab Epiſcopo.

R. ita multis videri, qui non improbabiliter docent, moribundum, ſi ad promulgationem uſque victurus non creditur, a Confeſſario opera poſtmodum præſcribenda commutante, ad Jubilæi conſecutionem poſſe diſponi. Ratio eſt quia licet Pontifex, cum Jubilæum largitur, Epiſcopo certarum Eccleſiarum deſignationem committat, non tamen eo uſque conditioni huic gratiæ valorem annectit, ut ea in neceſſitatis caſibus ante deſignationem hanc prodeſſe non poſſit. Quia tamen hæc a Legislatoris voluntate non ſatis cognita dependent, addendum eſt, moribundo, ſi præter ſpem vitam protraxerit ad tempus Jubilæi, aut etiam omnino convaluerit, curandum prorſus ut promulgato deinceps Jubilæo, vel eadem opera iteret, vel nova ex Confeſſarii præſcripto exequatur.

45 Quæritur 13. an Fidelibus incumbat obligatio lucrandi Jubilæum.

R. non equidem incumbere per ſe, quia Jubilæum offertur tanquam favor, non autem ut onus ſub præceptum cadens; at vix poſſe fieri ut quis ſciens & volens ſine omni peccato conſecutionem tantæ gratiæ negligat: quia, ſecluſo etiam contemptu qui a letali immunis non eſſet, ſubeſt hic deſidioſus torpor, & ſpiritualis boni negligentia, ſæpe etiam ſcandalum aliquod, quæ ab omni culpa excuſari non poſſunt.

46 Quæritur 14. an qui præſcripta opera præſtant, omnes ex æquo Jubilæi gratiæ participes ſint.

Non movetur quæſtio de Jubilæi privilegiis. Conſtat enim omnes qui Jubilæum vere lucrantur, etſi cum minori devotionis affectu, ex æquo a caſibus reſervatis & cenſuris abſolvi, item frui votorum commutatione, &c. Alioqui tam pœnitentes quam Confeſſarii gravibus obnoxii forent ſcrupulis, ſi pietatis gradus in prædicta relaxatione diverſitatem induceret. Tota igitur difficultas eſt de primario Jubilæi effectu, qui in Indulgentia plenaria conſiſtit.

47 Et quidem conſtat per Jubilæum a Fidelibus, tametſi opera æquali fervore obeant, non ſemper obtineri Indulgentiam materialiter æqualem. Ratio eſt, quia non omnes æqualem pœnæ reatum habent; ſed alii pluribus obnoxii ſunt pœnis, alii paucioribus.

Sed

Digitized by Google

Sed dubitatur. 1. an Fideles omnes qui opera præſcripta non eodem, ſed tamen ſufficienti affectu adimplent, ita ut alter pinguiorem eleemoſynam largiatur, ſeverius jejunet, in Eccleſiis ferventius & diutius precetur, alter hæc omnia præſtet remiſſius, pie tamen, eandem formaliter Indulgentiam, id eſt pœnæ omnis, licet multum inæqualis, veniam conſequantur; 2. an ad minus Indulgentiam hanc formaliter æqualem recipiant duo, qui eadem opera ſimili fervoris gradu exolvunt, ſed in gradu admodum diverſo debitores ſunt juſtitiæ divinæ.

Affirmant multi pro utraque parte, 1. quia Fideles omnes, qui opera præſcripta exequuntur, ponunt conditiones omnes ad Indulgentiæ propoſitæ conſecutionem injunctas. 2. quia velle poteſt Pontifex ut ii etiam qui fervide minus, pie tamen præſcripta opera adimplent, totius Indulgentiæ participes ſint. Ergo id probabiliter vult, niſi contrarium exprimat, quod facere non conſuevit; 3. quia Indulgentia remiſſionem pœnarum confert ex opere operato, ſcilicet ex meritis Chriſti & Sanctorum, non autem ex opere operantis. Ergo major minorve operantis fervor, nihil ad remiſſionem hanc præſtat. 48

Aliter quantum ad primam partem ſentiunt Navarrus, Coninch & alii, quos in præced. Tract. ſecuti ſumus cap. 5. nu. 61. & ſeq. Neque vero contraria opinio nutriendę pietati, ſed minuendę potius inſervire poteſt. 49

Quod ſpectat ad alteram partem, nobis hic hærendum incertis; cum pœnæ remiſſio non a ſola hominis, ſed potiſſimum a Dei voluntate pendeat, juxta quam vult Pontifex quidquid vult. Valere, niſi fallor, in præſenti poteſt iſtud Chriſti de peccatrice, Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit*, ſicut minus remittitur ei qui minus diligit. 50

CAPUT TERTIUM.

De operibus ad lucrandum Jubilæum requiſitis.

Opera ad Jubilæorum conſecutionem præſcribi ſolita, ſunt 1. animus pœnitens, 2. confeſſio, 3. participatio Euchariſtiæ, 4. viſitatio Eccleſiarum, atque in iis fundenda oratio; 5. largitio eleemoſynæ; 6. jejunia. 1

Circa hæc generatim certum eſt, vel admodum probabile, 1. in materia Jubilæi ad amuſſim ſequendum eſſe Pontificii diplomatis tenorem, 2. requiri ut eadem opera honeſte fiant, & a peccato, ſaltem mortali vacent * 3. ut integre ponantur, etſi enim leviſſima quæpiam omiſſio non noceat, obeſset tamen notabilis, qualis eſt unius *Pater & Ave*, quia precatio hęc, licet in ſe levis, eſt quid grave reſpectu quinque *Pater & Ave*; 4. Opera hæc inter pręfixum tempus, demptâ tamen confeſſione ** abſolvenda eſse, proinde intra annum, ſi de Jubilæo 2

* Vide Tractatum præced. cap. 5. n. 51.
** Vide ibid.

bilæo Romano, intra menſes duos, duaſve hebdomades, ſi de aliis ſermo ſit; quæ ex dictis exceptionem patiuntur in moribundis; 5. ex his tamen operibus eſse nonnulla, tria videlicet jejunia, quæ eamdem intra hebdomadam perfici debeant; 6. nihil intereſse quo ordine prædicta opera compleantur, niſi, quod fieri non ſolet, eorum ordo a Pontifice præſcriptus ſit. Excipienda ſane confeſſio, quæ ſi neceſsaria cuipiam erit, Euchariſtiæ præmitti debet; 7. perinde eſse quod opera in hoc vel illo loco fiant, dempta tamen Eccleſiarum viſitatione, quæ extra deſignatas ab Ordinario præſtari non poteſt; licet in viatoris gratiam a Confeſsario in aliud opus poſſit commutari; niſi viator privilegio ſuo poſt reditum uti velit; 8. curandum ut qui opera præſcripta adimplent, non ſolum Jubilæi gratiam lucrari intendant, ſed, quod multi e mitioribus Theologis pene judicant certo neceſsarium, ut ſaltem initio precum * intendant pro finibus a Pontifice aſſignatis orare, puta *Pro peccatorum ſuorum remiſſione*, *pro pace inter Principes Chriſtianos conſervanda*, *hæreſeon extirpatione*, *S. Matris Eccleſiæ exaltatione*, *præſentibus Eccleſiæ neceſſitatibus*, aliiſve quæ fuerint injuncta. 9. neminem poſse ſibimetipſi pręſcripta opera etiam in aliquid melius commutare; poſse vero hęc, ſi juſta id ratio poſtulet, a Confeſsario commutari, etiam extra Tribunal, imo etiam abſente, juxta Lugo diſp. 27. n. 113. Roch. q. 2. num. 35. unde ſequi videtur Confeſsarium poſse extra Tribunal Jubilæum prorogare, puta quia inſtante Jubilęi exitu non poſſit omnium confeſſiones excipere. 10. in commutatione minus habendam eſse rationem pœnalitatis operis, quam reſpectus ad finem a Pontifice intentum; 11. Multo ſatius eſse ut opera præſcripta commutentur in alias indebita; imo id a pluribus requiri ut conditionem verę & idoneæ commutationis; tum quia qui ex voto eleemoſynam debet, non ſatisfacit dando ei cui debet ex juſtitia; tum quia, ut bene Viva qu. 8. artic. 1. opus pro Indulgentia injunctum habet rationem oneris; quod autem ex pacto oneroſo præſtandum eſt, alias indebitum eſse debet: unde ſicut qui ex præcepto ad audiendam die feſta Miſsam tenetur, non ſatisfacit Pœnitentiæ ſibi injunctæ; ſic qui aliunde ad hoc vel illud opus tenetur, non poteſt vi ipſius legem ſibi a Papa indictam adimplere, niſi mens ejus ſit ut per opus alias debitum ſatisfiat, ut quando jejunia pro Jubilęo indicit quadrageſimali tempore. His quæ fuſiori, ſed in pręſens minime poſſibili expoſitione indigerent, obiter pręmiſsis, ſit.

A R-

* Dixi, *initio precum*, quia non videtur exigere Pontifex ut jejunia, & eleemoſynæ eadem intentione fiant. Etſi autem melius eſt ut quis pro aſſignatis finibus diſtinctim oret, nobis tamen cum citato P. Blaſio cap. 5. caſ. 17. ſatis eſſe videtur, ut quis generalem habeat intentionem orandi ad mentem Pontificis. Imo, ait idem, qui orat ex intentione lucrandi Jubilæi, virtualiter orat ſecundum intentionem largientis Jubilæum. Hortandi tamen ſunt Fideles ut cujuſque ſtationis initio, præſcriptos a Pontifice fines, ſi non in ſpecie ſingulos, at ſaltem in genere animis revolvant.

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

De Confeſſione.

QUæres 1. an confeſſio, non ſecus ac opera cetera in Pontificis Diplomate expreſſa, ad Jubilæi conſecutionem neceſſaria ſit. 1

Reſp. confeſſionem ſemper requiri in eo qui conſcientiam mortalis habet, ut certo Indulgentiam conſequatur. Ratio eſt, 1. quia de contritione perfecta, quam difficile haberi fatentur omnes, poteſt quis ſibi perperam blandiri; 2. quia ad minus dubium eſt an confeſſio in hoc caſu, licet etiam a Pontifice per modum conditionis non requiratur, non ſit tamen ex mente ipſius diſpoſitio ad Indulgentiam Jubilęi neceſſaria, ſicut & ad Euchariſtiam. Id quidem negant Paludanus & alii, quorum opinio Suari probabilis eſt: at cum fateatur ipſe, quod diffiteri nemo poſſit, noſtram eſſe ſecuriorem, quis ſalutis ſuæ vel ſaltem profectus ſpiritualis vere ſtudioſus, incerta certis & facilius præponat.

Objiciuntur quatuor, 1. quod verba hæc *contritis & confeſſis* disjunctive intelligi poſſint, ita ut Jubilæum tam contritis proſit, quam confeſſis; 2. quod confeſſio non requiratur ut opus injunctum, ſed ut diſpoſitio ad gratiam. Hanc porro diſpoſitionem habet ad gratiam qui perfecta contritione donatur; 3. quod Pontifex theſaurum Eccleſiæ diſpenſare cenſeatur, quo poteſt meliori modo; poteſt autem etiam contritis diſpenſare; 4. quod alioqui neceſſario foret confeſſio habenti ſolum venialia; quia Pontifex non diſtinguit inter habentem mortalia, & non habentem, & aliunde venialium confeſſionem inſtar diſpoſitionis prærequirere poteſt. Verum hæc abſque negotio ſolvi poſſunt. Unde 2

Reſp. ad 1. non eſſe gratis & cum periculo recedendum a verborum proprietate. Porro voces *contritis & confeſſis*, utriuſque diſpoſitionis conjunctionem litteraliter poſtulant: alioqui, quod facile erat, dicendum fuiſſet *contritis* vel *confeſſis*. Nec obſtat quod vocula *&* ſenſum disjunctivum habere poſſit: id enim quia rarum eſt, niſi clare probetur, præſumi non debet. 3

R. ad 2. Nihil intereſſe pro præſenti an contritio requiratur per modum operis injuncti, an per modum puræ diſpoſitionis: ſtatim enim ut carebit homo, non quidem diſpoſitione, quam per contritionem habere ſupponitur, ſed perfecta illa & certa diſpoſitione, quam Confeſſioni alligavit Pontifex, ea dempta erit quidem capax Indulgentiæ ut ſic, ſed non hujus numero Indulgentiæ. 4

R. ad 3. Pontificem diſpenſare theſaurum 1. eo modo quem diſertim exprimit, 2. eo modo qui, quod unice ambit, peccatores ad Deum certius reducat. Atqui & confeſſionem exprimit, & ea longe certius ad Deum revocat. Ergo. 5

Pro reſponſione ad 4.

Quæres 2. num ad Indulgentiam Jubilæi neceſſaria ſit etiam venialium confeſſio. 6

Reſp. ex dictis Tract. pręced. cap. 5. num. 95. confeſſionem venia-

lium eſſe neceſſariam, ſi per modum operis ac conditionis præſcribatur a Pontifice; ſecus, ſi duntaxat per modum diſpoſitionis. Ratio primæ partis eſt, quia non percipitur gratia, niſi adimpleantur conditiones, quibus hæc alligata eſt. Ratio autem ſecundæ partis, quam contra Sanchez, Soto, Sylveſtrum, & alios quoſdam tuentur Suarezius, Layman, Viva, Comitolus, & alii communiter, ea eſt, 1. quod confeſſio ſimpliciter dicta intelligitur de mortalibus; 2. quod confeſſio non magis neceſſaria ſit per ſe ad Jubilæi lucrum, quam ad Euchariſtiæ participationem. Ergo ſicut extat præceptum de confeſſione ante Euchariſtiam, neque illa tamen intelligitur de venialibus; ſic & in præſenti.

7 Quando autem confeſſio requiratur ut opus injunctum, ſeu per modum conditionis, ex ipſo Diplomatis tenore definiendum eſt. Si habeat Diploma: *Qui peccata ſua confeſſi*, vel *Qui præmiſſa confeſſione Eccleſias viſitaverint, &c.* abſque eo quod quidquam de pœnitentia vel contritione adjungatur, videtur multo tutius ut præmittatur venialium quorumdam confeſſio, licet id non pauci requiri negent. Si vero Pontificium Breve gratiam Jubilæi offerat *contritis & confeſſis*, vel *pœnitentibus & confeſſis*, tunc non equidem requiritur confeſſio de ſolis venialibus, ſed mortalium reo præſcripta cenſeri debet, prout docent cum ſupra citatis, Navarrus, Bellarminus, Peyrinis, & alii quos ſequitur Koch eadem quæſt. 2. nu. 65. Atque utinam difficultates iſtas elevent SS. Pontifices, pro ut his verbis fecit in Jubilæo ſuo Benedictus XIV. *Cum Confeſſio Sacramentalis in hoc Jubilæo ſit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo, qui ſolis peccatis venialibus teneatur, ſi hoc Jubilæum lucrari velit*. Vide Theod. a S. Spiritu cap. 6. de Jubil. numer. 6.

8 Quæres 3. an Confeſſio, ſeu mortalium, ſeu venialium, cum hæc ut opus Jubilæi præſcripta eſt, adeo neceſſaria ſit, ut ea vel inculpate omiſſa, vel per inſcitiam aut nequitiam Confeſſarii defectuoſa, non poſſit Jubilæi gratia comparari.

Reſp. contra Dianam & alios quoſdam affirmat. niſi in aliud opus commutetur, quod a Confeſſario etiam abſente, puta incarcerato, vel relative ad incarceratum, fieri poſſe diximus. Ratio eſt quia ad Jubilæi conſecutionem neceſſe eſt ut obſervetur forma a legiſlatore præſcripta. Nec magis prodeſt ejus ſervandæ impotentia, quam profit ignorantia Jubilæi: unde ſicut qui nullam ejus notitiam habuit, idem, poſt elapſum tempus lucrari non poteſt, ſic nec qui lucrari quidem voluit, ſed neceſſaria ad ipſum, formaliter aut æquivalenter implere non potuit. Non eſt tamen dubium quin Deus magnam bonæ hujus voluntatis rationem habeat.

9 Quæres 4. qualis ad Jubilæum confeſſio requiratur, & ſufficiat.

Reſp. non ſufficere ſacrilegam, prout ſacrilege quidam exiſtimaverunt; ſed ſufficere veram, quæ in alio quocumque caſu ad abſolutionem valere poſſit; qualis eſt ſignis & nutibus facta, in eo qui verbis confiteri non poteſt; integra ſolum formaliter, facta abſque perfecta contritione; quia licet Bulla de *contritis & confeſſis* loquatur, non alio ſenſu, nomen contritionis accipit, quam a Tridentino acceptum eſt ſeſſ. 14. cap. 4. ibi autem pro eo etiam doloris imperfecti gradu

gradu accipitur, qui ad fructuoſam confeſſionem cum Sacramento ſufficit.

Quæres 5. an ad idem Jubilæum ſufficiat unica confeſſio; ſeu an denuo confiteri teneatur, tum qui poſt receptam abſolutionem, unius vel multiplicis peccati inculpate obliti recordatur; tum qui in novum grave peccatum relabitur. Et hæc quidem quæſtio de eo procedit, qui necdum opera omnia præſtitit. Si enim pręſtiterit, jam Indulgentiam lucratus eſt.

Reſp. ad 1. non teneri ad confeſſionem hic & nunc: ita Granados, Palao, Vaſquez quæſt. *66.* Lugo diſput. 27. numer. 102. Viva quæſt. 8. artic. 3. numer. 4. Blaſius cap. 3. caſ. 5. contra Suarez tom. 4. diſput. 52. ſect. 3. numer. 7. Ratio eſt, tum quia ad Jubilæum ſufficit ſtatus gratiæ per confeſſionis viam obtentus; & is habetur in præſenti, tum quia ex alibi probatis nequidem nova requiritur confeſſio ad Euchariſtiæ receptionem, in caſu peccati invincibiliter obliti. Neque ſi hæc ad Euchariſtiam requiri dicatur, ideo ad Jubilęum requiri dicenda foret; quia urgeret in uno lex Eccleſię, quę in alio non urget. 10

Reſp. ad 2 nova tunc opus eſſe confeſſione. Ideo enim præcipitur confeſſio ut quis obices omnes qui gratiam impedire poſſint, qua ſecuriori poteſt via removeat. Sed qui denuo in peccatum proruit, obices illos hac efficaci via non removit. Quandoquidem in eo ſit quoad Jubilæi gratiam ſtatu, in quo primam ante confeſſionem verſabatur. Ergo tametſi ſe perfecte contritum ſupponat, in quo falli non ægre poteſt, dubium eſt ad minus an Indulgentiam conſequatur. Ergo ad novam Confeſſarii abſolutionem recurrere debet. Ita Blaſius ab Aſſumpt. caſ. 7. Suarez diſp. 52. ſect. 3. cujus ſententiam ſolidioribus niti fundamentis obſervavit Benedictus XIV. qui ideo novam in hoc caſu ad Jubilæi ſui lucrum exegit confeſſionem, ut videris apud eund. Theodor. ibid. pag. mihi 129. 11

Sed quid ſi pœnitens ille ad Confeſſarium reverſus poſtrema die, reconciliationis beneficium ab eo conſequi non potuerit? 12

Reſpondet idem Blaſius, eum, ſi vere contritus erat, & abſolutionis beneficio injuſte privatus eſt, Indulgentiam nihilominus eſſe conſecutum; 1. quia quantum de ſe fuit, pręſcripta quęcumque opera executus eſt. 2. quia Pontificium Diploma exigit quidem ut pœnitens delicta ſua deponat, non autem ut ab his abſolvatur; 3. quia alioqui quis omnia ad Jubilęum pręſcripta adimplens, invitus & plane nolens gratia Jubilæi privaretur; quod durum eſt.

Ego quidem, ſi per tempus liceret, ad Confeſſarium alium recurrerem. Si non liceret, orarem ut Jubilæi tempus prorogaret; poteſt enim tempus legitime impedito prorogari. Atqui legitime impeditus eſt, qui extrinſece atque etiam inique a medio ad finem neceſſario, aut ſaltem multo ſecuriori impeditur. Ergo. 13

Idem obſervari velim, ſi cui ob venialium conſuetudinem differatur abſolutio, quod ex dictis in Tract. de Pœnit. fieri aliquando poteſt & debet. 14

Quæres 6. quo tempore ad Jubilæi conſecutionem facienda ſit con- 15

Digitized by Google

feſſio: an ante omnia opera, ut cenſet Navarrus, an in fine hebdomadis, ut alii volunt.

R. Nihil intereſt an præcedat confeſſio, an interponatur, an fiat in fine. Patet id tum ex Fidelium praxi, tum ex Doctorum conſenſu, tum quia ex eo quod in Diplomate confeſſio ceteris operibus præponitur, nihil concludi poteſt, cum ordo rerum ad ſubſtantiam rei minime pertineat. Et vero cap. *Licet*, 47. *de teſtib. & atteſtat.* multa reperire eſt in depoſitione teſtium præſtanda, quæ tamen non eo debent ordine fieri quo recenſentur.

16 Imo poteſt confeſſio fieri, antequam alia opera peragere liceat, puta Sabbato, vel etiam feria VI. præcedente Dominicam primam Jubilæi; tum quia ſic uſu receptum eſt, propter confitentium multitudinem; tum quia confeſſio non eſt neceſſaria iis, qui conſcientiam mortalis non habent, niſi id ex Bulla indubie conſtet. Porro, ut ſupponimus, non habet conſcientiam mortalis, qui una aut altera poſt confeſſionem die, cum jam apertum eſt Jubilæum, Euchariſtiam recipit. Nec nocet quod Jubilæi lucrandi tempus diebus quatuordecim concludatur; in noſtra autem hypotheſi extendatur ad dies ſexdecim: id enim de aliis operibus intelligendum, non de confeſſione, quæ tantum iis neceſſaria eſt qui lethalibus ſunt innodati.

17 Sed num poterit confeſſio differri in Dominicam ſequentem?

Videtur quod non: Siquidem plerumque dicitur in Bulla: *Qui eadem vel ſequenti hebdomada dictas Eccleſias viſitaverint, necnon feria IV. & VI. & Sabbatho ejuſdem vel ſequentis hebdomadæ jejunaverint, atque peccata ſua confeſſi, ſequenti ſaltem Dominica SS. Euchariſtiæ Sacramentum reverenter ſumpſerint, &c.* Conſtat nihilominus confeſſionem non minus quam communionem, ad tertiam uſque Dominicam poſſe differri; 1. quia Dominica hæc, licet reipſa initium ſit hebdomadæ ſequentis, ex peculiari privilegio in materia Jubilæi habetur tanquam complementum hebdomadę pręcedentis, prout docent Card. de Lugo, Bonacina & alii, qui Eccleſię Romanę uſum propius intuiti ſunt; 2. quia quę mox relata ſunt Bullarum verba ad ſenſum hunc citra vim ullam flecti poſſunt; 3. quia hanc confeſſionis dilationem ad tertiam uſque Dominicam approbat conſuetudo, optima legum & privilegiorum interpres. Unde obſervant Layman, Lib. 5. Tract. 8. cap. 8. n. 7. Palao, Tract. 24. Koch, q. 1. n. 24. duas Jubileį hebdomadas non 14. diebus concludi, ſed quindecim conſtare, nimirum tribus Dominicis, & diebus duodecim intra eas incluſis.

18 An autem conſultius ſit ceteris operibus præmittere confeſſionem, vel poſtponere, vix reſpectu Fidelium omnium definiri poteſt. Nam inde quidem videtur melius, ut confeſſioni reliqua opera pręmittantur; tum ut mens per eadem opera ad uberiorem Sacramenti gratiam pręparetur; tum quia qui ultimo loco confitetur & Euchariſtiam recipit, de ſuo gratię ſtatu certior eſt. Hinc vero magis videtur expedire, ut a confeſſione ducatur exordium; quia opera deinceps ab homine jam juſtificato perpetrata, vim merendi apud Deum atque impetrandi majorem habent. Et ita fieri poſt S. Carolum optabat Benedictus XIV. in ſua ad Minores Pœnitentiarios Epiſtola Encyclica, n. 73.

apud

Digitized by Google

apud Theodor. pag. 315. & ſeq. Sed quid tantum ſi ſemel initio, ſemel ſub finem Jubilæi confiteantur Fideles.

Ceterum ex dictis in Tract. præced. conſequitur neminem ſub Indulgentiæ cujuslibet obtentu a pœnitentiali ſatisfactione eſse eximendum; licet hæc ob gravia Jubilæi opera utcumque imminui poſſit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Communione.

QUæres 1. an in omni Jubilæo neceſsaria ſit Communio. 19

Reſp. In Jubilæis Romanis, ſeu quæ per annum ſanctum comparantur Romæ, ne verbum quidem de communione apponi *; unde cum hæc nec divino jure, nec lege Pontificis præſcripta ſit, haud requiri videtur. Quia tamen hanc ex conſuetudine & praxi neceſſariam eſse credit Filliucius, & cum eo pauci quidam, hortandi ſunt Fideles ne ei deſint, quod hominibus gratiæ ſtatum conſecutis & facile eſt, & impendio ſalubre. Ceterum quin in Jubilæis *ad inſtar* neceſſaria ſit communio nemini dubium eſse poteſt. Tunc porro non ſufficere ſacrilegam, quidquid contra eructare auſi ſint Filliucius, Suarez ipſe, diſp. 52. ſect. 6. Henriquez, & alii apud Vivam hic, quæſt. 8. art. 4. liquet ex cenſura hujus propoſitionis apud Innocentium XI. 53. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*, quæ a pari vel a fortiori concludit in præſens. Quis enim dixerit velle Pontificem ſacrilegis, qua talibus, Indulgentiam & favores Jubilæi impendere?

Sed neque ſufficit communio mere ſpiritualis; quia in uſu communi per communionem non intelligitur metaphorica, ſed realis & exterior.

Quæres 2. annon ergo Jubilæum lucrari poſſit Antonius, qui ulti- 20
ma Jubilæi Dominica tantillum aquæ imprudens deglutiit.

Reſp. poſse, quia legitime impeditis poteſt aliquod Jubilæi opus in aliud a Confeſsario commutari, vel eiſdem prorogari Jubilæum. Atqui id ultimum facto opus erit, ſi pœnitens ea ipſa die qua communionem meditabatur, in grave aliquod peccatum deciderit, propter quod hic & nunc abſolvi non poſſit.

Quæres 3. an ad Jubilæi lucrum ſufficiat communio ſolum informis, non autem formaliter ſacrilega; qualis eſt cum quis ab ultima confeſsione gravem commiſit noxam, quam levem ratus, nec pœnitentia, nec idoneo dolore ante Euchariſtiam expiavit.

Negat Viva, ibidem num. 3. quia etſi opera cetera extra ſtatum 21
gratiæ peracta ad Indulgentiam prodeſse valent, non tamen communio; cum iſthæc tantum prodeſse poſsit, quando eſt animæ refectiva, & omnes piæ communionis conditiones habet.

Mihi nonnulla diſtinctione opus eſse videtur. Si enim quis 22
pec-

* Teſtatur, ſi memini, Benedictus XIV. ſe primum omnium Communionis hujus legem induxiſſe.

peccatum illud ſuum nullatenus doluerit, non potuit Indulgentiam promereri; quia ultimum opus adeo in gratia perfici debet, ut nulla hic opituletur ignorantia etiam invincibilis, prout fatentur omnes. Si vero quis eam attritionem habuerit, quæ Euchariſtiæ receptioni conjuncta gratiam primam tribuit per accidens, uti Tom. 5. diximus, pagina 622. & ſeq. tunc non videtur Indulgentiæ expers; quia & communionem utilem fecit, & ipſo ultimi operis tempore in ſtatu gratiæ conſtitutus eſt. Ita Blaſius, capit. 4. caſ. 6. Neque hinc recedit ipſe Viva; loquitur enim de communione informi: non eſt autem informis, quæ licet per accidens, vitam tribuit & gratiam.

23 Quæres 3. an pueris qui necdum ad ſacram communionem admiſſi ſunt, hæc in aliud opus ſit commutanda.

Negant Vaſquez, Viva, &c. Rationem dant, quia ex capit. *Tua*, *de Teſtamentis*, conditio de jure impoſſibilis, etiamſi appoſita ſit, habetur pro non appoſita. Atqui communio relative ad pueros eſt conditio de jure impoſſibilis; neque profecto id ignorat S. Pontifex. Et vero facultas opera injuncta commutandi ad eos tantum extenditur, qui fortuitum & accidentale impedimentum habent, ut infirmi, carceribus detenti, &c. Qui porro a jure impedimentum habent, non ſunt in eo caſu.

24 Quoniam tamen tanti non eſt Eccleſias quinque pro quatuor inviſere, aut inviſere per dies ſexdecim, dum alii per quindecim inviſunt; & præcipere ſolent Epiſcopi ut communio pueris in aliud quodvis opus a Confeſſario commutetur; idcirco quantumcumque probabilis judicetur Vivæ opinio, contrariæ adhærendum eſt in praxi, quam & in Jubilæo ſuo ſecutus eſt Benedictus XIV. Et vero Monialibus de jure impoſſibilis eſt Eccleſiarum viſitatio, & hæc tamen iis in alia opera debet commutari.

25 Quæres 4. quo tempore peragenda ſit communio.

Reſp. hanc præſcripto per Diploma tempore perficiendam eſſe, adeoque expendenda Diplomatis verba, quæ quantum ad præſens non ſemper eadem fuere, uti probat Koch, q. 2. n. 92.

ARTICULUS TERTIUS.

De viſitatione Eccleſiarum, & oratione in iis facienda.

26 CONſtat in Jubilæo Romano præter confeſſionem requiri ut Incolæ per dies triginta continuos vel interpolatos, advenæ vero per dies quindecim viſitent Baſilicas quatuor S. Petri, S. Joannis in Laterano, S. Mariæ Majoris, & S. Pauli, ibique orent pro ſua & totius Chriſtiani populi ſalute. Conſtat rurſum in Jubilæis *ad inſtar* viſitari debere Eccleſias quæ ab Ordinario deſignatæ fuerint. Verum hac occaſione non pauca emergunt dubia.

27 Quæres itaque 1. an hic locum habeat parvitas materiæ; ita ut Romanus qui Eccleſias vicies novies tantum inviſerit, a gratia Jubilæi excidat.

Reſp. eum qui unicæ viſitationi defuerit, minime lucraturum Indul-

dulgentiam. Ratio eſt quia conditio, cum formæ rationem induit, ſtricte ſervari debet, ex capit. 34. *de præbendis*. Ergo cum conditio ſub qua tribuitur Indulgentia, in hoc definite numero conſiſtat, nequaquam ab eo recedere licet. Nec prodeſt quæ in contrarium objicitur præſumpta Pontificis benignitas; quia non licet a præſumpto ad expreſſum procedere.

Quæres 2. annon ſaltem, cum præcipitur quatuor Eccleſiarum viſitatio, liceat eam partiri, ſic ut duæ vel tres hodie, cras autem una vel duæ inviſantur. 28

Reſp. negat. cum Navarro, Quarti, & aliis communius. Obſtat enim praxis Fidelium, qui omnes in hoc puncto Bullam ſtricte interpretantur. Atqui praxis & obſervantia declarant Jus, ex cap. 8. *de conſuetudine*, prout cum communi Doctorum tradunt Baldus, Viva, hic art. 5. &c.

Quæres 3. quæ Eccleſiæ viſitatio requiratur. 29

Reſp. eam requiri quæ devote & religioſe fiat: fieri autem devote, quæ fit mente ad Deum pie elevata, & precibus attente recitatis. Etſi autem quo nutriatur ille devotionis affectus, plurimum decet ut ipſum iter non ſine aliquo Religionis ſenſu conficiatur, ſi quis tamen jocando ſe ad Eccleſiam conferret, non deeſſet ſubſtantia operis præſcripti, modo poſt ingreſſum colligeret animos, & reverenter precaretur: Imo nec venialis circumſtantia, puta aliquis glorioſe motus, non quidem cauſans actionem, ſed eam ſtipans, valori ejus obeſſet abſolute. Sed nec id faceret habitus peccati mortalis; cum fide conſtet ex Tridentino, Seſs. 6. cap. 7. non omnia quæ ante juſtificationem fiunt opera, mala eſſe. Si tamen Eccleſiæ viſitatio ultimum eſſet opus, dubio procul in ſtatu gratiæ peragenda foret. Ceterum nihil ad ſubſtantiam intereſt an quis pedes vel eques Eccleſias viſitet, an ab iis longo vel brevi itinere diſtet: licet viæ defatigatio & moleſtia citra dubium coram Deo computentur.

Quæres 4. an ſatis ſit extra fores Eccleſiæ precari. 30

Reſp. id a nobis expenſum eſſe in Tract. præced. capit. I. numer. 34. Unum nunc addere ſufficiat, nempe ſi trium aut quatuor Eccleſiæ Altarium viſitatio præcipiatur, non ſatis eſſe ut oretur ante fores; quia etſi moraliter Eccleſiam viſitare dicitur, qui eam ingredi non valens, ante limen orat; non tamen hoc vel illud Altare viſitare dicetur, qui extra januam preces fundit. Sed neque ſatis erit ut in medio templi poſitus ad altaria ſeſe animo convertat: Quia præſcripta viſitatio debet eſſe ſenſibilis, ſicque fieri ut exterius appareat orationem aut aliud pietatis opus ad hoc vel illud Altare dirigi. Sed de hoc jam in cit. Tract. ubi ſupra.

Quæres 5. qualis eſſe debeat oratio, an expreſse finem intendens, an vocalis, & quanta. 31

Reſp. ad 1. melius eſse ut quis, cum poteſt, ſaltem in primæ Eccleſię viſitatione, fines a Pontifice expreſsos expreſsim recolat; ſatis tamen eſse ut pro iis in genere precetur. Nec vulgo aliud poteſt plebecula, maxime cum plurimos fines aſsignat Diploma Pontificium.

Reſp. ad 2. mirum, ac pene dolendum, quod hujuſmodi quæſtiones 32

ver-

verſent Scholaſtici. Annon ex omnium confeſſo tutius eſt, quod orationi mentali jungatur vocalis? An vocalis quinæ Dominicæ orationis recitatio tam ardua eſt, ut in ea perſolvenda deſudandum ſit? An etiam in minimis ſtudendum eſt mollitiei Fidelium, &c. Eſto eum qui bona fide mentaliter ſolum oraverit, conſolari enitar; & dicam quod non improbabiliter Jubilæi gratiam conſecutus ſit: ſed ut quid nonnihil dubia, forte etiam falſa, ante actionem proponam? At, inquit Viva; quæſt. 8. art. 5. oratio mentalis magis eſt proprie oratio, quam vocalis. Sane magis eſt oratio quam labiale murmur verba ſine ſenſu & affectu effundens: Sed num magis quam vox cordis voci oris intime conjuncta? An minus bene orat Eccleſia, quæ in Jubilo & cantu, quam pii Fideles qui mente ſolum precantur? Hinc Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, num. 51. *Qui ſola mente ad fines* deſignatos *devote orare voluerit*, *laudandus eſt: Aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat*.

33 Reſp. ad 3. Si Pontifex cujuſque devotioni preces ſuas permiſerit, prout fecit Innocentius X. & ante eum alii, hac ſolum uſi clauſula, *ibique devote Deum oraverint*, ſufficere videtur oratio etiam brevis, modo non ridicula ex brevitate. Sed quidquid de eo ſit, ſemper conſulendum Fidelibus, ut ad minimum per tempus repetitæ quinquies Dominicæ orationis cum Angelica Salutatione precentur. Non quod brevior temporis mora minime ſufficere poſſit; ſed quia non decet ut Fidelis in Deum tam parcus ſit, cum Deus ſuas in eum opes pleno cornu effundere dignatur.

Quæres 6. Quid facto opus ſit, ſi Eccleſia in ſtationem deſignata in urbe ab Epiſcopali paululum diſſita, inopino caſu corruerit, prout an. 1702. eveniſſe ſcribit Blaſius ab Aſſumpt. cap. 5. caſ. 12.

34 Reſp. recurrendum eſſe ad Epiſcopum, qui aliam deſignet, atque in eorum gratiam qui Stationes necdum decurrerunt, Jubilæum protrahat. Neque enim ſatis eſt ut hujus Eccleſiæ loco aliam inviſant Fideles; quia Indulgentia non cuicumque Eccleſiæ, ſed deſignatæ annexa eſt. Quod ſi qui ante collapſam ædem orare perrexerint, credimus eos ſatisfeciſſe penſo ſuo, priuſquam alia ab Epiſcopo deſignata eſſet Eccleſia, non autem poſtquam hæc deſignata fuit; quia deſignatio hujus fuit virtualis revocatio illius quæ collapſa eſt.

35 Quæres 7. an Epiſcopus Stationes quatuor a Pontifice præſcriptas ad unam, puta ad unius Parochialis Eccleſiæ viſitationem reducere poſſit.

Reſp. id equidem poſſe in gratiam eorum, quibus, præ infirmitate & locorum diſtantia, plures inviſere difficilius fuerit; non poſſe vero generali lege, quæ ad omnes etiam vegetos ſe extendat; quia alioqui temere diſpenſat in Lege Superioris. Ceterum Eccleſiæ loco poteſt deſignari ruralis Capella, crux ad venerationem expoſita in bivio, &c.

36 Quæres 8. an Epiſcopus Confeſſariis largiri poſſit facultatem Stationes ad minorem numerum coarctandi juſtis de cauſis.

Reſp. poſſe, imo & debere: 1. quia cum per ſemetipſum his omnibus invigilare non poſſit, neceſſum eſt ut minutiorem eorum curam aliis committat, ne quis a Jubilæi gratia excidat, aut circa ejus executionem anxius ſit & incertus; 2. quia ex alibi dictis *delegatus*

ad

Digitized by Google

ad univerſalitatem cauſæ ſubdelegare poteſt. Epiſcopus porro ad univerſalem Jubilæi cauſam delegatus eſt; 3. quia idem habet Diœceſeon praxis, nativa Legum interpres.

ARTICULUS QUARTUS.

De Eleemoſyna.

ELeemoſyna duplex, corporea, quæ eſt boni temporalis erogatio facta pauperi; & ſpiritualis, quæ etiam diviti, mentem ejus divinis paſcendo, impendi poteſt. 37

Dubitatur 1. an cum Bulla Jubilæi præcipit eleemoſynam, ſufficiat ſpiritualis. 38

Reſp. negat. quia eleemoſyna vulgari ſermone de corporea intelligitur; & multo magis cum *pauperibus* facienda præſcribitur, ut in Jubilæis. Unde nec ſatis eſset ut quis infirmos viſitaret, & conſolaretur.

Dubitatur 2. an tunc temporis ſufficiat eleemoſyna qualibet, etiam modiciſſima. 39

Affirmat contra communiorem Paſqualigo, qu. 133. quia modicam ſtipem erogans, erogandæ ſtipis legem implevit. Negant alii paſsim, quia cum præcipitur eleemoſyna, dubio procul, ſicut & oratio, præcipitur ſecundum prudentiæ regulas. An porro ſecundum prudentiæ regulas operatur dives, qui decem aureos facile largiri valens, æris dat minuta duo. Alii Bullæ verba ponderari volunt. Hæc autem aliquando habent, ut Indulgentiam lucretur, *qui dederit eleemoſynam*, vel quod in idem recidit, *qui dederit juxta devotionem & arbitrium*, vel *prout cuique ſuggeret ſua devotio*; quandoque autem: *Qui dederit eleemoſynam quantum pro ſua cuique facultate viſum fuerit*. Et quidem in hoc poſtremo caſu Indulgentiam non lucrabitur modicíſsimæ eleemoſynæ largitor, imo nec ſemper qui mediocrem dabit, quia hæc facultatibus ejus non erit proportionata. At in priori lucrari poterit, qui ſtipem aliquam, licet ceteroqui facultatibus longe minorem dabit. Dico *lucrari poterit*, non autem certo lucrabitur; quia ſi ex avaritia, quæ de ſe mortale eſt peccatum, ſit in pauperes parcus, jam quia in gravi peccato poſitus, gratiæ Jubilæi incapax erit. Sin autem hic & nunc parum det legitimis de cauſis, puta quia paulo poſt Jubilæum prævidet affore ſibi nubem pauperum, quibus benefacere conſuevit; nihil eſt cur a Jubilæi gratia excluſus cenſeatur: imo dat pro facultate ſua præſenti, prout cuicumque rem penitius intuito conſtabit.

Dub. 3. an ipſi pauperes ac Religioſi ſtipem erogare teneantur.

Negant Fauſtus, Navarrus, &c. 1. quia veri non eſt ſimile Legem his conſtitui, qui ejus ſervandæ incapaces ſunt. 2. Quia ex Leg. *Num ad ea*, &c. *ff. de Legibus: Quæ ſemel aut bis accidunt, contemnunt Legiſlatores*, neque pro his regulam ſanciunt. Porro vix unquam accidit, ut quis ne obolum quidem impendere valeat. Hinc deducunt neceſſum non eſse ut iis eleemoſyna in aliud opus commutetur. 40

Aliter

41 Aliter ſentiunt Doctores plerique, quos ſequuntur Viva, quæſt. 8. art. 6. Koch, qu. 2. nu. 104. &c. & eleemoſynam omnibus adeo neceſſariam eſſe docent, ut niſi fiat, aut in aliud opus commutetur, percipi non poſſit Indulgentia; & his ducimus aſſentiendum, 1. quia ad Jubilæi conſecutionem ſervari debet forma per Bullam præſcripta. Atqui hæc eleemoſynam, non ſecus ac jejunium & communionem requirit. Ergo ſicut duo hæc commutari debent infirmis, qui ea ex morbo vel vomitu adimplere non valent, ſic & illa. 2. Quia nemo tam egenus eſt, ut obolum dare non poſſit, vel ab alio ut det, petere. 3. Quia opinio hæc & tutior eſt, & ad minus æque probabilis ac oppoſita.

42 Hinc ſequitur Religioſos ipſos ad ſtipem, ſeu per ſe, ſeu per Superiores erogandam teneri; quod & de uxoribus, filiisfamilias, ſervis, &c. dicendum. Etſi autem docent aliqui ſubditum, cui negaretur a Superiore ſtips egeno danda, poſſe aliquid ex Monaſterii bonis clanculum ſubripere, ex præſumpta, non quæ ſit, ſed quæ eſſe debeat, Superioris voluntate; id tamen merito ab aliis rejicitur. Stat enim Superiores poteſtate ſua abuti, & eis tamen parendum eſſe: ſua enim poteſtate abutitur Epiſcopus, qui Sacerdotem excipiendis confeſſionibus idoneum approbare recuſat, aut approbatum excludit, & huic tamen omnino parendum eſt. Quapropter ſibi Religioſus in hoc caſu per viam commutationis providere debet; quod & faciendum erit, ſi Superior exeundi domo ad viſitandas Eccleſias facultatem juſte vel injuſte recuſet.

43 Nec obſunt rationes in contrarium num. 41. adductæ. Non prima. Non enim voluit quidem Pontifex ut fieret quod fieri nequit; at velle potuit, & velle cenſetur, ut quod fieri non poſſet, in aliud poſſibile commutaretur. Sciebat utique Papa non defore infirmos, qui jejunare non poſſent. Ergo ſicut his jejunium commutari intendit, ſic & intendere potuit ut aliis commutaretur eleemoſyna. Si autem potuit, ergo dubium eſt an non voluerit. In dubio autem quis prudens ſubeat periculum gravis detrimenti?

44 Non ſecunda; aliud eſt enim quod Legiſlator pro caſibus fere metaphyſicis leges non ſanciat; aliud quod favorem certæ conditioni annectens, conditionem hanc vel in ſe, vel in æquivalenti adimplere non intendat. Ergo cum de conditione conſtet, non autem de exceptione, peſſime ſibi conſulit, qui eam in ſe ipſa perficere non valens, eandem non implet in æquivalenti per viam commutationis.

45 Dubit. 4. an eleemoſyna hæc in ſimplici tantum pecuniæ alicujus traditione conſiſtat.

R. negat. hæc enim per alia corporalis miſericordiæ opera ſatis impletur, unde qui pauperem cibat, qui Religioſum excipit hoſpitio, qui nudum veſtit, qui ſepelit mortuum inopem, qui mutuum dat egeno, imo qui vehiculum aut ſimilia eidem commodat, conditionem a Bulla injunctam exequitur; quia hæc omnia ſtipis corporeæ vocabulo intelliguntur a Theologis poſt S. Thomam, 2. 2. q. 32. a. 3. Ita partim Koch, q. 2. n. 106. partim Blaſius ab Aſſumpt. cap. 2. caſ. 18.

Dubitatur 5. an Jubilæi particeps ſit, qui eleemoſynam famulo com-

commiſit diſtribuendam, ſed quæ vel diſtributa non eſt, vel non niſi poſt elapſum Jubilæi tempus diſtributa fuit.

Duplex eſt iis de caſibus opinio, utraque probabilis. Prima docet tunc obtineri gratiam, 1. quia vere dat eleemoſynam, qui ſe rei dominio exuit in gratiam pauperis. Id autem fit in prædictis caſibus, quod autem pauper vel ſerius, vel nunquam rem ad ſe miſſam recipiat, cum ſit per accidens, & præter intentionem dantis, nihil ei nocere debet. Et vero de ſubſtantia eleemoſynæ eſt ut per eam ſublevetur indigentia. Si quis tamen ficto pauperi ſtipem tribuat, non ſublevat indigentiam, & tamen Indulgentiam ex omnium confeſſo lucratur. 2. Quia non decet pietatem Pontificis, ut *rem quæ culpa caret*, totumque ſuum coram Deo meritum ſortitur, *in damnum* vertat. Sic ſentiunt Vega, Sa, & alii plures, qui inde colligunt dominum, ſi tempeſtive famuli ſui nequitiam cognoſcat, non teneri ad novæ ſtipis erogationem. 46

Secunda opinio, quam tenent Card. Lugo, diſp. 17. num. 112. Corduba, Leo, & alii, quos ſequitur Viva, ibid. num. 3. docet in eo caſu non percipi Indulgentiam. Rationem dant, 1. quod ubi deeſt conditio ad Jubilæi aſſecutionem neceſſaria, non acquiritur Jubilæum. Atqui non diſtributa, ſed tantum diſtribui mandata ſtipe, deeſt conditio, quia vere deeſt eleemoſyna; ad hujus enim ſubſtantiam ſpectat, ut indigenti propter Deum tradatur. Ergo ſi nihil tradatur indigenti, ſed duntaxat tradendum committatur, deeſt ſubſtantia eleemoſynæ. Neque vero magis de facto eleemoſynam largitur, qui tantum largiendam committit, quam de facto Matrimonium contrahit, qui tantum alteri committit ut nomine ſuo contrahat; 2. quod donec eleemoſyna vere detur pauperi, dominus ſemper ſummæ commiſſæ proprietarius manet, ita ut repetere eam poſſit ſine cujuſdam injuria, cum nulla donatio valida ſit ante acceptationem. Ergo nihil huc uſque indigenti vere datum eſt; nec proinde acquiritur quæ ſoli dono annexa eſt Indulgentia; 3. quia ſicut non reſtituit, nec juſtitiæ actum complete exercet, qui rem debitam committit Joanni ut Petro reſtituatur, ſi hæc de facto ad Petrum non perveniat; ſic non donat, nec eleemoſynæ actum complete exercet, qui dat eleemoſynam indigenti diſtribuendam, donec ea ad indigentem perveniat. 47

Hæc opinio licet nonnihil dura, priori verior videtur. Nec obſtant quæ in iſtius gratiam, ingenioſe licet, excogitata ſunt. Unde

Ad 1. 1. Non exuit ſe vere dominus proprietate rei ſuæ, cum eam ſibi, quandiu apud famulum manet, revendicare poſſit; quod a multis non ſemel factum eſt. 2. Nec ſufficit abdicandæ proprietatis intentio, niſi proprietas hæc ad alium reipſa devolvatur. Alias qui pecuniam ſepoſuit ante Jubilæi finem dandam egeno, & ex oblivione non dedit, Indulgentiam lucraretur; quia & hic ſubeſt actus aliquis eleemoſynæ incompletus, cui ſua coram Deo merces erit. Atqui tamen nemo dicet id ſufficere, nec qui dixerit fidem merebitur, ut bene Viva, num. 4. Aliud ſane eſt cum quis ficto pauperi eleemoſynam tradit; 1. quia is omni prorſus dominio ſe ſe exuit; 2 quia alioqui ſevere diſcutienda foret petentis inopia, quod ſanctorum Patrum 48

ſtrum conſiliis adverſatur. 3. Quia eleemoſynæ titulo datur, quidquid reipſa datur ad ſublevandam egeni neceſſitatem; unde eleemoſynam dedit, qui dat ei cujus neceſſitas non ſublevatur, ſeu propter furtum alterius, ſeu quia interea dives evadit. Ceterum Bullæ aliquando ſolum præcipiunt ut fiat eleemoſyna, abſque pauperum mentione, ut advertit Lugo, diſp. 17. n. 113. pag. mihi 623.

49 Ad 2. Sicut non facit pietas Pontificis, ut qui dandæ ſtipis, vel ſtationis faciendæ oblitus eſt, Indulgentiam percipiat; ſic nec in præſenti caſu eleemoſynæ defectum ſupplere cenſenda eſt. Et vero quidni utcumque intenderit Pontifex, ut eleemoſyna ſaltem aliqua, tutiori qua potis eſſet via, errogaretur?

50 Dices in caſu ficti pauperis non fit vere eleemoſyna: ad hanc enim requiritur animus dominium transferendi. Atqui animum hunc non habet, qui ſolum vero pauperi donare intendit.

51 Reſpondet Lugo ibid. in his minutioribus eſſe regulariter animum transferendi dominium, licet propter dolum revocari poſſit donatio. Solutionis hujus difficultatem nemo non ſentit; præſertim cum largior quandoque eleemoſyna in his occaſionibus fieri poſſit, quam nemo in fictum pauperem tranſmiſſam velit; unde dicendum videtur per eleemoſynam in præſens ex communi Eccleſiæ ſenſu intelligi quidquid reapſe datur animo ſublevandæ paupertatis; unde qui Angelo indigentis formam præferenti daret, Indulgentiam conſequeretur. Nec dubium quin in præcitatis caſibus id miſericorditer ſuppleat Dominus, quod ex parte hominum deficit.

52 Dubitatur 6 an cum eleemoſyna pro alio erogatur, neceſſe ſit ut illud reſciat, eamque donationem ratam habeat tempore Jubilæi.

Reſpondet Lugo, ibid. num. 117. Superiorem, idemque eſt de marito reſpectu uxoris, domino reſpectu famulorum, &c. qui daret eleemoſynam inſciis ſubditis, nec ſaltem intra hebdomadæ decurſum ratihabentibus, nihil iiſdem ad Indulgentiam eſſe profuturum: Quia dare eleemoſynam eſt actio moralis, ad quam prærequiritur aliqua cognitio & voluntas: unde operæ pretium eſt ut ante de ſtipe ipſorum nomine largienda omnes admoneantur; quod & in Communitatibus bene ordinatis fieri ſolet. Id autem cum *longe ſecurius* eſſe fateantur qui virtualem ratihabitionem, in ſola Jubilæi lucrandi voluntate poſitam, ſufficere exiſtimant, nunquam eſt omittendum.

53 Dubit. 7. quoties & quando ad Jubilæi gratiam fieri debeat eleemoſyna.

Reſp. ad 1. ſufficere ut eleemoſyna ſemel detur; quia etſi Bullæ de eleemoſynis loquantur in plurali, non tamen plures a ſingulis, ſed tantum ab omnibus exigunt. Si tamen Pontifex triplicis jejunii loco triplicem eleemoſynam requirat, uti fecit Sixtus IV. cum an. 1585. Jubilæum indixit tempore Paſchali, quo, ut ajebat, *jejunia non inducuntur*, non ſufficeret eleemoſyna in ſemel largiri, ſed trinam dari oporteret, eamque conſueta majorem, quia hæc bini operis vices gereret.

54 Reſp. ad 2. eleemoſynam poſſe fieri ante vel poſt communionem, imo quovis alterutrius hebdomadis die; modo intra hujus temporis ſpatium impendatur. Ratio eſt, quia Bulla, ex communi Doctorum intellectu, non exprimit tempus quo facienda eſt eleemoſyna;

nec

nec ex eo quod eam identidem poſt opera alia recenſeat, ſequitur hanc iis eſſe poſtponendam; quia operum ordo non eſt de ſubſtantia Jubilæi. Si tamen eleemoſyna certæ diei affixa ſit, prout Feriis IV. VI. & Sabbato per Sixtum V. annexa erat, non eſt dubium quin ſtatuto tempore debeat erogari.

ARTICULUS QUINTUS.

De Jejunio.

55 QUæres 1. an jejunia ſemper ad Jubilæi aſſecutionem requirantur. Reſp. negat. neque enim exiguntur in Jubilæis anni ſancti, & eaquæ extra Urbem in aliis Regnis conſequi ſolent. Exiguntur vero in Jubilæis *ad inſtar*, ſeu extraordinariis, ut peragenda Feria IV. & VI. & Sabbato, & quidem unius ejuſdemque hebdomadæ.

56 Quæres 2. quali ad Jubilæum opus ſit jejunio.

Reſp. idem & non aliud requiri, quam quod Fidelibus ab Eccleſia certis diebus præſcriptum eſt. Quia cum nihil ſpeciale de jejunio ſtatuat Pontifex, pure Eccleſiaſtico contentus eſse videtur. Unde ſicut Eccleſiaſtico jejunio facit ſatis, qui certis in Regionibus utitur ovis & lacticiniis, ſic & jejunio Jubilæi ſatisfacere exiſtimandus eſt. Idem dixeris ſi quis juſta de cauſa ſub meridiem cœnulam faciat, & cœnet ſub noctem. Etſi autem permittunt boni & faciles Germani cum Gobat, num. 209. Koch, num. 99. ut quis non modo *pomum vel aliquid ſimile* ſumat *ad ſedandam ſitim*, vel *interdiu extra refectionem vinum, cerevifiam, vel aquam bibat*; id ſane nos conſtanti traditione freti rejicimus, (vid. Tom. I. Moralis noſtræ jam ab initio ſecundæ edit. & ſequentium.) Quod vero docent iidem, eum qui *per immoderatum potum ſe inebriat, peccare quidem contra temperantiam, non tamen contra præceptum Eccleſiæ, niſi forte ſe inebriet, ne difficultatem jejunii perſentiſcat*, ut ridiculum æque ac veræ pietati adverſum exhorremus.

57 Quæres 3. an ſi Jubilæum Paſchali tempore lucrandum proponatur ſub conditione jejunii, poſſit jejunium illud ab Epiſcopo in triplicem eleemoſynam commutari.

Affirmat Gobatius, cap. 28. num. 202. quia ſic a Sixto V. factum ſit: Sed male; quia Epiſcopi præſcriptam a Superiore formam commutare non poſſunt, niſi cum eam hic & nunc adimpleri impoſſibile eſt. Porro jejunare tempore Paſchali, nec impoſſibile eſt de facto, ut per ſe patet; nec de jure, cum Eccleſia, etſi tunc temporis non jejunat, voluntaria tamen jejunia commendet, ut conſtat ex cap. 10. & 11. diſt. 76. ubi refertur id Hieronymi, Epiſt. ad Lucinium: *Utinam omni tempore jejunare poſſimus, quod in Actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſtes . . . credentes feciſſe legimus*, &c. Porro jejunium Jubilæi voluntarie ſit ab iis qui illud lucrari cupiunt. Et vero Urbanus VIII. Paſchali tempore Jubilæum indicens, jejunia triduana præſcripſit. Ergo hujus temporis circumſtantia non eſt ratio ſufficiens ut Epiſcopus jejunium commutet.

trum conſiliis adverſatur. 3. Quia eleemoſynæ titulo datur, quidquid reipſa datur ad ſublevandam egeni neceſſitatem; unde eleemoſynam dedit, qui dat ei cujus neceſſitas non ſublevatur, ſeu propter furtum alterius, ſeu quia interea dives evadit. Ceterum Bullæ aliquando ſolum præcipiunt ut fiat eleemoſyna, abſque pauperum mentione, ut advertit Lugo, diſp. 17. n. 113. pag. mihi 623.

49 Ad 2. Sicut non facit pietas Pontificis, ut qui dandæ ſtipis, vel ſtationis faciendæ oblitus eſt, Indulgentiam percipiat; ſic nec in præſenti caſu eleemoſynæ defectum ſupplere cenſenda eſt. Et vero quidni utcumque intenderit Pontifex, ut eleemoſyna ſaltem aliqua, tutiori qua potis eſſet via, errogaretur?

50 Dices in caſu ficti pauperis non fit vere eleemoſyna: ad hanc enim requiritur animus dominium transferendi. Atqui animum hunc non habet, qui ſolum vero pauperi donare intendit.

51 Reſpondet Lugo ibid. in his minutioribus eſſe regulariter animum transferendi dominium, licet propter dolum revocari poſſit donatio. Solutionis hujus difficultatem nemo non ſentit; præſertim cum largior quandoque eleemoſyna in his occaſionibus fieri poſſit, quam nemo in fictum pauperem tranſmiſſam velit; unde dicendum videtur per eleemoſynam in præſens ex communi Eccleſiæ ſenſu intelligi quidquid reapſe datur animo ſublevandæ paupertatis; unde qui Angelo indigentis formam præferenti daret, Indulgentiam conſequeretur. Nec dubium quin in præcitatis caſibus id miſericorditer ſuppleat Dominus, quod ex parte hominum deficit.

52 Dubitatur 6 an cum eleemoſyna pro alio erogatur, neceſſe ſit ut illud reſciat, eamque donationem ratam habeat tempore Jubilæi.

Reſpondet Lugo, ibid. num. 117. Superiorem, idemque eſt de marito reſpectu uxoris, domino reſpectu famulorum, &c. qui daret eleemoſynam inſciis ſubditis, nec ſaltem intra hebdomadæ decurſum ratihabentibus, nihil iiſdem ad Indulgentiam eſſe profuturum: Quia dare eleemoſynam eſt actio moralis, ad quam prærequiritur aliqua cognitio & voluntas: unde operæ pretium eſt ut ante de ſtipe ipſorum nomine largienda omnes admoneantur; quod & in Communitatibus bene ordinatis fieri ſolet. Id autem cum *longe ſecurius* eſſe fateantur qui virtualem ratihabitionem, in ſola Jubilæi lucrandi voluntate poſitam, ſufficere exiſtimant, nunquam eſt omittendum.

53 Dubit. 7. quoties & quando ad Jubilæi gratiam fieri debeat eleemoſyna.

Reſp. ad 1. ſufficere ut eleemoſyna ſemel detur; quia etſi Bullæ de eleemoſynis loquantur in plurali, non tamen plures a ſingulis, ſed tantum ab omnibus exigunt. Si tamen Pontifex triplicis jejunii loco triplicem eleemoſynam requirat, uti fecit Sixtus IV. cum an. 1585. Jubilæum indixit tempore Paſchali, quo, ut ajebat, *jejunia non inducuntur*, non ſufficeret eleemoſynam ſemel largiri, ſed trinam dari oporteret, eamque conſueta majorem, quia hæc bini operis vices gereret.

54 Reſp. ad 2. eleemoſynam poſſe fieri ante vel poſt communionem, imo quovis alterutrius hebdomadis die; modo intra hujus temporis ſpatium impendatur. Ratio eſt, quia Bulla, ex communi Doctorum intellectu, non exprimit tempus quo facienda eſt eleemoſyna; nec

Digitized by Google

nec ex eo quod eam identidem poſt opera alia recenſeat, ſequitur hanc iis eſſe poſtponendam; quia operum ordo non eſt de ſubſtantia Jubilæi. Si tamen eleemoſyna certæ diei affixa ſit, prout Feriis IV. VI. & Sabbato per Sixtum V. annexa erat, non eſt dubium quin ſtatuto tempore debeat erogari.

ARTICULUS QUINTUS.

De Jejunio.

QUæres 1. an jejunia ſemper ad Jubilæi aſsecutionem requirantur. 55
Reſp. negat. neque enim exiguntur in Jubilæis anni ſancti, & eaquæ extra Urbem in aliis Regnis conſequi ſolent. Exiguntur vero in Jubilæis *ad inſtar*, ſeu extraordinariis, ut peragenda Feria IV. & VI. & Sabbato, & quidem unius ejuſdemque hebdomadæ.

Quæres 2. quali ad Jubilæum opus ſit jejunio. 56

Reſp. idem & non aliud requiri, quam quod Fidelibus ab Eccleſia certis diebus præſcriptum eſt. Quia cum nihil ſpeciale de jejunio ſtatuat Pontifex, pure Eccleſiaſtico contentus eſse videtur. Unde ſicut Eccleſiaſtico jejunio facit ſatis, qui certis in Regionibus utitur ovis & lacticiniis, ſic & jejunio Jubilæi ſatisfacere exiſtimandus eſt. Idem dixeris ſi quis juſta de cauſa ſub meridiem cœnulam faciat, & cœnet ſub noctem. Etſi autem permittunt boni & faciles Germani cum Gobat, num. 209. Koch, num. 99. ut quis non modo *pomum vel aliquid ſimile* ſumat *ad ſedandam ſitim*, vel *interdiu extra refectionem vinum, cereviſiam, vel aquam bibat*; id ſane nos conſtanti traditione freti rejicimus, (vid. Tom. I. Moralis noſtræ jam ab initio ſecundæ edit. & ſequentium.) Quod vero docent iidem, eum qui *per immoderatum potum ſe inebriat, peccare quidem contra temperantiam, non tamen contra præceptum Eccleſiæ, niſi forte ſe inebriet, ne difficultatem jejunii perſentiſcat*, ut ridiculum æque ac veræ pietati adverſum exhorremus.

Quæres 3. an ſi Jubilæum Paſchali tempore lucrandum proponatur 57
ſub conditione jejunii, poſſit jejunium illud ab Epiſcopo in triplicem eleemoſynam commutari.

Affirmat Gobatius, cap. 28. num. 202. quia ſic a Sixto V. factum ſit: Sed male; quia Epiſcopi præſcriptam a Superiore formam commutare non poſsunt, niſi cum eam hic & nunc adimpleri impoſſibile eſt. Porro jejunare tempore Paſchali, nec impoſsibile eſt de facto, ut per ſe patet; nec de jure, cum Eccleſia, etſi tunc temporis non jejunat, voluntaria tamen jejunia commendet, ut conſtat ex cap. 10. & 11. diſt. 76. ubi refertur id Hieronymi, Epiſt. ad Lucinium: *Utinam omni tempore jejunare poſſimus, quod in Actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſtes . . . credentes feciſſe legimus*, &c. Porro jejunium Jubilæi voluntarie fit ab iis qui illud lucrari cupiunt. Et vero Urbanus VIII. Paſchali tempore Jubilæum indicens, jejunia triduana præſcripſit. Ergo hujus temporis circumſtantia non eſt ratio ſufficiens ut Epiſcopus jejunium commutet.

58 Quæres 4. annon ſaltem commutari poſſit jejunium, quod in præcipuum loci alicujus Feſtum inciderit.

Reſp. non poſſe jejunium tunc in aliud opus ab Epiſcopo commutari, ſed poſse in aliam diem transferri. Nam, ex cap. 2. *De obſervat. Jejun.* Solemnitas Feſti de jure communi eſt cauſa anticipandi jejunium, prout fit in urbe Sanquintiniana, ubi una ante Vigiliam omnium Sanctorum die jejunatur, ne ipſo S. Quintini die jejunetur. Si tamen feſtivitas quædam in antiqua, quæ toto in orbe certæ diei affixa ſint, jejunia ſæpe incidat, ut Rojæ feſtum S. Florentii, melius dubio procul erit Feſtum transferri, quam jejunium.

59 Quæres 5. an omnes ad jejunium pro Jubilæi conſecutione teneantur.

Reſp. teneri univerſos, adeoque ſenes etiam & adoleſcentes, niſi per accidens, nimirum ex nimia virium imbecillitate, aut ex alio capite ſine notabili incommodo jejunare non poſſint. Etſi enim juvenes annis 21. minores non adigit Eccleſia ad jejunia quæ cum multa ſint, adoleſcentiæ non parum oneroſa forent, rarum eſt tamen ut jejunia tria ſuſtinere, non valeant. Quapropter ſi iis ob ſolam ætatem commutetur jejunium ab improvido Directore, non aſsequentur gratiam Jubilæi.

60 Etſi autem generatim ſtatuit Manſuetus Koek numer. 100. pauperes, Meſsores, alioſque artifices, qui a jejunio Eccleſiaſtico excuſantur, ut ſe, ſuamque familiam laboribus ſuis ſuſtentent; nobis tamen æquius eſt ac tutius quod docet Viva ibidem num. 4. talibus ſcilicet jejunium commutari non poſse, *ſi abſque notabili incommodo poſſint vel jejunare, vel a laboribus ceſſare*. Quoti non raro a labore vacant, ut vacent ebrietati? Subdit idem Viva, quod licet ceteris paribus major ad diſpenſandum, quam ad commutandum requiratur cauſa; major tamen requiratur cauſa ut cuipiam commutetur jejunium Jubilæi, quam ut is a jejuniis Eccleſiaſticis diſpenſetur. Ratio eſt, quod hinc quidem jejunium Jubilæi offertur tanquam conditio voluntarie acceptanda; inde vero Eccleſiaſtica jejunia, ut quæ frequenter recurrunt, multis grave præjudicium inferrent.

61 Quæres 6. quando jejunandum ſit ob finem Jubilæi.

Reſp. Jejunandum eſse 1. intra tempus pro Jubilæi conſecutione deſignatum; 2. eadem hebdomada, & iiſdem diebus, quibus jejunium fieri præſcriptum eſt; unde ſi deſignatæ ſint hebdomades duæ, non ſatisfacit qui ſemel prima, bis autem ſecunda jejunat; aut qui loco Feriæ IV. jejunat Feria V. Ratio eſt 1. quia Diplomatis verba ex ſe ipſis, atque ex communi Doctorum ſenſu exprimunt jejunia & prædictis diebus, & intra eandem hebdomadam facienda eſse. Ecquid aliud ſibi velint iſthæc: *Qui Feria* IV. VI. *& Sabbato primæ, vel ſecundæ hebdomadæ* aut *alterius ex duobus hebdomadis* jejunaverint; 2. quia ſcopus Pontificis, dum jejunia hæc præſcribit, eſt ut affligatur caro: ad id vero non parum conducit quod eadem jejunia ſibi proxime ſuccedant; 3. quod Jubilæi jejunia quamdam habent cum quatuor temporum jejuniis affinitatem. Hæc autem, juxta omnes, una eademque ſeptimana obſervari debent.

62 Nec obeſt quod continua tria Feriæ V. VI. & Sabbati jejunia, ut quæ

quæ continuo ductu fiant, ſint magis difficilia, & ideo meritoria magis, quam ſi interpolatis diebus fiant. Namque 1. in poſitivis, non tam operis præſtantia, quam Pontificis intentio ſpectanda eſt; 2. & hæc Pontificis intentio jejunia utcumque faciliora efficientis, inde commendanda eſt, quod & ea via curare voluerit ut plures afflicta ſimul iiſdem diebus carne, vim quamdam Cœlo inferrent; & e familiis abigere diſſidia, quæ facile erupiſſent, ſi ſuam quiſque pro libitu jejunio ſuo diem affixiſſet.

Quæres 7 quid juris ſi elapſo jejuniorum tempore accedat quis ad Confeſſarium die Dominica, ſibique, ut Jubilæum lucretur, jejunia commutari efflagitet. 63

Reſp. Cum Viva quæſt. 8. art. ult. ſi pœnitens inculpabiliter & ex Jubilæi ignorantia id fecit, dubio procul poterunt jejunia, vel in eleemoſyna, vel in alias preces eo die præſtandas commutari, ut jam tunc Indulgentiam lucrari valeat. Si vero id mala fide fecerit, *poterit*, quin & debebit *Confeſſarius illum plectere commutando jejunia præterita in jejunia ponenda tribus primis diebus*, vel paulo poſt, ſemper tamen intra eandem hebdomadam, ut ſervetur Jubilæi forma. *Nam quamvis voluntarie redditus ſit impotens, adbuc tamen eſt potens poſtmodum ponere injuncta jejunia; & in caſu impotentiæ poteſt Confeſſarius tempore Jubilæi opera injuncta commutare etiam in opera poſt Jubilæum ponenda; quoties datur cauſa differendi conſecutionem Jubilæi, ut videtur adeſſe in caſu hujus inculpabilis impotentiæ*, hæc ille.

CAPUT QUARTUM.

De privilegiis Jubilæi.

Circa Jubilæi favores attente ponderanda ſunt Diplomatis verba; quandoquidem in negotio Indulgentiarum valet tritum iſtud axioma: *Quod non eſt in Bulla, non poteſt eſſe in praxi.* Unde male quis ex eo quod gratia hæc vel illa in tali Jubilæo conceſſa fuerit, ſtatim inferat eam proinde in præſenti Jubilæo conceſſam ſupponi debere. 1

Duo igitur duntaxat hic emergunt dubia, I. an ſi contingat Pontificem mori paulo poſt Jubilæum, ad cauſam quæ jam non ſubſiſtit, puta ut Eccleſiam feliciter gubernaret, conceſſum; & ante cognitam ejus necem fideles a cenſuris, aut votis abſolvantur, valeat hæc abſolutio, ſeu commutatio. II. an omnes Jubilæi gratiæ, puta abſolutio a cenſuris, & votorum commutatio ab uno eodemque Sacerdote conferri debeant.

Reſp. ad 1. affirmat. Ratio eſt 1. quia ex dictis Superius cap. 8. numer. 102. error communis, ſaltem cum titulo colorato dat juriſdictionem, idque merito ad vitanda animarum pericula. Atqui in præſenti caſu datur error communis, & adeſt titulus Pontificiæ delegationis. 2. quia tametſi poteſtas Vicarii Generalis, utpote quæ eadem ſit cum poteſtate Epiſcopi, ſtatim expiret etiam in cauſis jam cœptis, ut habet communis doctrina apud Sanchez Lib. 3. de Matrim. 2

diſp. 30. valent tamen Vicarii acta, quamdiu mors Epiſcopi publice ignoratur, uti docent Henriquez, Leſſius, Barboſa part. 3. de offic. & pot. Epiſc. alleg. 54. n. 152. Reiffenſtuel in tit. 28. Lib. 1. n. 104. &c. Ergo a fortiori valent abſolutiones & commutationes poſt mortem Pontificis factæ in locis ubi ea communiter ignoratur, *a fortiori*, inquam, quia poteſtas delegati poſt mortem delegantis diutius ex Juris diſpoſitione perſeverat, quam Vicarii poteſtas: hæc enim in cauſis etiam incœptis ſtatim deſinit; illa vero etiam poſt cognitam delegantis mortem perſeverat uſque ad finem cauſæ jam cœptæ, ut docent omnes ex cap. *Gratum* 20. & cap. *Licet* 30. *De Officio & poteſt. Judic. delegati*.

3 Quin & cenſet utcumque Suarez diſput. 57. ſect. 2. numer. 9. revocationem Indulgentiæ etſi alias ſatis promulgatam; non nocere quoad abſolutionem a peccatis reſervatis, ei qui Indulgentiæ revocationem invincibiliter ignorans, ea confeſſus eſt. Et ego quidem cum eodem Scriptore *cupio eſſe veram* hanc *ſententiam*, *quia valde favorabilis eſt* & pia: *eritque vera*, *ſi hæc ſit voluntas Pontificum: unde autem hæc voluntas colligatur non ſatis apparet*. Ergo cum inniti non liceat juriſdictione, quæ *non ſatis apparet*, contraria opinio tenenda eſt in praxi. Quod ægre quidem dico, & pluribus ab hinc annis circa gravem hanc materiam ita ſuſpenſus, ut aliquando me humana quædam miſeratio in partem leniorem trahat; aliquando timor revocet ad duriorem, quæ ſola ſaluti tuto providere videatur.

4 Reſp. ad 2. poſſe vel unum eligi qui omnia privilegia conferat; id eſt qui ſimul a cenſuris abſolvat, & vota commutet; vel plures, quorum alter peccata, vota alter relaxet. Ratio eſt quia Bullæ, præſertim recentiores, nihil habent quod ſtricte exigat, ut omnia ab eodem Confeſſario fiant. Harum verba hæc eſſe ſolent: *Inſuper omnibus & ſingulis Chriſti Fidelibus &c. facultatem concedimus, ut ſibi eligere poſſint quemcumque Presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem, quam cujuſvis Ordinis & Inſtituti Regularem ex approbatis, qui eos* &c. atqui verba hæc nullatenus exigunt, ut omnia ab uno fiant. Stat enim, præſertim in materia admodum favorabili, proinde extendenda, hominem ab electo Confeſſario abſolvi, ſtat & eidem ab electo Confeſſario vota commutari, etſi abſolvat alius, alius vero commutet. Et vero quid mali, ſi anceps an emiſſum caſtitatis non perpetuæ votum commutari poſtulem; ſub initium hebdomadæ a Confeſſario, quem primum inveni, ab omnibus peccatis abſolvat; ſub finem vero ejuſdem hebdomadæ, ab ordinario Confeſſario voti mei Commutationem obtineam? Atque ita docent Card. Lugo diſp. 27. numer. 120. & alii plures. His in anteceſſum præmiſſis, ſigillatim expendendi veniunt univerſi Jubilæorum favores. Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

De facultate eligendi Confeſſarium.

5 QUæres 1. an Jubilæi tempore poſſit quilibet Sacerdos in Confeſſarium eligi.

Reſp.

Reſp. Negat. is enim ſolus eligi poteſt qui ab Ordinario approbatus fuerit. Imo nec ſemper ſufficit approbatio generalis; quia poteſt Epiſcopus certos Jubilæi confeſſarios, aliis prætermiſſis deſignare; tuncque prætermiſſi, vel omnino ab audiendis confeſſionibus ceſſabunt, ſi ita Superiori videbitur; vel ut antea confeſſiones excipient, ſed Jubilæi privilegia non dabunt. Patet id ex diplomatum pro Jubilæis extraordinariis tenore, ubi hæc: *Concedimus ſingulis Chriſti Fidelibus facultatem, ut ſibi eligere poſſint quemcumque Presbyterum confeſſarium ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis abſolvant*, vid. q. 3.

Quæres 2. a quo Ordinario approbatus eſſe debeat ſacerdos *Jubilaris*.

6 Reſp. 1. non ſufficere approbationem datam a quocumque Epiſcopo, cujuſcumque loci ſit, uti perperam & ridicule docent Henriquez, Poſtellus, Lezana & alii apud Vivam quæſt. 9. art. 3. numer. 3. Ratio eſt 1. quia ſi valeret approbatio Epiſcopi nullam habentis juriſdictionem vel in Confeſſarium, vel in pœnitentem, poſset quis in India Epiſcopus Sacerdotes omnes per litteras approbare; quo nihil abſurdius fingi poteſt; 2. quia juriſdictio nonniſi ſubdito, vel ſaltem relative ad oves ſubditas committi poteſt. Atqui juriſdictio a quocumque Epiſcopo commiſsa, nec ſubdito committeretur, nec relative ad oves committenti ſubditas, ut patet, tum ex terminis, tum ex hypotheſi.

7 Reſp. 2. Controverti inter Theologos an ſufficiat approbatio facta a ſolo pœnitentis Epiſcopo. Eam ſemper, maxime autem Jubilæi tempore, ſatis eſse docent Suarez diſput. 28. ſect. 6. Sanchez Libr. 3. cit. diſput. 33. Ledeſma, Sylveſter, & alii quos ſequitur Viva ibidem numer. 1. Horum rationes ſunt, 1. quod approbatus ab Ordinario pœnitentis habet juriſdictionem in illum quocumque in loco; quia quatenus Confeſsarius gerit vices Chriſti, cujus juriſdictio nullo loco circumſcribitur: 2. quia Epiſcopus ſubditum ſuum ubilibet abſolvere poteſt, cum juriſdictionem voluntariam in foro etiam exteriori extra Territorium exercere valeat. Atqui quod per te facere poteſt Epiſcopus, hoc alii faciendum demandare poteſt. Idque adhuc certius eſt Jubilæi tempore, quo approbat quidem Epiſcopus, ſed juriſdictionem tribuit Summus Pontifex.

8 Aliter ſentiunt Rodriguez, Layman Libr. 5. Tract. 6. cap. 11. in fine, & alii quos ſecuti ſumus, ſuperius cap. 8. numer. 131. ubi Epiſcopi utriuſque, loci ſcilicet & pœnitentis, juriſdictionem neceſſariam eſse diximus. Neque hinc recedendum; cum in his ſaltem Regionibus uſu conſtanti receptum ſit, quod juriſdictio delegata, non ſubditum modo, ſed & locum afficiat. Et vero quid non ſcandali, ſi Sacerdos Verſaliis non approbatus, forte & interdictus, eorum quos ad ſe mitteret vicinus Carnotenſium Epiſcopus confeſſiones palam audiret, vel clanculum audire reſciretur.

9 Confirm. quia Clemens X. in Bulla, quam die 2. Auguſti an. 1670. edidit, diſertim declarat, Regularem ab Epiſcopo approbatum ad audiendas ſæcularium confeſſiones in ſua Diœceſi, non poſse in alia

Diœceſi audire pœnitentes eidem Epiſcopo ſubditos citra approbationem Epiſcopi Diœceſis in qua verſatur. Atqui definitio hæc, quidquid regerat Viva, a paritate rationis militat contra Presbyteros ſæculares; nec eſt quod ad alia quam Jubilæi tempora reſtringatur: cum ex violatione ipſius eadem quocumque tempore conſequantur incommoda; nec jubilæum violandis Conſtitutionibus debeat inſervire. Ergo de his adi qui contra Vivam fuſe diſſerit, Theodorum a ſpir. S. cap. 8. p. mihi 147.

10 Reſp. 3. Nullatenus etiam ſufficere approbationem ab Epiſcopo ſolius Confeſſarii, non autem pœnitentis factam. Ita idem Viva cum Ugolino, Barboſa, & aliis pluribus contra Suarem diſput. 28. de pœnit. ſect. 6. Cordubam, Henriquem, &c. Ratio eſt 1. quia Epiſcopus neminem approbat niſi relative ad oves ſuas, quas ſolas cognoviſſe ſupponitur, & quæ ſolæ regimini ejus ſubjacent; nec plerumque quem ſuis, quia ductu facilibus, committit, eum alienis, quia difficilioribus, committeret. Ergo qui relative ad Epiſcopi ſui gregem approbatus eſt, ſe ad gregem Epiſcopi alterius habet perinde ac ſi non eſſet approbatus; 2. quia ad ſolum Paſtorem ſpectat ovibus ſuis conſulere, quod & quaſi rationem Deo redditurus, omni qua poteſt vigilantia facere tenetur. Atqui non raro ovibus ſuis peſſime conſuleret, qui eas ad quemcumque Miniſtrum a vicino Epiſcopo approbatum recurrere permitteret. Cum fieri poſſit ut vicinus Antiſtes, quia facilior, vel ſuſpectæ fidei, obvios quoſque, & ſuſpectos præ cæteris approbet.

11 Objiciuntur equidem variæ S. Congregationis declarationes: Sed quia earum nulla eſt quæ vere ſit authentica; quin & aliæ aliis adverſantur; idcirco nihil ex iis certi deduci poteſt, Confer caput 8. de pœnit. num. 133.

12 Quæres 3. an Confeſſarius pro diœceſibus Pariſienſi & Meldenſi ab utroque Epiſcopo approbatus, poſſit in utraque abſolvere a caſibus reſervatis, &c.

Reſp. id eum aliquando poſſe, aliquando non poſſe. Poteſt quidem in Jubilæis *ad inſtar*, quia in hiſce Jubilæis quilibet Confeſſarius eſt Confeſſarius *Jubilaris*; in Jubilæis vero anni ſancti non poteſt, niſi *ad hoc* expreſſe nominatus ſit. At nominatus in una Diœceſi, non ideo in alia nominatus erit. Ita Blaſius ab aſſumpt. part. 2. cap. 2. caſ. 2.

13 Quæres 4. an qui ab Epiſcopo deſignatus eſt Confeſſarius Jubilaris, in tota diœceſi abſolvere poſſit.

Reſp. poſſe, ſi approbatio ejus illimitata ſit: ſi vero ad hanc Parochiam, vel ad ruris incolas ſit reſtricta, non poterit aliorum confeſsiones excipere, vel ſimpliciter, ſi nullatenus quoad iſtos approbatus ſit, vel quantum ad cenſuras & caſus reſervatos, ſi non ſit approbatus ut Sacerdos Jubilaris.

14 Quæres 5. an valide Jubilaris Confeſſarii munus obeat, qui illimitate quidem approbatus eſt, ſed alio laborat impedimento audiendi confeſsiones, puta Regularis, cui a Superiore interdictum eſt ne confeſsiones ſæcularium excipiat, aut qui cenſuris ligatus eſt vel irregularitate.

Reſp.

Reſp. Regularem in priori caſu graviter peccare contra obedientiam, a qua utique per Jubilæum non eximitur. At cenſeo contra Joannem de Cruce, Rodriguem, &c. valere abſolutiones ab eo datas, cum ab Epiſcopo, & eo mediante, a Papa juriſdictionem accepit. Neque enim juriſdictioni huic obſtat mandatum Prælati Regularis, ſed tantum habet ſe velut conditio neceſsaria, ut omnia debite & ſecundum ordinem fiant. Aliud fuerit, ſi a Papa conſtitutum eſset, ut Regularis nemo ſine proprii Superioris approbatione a quopiam juriſdictionem valide accipere poſset. Tunc enim ſecluſo erroris communis caſu, invalidæ forent abſolutiones ab hujuſmodi interdicto conceſsæ.

Quod ſpectat ad caſum de excommunicato vel irregulari, repetenda ſunt quæ de utroque in ſpecialibus ea de re Tractatibus dictum eſt Tom. II.

Quæres 6. an Regulares vi Jubilæi Confeſsarium extra Religionem eligere poſsint.

Circa præſens punctum, atque utinam in eo ſolo, adverſantur ſibi Regulares. Affirmant Lugo, diſput. 20. de pœnit. numer. 187. Mizarius, Ugolin, & alii plures quos ſequitur Navarrus, Koch, &c. 1. quia privilegia Communitatibus conceſsa, ne quis ſuorum extra Ordinem ſibi Confeſsarium eligere poſsit, in caſu Jubilæi deſinunt; cum eis expreſsiſsime deroget Bulla his verbis: *Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica & individua, ſeu quævis alia mentio facienda eſſet .·.·. hac vice ſpecialiter ad effectum præſentium derogamus*. 2. Quia Gregorius XIII. die 19. Decembr. an. 1581. in Conſiſtorio reſpondit: *Tempore Jubilæi poſſe omnes Regulares confiteri peccata Sacerdotibus, etiam ſæcularibus, approbatis ad confeſſiones: quia in Bulla non fit mentio niſi de Ordinario eorum qui audituri ſunt confeſſiones, non de Ordinario pœnitentis*. 3. Quia privilegium ne Religioſi a ſæcularibus abſolvi poſsint, reſpicit immediate Religionem, & conſequenter eſt privilegium generale: contra vero privilegium quod in Jubilæis conceditur, reſpicit particulares perſonas per ſe & primario, proinde eſt privilegium ſpeciale. Atqui privilegium ſpeciale poſterius derogat privilegio generali priori, ut communiter docent cum Covarruvia & Menochio. 4. Quia privilegium, quod Regulares extra Religionem Confeſsarium eligere non poſsint, ſic intelligi poteſt, ut id nec ordinarie poſsint, nec in extraordinariis etiam caſibus Indulti vel Jubilæi ſpecialis, non autem quod id non poſsint in Jubilæo univerſali; quia hujus favor, quam rationabiliter poteſt, extendi debet; illud vero, cum animarum utilitati adverſetur, quantum poteſt, debet reſtringi. Atque ideo S. Thomas, in 4. diſt. 17. quæſt. 3. artic. 3. docet Prælatos eſse debere faciles ad concedendam ſubditis facultatem aliis confitendi, ne multis ac ſibi ipſis damnationis laqueum injiciant.

Contrariam opinionem tenent Reginaldus & alii plures quos ſequitur Viva, cit. quæſt. 9. art. 1. num. 2. Horum ratio eſt 1. quia Jure communi, videlicet cap. *Cum igitur*, *De privilegiis*, vetitum eſt ne quis

Religioſos invitis eorum Superioribus abſolvat. Atqui Bullas novaſque Leges ſic ſemper interpretari debemus, ut Juri communi non derogent. Ergo Jubilæi Bulla ſic interpretanda eſt, ut huic communi Juri non adverſetur.

17 2. Quia idem Gregorius XIII. die 24. Octobris anno 1584. vivæ vocis oraculo declaravit non eſſe ſuæ mentis, ut per Bullas Cruciatæ, Jubilæorum, aut ſimiles, huic Religionum privilegio derogaretur, etiamſi in Bullis apponantur clauſulæ privilegiorum derogatoriæ, & addantur voces; *Quacumque prohibitione ſublata*; prout liquet ex Compendio privilegiorum Societatis Jeſu, v. *Gratiarum uſus*. Unde neceſſum eſt ut Gregorius XIII. conceſſionem anno 1581. a ſe factam revocaverit.

18 3. Quia idem Gregorius an. 1575. privilegium (in quo aliæ etiam Religiones communicant) Societati Jeſu conceſſit, ne quis vi Jubilæi Confeſſarium extra Religionem a ſolo loci Ordinario approbatum eligere poſſet, aut facultatibus in Jubilæis, Bullis Cruciatæ & ſimilibus, conceſſis abſque expreſſa Superiorum licentia uteretur. Ergo neutiquam id agere tutum fuerit, præſertim a Patribus Societatis, quibus, teſte Viva, ibid. pag. mihi 633. a Congregatione VI. generali, Decreto 5. ſub gravibus pœnis vetitum eſt, ne quis unquam doceret, in conſcientia ſecurum eſſe, qui vi Bullæ Cruciatæ ſibi ad abſolutionem a reſervatis Confeſſarium eligeret.

19 4. Quia Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, ubi a trita Prędeceſſorum ſuorum via recedens, permittit quibuſcumque Regularibus, ut a minoribus Pœnitentiariis Baſilicarum quatuor Romanæ urbis abſolvi valeant; id ut & alia multa *pro hoc duntaxat anno ſancto* indulget. Ergo in ceteris locum non habet, niſi exprimatur.

20 Eń utriuſque partis momenta; eo ſane præferenda eſt poſterior, quod in materia ad Sacramentum pertinente ſit tutior. Unde qui ex invincibili repugnantia nollet cuipiam ex Fratribus ſuis confiteri, a Superioribus ſuis obtinere deberet licentiam ad alium Sacerdotem recurrendi, quod & illi negare non deberent, præſertim ſi in Oratoris domo pauci adeſſent Sacerdotes. Quia tamen erunt forte nonnulli, qui priori ſententiæ in damnum ſuum adhæreant.

21 Quæres 7. a quo approbatus eſſe debeat Sacerdos apud quem confiteri vult Regularis ex Jubilæi gratia.

Reſp. Vel Sacerdos ad quem confugiet Religioſus, eſt ſæcularis, vel Regularis alterius Inſtituti. Si 1. debet hic approbari ab Ordinario loci; tum quia hujus approbationem requirit Pontificium Diploma; tum quia Religioſus ad eum confugiens ſe habet ut ſimplex quilibet Fidelis. Si 2. docet cum aliis non paucis Sanctarellus ſatis eſſe quod ille a proprio ſuo Regulari Superiore approbatus ſit; 1. quia Regularis Superior eſt vere ſubditorum ſuorum Ordinarius; 2. quia Gregorius XIII. ex dictis ſupra n. 15. requirit approbationem Ordinarii Confeſſariorum, non autem pœnitentium.

22 Verum Longe melius docent Suarez, diſp. 28. ſect. 6. Lezana, &c. iſtud *ab Ordinario loci*, intelligendum eſſe de Ordinario, ſeu Epiſcopo

po Diœceſis, nec prohinc ſufficere Regularis Prælati approbationem. Ratio eſt. 1. quia nomine Ordinarii locorum veniunt ſolum Epiſcopi, & qui Epiſcopalia jura in ſæculares exercent, uti notat Rota, deciſ. 798. part. 4. 2. Quia cum Pontifex requirit approbationem Ordinarii, intelligi debet de approbatione ſecundum formam juris, atque adeo de ea quam præſcribit Tridentinum, Seſſ. 23. cap. 15. quia diſpoſitio omnis intelligitur facta ſecundum jus commune, ad cujus ſenſum verba diſpoſitionis reduci debent, ut advertit Barboſa. Porro Tridentinum citato loco Epiſcopi approbationem requirit. Ita in terminis Viva, qui hinc, quod utique notandum eſt, colligit contra nonnullos, Regularis, ut Indulgentiam & favores Jubilæi aſſequatur, non eſſe ſatis ut eligat Confeſſarium a ſuo duntaxat Superiore approbatum, niſi is etiam ab Epiſcopo approbatus ſit; quia approbatus a Superiore Regulari non dicitur approbatus ab Ordinario loci, ſed ab Ordinario Communitatis.

Quæres 8. an Moniales eligere poſſint quemcumque Sacerdotem ab Ordinario, ſeu Epiſcopo approbatum.

R. 1. cum eodem Viva, ibid. art. 2. Moniales, ut Jubilæum lucrentur, eligere non poſſe Confeſſarium a ſolo Prælato Regulari approbatum: ſed eligere debere approbatum ab Epiſcopo. Ratio eſt, quia in hac materia ſe habent perinde ac Religioſi. Ergo, ut & illi, eligere debent approbatum ab Ordinario loci: ſolus porro Epiſcopus ex communiori Doctorum ſenſu eſt Ordinarius loci. Ita & Suarez, ibid. 23

Reſp. 2. Neque etiam ſufficit ut Moniales quemcumque ab Epiſcopo approbatum eligant; ſed requiritur ut eligant approbatum pro Monialibus. Ratio eſt, 1. quia ut poſſit quis in Confeſsarium Jubilarem eligi, non ſufficit quæcumque approbatio ab Epiſcopo facta; ſed requiritur approbatio relative ad perſonam a qua eligendus eſt. Unde qui ſolum pro viris approbatus fuerit, non poteſt virtute Jubilæi in Confeſsarium eligi a mulieribus, ut qui quantum ad ipſas ſit non approbatus. Atqui approbatus ſimpliciter ad audiendas confeſſiones, non eſt approbatus ad audiendas Monialium Confeſſiones; prout ann. 1670. definiit Clemens X. & ex praxi conſtat. 2. Quia approbatus ad certum locum vel tempus, non poteſt univerſim eligi in Confeſsarium virtute Jubilæi. Sed qui ad Moniales approbatus non fuit, non eſt ad certum locum approbatus. Minor per ſe patet. Major communiter admittitur, iiſque tantum dubia eſt, quibus dubia fuere præcipua Chriſtianæ Moralis capita. 3. Quia ſacra Congregatio, (apud Theodorum a Sp. S pag. 160.) die 3. Sept. 1671. definiit *Moniales eligere non poſſe Confeſſarium ſibi bene viſum, etiam tempore Jubilæi, ſed teneri eligere unum ex approbatis pro Monialibus.* 24

At, inquiunt, Bulla univerſis utriuſque ſexus Fidelibus permittit, ut Confeſsarium ab Ordinario loci approbatum abſolute ſibi eligere poſſint. Ergo nulla eſt ratio cur ſpecialis quoad Moniales requiratur approbatio. Et vero Urbanus VIII. in Bulla *Pontificia ſollicitudo*, expreſſe Sanctimonialibus conceſſit ut in Jubilæo quemcumque ex approbatis ab Ordinario eligere poſsent. 25

R. neg. ant. non enim aliud permittit Bulla, quam quod permiſit 26

qui

qui temere objicitur Urbanus VIII. per Conſtitutionem *Pontificia ſollicitudo* . Atqui per hanc tantummodo conceſsit Urbanus VIII. ut Moniales eligere poſsent Confeſsarium *ad id probatum* , id eſt , ut habet communis intellectus, ad audiendas earum confeſsiones : Quod etiam habetur in Bulla Innocentii X. ann. 1650. Clementis X. an. 1675. & ut alios prætermittam, Benedicti XIV. an. 1750. Ergo Bullę quę paulo generalius loqui videntur, ad hunc ſenſum neceſsario flecti debent.

27 Sed num poterunt Moniales, exemptę ſcilicet, ad Confeſsarium ab Epiſcopo approbatum recurrere, contra Superiorum ſuorum voluntatem?

Negat Viva; alioqui enim, ait, ibid. n. 4. *Jubilæi tempore poſſent omnes Confeſſarii reluctantibus Prælatis* Regularibus *ad Monaſteria Monialium accedere ad confeſſiones audiendas; quod certe magnum aperiret oſtium laxitati, & in deſtructionem potius cederet, quam in ædificationem.*

Longe aliter ſentit Blaſius ab Aſsumpt. pag. 290. quia, inquit, Bullę facultates Confeſsariis conceſsas, non a Superiorum beneplacito, ſed ab Epiſcopi approbatione ſuſpendunt . Optandum ut in eo caſu nec Superioribus inviſos approbent Epiſcopi , nec ab Epiſcopis approbatos facile rejiciant Superiores.

28 An autem vi Jubilæi poſsint Moniales eligere ſibi Confeſsarium generatim duntaxat pro Monialibus approbatum , diſputant Theologi . Negat Matthęuccius, quia Clemens X. abſolute & ſimpliciter ſtatuit , approbatos pro Monialibus unius Monaſterii, non poſse audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii . Hęc ſententia a Theodoro a Spir. S. rigidior videtur ; quia nihil ex privilegio Jubilęi Moniales commodi perciperent, ſi tenerentur ei ſolum Presbytero confiteri, qui pro earum Monaſterio eſset approbatus . Favet quod Benedictus XIV. in Conſtitut. *Paterna charitas* , ann. 1749 *Monialibus earumque Novitiis* , *pro prima vice duntaxat* , indulget , *ut Confeſſarios quoſcumque a locorum reſpective Ordinariis ad audiendas Monialium confeſſiones approbatos eligere valeant* . Nec nocet declaratio Clementis , quæ de Jubilęi privilegia magna habentis tempore non procedit . Si tamen Epiſcopus certos certis Monialibus Confeſsarios deſignet ; quod gravibus de cauſis facere poteſt , his vel confitendum erit ; vel Jubilęi privilegiis renuntiandum .

29 Quęres 9. an Parochus & quicumque Paſtorale Beneficium habet, in Confeſsarium Jubilęi eligi poſsit.

Reſp. poſse eligi in Confeſsarium , qui a peccatis ſimplicibus abſolvat, & ſic pœnitentem percipiendæ Jubilęi gratię idoneum reddat: At non poſse, juxta non paucos, niſi ad id approbatus ſit, eligi in Confeſsarium Jubilarem , id eſt qui a cenſuris abſolvat, vota commutet , &c. Unde nec Moniales etiam Epiſcopo ſubditas, in ſuæ etiam Parochię finibus poſitas abſolvere magis poteſt tempore Jubilęi , quam extra idem tempus. Ceterum qui Beneficio, ratione cujus tantum approbatus erat, ceſsit, ne quidem in ſimplicem, nedum in Jubilarem Confeſsarium aſsumi poteſt.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

De poteſtate Confeſſarii quantum ad cenſuras & caſus reſervatos.

30 UTramque poteſtatem conjungimus, quia caſus Papę reſervati cenſuram annexam habere conſueverunt. De facultate porro ab iis abſolvendi ſic vulgo ſanciunt Pontificia Jubilæorum Diplomata, quæ ſevero oculo legi debent. *Qui*, Confeſſarius ad id approbatus, *Fideles ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis cenſuris, a jure vel ab homine quacumque cauſa latis & inflictis, necnon ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus & delictis, quantumvis gravibus & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ſive nobis & Sedi Apoſtolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis, contentis, & alias per quaſcumque noſtras, aut Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones .·.·.·. quomodocumque reſervatis, in foro conſcientiæ; & hac vice tantum, abſolvere & liberare valeant .·.·.·.·. injuncta tamen eis in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentia ſalutari*. Et infra: *Non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate quoquo modo contracta diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ*: Neque *etiam eaſdem præſentes iis qui a Nobis & Apoſtolica Sede, vel ab aliquo Prælato, ſeu Judice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeu alias in ſententias & cenſuras incidiſſe declarati vel publice denuntiati fuerint, niſi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo ſuffragari poſſe aut debere*. His præmiſſis

31 Quæres 1. an ea poteſtas abſolvendi a cenſuris ad omnes omnino cenſuras & caſus reſervatos ſe extendat.

Reſp. eam extendi ad cenſuras omnes tam a jure, quam ab homine, etiam per ſententiam ſpecialem ubicumque latas; imo ad caſus in Bulla Cœnæ contentos; ut liquet ex verbis mox adductis, quæ tamen poſitis ponendis intelligenda ſunt, uti ex dicendis innoteſcet.

32 Quin etiam contendunt aliqui futurum ut ea extenderetur, tam ad caſus Bullæ in Cœna, quam ad caſus Epiſcopis reſervatos; etiamſi de utriſque altum ſileret Pontificium Diploma.

33 At primam deciſionis hujus partem rejiciunt Suarez, Sanchez, & alii multi quos ſequitur Diana, part. 5. Tract. 12. Reſol. 34. quia caſus in Bulla Cœnæ contenti, nonniſi propter ſpecialem, quæ iis ab Apoſtolica Sede ineſſe judicatur, gravitatem reſervati ſunt. Atqui vix in animum induci poſſit, caſus qui ut graviſſimi habentur, ex conceſſione admodum vaga & generali relaxari poſſe: Cum ex Regula 81. in 6. *In generali conceſſione non veniant quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*.

34 Longe probabilior eſt ſecunda pars ejuſdem deciſionis, quam cum Suarez, diſp. 7. de cenſuris, cap. 5. Laymano, Vaſquez, Viva, quæſt. 11. artic. 2. tenent plurimi contra non paucos. Ratio eſt 1. quia ex Regula 53. in 6. *Cui licet quod eſt plus, licet & quod eſt minus*.

Porro

Porro majus eſt a caſibus Papæ reſervatis abſolvere, quam a caſibus reſervatis Epiſcopo. 2. Dictio hæc, *a quibuſvis caſibus*, tam late, præſertim in materia quæ gratiam & favorem continet, explicanda eſt, quam ſinit verborum proprietas. Atqui ſinit, quin & jubet proprietas verborum, ut dictio hæc, quæ de ſe admodum univerſalis eſt, generali ſenſu intelligatur. 3. Quia vox *etiam*, utpote *implicativa*, dum caſum magis dubium exprimit, minus dubium involvit & ſupponit. Atqui caſus Romanis Pontificibus reſervati, quia ceteris omnibus longe difficiliores ſunt, ſunt dubii magis. Ergo cum Bulla eorum reſervationem aufert, Epiſcopalium *etiam*, & a fortiori, reſervationem tollere cenſetur 4. Quia poreſt Papa per ſe ipſum ab Epiſcopalibus caſibus abſolvere, non valide modo, ſed licite, niſi obſtet ordinis ſervandi neceſſitas. Atqui quod Papa ſemel intra quindecim aut viginti annos, quo amplam Fidelibus univerſis gratiam procuret, per Sacerdotes ab ipſo Ordinario deſignandos ſuas & alienas cenſuras relaxet, nihil tranquillo Eccleſiarum regimini nocet: neque ſic ordinem ſubverti conqueretur quiſquam niſi juris ſui proterve ſtudioſus.

35 Objiciuntur tria, 1. quod ex cap. 1. *De conſtitut.* in 6. Lex generalis non derogat conſuetudinibus particularibus. Ergo nec generalis facultas abſolvendi a reſervatis Papæ, particulari Epiſcoporum reſervationi derogabit. 2. Quod Clemens VII. ſtatit an. 1601. ne quis a caſibus Ordinario locorum reſervatis prætextu cujuſcumque privilegii aut facultatis abſolvere poſſit. Unde & Alexander VII. propoſitionem hanc num. 12. proſcripſit: *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta Epiſcoporum facultate;* & tamen Mendicantes fruuntur privilegio a caſibus Pontificiis abſolvendi. 3. Quia præſumi non debet Pontificem inferre velle præjudicium Epiſcopis, contra diſpoſitionem capitis *Super eo*, 15. *De officio Judic. deleg.* aut derogare Tridentinæ ſanctioni, Seſſ. 25. cap. 18. de reform. qua Epiſcopis ſua caſus reſervandi poteſtas aſſeritur. Ergo huc redit citata ſuperius Lex: *In generali conceſſione non veniunt*, &c. Verum hæc nec ægre ab aliis ſolvuntur. Reponunt itaque

36 Ad 1. neg. conſeq. Ideo enim lex generalis non derogat privatæ, quia Pontifex hujus notitiam habere non præſumitur, prout monet objectum caput 1. *De Conſtitut.* & aliunde lex univerſalis quæ particularibus Statutis derogaret, privatæ Diœceſeon utilitati non raro inſigniter & conſtanter adverſaretur. Neutrum porro locum habet in ea quam nunc expendimus materia: quia nec ignorat Rom. Pontifex Epiſcopos ſibi caſus reſervare, nec quam obiter & ſemel largitur eos ſolvendi facultas, ſeriam Diœceſanæ ulli diſciplinæ plagam inferre poteſt; imo eo tendit unice, ut reconciliatis intuitu gratiæ ampliſſimæ cum Deo populis, ubique vigeant ordo & tranquillitas. His adde quod in Jubilæo facultas a caſibus reſervatis abſolvendi, cum ad unam tantum vicem tribuatur, non ſe habeat per modum Legis, ſed per modum diſpenſationis. Atqui diſpenſatio univerſalis hinc quidem ad omnia ſe extendit; inde vero cum unico actu exhauriatur, nihil damni Epiſcopis inferre poteſt. Quin & his id unum timendum eſt ne rebelles populi oblata ſibi gratia uti recuſent.

Ad 2,

Google

Ad 2. Decretum Clementis VIII. ſicut & Theſis ab Alexandro VII. reprobata procedunt de privilegiis particularibus, quorum uſus, utpote admodum frequens, grave Epiſcopis & diſciplinæ præjudicium inferebat. Nos vero loquimur de univerſali diſpenſatione, cujus exercitium ab Epiſcopis approbantibus dependet, quodque cum una tantum vice & ex cauſa Fidelibus admodum favorabili concedatur, prodeſſe poteſt, non autem nocere.

Ad 3. Pontifex nullum Epiſcopis præjudicium infert; 1. quia qui jure ſuo admodum moderate utitur, non violat alienum. Porro jus habet Pontifex per ſe, vel per alios abſolvendi a caſibus cuicumque reſervatis, præſertim cum id exigit Fidelium ſalus; 2. quia gratiæ ſuæ executionem committit Epiſcopis, qui hanc, cui ſolum libet, committunt. 38

Neque verum eſt, ait Viva, quod in generali iſta a reſervatis abſolvendi facultate Pontifex non eſſet veriſimiliter conceſſurus licentiam abſolvendi a reſervatis Epiſcopo: cum & facultatem tribuat a caſibus Cœnæ graviſſimis, aliiſque quantumlibet enormibus abſolvendi; & hæc illius conceſſio Fideles in charitate coadunans, Epiſcopis unam Fidelium ſuorum ſalutem anhelantibus jucundiſſima accedere debeat. 39

Ex his colliges vi Jubilæi poſse quempiam abſolvi, 1. ab excommunicatione contracta propter duellum, procurationem abortus, ingreſſum in Monialium ædes, 2. a ſuſpenſione propter ordinationem ſine titulo, vel ante ætatem legitimam, vel contra eos qui feminas intra ſepta Regularium inducunt, ſtatuta; 3. ab interdicto alicui culpæ per jus annexo; licet de eo nulla, ut in antiquis Jubilæis mentio fiat. Ratio eſt quia verba hæc: *& aliis Eccleſiaſticis cenſuris*, nihil excipiunt. 40

An autem ejuſdem Jubilæi virtute ab hæreſi, ſi expreſſa non fuerit, abſolvere liceat, controvertunt graviter extranei. Affirmat Lugo, diſp. 23. de fide, n. 102. & cum eo recentiores multi, tum propter aliquam ſacræ Pœnitentiariæ reſponſionem anno 1617. tum quia cum nemini ignotum ſit opinionem hanc a graviſſimis Doctoribus practico teneri; Pontifex hæreſim diſerte exciperet, ſi vellet excipere, ut a ſimili colligitur ex cap. 2. *De translat. Epiſcop.* 41

Aliter ſentiunt Suarez, Avila, & alii innumeri, apud Dianam, part. 1. Tractat. 5. Reſolut. 1. & docent, quod cum ipſis docerem, vi Jubilæi, quod ſolam a reſervatis in Bulla Cœnæ caſibus abſolvendi facultatem largitur, neminem ab hæreſi etiam occulte abſolvi poſſe. Ratio eſt 1. quia conceſſa per Jubilæum facultate a caſibus ſimpliciter reſervatis abſolvendi, non intelligitur ex communiori, ut & tutiori Doctorum opinione facultas abſolvendi a caſibus in Bulla Cœnæ contentis; quia hi ſtrictam habent & graviſſimam reſervationem. Atqui pariter caſus hæreſis ſtrictam habent & ſpecialem in Pontificio jure reſervationem; cum ad diſcuſſionem hæreſis ſpeciale Tribunal inſtitutum ſit; nec abſque expreſſa clauſula privato cuique commiſſa cenſeantur, quæ graviſſimo Senatui demandata ſunt. 2. Quia Sixtus V. an. 1589. & Clemens VIII. an. 1594. licet caſus Bullæ Cœnæ conceſſiſſent, in 42

ſpecie tamen conceſserunt hæreſis crimen. Ergo non videtur in generali conceſſione venire.

43 Fatentur tamen iidem Theologi contra Azorium & alios quoſdam, ex privilegio Jubilæi abſolvi poſse, tum receptatores & fautores hæreticorum, tum qui retinent, legunt, imprimuntve eorum Libros; tum & ſchiſmaticos qui ſchiſmati hæreſim minime conjunxerint; tum & dubios in fide, qui poſitive dubii non ſint, ſed negative duntaxat, quatenus judicium ſuum circa res fidei ſuſpendunt. Nempe, inquiunt, ad hæreſim requiritur error contra fidem in intellectu, & pertinacia voluntatis. Atqui fautores hæreticorum, aliique mox recenſiti, licet graviſſime peccent, nullum in intellectu errorem habent. Ergo proprie non veniunt nomine hæreticorum. Ergo etiamſi hæreſis a Jubilæi favore excipiatur, non tamen ea crimina. Hæc illi, quæ ubicumque viget Bulla Cœnæ, haud difficulter ſequerer, præter ultimum caput, quod dubium negativum ſpectat, quodque expoſitione, ut reor, indigeret plurima. Verum hæc, Deo dante, nullius in Gallia ſunt utilitatis; cum Epiſcopi noſtri juxta conſtantem Regni hujus uſum, ab hæreſi tam occulta, quam publica, per ſe & per alios abſolvant; uti fuſe in Gallico de diſpenſationibus Tractatu, Tom. 3. Epiſt. 2. probatum eſt.

44 Quæres 2. an qui nominatim percuſsus eſt cenſura, virtute Jubilæi abſolvi poſſit, & quando.

Reſp. abſolvi poſſe, cum Bulla ſancitum eſt ut abſolvi poſſit, prout ſupra numer. 30. Tunc autem neceſſum eſt, quod caute præſcribit Bulla, ut *infra* præſcriptum *tempus ſatisfecerit*, *aut cum partibus concordaverit*. Hic porro per *ſatisfactionem* intelligitur reſtitutio, ſeu honoris, ſeu famæ vel alterius boni, cujus ob læſionem excommunicatio fuit inflicta; per *partes* autem non ipſe Prælatus aut Judex, cujus auctoritas utcumque contempta eſt, (cum, ut advertit Suarez, diſput. 7. de cenſuris, ſect. 5. numer. 46. Benedictus XIV. in Epiſtol. Encyc. ad minores Pœnitentiarios, numer. 66. contemptus ille in omni cenſura interveniat, & aliunde Prælatus abſolutionis facultatem demandans, jure ſuo cedere cenſeatur;) ſed perſona una vel plures, cui vel quibus illata eſt injuria quæ cenſuram promeruit. Quapropter ſi quis excommunicatus ſit propter violentam Clerici percuſſionem, licet per hoc Eccleſiæ injuriam irrogaverit, poterit tamen abſolvi, ſi vel veniam petierit a percuſſo, vel ei percuſſus offenſam expreſſe aut tacite remiſerit, priſtinam ei ſuam familiaritatem reſtituendo. Qui vero cenſura percuſſus eſt, donec concubinam ejiciat, vel damnum alicui illatum reparet, non eſt abſolvendus niſi hoc vel illud cum effectu præſtiterit; unde peccaret graviter qui quempiam his nondum adimpletis abſolveret; quia & magnum læſæ parti præjudicium inferret, & commiſſæ ſibi poteſtatis limites transgrederetur. Hinc, meo quidem judicio, recte docet Suarez, ibidem numer. 41. cum communiori ſententia, Sacerdotem, qui *contentus propoſito*, *promiſſione aut juramento* pœnitentis hic & nunc ſatisfacere, aut ſaltem idoneam de ſatisfaciendo cautionem dare valentis, eundem abſolveret, non illicite modo, ſed & invalide operaturum;

quia

Digitized by Google

quia abſolvendi poteſtas non eſt eidem data, niſi ſub hujus ſatisfa- ctionis conditione.

Quin & exiſtimat Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 2. artic. 3. pœnitentem qui ex impotentia non poteſt præſenti tempore vel loco ſatisfacere, haud poſſe abſolvi ab homine, licet coram Deo abſolutus ſit. Quia *facultas non eſt amplior quam verba ſonant: verba autem ſimpliciter requirunt ut pars jam ſit ſatisfacta*. Ad duriorem hanc ſententiam merito rejicit Suarez, ibidem numer. 40. & docet, quod ſi abſolutio differri non poſſit, niſi per multum tempus, vel cum magno pœnitentis detrimento, ſufficiat ut ille faciat ſatis eo modo quo de præſenti valet, id eſt præſtando cautionem, vel pignoratitiam, ſi poteſt, vel juratoriam, ſi majorem non poteſt; & talia exhibendo pœnitentiæ vel propoſiti ſigna, ut Confeſſor probabiliter judicet abſolutionem & pœnitenti profuturam, & læſæ parti nullatenus nocituram eſſe. Ratio eſt 1. quia cum Pontifex ait, *ſatisfacta parte*, intelligendus eſt, quantum pœnitens ſatisfacere valet; quia prudens nemo conditionem impoſſibilem exigere cenſetur. 2. Quia Jus ſæpe largitur facultatem abſolvendi ſub ſimili conditione, & tamen prædicto ſemper modo intelligitur, ut colligere eſt ex Clement. 1. & 2. *De hæreticis*, & obſervat Navarrus in Summa, cap. 27. n. 47. & 48. 45

Sed quid, ſi pœnitens, qui juratoriam cautionem dedit, & ideo abſolutus eſt, poſtmodum ſatisfacere negligat. 46

R. eum non ipſo facto in cenſuram reincidere, at eidem de novo poſſe ſubjici, ut colligitur ex cap. 8. *De officio Jud. ordinarii*. Ratio eſt, quia pœnitens per Jubilæi Bullam abſolvitur ſimpliciter, non autem ad reincidentiam, ſi conditioni ſibi impoſitæ deſit.

Quæres 3. an Jubilaris Confeſſarius poſſit extra Sacramentum tollere reſervationem, & proinde ad communem Confeſſarium remittere, qui a peccatis ipſis abſolvat.

Reſp. Confeſſarium nec peccati reſervationem extra tribunal auferre poſſe, quod communiter admittunt Doctores; nec cenſuræ reſervationem, quod male docent Lezana, Diana, Koch, quæſt. 3. numer. 69. &c. Ratio primæ partis eſt, 1. quod licet Superior ipſe, qui peccatum ſibi reſervavit, reſervationem auferre valeat non audita pœnitentis confeſſione, id tamen Jubilaribus Confeſſariis per Bullam minime conceditur; nec conceſsum intelligi poteſt abſque eo quod innumeri per Jubilæi tempus conſtituantur Majores Pœnitentiarii; quod certe non intendunt Rom. Pontifices. Unde & contrarium habet conſtans Miniſtrorum Jubilæi praxis. 2. Quia Pontifex, cujus delegatum agit Jubilaris Confeſsarius: non aliter quam juxta communem uſum tribuere cenſendus eſt facultatem a reſervatis abſolvendi; quod etiam nonnulli eorum ſuis in Bullis expreſſerunt. Atqui communi uſu ſancitum eſt ut Confeſsarius ſimplex extra Tribunal non abſolvat a reſervatis. Ergo. 47

Ratio ſecundæ partis eſt, 1. quod ſolide probari non poſſit, abſolutionem a cenſuris a privato Sacerdote extra confeſſionem impendi poſse. Quis autem, præter Dianam & Dianæ ſequaces, in materia tam gravi poteſtate incerta uti auſit? 2. Quia generatim periculo- 48

ſum

ſum eſt, ne a cenſuris gravibus abſolvas eum, cujus intimas diſpoſitiones neſcis: unde id licet facere poſſint Epiſcopi, rariſſime faciunt. 3. Quia Pius V. in Bulla Jubilæi an. 1568. declaravit non poſſe extra confeſſionem abſolvi a cenſuris: quod autem regerit Diana declarationem hanc iſtud duntaxat Jubilæum ſpectaſſe, niſi falſum eſt, eſt ſaltem dubium; quod vanæ probabilitatis oſoribus ſufficit. 4. Quia Sixtus V. in Bulla ſua expreſſe decernit eligendum eſſe Confeſſarium, qui *auditis diligenter* pœnitentium *confeſſionibus, eos abſolvat.* Hæc autem abſolvendi ratio cenſuras æque ac caſus reſervatos complectitur; & ubi expreſſa non eſt, ſubintelligi debet. 5. Quia Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, §. 25. expreſſe habet: *Advertant inſuper* Confeſſarii *prædictas abſolutiones, commutationes, diſpenſationes non poſſe a ſe exerceri extra Sacramentum Confeſſionis.*

49 Imo nec vult Suarez, ibidem nu. 35. ut Confeſſarius etiam in Tribunali, pœnitentem necdum ad reconciliationem plane diſpoſitum, a cenſuris prius quam a peccatis abſolvat, ut ſacro interſit, &c. Quod etſi non probat invicte, uti tutius tenendum eſt, niſi prius habita ſit ſpecialis ea de re licentia; quam, ut olim ego, ſic & alii non ægre obtinebunt.

50 Quæres 4. an poſſit a reſervatis abſolvi, qui in ea ex ſpe Jubilæi incidit.

R. affirm. Etſi enim privilegio carere mereretur, qui ex ſpe illius peccat, non ideo tamen gratia illius privatur: alioqui ſacramentaliter abſolvi non poſſent, qui ex ſpe confitendi peccata geminaverunt. Et vero qui ex ſpe Jubilæi delinquit, novi quidem præſumptionis peccati reus eſt; ſed quod nullam habet reſervationem. Nec obeſt quod ex Chryſoſtomo, hom. 13. in cap. 7. Epiſt. ad Hebræos (& refertur cap. 128. diſt. 4. de conſecrat.) peccans ſpe veniæ, pœna dignus ſit, non venia. Senſus enim eſt, uti eum in locum notat Gloſſa, non raro fieri ut qui ex Baptiſmo, aliiſque Sacramentis veniam ſperando, interea peccatis indulgent, ad veniæ obtinendæ tempus nequaquam deveniant.

51 Quæres 5. an etiam a reſervatis abſolvi poſſit, qui ea poſt Jubilæi promulgationem commiſit.

Negat Gloſſa in Extrav. *Antiquorum*, *De pœnit. & remiſſ.* ſed male prorſus; 1. quia quæ Jubilæi tempore datur a reſervatis abſolvendi facultas, ampliſſima eſt, nec ad peccata hoc vel illo tempore commiſſa reſtringitur; 2. quia licet condonatio peccata duntaxat præterita reſpiciat, ipſa tamen abſolvendi facultas, tam commiſſa, quam committenda ante abſolutionem peccata reſpicere poteſt, & de facto in Jubilæis reſpicit, ut quæ indiſtincte tradatur.

52 Quæres 6. an qui jam lucratus eſt Jubilæum, denuo a reſervatis in quæ poſtea decidit, abſolvi poſſit.

Affirmat poſt Leonem Viva, quæſt. 11. artic. 3. num. 3. quia cenſet Jubilæum obtineri poſſe, quoties quis injuncta opera perficit. Unde, ait, *Si quis poſt acquiſitionem Jubilæi in reſervata incidit, & poſſit vel iterum ponere injuncta opera, vel, ſi nequeat, obtinere a Confeſſario commutationem illorum, poterit denuo a reſervatis abſolvi.* Idem docet Pontas, *v. Jubilé*, caſ. 17.

Aliter

Digitized by Google

Aliter ſentiunt, non ii modo qui contrariam opinionem tenent, cum Sanchez, Lib. 4. in Decalog. cap. 54. num. 22. & Sylvio in Reſolutionibus, v. *Jubilæum*, 2. & 3. ſed & quicumque Jubilæum bis acquiri poſſe rati, negent ejus privilegia bis prodeſſe. Ut ut eſt, quamvis teneatur prima opinio, cui favet Benedictus XIV. ut dictum eſt cap 2. n. 37. tenendum omnino eſt in praxi, eum qui ſemel a reſervatis abſolutus Jubilæi gratiam promeruit, ab iiſdem altera vice abſolvi non poſſe. Et vero iſthæc Bullarum verba, *hac vice tantum abſolvant*, in obvio ſenſu de una duntaxat abſolutione ad unius Jubilæi lucrum relativa intelligi poſſe videntur. 53

Quæres 7. an cui dilatum eſt Jubilæum, quia actu Indulgentiæ incapax foret, a reſervatis quæ commiſit poſt finitum Jubilæi tempus abſolvi poſſit, & a quo.

Reſp. ad 1. affirmat. Ratio eſt, quia poteſt abſolvi pœnitens, quandiu ſibi durat Jubilæi tempus. Atqui tempus illud, licet ceteris finitum, ei tamen perdurat cui dilatum eſt Jubilæum. Ergo abſolvi poteſt a reſervatis, quæ ante, per, & poſt Jubilæi tempus incurrit. 54

R. ad 2. poſſe pœnitentem hunc abſolvi, non ſolum ab eo Confeſſario, qui ei abſolutionis ſimul & Jubilæi gratiam diſtulit, ſed & ab alio quocumque, modo is unus foret e Jubilæi Confeſſariis: quia Jubilæi privilegia impendere poteſt omnis & ſolus, cui id muneris ab Epiſcopo commiſſum eſt. Et vero cur ſumma Jubilæi gratia privaretur, qui ad eumdem Confeſſarium, quia vel mortuus ſit, vel alio tranſmearit, vel durior aut lenior appareat, recurrere non poteſt. 55

Quæres 8. an qui jam a reſervatis abſolutus fuit, ab iis denuo abſolvi valeat, ſi necdum Indulgentiam lucratus ſit. 56

R. poſſe & debere, cum aliter Jubilæum lucrari non poſſit. Ratio eſt, quia poteſt quis a quibuſcumque peccatis abſolvi, quoties id neceſſum eſt ut Jubilæi gratiam lucretur. Ergo ſi ſemel abſolutus, denuo in reſervatum incidat, antequam impleverit opus ultimum, cui annexa eſt Indulgentiæ perceptio, neceſſum eſt ut ſecunda vice abſolvatur, ſeu ab eodem, ſeu ab alio Jubilari Confeſſario. Poteſt autem ab his abſolvi, quia eorum poteſtas nonniſi per ipſam Jubilæi acquiſitionem exhauritur.

Quæres 9. an qui reſervati peccati in confeſſione ſua oblitus eſt, ab eodem poſt Jubilæum lucratum a quocumque Confeſsario etiam minime Jubilari abſolvi poſſit. 57

Reſp. eum qui in Jubilæi confeſsione oblitus eſt reſervati alicujus, illudve hic & nunc confiteri non debuit, ab eo etiam poſt Jubilæi tempus abſolvi poſse a quocumque etiam ſimplici Confeſsario. Ita Reginaldus, Sylveſter, Gabriel, Navarrus, Lugo, diſp. 20. de pœnit. num. 100. Pontas, & alii quos contra Suarez, Habertum. & alios quoſdam ſecuti ſumus, Tom. XI. cap. 8. num. 576. & ſeq. Ratio eſt, 1. quia hinc quidem pœnitens abſolutionem reſervatorum interpretative petit; inde vero Sacerdos, quoad ejus fieri poteſt, concedit. Ergo ſicut culpam indirecte tollit; ſic & reſervationem indirecte auſert. 2. Quia conſuetudinem hanc induxiſse videtur communis Theologorum ſententia. Unde hanc, ægre tamen, admittit Blaſius ab Aſſumpt.

pag. 347. Idem, ſed ſponte, facit Theodorus a Sp. S. cap. 9. num. 11. *Niſi*, inquit, Sacerdos *contrariam intentionem habeat ;* quod non eſt præſumendum.

58 Objiciuntur tria, 1. quod actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum. Porro Jubilaris Confeſſarius, idemque eſt de Superiore, ſolum habet generalem intentionem conferendi Sacramentum, non vero tollendi reſervationem; 2. quod Sacerdos non poteſt abſolutionis ſententiam proferre niſi cognita cauſa, Tridentin. Seſſ. 14. cap. 5. Ergo ſi nihil prorſus de reſervatis peccatis cognoſcat, non poteſt ferre ſententiam ſuper reſervatione, nec proinde eamdem tollere; 3. quod reſervatio in eo caſu nec directe, nec indirecte auferatur. Non directe, cum non exponantur reſervata oblita; non indirecte, quia abſolutio indirecta ad ea ſolum ſe extendit, ad quæ ſe extendit gratia per Sacramentum conferenda: hæc autem tantum ſe extendit ad peccata removenda, non vero ad tollendam reſervationem.

59 Reſp. ad 1. neg. min. vult enim Abſolvens levare pœnitentem diſpoſitum ab omni onere *quantum poteſt* ipſe, quantumque indiget pœnitens ad percipiendum omne Jubilæi privilegium. Et vero ſi culpam tollere vult, quod maximum eſt, a fortiori reſervationem tollere intendit.

60 Ad 2. 1. Sacerdos reſervationem tollendo, non judicat de peccatis oblitis, ſed eorum judicium ad inferiores remittit. Non eſt autem abſurdum quod inferiores per accidens judicium ferant de peccatis reſervatis, quando hæc in memoriam redeunt. 2. Etſi generatim loquendo ad æquam ſententiam opus eſt ut Sacerdos cauſam omnem cognoſcat, non tamen id in omni prorſus caſu abſolute neceſſarium eſt: alioqui nemo per ſigna, aut dimidiate tantum confeſſus abſolvi unquam poſſet; quod fidei, ut & praxi omnino adverſatur.

61 Ad 3. Sacerdos pro reſervatis approbatus reſervationem oblitorum indirecte tollit: ideo enim peccata oblita remittit indirecte quoad culpam, quia gratiam horum remiſſivam confert, abſque eo quod de illis directe judicet. Atqui etiam confert eorumdem oblitorum abſolutionem quoad omne eorum onus quod tolli poteſt, proinde quoad reſervationem. Ergo licet de iis directe non judicet, eorum reſervationem indirecte tollit. Unde licet gratia ſanctificans nonniſi ad culpam delendam ſe extendat, quia illi ſoli opponitur, abſolutio tamen ſe ad cenſuras & reſervationem extendit, quia & hanc & illas tollere poteſt, & *quantum poteſt* intendit.

62 Inſtitut. Per verbum *abſolvo*, non tolluntur cenſuræ, niſi exprimantur, aut ſaltem niſi abſolvens explicitam habeat intentionem ab iis abſolvendi. Ergo neque per verbum *abſolvo* tollitur reſervatio, niſi ſpecialis de ea mentio fiat, ſaltem mentaliter. Imo cum cenſuræ & reſervatio per ſolum mentis actum non tollantur, neceſſum eſt ut intentio eaſdem tollendi pœnitentibus innoteſcat, quod in caſu noſtro minime habetur.

63 Reſpondet Viva citat. quæſt. 11. artic. 4. num. 3. per verbum *abſolvo* ſatis innoteſcere, quod Sacerdos intendat tollere omne peccatum,

tum, ejuſque onus, quoad fieri poteſt, & conſequenter reſervationem; etiamſi de ea mentionem explicitam non faciat; idemque dicendum de cenſuris, quamvis ad ſecuritatem ſoleat & debeat earum mentio explicita fieri, ne forte juxta Vaſqueſii & aliorum opinionem, Sacramenti effectus per cenſuras occultas impediatur. Quia vero reſervatio occulta non impedit Sacramenti effectum, ideo non ſolet de ea mentio fieri, cum non eſt ratio dubitandi ne ea ſubſit. Hæc ille, quæ pro prima parte hinc confirmari poſſunt, quod ſicut per datam a Chriſto ligandi poteſtatem tam intelligitur facultas decernendi cenſuras, quam retinendi peccata; ſic & per abſolutionem æque intelligitur cenſuræ ac peccati remiſſio.

Quæritur 10. an etiam a reſervatis inculpate oblitis abſolvi poſſit, qui vel ſacrilegam confeſſionem fecit in Jubilæo, vel poſt, validum Jubilæum ſua culpa minime lucratus eſt.

64 R. ad 1. negat. licet male & miſere contradicat Lugo, diſp. 20. nu. 113. Ratio eſt, quia confeſſio ſacrilega ignem æternum meretur; quod autem pœnam meretur a Deo, non poteſt a Dei Vicario mereri Jubilæi privilegia.

65 Major eſt circa caput ſecundum controverſia; exiſtimant enim Sanchez & alii quos ſequitur Viva, ibid. num. 4. eum qui bona fide, & cum animo lucrandi Jubilæum confeſſus eſt, quamvis deinceps nec injuncta opera præſtet, nec Jubilæum lucretur, per quemvis ſubinde Confeſſarium a reſervatis oblitis poſſe abſolvi. Ratio eſt, ajunt, quia is vere abſolutus eſt, quantum potuit Sacerdos. Atqui poterat Sacerdos hominem rite diſpoſitum a quibuslibet reſervatis directe vel indirecte abſolvere. Ego licet a reſervatis abſolvi non poſſit, qui Jubilæum lucrari non cogitat, poteſt tamen ab iis abſolvi qui lucrari actu intendit, ſubinde vero voluntatem mutat. Et vero extra dubium eſt, quod pœnitens ille a reſervatis quæ confeſſus eſt abſolutus fuerit; cum abſolutio eidem ſimpliciter, pure, & citra ullam de futuro conditionem data ſit. Atqui eo ipſo quo a confeſſis reſervatis directe abſolutus eſt, a non confeſſis indirecte fuit abſolutus. Ergo.

66 In oppoſitam ſententiam propendet Suarez, tom. 4. diſp. 31. ſect. 4. num. 23. ut *maxime tutam*, quod nemo negaverit, & *valde probabilem*. Ratio eſt, 1. quod omnia Jubilæi privilegia in ordine ad comparandam Indulgentiam tribuuntur. Ergo ſi ad eam non perveniatur, non licet iiſdem privilegiis frui, niſi quatenus jam executioni mandata ſint. Unde peccata quæ directe remiſſa ſunt, manent quidem non reſervata, quia jam non manent ſubjicienda clavibus: At peccata oblita, quæ clavibus neceſſario ſunt ſubjicienda, a reſervatione libera non ſunt; quia defuit finis, cujus intuitu ſublata fuiſſet reſervatio. 2. Quia peccata hæc nec directe remiſſa ſunt pœnitenti, neque is Superioris intentioni ſatisfecit. Ergo non eſt cur tractetur ut qui ſatisfecit eidem intentioni. Opinionem hanc licet non demonſtratam ſequerer in praxi, quoad eos maxime, qui Jubilæi lucrum culpa ſua omiſerunt. Quantum ad eos vero qui ex inopio quopiam eventu a gratia ipſius excidiſſent, non ægre partem primam amplecterer: quia nemo jure jam acquiſito ſine ſua culpa privandus eſt.

Sed num peccat qui virtute Jubilæi a reſervatis abſolutus, opera injuncta ſubinde non implet?

67 Fatentur omnes cóntra Ugolinum, eum qui a cenſuris, reſervatis abſolutus eſt, nec in reſervationem, nec in cenſuram relabi, ſi opera injuncta non præſtet; quia abſolutio non fuit ei data ad reincidentiam; & id docet Benedictus XIV. cit. Conſtit. *Convocatis*, §. 54. „ Abſolutiones a cenſuris . . . . . commutationes item votorum, „ diſpenſationes, juxta conceſsas hoc anno reſpectivas facultates, ſe„ mel obtentæ, permanent in ſuo vigore, etiamſi contigerit illum „ qui illas jam obtinuerat, mutato poſtea, quod prius habuerat, „ ſincero & ſerio propoſito Jubilæum hoc lucrandi, ac proinde re„ liqua ad id lucrandum neceſsaria opera adimplendi, de eodem „ Jubilæo conſequendo amplius non laborare. “ Rurſum fatentur omnes eum mortalis reum fore, ſi ex contemptu gratiam hanc negligat. Verum an ſecluſo contemptu peccet, aut quæ ſit peccati ejus gravitas non conveniunt. Negant eum peccare Sanchez, Bonacina, &c. quia obligatio lucrandi Jubilæum ei nec a Pontifice, nec a Confeſsario impoſita eſt. Cenſent alii cum Boſſio eum venialiter delinquere. At letalem ei culpam nec immerito adſcribunt Suarez, cit. diſp. 31. ſect. 4. Vaſquez, Filliucius, Viva, ibid. art. 5. n. 2. Ratio eſt, quia qui favorem certæ conditioni annexum acceptat, tacite ſpondet ſe conditionem hanc impleturum eſse, neque ei, ſi gravis ſit materia, ſine gravi peccato deeſse poteſt. Atqui pœnitens, dum a cenſuris, aut reſervatis caſibus virtute Jubilæi abſolvitur, favorem acceptat, ſub ea tantum propoſitum conditione Fidelibus, ut Jubilæi opera præſtando, gratiam ejus acquirant, &c. Ergo.

68 Dices: Si Jubilæi virtute abſolutus pactum cum Pontifice tacite initum violare dicatur, dici poterit, quod in cenſuris reincidat. Atqui tamen non reincidit. Minor patet ex conceſsis. Prob. maj. quia ut in cenſuras reincidere dicatur, ſatis eſt ut ei abſolutio a cenſuris non abſolute data ſit, ſed ſub pacto quod Jubilæi opera adimpleret. Atqui, &c.

69 R. ad 1. neg. maj. ad 2. neg. min. nam data quidem eſt abſolutio ex ſpe, quod tacitam quam fecit de implendis Jubilæi operibus promiſsionem adimpleret; ſed non data eſt ſub conditione ut fidem hanc violando, in cenſuras reincideret; quia nunquam incurritur reincidentia, niſi exprimatur. Et vero ſi cenſura reviviſceret, vel propter delictum præcedens, vel propter præſens neglecti Jubilæi peccatum. Atqui nec reviviſcit propter delictum præteritum, quod jam abſolute remiſsum eſt, cum abſolutio ſacramentalis ſemper ſit abſoluta; neque propter peccatum præſens, cum huic nec a jure, nec ab homine annexa ſit cenſura. Ergo nullatenus reviviſcit.

Quæres 11. an Jubilaris Confeſsarius, ut a cenſuris abſolvere, ſi & ab irregularitatibus diſpenſare valeat.

70 Negant omnes de irregularitate *ex defectu*, ſed affirmant aliqui, ut Soto & Corduba de irregularitatibus, quæ cum ſint *ex delicto*, pœnæ rationem habent. Moventur 1. quia irregularitas hæc eſt cenſura; porro per Jubilæum datur facultas a cenſuris omnibus abſol-

abſolvendi; 2. quia tametſi non eſſet vere cenſura, eſt tamen pœna. Atqui Jubilæi Bullæ permittunt ut abſolvatur pœnitens *a cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis*. Ergo.

71 At dicendum cum Suarez, Tom. 4. de Relig. Tractat. 10. lib. 9. cap. 2. nu. 42. Reginaldo, Molina, & aliis pluribus, nullam a Confeſſario virtute Jubilæi irregularitatem, aliamve inhabilitatem, (niſi hæc ſublata cenſura per ſe tollatur) relaxari poſſe; 1. quia per Bullam præciſe datur facultas abſolvendi a cenſuris. Atqui irregularitas nec cenſura eſt, nec cenſuræ nomine venit, ut olim Tomo hujus Operis II. probavimus, & colligitur ex cap. *Querenti 20. de verb. ſignificat.* 2. quia Bullæ Jubilæi ſolam tribuunt abſolvendi facultatem, nequaquam vero diſpenſandi. Atqui irregularitas per abſolutionem non tollitur, ſed per ſolam diſpenſationis viam; 3. quia opinio contraria, neque juri, neque Doctorum antiquorum traditioni, neque praxi Romanæ Curiæ, neque demum rationi conſentanea eſt, ut advertit Suarezius, tom. 5. in 3. p. diſp. 40. ſect. 3. n. 3.

Huic opinioni, (niſi aliud expreſſe indulgeat Pontifex *) adhærendum, præſertim poſt *notificationem* Clementis X. die 1. Februarii ann. 1675. emiſſam, ubi ſua Sanctitas declarat, *ſe non intelligere aut diſpenſare, aut dare facultatem diſpenſandi, aut habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, quæ ad irregularitatem publicam, aut occultam, vel notam, defectum, incapacitatem, & inhabilitatem, quomodocumque contractam ſpectant, nequidem in foro conſcientiæ*. Quapropter Eccleſiaſticæ pœnæ, quas Bullæ Jubilares tolli aliquando permittunt, non de irregularitatibus intelligi debent, ſed verb. grat. de cenſurarum aggravatione & reaggravatione, de condonatione apoſtaſiæ, puta quod Religioſi apoſtatæ ad Ordinem ſuum impune reverti poſſint, uti conceſſum eſt ab Urbano VIII. Clemente X. Benedicto XIII. & XIV. 72

73 Quæres 12. an Confeſſarius tempore Jubilæi poſſit criminis ſui ſocium abſolvere, ubi id per Statutum Synodale prohibetur.

Affirmant nonnulli, modo tamen abſit relabendi periculum. Horum ratio eſt, quod Jubilaris Confeſſarius abſolvit tanquam delegatus a Pontifice. Ergo eos omnes quos Pontifex ipſe abſolvere poſſit. Verum ut ſanior, ſic & longe certior eſt contraria opinio, quam tenent Bonacina, diſp. 5. de Sacram. quæſt. 7. punct. 5. §. 3. n. 10. Viva, q. 11. art. 3. n. 4. Ratio eſt, quia in Confeſſario requiritur approbatio relative ad perſonas, quarum confeſſiones excipit. Atqui Confeſſarius, cui per Statuta loci prohibetur abſolutio complicis, nullam relative ad ipſum approbationem habet; non ab Epiſcopo, ut liquet; non a Pontifice, qui diſciplinam pie & ſapienter conſtitutam infringere non vult. Imo Benedictus XIV. in Conſtitut. *Sacramentum Pœnitentiæ*, declaravit, *quod nec etiam in vim cujuſcumque Jubilæi*, poſſit quis ſuum in peccato inhoneſto complicem, extra mortis articulum unquam abſolvere; *utpote*, inquit, *qui in hujuſmodi* pec-

* Conceſſit Benedictus XIV in anno Jubilæi ſui relaxari poſſe irregularitas ex occulta cenſurarum violatione proveniens. Conſtit. *Convocatis*, n. 12.

peccati & pœnitentiæ genere, juriſdictione careat, & abſolvendi facultate a nobis privatus exiſtat.

ARTICULUS TERTIUS.

De poteſtate Confeſſarii quantum ad commutationem votorum.

EX innumeris quæ circa hanc materiam proponuntur quæſtionibus, eas ſeligam quæ ad praxim maxime ſpectant.

Quæres itaque 1. an in omnibus Jubilæis detur facultas commutandi vota.

74 R. negat. hæc enim verba: *Et inſuper quæcumque vota (Religionis & caſtitatis exceptis) in alia pia & ſalutaria opera commutare valeant*, in ſolis Jubilæorum *ad inſtar* Diplomatibus haberi ſolent. Rurſum vero ſola eadem Diplomata tribuunt Confeſſariis licentiam opera ad Jubilæi acquiſitionem præſcripta in alia commutandi. Quia tamen eædem Bullæ permittunt Ordinariis ut quæ idonea magis animarum ſaluti judicaverint remedia, afferant; poſſunt Confeſſarii, ſi permiſerint Epiſcopi, ut debent & facere ſolent, opera hæc commutare. Ita Blaſius, part. 2. cap. 1. quæſt. 1. Idem docet Koch, quæſt. 3. num. 77. qui negat ad ſuam uſque ætatem (ſcribebat ann. 1700.) in ullo anni ſancti Jubilæo ad regiones extra Romam tranſmiſſo facultatem vota commutandi fuiſſe traditam. Quod ſi ita eſt, ab hoc Prædeceſſorum ſuorum more receſſit Benedictus XIV. in Bulla pro Jubilæo an. 1751.

Quæres 2. an vota omnia a Jubilari Confeſſario commutari valeant.

75 Reſp. commutari poſſe vota omnia quæ per Jubilæi Bullam non excipiuntur: unde cum ſola excipiantur vota caſtitatis, Religionis, eaque quæ ſine præjudicio tertiæ perſonæ commutari non poſſent, planum eſt cetera quæcumque vota, ut peregrinationis ad limina Apoſtolorum, &c. poſſe commutari: ſed & ipſa caſtitatis ac Religionis vota quandoque ex ſola Epiſcopi facultate commutari poſſunt, ut ſi caſtitas ſolum ad tempus vota fuerit, ſi non omnimode, ſi non in ſe, ſed in alio, puta in voto ſuſcipiendi Ordines, ſi abſque ſufficienti advertentia, ſi ſub conditione nondum impleta, &c. de quibus vide dicta Tomo hujus Operis primo.

76 Quæres 3. an etiam commutari poſſint vota juramento confirmata.

Affirmant plures cum Suare, Viva, q. 12. art. & num. 1. quia Pontifex largitur facultatem *vota quæcumque*, duobus exceptis, commutandi. Ergo & jurata; præſertim cum gratiam multitudini conceſſam decedat latius interpretari; aliud enim eſt, ait Viva, ſi commutandi licentia detur ad petitionem particularis perſonæ; quia in tali caſu tanquam diſpenſatio & vulnus legis eſt ſtricte interpretanda.

77 Subdunt iidem Theologi commutari poſſe etiam juramenta ceteroquin Apoſtolicæ Sedi reſervata. Quia, licet diverſa ſint voti & juramenti vincula active, ſi ita loqui fas eſt, ſunt tamen paſſive ſimilia, quatenus idem Deo jus acquirunt. Atqui Pontifex commutationem voti permittendo, intendit jus Deo acquiſitum Dei ipſius no-

nomine relaxare. Ergo ut vota, ſic & juramenti relaxationem permittere intendit.

Verum ut tutior, ſic & probabilior videtur opinio contraria; 1. quia major requiritur poteſtas ad ſolutionem duplicis vinculi, quam ad ſolutionem unius. Porro votum & juramentum duo ſunt vincula longe diverſa; 2. quia Benedictus XIV. in Bulla an. 1750. expreſſe dedit facultatem vota jurata commutandi. Ergo non credidit hanc de jure ineſſe Confeſſariis; 3. quia Jeſuitæ quibus ampla conceſſa erat facultas vota ſimplicia commutandi, vi illius vota jurata commutare auſi non ſunt, donec id a Gregorio XIII. an. 1579. obtinuerint. Quapropter communes Jubilæorum Bullæ dant quidem potentiam vota *quæcumque*, id eſt omnia, duobus exceptis, commutandi, ſed non vota quocumque modo facta. 78

Quæres 4. an votum emiſſum primario in honorem Dei, ſecundario autem in proximi utilitatem, licet jam acceptatum, poſſit commutari.

Affirmat Sanchez, Lib. 4. cap. 51. nec diſſentit Viva, ibid. num. 3. quia *acceſſorium ſequitur naturam principalis*, ex Reg. 42. in 6. Verum opinio hæc neque ſatis tuta eſt, neque probata ſatis ut admittatur. Sane quodcumque votum, ſi religioſe fiat, fit primario ad gloriam Dei: nec dubium quin vota ſic paſſim fieri ſupponant Pontifices. Atqui tamen a commutationis favore excipiunt vota, quæ ſine præjudicio tertii commutari non poſſent. Quæ autem objicitur Juris Regula, non paucas habet exceptiones, quarum nonnullas in Gallica hujuſmodi Legum expoſitione adduximus. Ergo a fortiori exceptionem habet, cum de alterius damno agitur. 79

Quæres 5. an voti commutationem petere poſſit, qui vovit ſe eam non eſſe petiturum.

Reſpondent Suarez & alii communiter affirmat. Tum quia privata voventis intentio non poteſt Superiorem juriſdictione ſua privare; tum quia fieri facile poſſit, ut votum hoc ſine gravi voventis præjudicio ſervari nequeat; tum quia cenſent plures cum Sanchez, Lib. 4. cap. 8. num. 21. contra Sylveſtrum & alios, votum hoc eſſe de ſe irritum, ſic ut votum non mutuandi, aut fidejubendi; quia licet vota hæc in quibuſdam circumſtantiis poſſint eſſe de meliori bono, & eatenus valida, ſi tamen generaliter emittantur, non ſunt de meliori bono. Ut ut eſt, cum favor Jubilæi late, modo tamen ſane interpretandus ſit, non eſt cur ad præſentem caſum minime extendatur. 80

Quæres 6. an voti commutatio fieri poſſit in aliquid minus & ſuavius. 81

Reſp. poſſe dubio procul fieri in aliquid pœnitenti ſuavius; cum vix alio ſine a Papa permittatur, & poſſit quis vota quæcumque, modo Apoſtolicæ Sedi non reſervata, neque in tertii præjudicium ceſſura, in aliquid omnibus inſpectis evidenter melius commutare. At non ideo poſſunt eadem vota in aliquid moraliter minus commutari, prout docent Soto, Suarez, Azor, & alii plures. Ratio eſt, quia commutatio definitur *Subſtitutio operis honeſti loco alterius per votum promiſſi, eodem voti vinculo remanente*. Atqui opus ſubſtitutum operi promiſſo moraliter æquale eſſe debet; alioqui enim jam non eſſet commuta-

peccati & pœnitentiæ genere, juriſdictione careat, & abſolvendi facultate a nobis privatus exiſtat.

ARTICULUS TERTIUS.

De poteſtate Confeſſarii quantum ad commutationem votorum.

EX innumeris quæ circa hanc materiam proponuntur quæſtionibus, eas ſeligam quæ ad praxim maxime ſpectant.

Quæres itaque 1. an in omnibus Jubilæis detur facultas commutandi vota.

74 R. negat. hæc enim verba: *Et inſuper quæcumque vota (Religionis & caſtitatis exceptis) in alia pia & ſalutaria opera commutare valeant*; in ſolis Jubilæorum *ad inſtar* Diplomatibus haberi ſolent. Rurſum vero ſola eadem Diplomata tribuunt Confeſſariis licentiam opera ad Jubilæi acquiſitionem præſcripta in alia commutandi. Quia tamen eædem Bullæ permittunt Ordinariis ut quæ idonea magis animarum ſaluti judicaverint remedia, afferant; poſſunt Confeſſarii, ſi permiſerint Epiſcopi, ut debent & facere ſolent, opera hæc commutare. Ita Blaſius, part. 2. cap. 1. quæſt. 1. Idem docet Koch; quæſt. 3. num. 77. qui negat ad ſuam uſque ætatem (ſcribebat ann. 1700.) in ullo anni ſancti Jubilæo ad regiones extra Romam tranſmiſſo facultatem vota commutandi fuiſſe traditam. Quod ſi ita eſt, ab hoc prædeceſſorum ſuorum more receſſit Benedictus XIV. in Bulla pro Jubilæo an. 1751.

Quæres 2. an vota omnia a Jubilari Confeſſario commutari valeant.

75 Reſp. commutari poſſe vota omnia quæ per Jubilæi Bullam non excipiuntur: unde cum ſola excipiantur vota caſtitatis, Religionis, eaque quæ ſine præjudicio tertiæ perſonæ commutari non poſſent, planum eſt cetera quæcumque vota, ut peregrinationis ad limina Apoſtolorum, &c. poſſe commutari: ſed & ipſa caſtitatis ac Religionis vota quandoque ex ſola Epiſcopi facultate commutari poſſunt, ut ſi caſtitas ſolum ad tempus vota fuerit, ſi non omnimode, ſi non in ſe, ſed in alio, puta in voto ſuſcipiendi Ordines, ſi abſque ſufficienti advertentia, ſi ſub conditione nondum impleta, &c. de quibus vide dicta Tomo hujus Operis primo.

76 Quæres 3. an etiam commutari poſſint vota juramento confirmata.

Affirmant plures cum Suare, Vivà, q. 12. art. & num. 1. quia Pontifex largitur facultatem *vota quæcumque*, duobus exceptis, commutandi. Ergo & jurata; præſertim cum gratiam multitudini conceſſam decedat latius interpretari; aliud enim eſt, ait Viva, ſi commutandi licentia detur ad petitionem particularis perſonæ; quia in tali caſu tanquam diſpenſatio & vulnus legis eſt ſtricte interpretanda.

77 Subdunt iidem Theologi commutari poſſe etiam juramenta ceteroquin Apoſtolicæ Sedi reſervata. Quia licet diverſa ſint voti & juramenti vincula active, ſi ita loqui fas eſt, ſunt tamen paſſive ſimilia, quatenus idem Deo jus acquirunt. Atqui Pontifex commutationem voti permittendo, intendit jus Deo acquiſitum Dei ipſius no-

nomine relaxare. Ergo ut vota, ſic & juramenti relaxationem permittere intendit.

Verum ut tutior, ſic & probabilior videtur opinio contraria; 1. quia major requiritur poteſtas ad ſolutionem duplicis vinculi, quam ad ſolutionem unius. Porro votum & juramentum duo ſunt vincula longe diverſa; 2. quia Benedictus XIV. in Bulla an. 1750. expreſſe dedit facultatem vota jurata commutandi. Ergo non credidit hanc de jure ineſſe Confeſſariis; 3. quia Jeſuitæ quibus ampla conceſſa erat facultas vota ſimplicia commutandi, vi illius vota jurata commutare auſi non ſunt, donec id a Gregorio XIII. an. 1579. obtinuerint. Quapropter communes Jubilæorum Bullæ dant quidem potentiam vota *quæcumque*, id eſt omnia, duobus exceptis, commutandi, ſed non vota quocumque modo facta. 78

Quæres 4. an votum emiſſum primario in honorem Dei, ſecundario autem in proximi utilitatem, licet jam acceptatum, poſſit commutari.

Affirmat Sanchez, Lib. 4. cap. 51. nec diſſentit Viva, ibid. num. 3. quia *acceſſorium ſequitur naturam principalis*, ex Reg. 42. in 6. Verum opinio hæc neque ſatis tuta eſt, neque probata ſatis ut admittatur. Sane quodcumque votum, ſi religioſe fiat, fit primario ad gloriam Dei: nec dubium quin vota ſic paſſim fieri ſupponant Pontifices. Atqui tamen a commutationis favore excipiunt vota, quæ ſine præjudicio tertii commutari non poſſent. Quæ autem objicitur Juris Regula, non paucas habet exceptiones, quarum nonnullas in Gallica hujuſmodi Legum expoſitione adduximus. Ergo a fortiori exceptionem habet, cum de alterius damno agitur. 79

Quæres 5. an voti commutationem petere poſſit, qui vovit ſe eam non eſſe petiturum.

Reſpondent Suarez & alii communiter affirmat. Tum quia privata voventis intentio non poteſt Superiorem juriſdictione ſua privare; tum quia fieri facile poſſit, ut votum hoc ſine gravi voventis præjudicio ſervari nequeat; tum quia cenſent plures cum Sanchez, Lib. 4. cap. 8. num. 21. contra Sylveſtrum & alios, votum hoc eſſe de ſe irritum, ſic ut votum non mutuandi, aut fidejubendi; quia licet vota hæc in quibuſdam circumſtantiis poſſint eſſe de meliori bono, & eatenus valida, ſi tamen generaliter emittantur, non ſunt de meliori bono. Ut ut eſt, cum favor Jubilæi late, modo tamen ſane interpretandus ſit, non eſt cur ad præſentem caſum minime extendatur. 80

Quæres 6. an voti commutatio fieri poſſit in aliquid minus & ſuavius. 81

Reſp. poſſe dubio procul fieri in aliquid pœnitenti ſuavius; cum vix alio fine a Papa permittatur, & poſſit quis vota quæcumque, modo Apoſtolicæ Sedi non reſervata, neque in tertii præjudicium ceſſura, in aliquid omnibus inſpectis evidenter melius commutare. At non ideo poſſunt eadem vota in aliquid moraliter minus commutari, prout docent Soto, Suarez, Azor, & alii plures. Ratio eſt, quia commutatio definitur *Subſtitutio operis honeſti loco alterius per votum promiſſi, eodem voti vinculo remanente*. Atqui opus ſubſtitutum operi promiſſo moraliter æquale eſſe debet; alioqui enim jam non eſſet commuta-

mutatio, ſed partialis diſpenſatio, cujus facultas Jubilatibus Confeſſariis non tribuitur. Unde qui jejunium in unam Orationis Dominicæ recitationem commutat, factæ ſibi poteſtatis limites tranſilit. In his tamen ex æquo & bono procedendum eſt, cum operum æqualitas vix a quopiam phyſice appendi poſſit; & quæ uni levia ſunt, ut confeſſio frequens, alii quam utilia ſunt, tam ſint oneroſa. Provide ad tollendas anxietates ſanxit in Jubilæo ſuo Benedictus XIV. ut vota *diſpenſando commutare* liceret.

82 Quæres 7. an & quæ ad voti commutationem requiratur cauſa in Jubilæis.

Reſp. procul dubio requiri: Commutatio enim ſapienter & religioſe fieri debet, ad quod requiritur cauſa. Unde in ultimo Jubilæo vetuit Benedictus XIV. ne vota a peccato præſervativa commutare liceret, niſi in opera quæ æque ab iiſdem præſervativa forent. Eſt autem juſta voti commutandi cauſa, cum difficulter & ideo parum pie impletur; cum modica ex executione ipſius redit utilitas; cum nova voventis conditio nova remedia poſtulat, & alia id genus, quæ cum ex circumſtantiis loci, temporis, perſonæ metienda ſint, nulla certa regula univerſim definiri poteſt. Interim quo major eſt commutandi ratio, eo minor eſſe debet materia quæ ſubrogatur, ut ſi votum ſatis indeliberate emiſſum ſit; ſi materia voti ratione ætatis, morbi, &c. facta ſit nimis oneroſa, &c. Vide Tract. noſtrum de virtute Religionis, Tom. 1.

83 Quæres 8. an Confeſſarius pœnitenti commutationem hanc legitima de cauſa petenti acquieſcere teneatur.

Reſp. teneri, & quidem quantum eſt de ſe, ſub gravi; quia pœnitens ex Jubilæo jus habet ad commutationem illam; jure autem maximi momenti nemo inculpate privari poteſt. Cenſent autem aliqui cum Kochio, q. 3. nu. 98. Confeſſarium ſuæ huic obligationi facturum ſatis, ſi quia in hac materia minus expertus ſit, pœnitentem ad alium remittat, qui vota ejus commutet. Neque id improbavero, cum nihil interſit a quo commutentur vota, vel potius a quo ſubſtituatur novi voti materia; modo auctoritate legitima commutentur. Interim ſi Confeſſor ex malitia vel oblivione non commutet votum, ſemper ſubſiſtet ejus obligatio; quia negligentia vel malitia nihil in votis operantur: Ita Sanchez, lib. 4. in Decal. cap. 54. n. 11.

84 Quæres 9. an vota hæc ſolum in confeſſione commutari poſſint.

Reſp. vota nonniſi a Confeſſario ad id electo commutari poſſe; cum ita ſanciant Bullæ Jubilares; ſed ambigi an nonniſi audita confeſſione mutari poſſint. Cenſent plures apud Dianam, par. 5. Tract. 12. Reſol. 50. non requiri præviam confeſſionem; quia nulla eſt commutationem inter & confeſſionem connexio, ſeu ex natura rei, ut per ſe liquet, ſeu ex Bulla Pontificia, quæ de confeſſione facienda non loquitur.

85 Verum opinio hæc prorſus rejicienda eſt. Ad quid enim exigit Pontifex ut pœnitens ad Confeſſarium approbatum recurrat pro votorum commutatione, niſi, quia idem Confeſſarii ſimul & commutantis perſonam agere debet? An non; ſæpiſſime ſaltem, intima pœnitentis cognitio ad hoc plurimum prodeſt; ut votum longe melius commute-

mutetur? An demum, quo periculum omne viæ minus tutæ abigatur, tantopere arduum eſt paucula quædam venialia apud Sacerdotem deponere? Huic ergo ſtandum poſtremæ opinioni, & ex ea contra Sanchem, Bonacinam & alios inferendum cum Azorio, Lib. 5. cap. 15. quæſt. 16. Sylveſtro & aliis, Sacerdotem Jubilarem non poſſe propria ſua vota, niſi in quid certo melius, quod omnes poſſunt, Jubilæi temporibus commutare. Sane commutatio omnis, ut & diſpenſatio eſt actus juriſdictionis; hæc autem a nemine in ſe ipſum exerceri poteſt. Favet his omnibus id Bullæ Sixti V. *Qui confeſſionibus eorum diligenter auditis, eos abſolvat, vota commutet*, &c. Vide ſupra n 48. ibique adducta Benedicti XIV. verba.

Quæres 10. an commutatio voti neceſſario intra tempus Jubilæi fieri debeat. 86

Quæſtio hæc plures patitur ſenſus; unde ut ſecundum omnes, vel præcipuos excutiatur.

Reſp. 1. Neceſſe non eſt ut commutatio intra ipſum Jubilæi tempus fiat per ſubrogationem operis alterius in opus votivum. Nihil enim mali eſt, ſi Confeſſarius, vel Jubilæi negotiis diſtentus, vel ut rem totam maturius expendat, dixerit pœnitenti: *Commuto nunc votum tuum in illud opus quod tibi poſt tres aut quatuor hebdomadas deſignabo*. Imo non redarguerim ſi vota in genere tantum indicata commutet Sacerdos, aut commutaturum ſpondeat his verbis: *Poſt Jubilæum indicabis hæc mihi, & commutabo*. Quin & commutationem hanc ad laicum remitti poſſe docent Gobat ex Leſſio, & ex utroque Kochius num. 103. his propriis verbis: *Commuto tuum votum in eam rem, quam talis aut talis vir doctus, a te conſultus, prudenter judicaverit eſſe ſubſtituendam*. At poſtremum iſtud fieri nolim, niſi tale ſit votum, cujus commutatio ſpecialem pœnitentis notitiam non requirat.

An autem in his caſibus ſubſiſtat voti prioris obligatio, donec facta ſit ſubſtitutio alterius operis operi votivo, ambigi poteſt. Subſiſtere in ſecundo caſu, qui ſolum commutationem ſpondet, non autem facit; at in primo & tertio nequaquam permanere exiſtimant Germani iidem Theologi, viri a natura mites, & ipſa Jubilæorum Indulgentia indulgentiores. Ratio horum eſt, quod cum ſupponatur facta eſſe commutatio voti, jam extincta eſt ejus obligatio, & ſucceſſit alia, non quidem alterius operis quod hic & nunc præſtari oporteat, cum ante deſignationem impleri non poſſit; ſed acceptandi opus illud, quod a Confeſſore, vel a viro docto deſignabitur. 87

Verum hæc nobis ut & aliis pluribus laxiora videntur. 1. quia commutatio quæ non eſt hic & nunc ſimpliciter abſoluta, ſed mere conditionalis, non omnino tollit prius vinculum. Atqui talis eſt commutatio ſub conditione operis deſignandi, ſi pie & ſancte fiat, ut fieri ſupponenda eſt. Ecquis prudens Chriſti Miniſter tranquille cuipiam dixerit: *Voviſti triplex ſingulis hebdomadis jejunium, commuto illud in opus poſt quatuor ſeptimanas deſignandum: interim liber eſto, bibe & epulare*. 2. quia commutatio fieri debet in opus moraliter æquivalens. Atqui opus quod non fit, ſed fiet in poſterum, non eſt æquivalens operi quod actu fieret, niſi, gravitate ſua præſtans, & præteritum 88

compenſare ſupponatur; qua ab hypotheſi procul diſtant Germani; cum opus votivum in minus aliquod commutari poſſe velint. Ergo tunc non fit commutatio, ſed diſpenſatio a parte quæ ſubtrahitur. Hæc autem diſpenſatio Jubilaribus Confeſſariis interdicta eſt. 3. quia ſi Pontifex diſpenſet in voto, & Confeſsario mandet, ut examinata precum veritate, diſpenſatum eſse declaret; orator, ſi voti tempus recurrat, voto tenetur ante declarationem. Atqui ideo tenetur, quia diſpenſatio, licet utcumque conceſsa, non ſortitur plenam vim ante declarationem. Ergo cum commutatio plenam vim non ſortiatur, donec opus novum ſubrogetur alteri, prout fert ipſum commutationis nomen, non eſt unde prioris materiæ obligationem perimat. 4. quia alioqui ſi Confeſsarius ratione morbi vel itineris ad tres, quatuorve menſes, nullum pœnitenti novum opus deſignat, iſve alio rapiatur, erit tandiu a voti executione immunis. Id autem quis Deo gratum accidere cogitet? Ergo ne his cavillis referetur aditus, curandum ſemper ut Sacerdos, votum, aſſignato modo commutans, declaret prioris voti ligamen tandiu ſubſtitutum eſſe, donec alia ejus in locum præfigatur materia.

89 Reſp. 2. controverti in Scholis an Confeſsarius pœnitenti Jubilæum lucrato poſſit vota, quæ is vel oblitus eſt, vel licet horum memor, juſta de cauſa ſibi commutari noluit, poſt finitum Jubilæi tempus commutare. Ubi clarum eſt de iis tantum votis ſermonem eſſe, quæ vel ante Jubilæum, vel eo durante emiſsa ſunt. Nec enim quis ſomniavit uſquam hominem qui ſemel Jubilæum lucratus eſt, ab omnibus quæ poſtea emittet votis, ſolvi poſse. Affirmativam partem tenent Sanchez Lib. 4. cap. 54. num 40. pag. mihi 362. Layman, Diana, & alii quos approbat Viva qu. 12. art. ult. num. 3. Horum ratio eſt. 1. quod licet opera ad Jubilæi lucrum præſcripta certo tempori alligata ſint, non tamen ipſum Jubilæi privilegium, quod ſemper durat; ut patet ex ipſius tenore qui ſic habet: *Concedimus ut poſſint hac vice tantum idoneos Presbyteros approbatos eligere, qui eorum confeſſionibus diligenter auditis, licite valeant ipſos abſolvere, &c. necnon & vota commutare*. Ergo ſicut ſi Pontifex faciendi aliquid certo die privilegium quoddam indulgeat, opus quidem alligatur tempori, ſed non privilegium; ſic & in præſenti. 2. quod Pontifex in Bulla Cruciatæ diſertim expreſſit, finito anno deſinere omnia ejus privilegia. Ergo cum id pro Jubilæo non expreſſerit, noluit privilegia ejus certo tempore concludi.

90 Aliter ſentiunt Suarez, Bonacina, Filliucius, quos in Gallico de diſpenſat. Tractatu, Tom. 1. part. 4. cap. 2. §. 5. num. 12. ſecuti ſumus. Ratio eſt. 1. quod ridiculum ſit, ut alicujus vota, quia ſemel olim jubilæum lucratus eſt, decem aut viginti poſtea annis commutari poſſint; 2. quia Confeſsarii Jubilares non præciſe quia deſignati, ſed quia a pœnitentibus electi, Jubilæorum privilegia applicare poſsunt, ut ex iis vel ſimilibus Diplomatum verbis conſtat: *Licentiam concedimus ut ſibi ad hunc effectum eligere poſſint Confeſſarium, qui eos hac vice Abſolvere valeat, & inſuper vota commutare*. Atqui cum ſemel tranſactum eſt Jubilæi tempus, jam non habent pœniten-

tes

tes licentiam ſibi Confeſſarium eligendi a quo ſua ſibi vota commutentur; cum privilegium illud iis duntaxat conceſſum eſſet, ut ad Indulgentiæ lucrum allicerentur. Ergo ubi deſiit Jubilæi tempus, deſiit ſimul, tum privilegium pœnitentis in ordine ad electionem Confeſſarii, tum Confeſſarii facultas in ordine ad commutationem votorum pœnitentis. Unde qui jam duo commutaſſet pœnitentis vota, tertium quod ille oblitus erat, commutare non poſſet; quia ubi *res eſt integra*, ſeu necdum incœpta, nihil jam auctoritatis habet Confeſſarius.

Sed num ſaltem durante adhuc Jubilæo commutari poterunt vota illius qui jam a prima hebdomada jubilæi gratiam lucratus eſt? 91

Reſp. Probabiliter affirmat. non propter rationes hic a Pontaſio caſ. 16. allatas, ex quibus male probare vult, eum qui ſemel a cenſuris abſolutus eſt, & Jubilæi gratiam comparavit, poſſe ſecundo a novis quas ſubinde contraxit cenſuris abſolvi; quod falſum eſt: Sed quia Bulla quæ una tantum vice a cenſuris aut reſervatis caſibus abſolvi permittit, nihil habet quod commutationem votorum ad unam vicem limitet. Permittit enim ut eligatur Confeſſarius, qui hac vice abſolvere poſſit a cenſuris, & qui *inſuper* vota commutare poſſit. Ergo ſemel quidem tantum a cenſuris abſolvere poteſt, ſi comparata ſit Jubilæi gratia: at quandiu durat Jubilæum vota commutare poteſt. De his adi Blaſium ab Aſſumpt. fuſe differentem part. 2. cap. 1. quæſt. 17.

Quæres 11. an a Confeſſario Jubilæi commutari queat ſimplex caſtitatis votum, cujus poſt emiſſionem vovens contraxit Matrimonium. 92

Supponendum 1. ex ſupra inſinuatis poſſe Confeſſarium Jubilarem commutare quæcumque Religionis & caſtitatis vota Rom. Pontifici minime reſervata, & ab Epiſcopo ex ordinaria ipſius poteſtate diſpenſabilia. Unde poteſt commutare 1. votum ingrediendi Religionem nondum ab Eccleſia approbatam; quia Religio ab Apoſtolica Sede necdum approbata, non eſt vere & proprie Religio; 2. Votum ingrediendi aliquam ex iis utriuſque ſexus Communitatibus, quæ ſimplicia tantum vota emittunt, quia eæ cum ſeculares ſint, a religioſo ſtatu inſigniter diſcrepant: Neque ideo tamen diſpenſare poteſt a votis in iiſdem jam emiſſis; quia id cederet in præjudicium tertii; 3. a voto paupertatis in ſeculo ſervandæ, vel obedientiæ cuipiam, puta Confeſſario exhibendæ, quia per hæc non promittitur amplexus Religionis; 4. votum determinatæ Religionis, ſed disjunctive aut conditionaliter factum; ut voveo me vel Carthuſianam Religionem amplexurum, vel nullam; Item voveo me vel Religionem ingreſſurum, vel aureos quinquaginta daturum: niſi poſtea materia reſervata, ſeu Religio per abſolutam voluntatem electa eſſet. 5. Votum factum ſub disjunctiva, cujus pars altera fiat impoſſibilis, ut in caſu mox allato: qui enim aureos 50. largiri non valet, non ex vi voti, ſed ex impoſſibilitate materiæ ad religionem tenetur. Ita bene, vel male Romani, quibus in re per praxim cognita, adhæreri poſſe videtur. 6. votum hujus Religionis puta ſtrictioris, vel hoc anno ineundæ: qui enim votum hoc in alterius Religionis vo-

votum commutat, vel executionem ejus legitimis de cauſis protrahit; non commutat operis ſubſtantiam, ſed modum & circumſtantias. 7. votum perſeverandi in Religione; quia votum illud diſcrepat a voto ingrediendi Religionem: hoc enim exigit ut Novitiatum ingrediaris, non autem ut in eo perſeveres, ſi ſtatum hunc tibi nequaquam convenire animadvertas.

93 Poteſt etiam idem Confeſſarius commutare votum. 1. caſtitatis ad certum tempus emiſsæ. 2. nunquam nubendi, permanendi in ſtatu viduitatis, ſuſcipiendi Ordines ſacros; quia per vota hæc non promittitur ipſa caſtitas: unde frangit quidem votum vidua quæ ſecundo nubit; ſed non quæ turpibus delectatur, niſi aliud intenderit; 3. nunquam tangendi feminam, Deum nullo impuritatis peccato offendendi, leges matrimonii pie ſervandi; 4. votum, quo unus conjugum ſine vel cum alterius licentia vovit ſe non petiturum unquam debitum; vel ſpopondit uterque ſe nec petiturum eſse, nec redditurum; uterque enim is conjux ſalvo voto poſt alterius mortem novas nuptias inire poſset; imo nec reus eſset voti, ſi committeret adulterium. Aliud fuerit, ſi conjux uterque, vel alter altero non ſolum permittente, ſed & approbante, perpetuam continentiam voveat; tunc enim votum Papæ reſervatum erit, proinde nec poterit commutari. 5. addunt non pauci, cum Theodoro a Sp. S. pag. 214. vota plura diverſa, ex quibus ſimul ſumptis exurgeret perfectæ caſtitatis obligatio, puta ſi quis voviſset primo abſtinentiam a nuptiis, 2. a fornicatione; 3. a venereis omnibus, poſse commutari; quia cum horum quodlibet ſeorſim non ſit votum perpetuæ caſtitatis; nec ex iis conjunctim idem votum exurgit per ſe, ſed tantum per accidens. Videri tamen poſsit id difficile: Quia nihil intereſt an eleemoſynam nummorum triginta ſimul voverim, an per partes ternas, niſi forte cum partem unam vovi, alterius neutiquam meminiſsem? Quoniam tamen non decet ut reſervationem latius protendamus quam Romani, nihil eſt cur hæc eorum opinio non teneatur. Unde etiam cum iis dicendum, in vim jubilæi commutari poſse eadem vota, quæ vel ex levi metu ad ea extorquenda incuſso; vel a vovente ex animo ſe ſolum ſub veniali peccato obligandi emiſsa fuerint.

94 Supponendum 2. Confeſsarium Jubilæi poſse commutare omnia Religionis & caſtitatis vota, in quæ Epiſcopus ordinariam habet diſpenſandi vel commutandi poteſtatem. Ratio eſt quia Confeſsarius poteſtatem habet in omnia vota, quæ Rom. Pontifici reſervata non ſunt. Atqui Rom. Pontifici reſervata non ſunt vota, quæ Epiſcopus jure proprio, vel ſimpliciter, vel commutando, relaxare poteſt: & ita omnes docent.

95 Supponendum 3. idque rurſus ex communi conſenſu per praxim confirmato, poſse aliquando Epiſcopum in votis Rom. Pontifici reſervatis diſpenſare, cum nempe urget gravis quæpiam neceſsitas, ex qua merito præſumi poſsit, Papam ſuas Epiſcopo ad diſpenſandum vel commutandum vices in eo caſu committere; ut cum quis in gravi verſatur fornicandi periculo, niſi quam primum uxorem ducat: aut qui puellam corrupit, eam ante ducere vult, quam infametur,

aut

aut difficilis eſt ad Urbem recurſus, &c. In his porro circumſtantiis, non tam ex proprio jure diſpenſat Epiſcopus, quam ut Delegatus Sedis Apoſtolicæ: Quia votum generatim reſervatum, de ſe ſemper reſervatum eſt; licet æquum fuerit, & reipſa contigerit, ut qui, propter periculum moræ, reſervationem ejus tollere nequit Pontifex, eam alii, promptiorem opem allaturo, committat. Unde in remotioribus Inſulis eadem, quantum ad hæc, poteſtate fruuntur ſimplices Presbyteri, qua in Europa Epiſcopi. His præmiſſis

Reſp. negat. 1. quia opinio quæ facultatem votum illud commutandi Jubilaribus Confeſſariis abnegat, eſt Theologos inter longe communior, & praxi magis conſentanea; 2. quia Confeſſarius Jubilaris ea ſolum vota commutare poteſt, in quæ Epiſcopus jus proprium exercet, non autem vice alterius. Atqui Epiſcopus, utpote qui ob ſolam neceſſitatem a prædicto voto diſpenſare valeat, eo ipſo non diſpenſat proprio jure, ſed jure ſibi per alium commiſſo. Minor conſtat ex principiis num. præced. poſitis. Major non minus evidens eſt; quia quæ Epiſcopus jure quaſi mutuato dimittit, ſemper manent intrinſece Pontifici reſervata, tantumque ab eo ſolvi poſſunt, cui ſuas is vices commiſit; quod erga Jubilares Presbyteros feciſſe probari non poteſt. Ergo. 96

Quæres 12. an qui durante Jubilæo obtinuit voti commutationem, novam ejus poſt Jubilæum commutationem obtinere poſſit. 97

Reſp. affirmat. quia Confeſſarius rem inceptam, & necdum ut par eſt finitam, perficere poteſt. Ita Blaſius ab aſſump. cit. cap. 1. quæſt. 19. qui quæſt. 21. ſubdit commutationem hanc probabiliter ab alio etiam Confeſſario fieri poſſe; ne quis per mortem vel abſentiam prioris Confeſſarii privilegio per Jubilæum acquiſito privetur. Et id non illubens admittam, modo tamen poſterior Confeſſarius ſit e numero Jubilarium.

Quæres 13. an valeat commutatio facta ei, qui poſtmodo vel ſine culpa, vel ex culpa, Jubilæum lucratus non eſt. 98

Affirmant communiſſime Theologi cum Sanchez in Decalog. Lib. 4. cap. 54. num. 49. Viva q. 12. art. ult. num. 1. Blaſio part. 2. cap. 1. q. 12. Ratio horum eſt 1. quia poteſtas abſolvendi a reſervatis & commutandi vota, eodem tenore in Bulla abſolute conceditur. Ergo ſtatim ut legitime facta eſt, extinguit obligationem voti prioris circa materiam priſtinam. Atqui extincta ſemel obligatio non amplius reviviſcit. 2. quia commutatio quæ non eſt conditionalis, fit abſolute, atque adeo independenter a futuro eventu. Atqui commutatio illa non eſt conditionalis; cum is cui ea facta eſt, ſtatim ab obſervatione voti ſui immunis fit. Ergo.

Idem ſtatuit Sanchez ib. n. 50. pro caſu, quo Confeſſarius vota ſibi tantum in genere indicata commutavit in opera, quæ poſtmodum a ſe, vel ab alio præſcriberentur: quia ſic vere facta eſt commutatio. 99

Verum aliud ſentit tum de votis, quorum in confeſſione oblitus eſſet pœnitens; tum de iis quæ vere non commutavit Confeſsarius, ſed poſt maturius examen commutanda diſtulit. Quia cum vota hæc de facto commutata non ſint, neque comparatum ſit privilegium 100

obti-

obtinendæ eorum commutationis; non eſt unde in poſterum valeant commutari, & id etiam docet Suarez Tom. 2. de relig. Tract. de voto, Lib. 6. cap. 16. n. 7.

101 Aſt contraria opinio, quantum ad eos ſaltem, qui Jubilæi lucrum culpa ſua omiſere, ut pietati, ſic & rationi longe magis conſentanea videretur, niſi priorem quæ lenior eſt, amplexus fuiſſet Benedictus XIV. ſupra n. 66. quod an in aliis deinceps Jubilæis vim habiturum ſit, nobis incertum eſt. Nimirum ex Sanchii conſeſſo ibid. num. 53. poteſt Confeſſarius commutare vota ſub ea ſolum conditione, ut non habeat vim commutatio, donec Jubilæi opera præſtentur, & ex iis comparetur Jubilæum. Atqui conditionem hanc Confeſſarius, quiſquis vere ſapit, appoſuiſſe cenſeri debet; idque ad mentem Pontificis, niſi is expreſſe reſiſtat. Ecquis enim virtualiter dicat? Emiſiſti votum bis in hebdomada jejunandi; id autem abſolute commuto tibi, ſeu deinceps Jubilæum lucreris, ſeu ex culpa tua lucrari negligas. Quis etiam id a rationabili ac pia Pontificum mente non judicet prorſus alienum? Numquid eorum mens eſt, ut gratiis ſingularibus tota vita fruantur, qui per nullum virtutis præſcriptæ opus iis ſe dignos effecere.

102 Nec eſt quod objicias eum, qui a reſervatis abſolutus eſt, abſolutum manere, licet ſubinde Jubilæi opera non adimpleat. Hujus enim ratio eſt, ut advertit Sanchez ipſe ibid. n. 53. quod abſolutio a peccatis, & quæ ipſam præcedit abſolutio a cenſuris, debeat eſſe abſoluta, neque hæc ſub reincidentiam a ſimplici Confeſſario dari poſſit. Aſt votorum commutatio conditionate fieri poteſt. Si poteſt, debet, ne immerito favor conferatur. Si debet, ſic facta legitime præſumitur; quia quiſque id feciſſe præſumendus eſt quod debuit. Unde etſi lubens concedo commutationem hanc iis abſolute factam eſſe, qui pro viribus Jubilæum lucrari conati ſunt; eoſque, licet deinde circa lucrum hoc non nihil dubii patiantur, circa ipſam votorum commutationem tranquillos eſſe debere; haud tamen induci poſſum ut credam hanc abſolute factam eſſe iis, qui intra dies aliquot a lucrandi Jubilæi voluntate excidunt. Interim proderit noſtra hæc conjectatio ut Jubilares Confeſſarii deſinant potius, quam incipiant a votorum commutatione; ne factum doleant, quod ſatius fuerat omiſiſſe.

Quæres 14. an cui ab habente poteſtatem commutatum eſt votum Papæ reſervatum in materiam eidem minime reſervatam, materiæ hujus ſubrogatæ commutationem in Jubilæo obtinere poſſit.

R. affirmat. quia cum poſterior materia non ſit reſervata, nihil eſt cur denuo commutari non poſſit. Quod autem objicitur, *ſubrogatum ſapere naturam rei, cui ſubrogatur*: verum eſt de iis quæ ad rem ſubrogatam intrinſece pertinent, non de eis quæ huic ſunt intrinſeca. Unde materia poſterior ad Dei cultum apta eſſe debet, ſicut & prior; ſed non ideo debet eſſe reſervata; quia referri ad Dei cultum eſt intrinſecum voto; huic autem vel illi reſervatum eſſe, eſt quid eidem extrinſecum.

C A-

CAPUT QUINTUM.

De ſuſpenſione Indulgentiarum. &c.

SOlent Romani Pontifices in Bullis Jubileorum non omnium utique, ſed ſolum anni ſancti, Indulgentias atque etiam privilegia Regularibus vel aliis conceſſa ſuſpendere, *ne propter alias Indulgentias*, quas quiſque in propria Regione lucrari poſſet, *annus Jubilæus intermittatur; ſed ut Fideles ex toto terrarum orbe in alma Urbe in fidei ac religionis unitate congregati, eodem pietatis ac devotionis ſpiritu præſcriptas Eccleſias, quo maximo fieri poterit concurſu, toto anno viſitent ac frequentent*. Verum ſuſpenſio hæc tot variis in Bullis habet diſcrimina, prout ex collatis ſecum invicem Sixti IV. pro ann. 1475. Gregorii XIII. pro an. 1575. Clementis VIII. pro anno 1600. Urbani VIII. pro ann. 1625. Innocentii X. pro ann. 1650. Clementis X. pro ann. 1675. Innocentii XII. pro ann. 1700. Diplomatibus conſtat, ut ex iis nulla certa regula poſſit efformari. Unde reccurrentibus Jubilæis nihil eſt factu melius, quam ut ſingula Bullæ verba mature perpendantur. Interim id commune habent Jubilæa Diplomata; 1. quod contineant ſuſpenſionem Indulgentiarum, facultatum & Indultorum, quæ quibuſcumque Eccleſiis, Congregationibus, perſonis, &c. in perpetuum, vel ad tempus quomodocumque conceſſa ſunt; 2. quod ſub excommunicatione latæ vel ferendæ ſententiæ, & aliis pœnis Ordinarii arbitrio infligendis prohibeant, ne durante anno ſancto Indulgentiæ aliæ publice vel privatim nuntientur, vel in uſum demandentur; ac ſimul declarent uſum ſeu Indulgentiæ alterius, ſeu Indulti, nullum omnino & invalidum fore. His præmiſſis potiſſimas quæ hic ſuboriuntur difficultates, prout ab extraneis Theologis ut plurimum ſolvuntur, & nos ſolvemus. Quod ut fiat. 1

Quæres 1. an omnes prorſus Indulgentiæ per Jubilæum anni ſancti ſuſpendantur. 2

R. neg. namque 1. ex probabiliori opinione non ſuſpenditur Indulgentia Bullæ Cruciatæ; tum quia ita a Clemente VIII. declaratum eſſe refert Rodriguez; tum quia Bulla hæc ipſo etiam anni ſancti tempore publicatur, quod non eſt ignotum Pontifici; tum quia Indulgentia hæc ejuſque privilegia per modum contractus tribuuntur, cum ad id duorum Regalium eleemoſynam erogari oporteat: Non quaſi venalis ſit Indulgentia, ſicut nec ex retributione venalis eſt Miſſa; ſed quia æquum eſt ut eorum pietatem compenſet Eccleſia, qui pugnantibus pro fide arma ſubminiſtrant.

2. Non etiam ſuſpenduntur Indulgentiæ pro defunctis immediate conceſſæ, quales ſunt quæ ex Altaribus privilegiatis habentur; vel quæ applicantur in articulo mortis. Utrumque conſtat ex Notificatione Clementis X. Et vero ſemper Eccleſiæ propoſitum fuit ut in extremo agone conſtitutis pro viribus opitularetur: aliunde ceſſat hic ratio legis, cum qui ad interitum vergunt, Romam ad Indulgentias contendere non poſſint. 3

At

4 At ceſſant 1. Indulgentiæ *pro vivis*, id eſt in favorem vivorum conceſſæ, etiamſi eas quæ Romæ dantur, comparare non poſſint, puta quia carceri, aut perpetuæ clauſuræ mancipati ſunt; niſi his ex gratia ſpeciali ſuccurrat Apoſtolica Sedes, quod & facere conſuevit.

5 2. quod mirum magis, ceſſant & Indulgentiæ quas vivi ſic ſibi comparare poſſunt, ut eas etiam defunctis applicare valeant per modum ſuffragii. Atque ita habet citata pluries Clementis X. Notificatio, quam totam referunt Gobat, in Append. ad cap. 48. Jubilæi; & Viva ad calcem Tractatus ſui de Jubilæo. Ratio eſſe poteſt, quia ſublato principali tollitur acceſſorium. Atqui quod Indulgentia quæpiam a viventibus poſſit applicari mortuis, videtur eſſe acceſſorium. Ergo ſublata pro vivis Indulgentia, tollitur ea etiam quæ mortuis applicari poſſit.

6 3. Ceſſant Indulgentiæ non ſolum locis, ſed & rebus, ut coronis, granis, imaginibus affixæ, quia & hæ fidelis populi ad Urbem concurſum impedirent.

7 Non ceſſant tamen quæ ex ſpeciali privilegio a ſuſpenſione per Bullam indicta excipiuntur; quales ſunt, 1. conceſſæ Eccleſiis Urbis Romanæ; 2. Indulgentiæ Jubilæi Compoſtellani; 3. domus Lauretanæ, prout die 19. Septemb. 1674. declaravit Clemens X. 4. Portiunculæ, die 2. Auguſti, in ipſa B. M. Angelorum Eccleſia Aſſiſienſi, prout anno 1625. declaravit Urbanus VIII. eo quod Indulgentia hæc ab Honorio III. ex Chriſti ipſius imperio conceſſa fuerit: quæ ratio cum in aliis Minorum Eccleſiis locum non habeat, docet probabilior opinio in iis Indulgentiam ſuſpendi, 4. Bullæ Cruciatæ, de qua ſupra n. 2.

Quæres 2. an eodem anno ſuſpendantur etiam Indulgentiæ partiales.

8 Reſp. Negant Filliucius, Lezana, Viva, & alii quos ſequitur Kochius, q. 1. num. 39. quia Sixtus IV. & Gregorius XIII. in ſuſpenſione ſua de plenariis tantum Indulgentiis loquuntur. Quod autem ſubſequi Pontifices generatim dicunt ſe *omnes & ſingulas Indulgentias* ſuſpendere, ad plenarias reſtringi poteſt; tum quia fatentur iidem ſe in hac ſuſpenſione ſequi Deceſſorum ſuorum veſtigia: hi porro plenarias tantum ſuſpendebant; tum quia partialis Indulgentiæ lucrum non retrahit a viſitatione liminum Apoſtolorum; tum quia ex Leg. *Præcipimus*, Cod. *De appellat. Quidquid in poſteriori Lege non fuerit expreſſum ſpecialiter, in veterum Conſtitutionum regulis relictum eſſe intelligendum eſt.*

Ex quibus deducunt 1. eos qui numiſmata partialibus Indulgentiis 9 affecta habent, item Congregationes, Sodalitia, &c. quæ annorum centum, vel mille, Indulgentias habent, eaſdem poſſe lucrari, quia eædem partiales ſunt; 2. non ſuſpendi Indulgentias anni unius in dedicatione Eccleſiæ, & dierum 40. in Anniverſario Dedicationis, aut alias a Præſulibus concedi ſolitas; tum quia & eæ partiales ſunt; tum quia Pontifices proprias quidem gratias ut & facultates ſuſpendunt; non autem quæ Prælatis Papa inferioribus competunt.

10 Poſtremum illud caput nemo non admiſerit: at dicendum ceteras quæ ab Apoſtolica Sede profluunt Indulgentias partiales ſuſpendi. Ita docet Theodorus a Spir. S. in Tract. de Jubilæo, cap. 12. pag. 223. edit.

Digitized by Google

edit. fol. 1750. idque *modo* tam *certum eſſe vult, ut opinio oppoſita ſit quacumque probabilitate intrinſeca deſtituta*. Ratio ejus duplex, utraque gravis; 1. quod ante Clementem VIII. Romani Pontifices *plenarias* tantum *Indulgentias* ſuſpenderent; at vero Clemens VIII. *Indulgentias* ſimpliciter ſuſpendit; quæ vox, utpote generalis, tam partiales, quam plenarias complectitur; 2. quia idem Clemens VIII. ejuſque ſucceſsores Indulgentias quaſdam partiales a generali ſuſpenſione exceperunt: ad quid autem exceptio hæc, ſi partiales quæcumque Indulgentiæ ſubſiſterent? Et id ſecutus eſt Benedictus XIV. in Litteris ſuis quæ incipiunt, *Cum nos ſuper*, editis 16. Calendas Junii 1749. ubi: *Ceteras omnes & ſingulas Indulgentias, tam plenarias, quam non plenarias .·.·.·. ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus*. Hinc dubium mihi quod ex Navarro & Sanchez docet Viva, quæſt. 4. art. 5. non ſuſpendi per Jubilæum plenarias Indulgentias, quas ceteroqui lucrantur, qui vota Religioſa emittunt, aut Novitiatum ingrediuntur.

Quæres 3. quæ partiales Indulgentiæ a ſuſpenſione hac præſervatæ ſint. 11

Reſp. nodum hunc certius ſolvi non poſse, quam ex citati mox Diplomatis verbis. Sic ibi Benedictus XIV. *Præſervatis ac firmis remanentibus Indulgentiis conceſſis in articulo mortis, ac facultatibus, ſeu indultis illas impertiendi .·.·.·. iiſque pariter quas Benedictus XIII. cunctis Fidelibus Salutationem Angelicam, ſeu alias preces de tempore, mane aut meridie, ſeu veſpere ad campanæ pulſum, de genu, vel juxta dierum & temporum rationem ſtando recitantibus .·.·. atque illis etiam quas Innocentius XI. & Innocentius XII. Fidelibus SS. Euchariſtiæ Sacramentum, cum ad infirmos defertur, devote comitantibus, vel lumen aut facem per alios ea occaſione deferendum, ſeu deferendam mittentibus, ſimiliter conceſſerunt .·.·. Item ſalvis & firmis remanentibus Indulgentiis Altarium privilegiatorum pro Fidelibus defunctis, aliiſque eodem modo pro ſolis ipſis defunctis conceſſis; atque etiam aliis quibuſcumque Indulgentiis & peccatorum remiſſionibus, alias pro vivis conceſſis ad effectum duntaxat, ut Chriſti Fideles illas animabus Fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii directe applicare valeant, &c.*

Quæres 4. an etiam ſuſpendantur Indulgentiæ ad ſeptennium, vel aliud definitum tempus conceſsæ. 12

Reſp. ſuſpendi; quia pro ſuſpenſione illarum eædem militant rationes, quæ pro aliarum ſuſpenſione. Aſt cum pleriſque Theologis ſubjiciendum puto, nullam ex ſuſpenſione hac ſequi diminutionem in numero annorum, ſed ſolum Indulgentiæ interruptionem pro toto Jubilæi anno. Unde ſi Jubilæum incidat in ſeptimum ſeptennis Indulgentiæ annum, licebit ea uti toto anno Jubilæum proxime ſubſecuturo. Ratio eſt, quia licet ſeptennium importet ſex annos continuatos, ubi tamen eorum unus tollitur a Pontifice, habetur in ſeptennio interrupto tota ea quæ tunc poſſibilis eſt continuatio. Sic, ait Viva, quæſt. 4. artic. 3. cum piis locis conceditur ut prædia ſua locent ad triennium, non computatur in eo annus ſterilis, ex communiori Doctorum ſententia.

Cenſet tamen Gobat, & ex eo Kochius, aliud dicendum fore, ſi Pontificium Diploma Indulgentiam concederet *ad proximos ſeptem annos*, vel *ad proximum ſeptennium*; quia voces *proximos* & *proximum*, ut initium, ſic & finem temporis deſignare videntur. Ratio hæc ſubtilior videtur quam ſolidior. Non igitur redarguerim, ſi quis in iſto caſu ad minus dubio, ſuas octavo etiam anno Indulgentia utcumque proponat.

13 Quæres 5. an acquiratur Indulgentia ab iis qui hujus ſuſpenſionem ignorant, vel non acquiratur ab eis qui ſuſpenſionem illius ſublatam eſſe neſciunt.

Reſp. Fatentur omnes ignorantiam non prodeſſe ad lucrum in primo caſu; quia ſicut ea non efficit ut Indulgentia ſubſiſtat, ſic nec efficere poteſt ut comparetur. Verum exiſtimant plures cum Lugo, citat. diſput. 27. de pœnitent. numer. 81. ignorantiam nullatenus nocere in ſecundo caſu; quia ad Indulgentiæ lucrum non requiritur vel intentio eam lucrandi, vel ejuſdem conceſſionis notitia; ſed ſufficit ut hæc conceſſa ſit, & ponantur opera ad eam lucrandam conceſſa. Et id eſt quod jam ſupra mihi difficile viſum eſt; niſi quis generatim intendat totum id ex operibus ſuis conſequi, quod eis alligaverit Eccleſia, & ea mente hæc exequatur; quod in quibuſdam Indulgentiis ad ſolam Dei vel B. Virginis gloriam ordinatis facilius eſt; in aliis minus facile videtur.

14 Quæres 6. quid incurrant pœnæ qui ſuſpenſas Indulgentias promulgare, vel in uſum demandare præſumunt.

Reſp. ab iis quidem peccari, qui ſcienter Indulgentias ſuſpenſas lucrari ſtudent; cum a Superiorum intentione recedant; at nulli eos pœnæ Eccleſiaſticæ obnoxios fieri, quia nulla adverſus ipſos conſtituta ſit. Qui vero ejuſmodi Indulgentias vel populo denuntiant, vel *in uſum demandant*, id eſt, Prout in præſenti intelligitur, ad earum uſum Fideles inducunt, excommunicationi, quam Pontifices omnes Sixtum IV. ſubſecuti confirmarunt, ipſo facto ſubjacent; niſi excuſet bona fides, & cenſuræ ignorantia.

Quæres 7. an durante Jubilæi anno ſuſpendantur facultates a Papa Regularibus conceſſæ ad abſolvendum a caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, ad vota commutanda, &c.

15 Circa hanc quæſtionem, gravis utique momenti, ſcinduntur Doctores. Alii, ut Laiman, Tannerus, Lugo, diſput. 20. num. 145. Viva, ibidem artic. ultim. contendunt eas ſolum facultates ſuſpendi, quæ conceſſæ ſunt intuitu Indulgentiarum, ſeu ut quis Indulgentiam certis in locis expoſitam lucretur; at manere eaſdem facultates extra hunc caſum. Horum rationes ſunt, 1. quod Sixtus IV. in Extravag. *Quemadmodum*, 4. *De pœnit. & remiſſ.* id expreſſim declarat. Porro alii Pontifices, licet in Diplomatibus ſuis diverſe locuti ſint, & Indulta atque facultates a reſervatis abſolvendi ſuſpenderint indefinite, ad Sixti IV. normam locuti fuiſſe merito exiſtimantur. 2. Quia Clemens & Urbanus VIII. idipſum declaraverunt, prout ibid. refert Lugo. 3. Quia ſubſecuti Pontifices dicunt ſe in ſuſpenſione ſequi Prædeceſſorum ſuorum exempla. Ergo perinde ac illi, non alias, quam quæ Indulgentia-

gentiarum cauſa prodeſſent, facultates revocant. 4. Quia cum iidem Pontifices publicationem ſub excommunicationis pœna prohibent, de ſola Indulgentiarum, non autem de facultatum publicatione loquuntur. Ergo ea ſolum ſuſpendunt privilegia, quæ ad Indulgentias relativa ſunt, non cetera. 5. Quia alioqui non poſſet Regularis Superior per totum Jubilæi annum ſubditos ſuos a reſervatis caſibus abſolvere: id porro quam durum ſit, nemo eſt qui non intelligat. Hæc utique gravia videntur; neque ullus ferme eſt pœnitens, aut Confeſſarius, qui hiſce inniti vereatur.

Dicendum tamen cum Theodoro a Sp. S. hic cap. 11. pag. 229. prædicta privilegia quoad exteros omnino per Jubilæi tempus ſuſpendi, niſi hæc expreſſe præſerventur, prout an. 1575. a Gregorio XIII. factum eſt; 1. quia finis hujuſce ſuſpenſionis non alius eſt, quam ut recurrente Jubilæo Fideles ad inviſenda Apoſtolorum limina, ibique Jubilæi gratiam cum annexis favoribus percipiendam alliciantur. Porro finis iſte multam ſui partem corrueret, ſi Fideles alibicumque nanciſci poſſent Confeſsarios, qui non minus poteſtatis circa cenſuras Rom. Pontifici reſervatas haberent, quam Romani Confeſsarii. 16

2. Quia in formula ſuſpenſionis, quæ in quatuor Jubilæis Gregorio immediate anterioribus obſervata eſt, hæc totidem verbis habebantur: *Omnes & ſingulas .·.·.·.·. commutandi vota, & deputandi Confeſſores cum poteſtate abſolvendi, etiam in caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, facultates & conceſſiones .·.·.·.·.·. tenore præſentium ſuſpendimus.* Atqui clauſula hæc tam generalis eſt, ex communi omnium intellectu, ut cum in Jubilæo anno 1550. publicata fuiſset, Patres Societatis ex ſpeciali gratia obtinuerint a Julio III. ut quod eis nuper conceſserat Paulus III. a caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis abſolvendi privilegium, eo anno intactum maneret. Porro ſingulare hoc privilegium, nec ab iis poſtulatum eſset, nec a Julio conceſsum, ſi per Jubilarem annum ſubſiſterent prædictæ Regularium ab omnibus ſolito more abſolvendi facultates. 17

3. Quia nova quæ poſt Gregorium XIII. inolevit ſuſpenſionis formula ad noſtram uſque ætatem, ſic habet: *Omnes & ſingulas Indulgentias .·.·.·.·. ac facultates & Indulta abſolvendi, etiam in caſibus Sedis Apoſtolicæ reſervatis, Monaſteriis, Ordinibus, Congregationibus .·.·.·. Conventibus, Magiſtris, Superioribus, & tam ſæcularibus, quam quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum Regularibus perſonis ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus.* Hæc porro citra vim manifeſtam alio quam generalis ſuſpenſionis ſenſu intelligi non poſsunt. 18

4. Quia nedum ulla in Regularium favorem ea de re prodierit Declaratio, imo cum anno 1675. in particulari Congregatione die Januarii 17. dubium hoc diſcuteretur: *An per Bullam ſuſpenſionis Indulgentiarum & facultatum ac Indultorum abſolvendi a caſibus reſervatis, extra Urbem factorum cuilibet perſonæ Sæculari vel Regulari, intelligatur de facultatibus & indultis abſolvendi ad conſequendas Indulgentias tantum, vel abſolute loquendo; taliter quod Epiſcopi, Miſſionarii, & Officiales Inquiſitionis ad quinquennium, vel etiam Pœnitentiarii in perpetuum, in diverſis Diœceſibus a Summis Pontificibus inſtituti, teneantur* 19

tur abſtinere ab uſu earum facultatum , durante anno ſancto ? Clemens X. ex prædictæ Congregationis voto illæſas duntaxat Miſſionariorum & Miniſtrorum Sacræ Inquiſitionis facultates abſolvendi a reſervatis declaravit : De aliis vero in dubio propoſito expreſſis nihil cenſuit innovandum . Ergo cum exceptio firmet regulam in caſibus non exceptis , habendum pro certo Regularium privilegia hoc anno ſuſpendi .

20 5. Quia Benedictus XIV. citatis ſupra Litteris *Cum nos nuper* , præſervat quidem à ſuſpenſione facultates Officii Inquiſitionis , *Miſſionariorum quoque & Miniſtrorum , qui ab eodem Tribunali , ſeu a Congregatione propagandæ fidei* adverſus hæreſim *deputati fuerint : item* facultates , *quæ ab Officio Pœnitentiariæ Apoſtolicæ , Miſſionariis in locis Miſſionum , earumque occaſione ab ipſis exercendæ , concluſæ fuerint* : inſuper & facultates *tam Epiſcoporum , in ſuis reſpective Diœceſibus , circa diſpenſationes & abſolutiones ſuorum ſubditorum in caſibus occultis , etiam Apoſtolicæ Sedi reſervatis , prout ipſis a ſacra Tridentina Synodo , ſeu alias etiam in publicis , a jure communi Eccleſiaſtico , & ab eadem Apoſtolica Sede , pro certis perſonis & caſibus indultæ , permiſſæque dignoſcuntur ; quam etiam Superiorum Ordinum Regularium in Regulares ſibi ſubjectos . Verum ceteras facultates & Indulta abſolvendi etiam a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis* . . . . *ſeu relaxandi cenſuras , commutandi vota , aut diſpenſandi etiam ſuper irregularitatibus & impedimentis , quibuſvis Eccleſiis , Monaſteriis , Hoſpitalibus , etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani , Domibus , Militiis , Ordinibus , etiam Mendicantium , Congregationibus* etiam ſæcularibus , omnino ſuſpendit . Quæ cum ita ſint, nemo de ſua & aliorum ſalute tantiſper ſollicitus contrariam opinionem in praxim redigere jam poteſt . Nec nocent quæ in contrarium objiciuntur.

21 Non 1. potuerunt enim alii Pontifices facultates a Sixto IV. intactas coarctare . Atqui id feciſse præſumi debent , cum aliter quam ipſe locuti ſint.

22 Non 2. tum quia hæc Clementis & Urbani Declaratio ad ſummum probaret eos a trita Prædeceſsorum ſuorum ſemita receſſiſse; quod nihil probat quantum ad alios Pontifices; tum quia dici non poteſt cui, & qua die declaratio hæc facta fuerit; tum quia iidem Pontifices declarant ſe Prædeceſsorum ſuorum veſtigiis inhærere. Hi porro, ut nu. 17. probatum eſt, facultates prædictas generali ſua locutione reſtrinxiſſe merito judicantur. Unde patet reſponſio ad 3.

23 Non 4. quia licet Rom. Pontifices nullas iis pœnas conſtituiſsent, qui durante Jubilæi anno Indulgentias alias promulgarent, eæ tamen Indulgentiæ vi omni deſtitutæ forent. Ergo & vi omni carent prædictæ facultates, quamvis nulla ea publicantibus inuratur cenſura. Adde Indulgentias appoſitis tabellis publicari, non autem facultates.

24 Non 5. quia ſuam Superioribus quoad ſubditos ſuos juriſdictionem, ſub ipſum Jubilæi tempus, aſſeruere Pontifices, ut ex adductis, n. 20. Benedicti XIV. verbis apertum eſt.

25 Quæres 8. an prædictarum facultatum ſuſpenſio ſpectet eos etiam e Regularibus, qui durante Jubilæo Romæ commorantur.

Reſp.

Reſp. omnem ea de re difficultatem a Benedicto XIV. quantum ſaltem ad Jubilæum anno 1750. pertinebat, ſublatam fuiſſe his verbis: *Suſpenſio facultatum abſolvendi, &c. non comprehendit ipſam Romanam Urbem, in qua hoc maxime anno præſtat Operariorum copiam non imminui, &c.* Subſecuturorum Pontificum Diplomata interrogabunt nepotes noſtri.

Quæres 9. quando incipiat aut deſinat hæc Indulgentiarum aut facultatum ſuſpenſio. 26

R. eam incipere ab initio primarum Veſperarum Nativitatis Domini, & finitis anno ſequenti iiſdem Veſperis, abſque novo Papæ conſenſu, & ſpeciali revocatione ſuſpenſionis finire, juxta probabiliorem, ut & communiorem ſententiam. Ratio eſt, quia Clemens VIII. & ceteri retro Pontifices declarant ſe Indulgentias nonniſi durante anno ſancto ſuſpendere. Quod autem nonniſi ad annum ſuſpenditur, eodem finito ſuſpendi deſinit.

T R A C T A T U S

De Extrema-Unctione.

TRactatum hunc abſolvent Capita ſeptem. Primum erit de nominibus & eſſentia Extremæ-Unctionis. Secundum inſtitutionem ejus & Miniſtrum expendet. Tertium materiam ejus indagabit. Quartum differet de forma. Quintum de ſubjecto; Sextum de proprietatibus; Septimum de effectibus & cæremoniis.

C A P U T P R I M U M.

De nomine, eſſentia, & dignitate Extremæ-Unctionis.

PLura ſunt nomina ſacri ritus de quo nunc loquimur; 1. enim communi, non tamen antiqua, apud Latinos appellatione dicitur *Extrema-Unctio*; tum quia infirmis in extremo vitæ periculo conſtitutis adminiſtrari ſolet; tum quia cum multæ ſint in Eccleſia unctiones (unguntur enim Cathecumeni in pectore & inter ſcapulas, oleo ſimplici benedicto; unguntur baptizati Chriſmate in ſummo vertice; unguntur in fronte ab Epiſcopo qui confirmantur; unguntur in manibus Sacerdotes eodem Chriſmate; Reges autem in humero vel brachio, ſed oleo tantum, &c.) noſtra hæc unctio omnium poſtrema eſt, ſolaque Sacramenti materiam facit, perinde ut Chriſma Confirmationis. 1

Dicitur 2. *Unctio infirmorum*, vel *Sacramentum exeuntium*, quia iis datur, quos æternitatis domum veriſimiliter ingreſſuros Eccleſia ad Dominum cum pace tranſmittere nititur. 2

Dicitur 3. a Tridentino Seſſ. 14. non modo pœnitentiæ, *ſed & totius* 3

totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum Sacramentum; quia peccatorum reliquias abſtergit, & ipſa peccata delet, de quo infra.

4 Dicitur 4. a Græcis, *Oleum ſanctum*, vel *Oleum cum oratione;* quia oleum, materia ejus, Eccleſiæ precibus & benedictione ſanctum, & ſanctitatis morientibus conferendæ inſtrumentum efficitur. Quibus de cauſis dicitur etiam *Oleum benedictionis*, *Olei ſacrati unctio*, *Sacramentum ſacræ unctionis*, *&c.*

5 Unctio extrema definitur a Catholicis: *Sacramentum a Chriſto inſtitutum, conſtans olei unctione & oratione Sacerdotis, ordinatum ad ſalutem animæ & corporis, (ſi expedierit) hominis graviter infirmi.* Hujus definitionis veritas ex dicendis firmabitur: quod ut nunc fiat quoad præcipuum caput, jam videndum an Extrema-Unctio inter Sacramenta recenſeri debeat.

6 Negarunt indubie Calvinus & Lutherus, quorum priori, (Lib. 4. Inſtitut. cap. 19. §. 18. *Extr. Unctio fictitium eſt Sacramentum, & hiſtrionica hypocriſis*. Poſteriori vero mitior quoad voces, ſed non diſpar quoad ſenſum eſt opinio. Sic ille, Lib. de Captiv. Babylonica: *Huic ungendorum infirmorum ritui duas additiones ſe ſe dignas addiderunt Theologi noſtri*, (Catholici) *unam quod Sacramentum appellant; alterum quod extremam faciunt .·.·.·. Igitur Unct. extremæ noſtrum Sacramentum non damno; ſed hoc eſſe quod ab Apoſtolo Jacobo præſcribitur, conſtanter nego .·.·. Numerabimus tamen ipſum inter ea Sacramenta quæ nos conſtituimus, ut ſunt aquæ & ſalis conſecratio & aſperſio.*

7 Errantes Magiſtros ſecuti ſunt diſcipuli; eo tamen diſcrimine, quod Chamierus quondam in Gallia Calviniani gregis Miniſter, fatetur Lib. 4. de Sacram. cap. 21. Unctionem extremam ſemper in Eccleſia viguiſse: *Neque enim*, inquit, tam *ignota nobis hiſtoria Eccleſiæ*, ut id *eamus inficias*. Contra vero Dallæus in ſingulari de hac materia Opere, Lib. 2. Unctionem hanc prioribus Eccleſiæ ſæculis prorſus ignotam fuiſſe contendit. Unde Caſsandrum & Grotium, qui eam etiamnum in Eccleſia retinendam ſcripſerant, acriter redarguit. Hæc certa.

Sed ambigitur quinam errori huic præluſerint. Potiſſima difficultas eſt de Waldenſibus & Wicleſiſtis.

8 Quod ad Waldenſes attinet, ii a Guidone Carmelita & Bellarmino, quos ſecuti ſunt e Catholicis plures, inter Extrem. Unctionis adverſarios recenſentur; nec deſunt ſua opinioni huic momenta. De iis enim ſic ſcribunt 1. Æneas Sylvius, in Hiſt. Bohem. cap. 35. *Confirmationem, quam Chriſmate Pontifices inducunt, & Extrem. Unctionem, inter Eccleſiæ Sacramenta minime contineri* docent. 2. Reynerius, Lib. contra eoſdem, cap. 5. *Sacramentum Unctionis etiam reprobant*. 3. Philchdorfius in ſuo contra eoſdem Opere, cap. 25. *Reprobant VValdenſes hæretici Chriſmatis & olei unctiones*. Demum Ebrardus, Libro itidem adverſus ipſos edito, cap. 11. *Inunctionem olei ſubſannantes, nec Chriſma, nec oleum ſibi poſcunt.*

9 Aliter ſentit Jacobus de Saintebeuve, in ſuo de Unction. extrema Tractatu, diſput. 1. artic. 2. quia oblata a VValdenſibus Uladislao Ungariæ Regi, fidei profeſſio diſertim habet: *Sacramenta ſeptenario incluſa*

incluſa numero. Eccleſiæ Chriſti utilia eſſe pandimus. Quod autem regerunt Henno, Tom. 8. pag. 347. Simonnet, pag. 598. & alii, Vvaldenſes *mentitos eſſe*, ne a Rege Catholico vexarentur, verum quidem eſſe poteſt, ſed niſi verum certiſſime probetur, poteſt & debet haberi pro falſo; tum quia poſtulat æquitas ut cuipiam fidem ſuam profitenti magis credatur, quam adverſariis ejus, præſertim cum is ceteros errores ſuos non diſſimulat; tum quia ſi poteſt hæreticus decipere, poſſunt & qui eum inſectantur, circa ſenſum ejus penitiorem decipi.

Neque invicte urgent quæ contra objiciuntur; aliud eſt enim quod quis rei ſubſtantiam, aliud quod appendices ejus atque circumſtantias improbet. Fatemur porro Vvaldenſes nonnulla in Ext. Unctionis modo & ritu, partim bene, partim male redarguiſſe. Redarguerunt quidem & merito, quod quibuſdam in locis Unctio extrema ſolis divitibus daretur, & nullis ſine pretio. Redarguerunt & male, quod cum oleo ſolemniter benedicto adminiſtraretur. Ex his pene concidunt quæ objiciuntur. Unde 10

Ad 1. Æneas Sylvius, qui deinde Pius II. obiit an. 1464. proinde diu poſt natam Vvaldenſium hæreſim, cujus epocha a pluribus poſt Hermantium circa anno 1160. conſtituitur, ſic intelligi poteſt, ut Vvaldenſes nec Extr. Unctionem, nec Confirmationem negaverint, ſed utramque per oleum a Pontificibus benedictum conferri improbaverint, prout diximus in Tractat. de Confirmatione, pag. 3. Vvaldenſes enim & Epiſcopos, & quidquid ab Epiſcopis profluebat, ferebant impatientiſſime. 11

Reynerius, vel Raynerius, incertæ ætatis Scriptor, quem alii ad annos 1410. alii ad annos 1333. vel 1301. referunt, longe plus noſter eſt, quam adverſariorum. Sic ille: *Sacramentum Unctionis reprobant, quia tantum divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi neceſſarios .·.· & nulli datur ſine pretio .·.·. & licet honeſtum ſit plures Sacerdotes induci, tamen ſicut Baptiſmus & Confirmatio per unum dantur, ſic & Unctio*. Ergo carpebant equidem graves abuſus, qui in Unctionis adminiſtratione erant, vel fingebantur, ſed non magis ipſam, quam Baptiſmum vel Confirmationem rejiciebant. 12

Ad 3. Fatemur reprobatas fuiſſe a Vvaldenſibus olei & chriſmatis unctiones, prout in Eccleſia ſancta ex liquore ſolemniter benedicto fieri ſolent: negamus ipſam rei ſubſtantiam ab iis rejectam fuiſſe. Improbant Calviniani benedictionem aquæ baptiſmalis, nec tamen Baptiſmum ipſum improbant. 13

Ad 4. eadem eſt reſponſio: Vvaldenſes qui paupertatem profitebantur, unctionis oleum non poſcebant; non quia unctionem hanc utilem eſſe negarent, quod expreſſim in ſua fidei profeſſione agnoſcunt; ſed quia hæc ex multiplici abuſu, vero, vel ficto, ſolis divitibus, aut iis *qui poſſent ſaltem habere duas vaccas*, & a Sacerdotibus multis, qui ad id *duodecim lumina* requirebant, conferretur. Quanquam fieri poteſt ut eorum nonnulli poſt impetitum rei abuſum, ipſam rei ſubſtantiam impetierint, prout quoad Indulgentias fecit Lutherus. 14 *Reyner.*

Quod ad Vvicleſitas ſpectat, nihil eſt unde Sacramentum iſtud deleviſſe judicentur. 1. Quia Conſtantienſe Concilium, Seſſ. 8. nul- 15

lum refert Vvicleſi errorem circa Unctionem extremam. 2. Quia Philchdorfius, qui ceteros Vvicleſi errores ſingulari libro expugnat, nullam iſtius mentionem facit. 3. Quia Vvicleſus in Trialogo, ubi potiſſimum ſuum virus eructavit, nihil habet huic Sacramento adverſum. 4. Quia ab ea accuſatione Vvicleſum abſolvit Thomas Vvaldenſis. 5. Quia Joannes Hus doctrinæ Vvicleſi adhærebat in omnibus, ut patet ex 6. ejus articulo inter reprobatos a Synodo Conſtantienſi. Atqui Joannes Hus Extr. Unctionem habebat pro Sacramento, ut ex ipſius in Epiſt. B. Jacobi Commentario probat Jacobus Lenfant, in Hiſtoria Concilii Conſtant. ad an. 1415. pag. mihi 283.

16 Nec obeſt id Æneæ Sylvii in Epiſt. ad Card. Carvajal. *Huſſitæ de Sacramentis Eccleſiæ Baptiſmum, Euchariſtiam, Matrimonium, Ordinemque recipiunt. De Pœnitentia parum ſentiunt; de Confirmatione & Extr. Unctione nihil*. Hæc enim oſtendunt equidem Vvicleſitas de utroque hoc Sacramento parum fuiſſe ſollicitos, forte propter abuſus in eorum adminiſtratione quibuſdam in locis inductos; at non probant eadem ab ipſis ex albo Sacramentorum deleta fuiſſe. Quapropter Concilium Conſtantienſe Seſſ. ult. de utriuſque Novatoris erroribus ſuſpectos interrogari jubet, non utrum hæc Sacramenta admittant, ſed *utrum credant quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Confirmationis vel Extr. Unctionis, aut ſolemni ſationis Matrimonii, peccet mortaliter*. Quæ interrogatio ſupponit neglectum, non vero negationem Sacramenti. His poſitis ſit

Conclusio. Unctio extrema verum eſt novæ Legis Sacramentum.

17 Probat. 1. ex Epiſtola Canonica Beati Jacobi, cap. 5. verſ. 14. ubi ſic: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Unde ſic: Ad Sacramentum, teſte Calvino, Lib. 4. Inſtitut. cap. 19. §. 5. requiritur & ſufficit ritus ſenſibilis & permanens, annexam habens gratiæ promiſſionem, proinde a Chriſto inſtitutus. Atqui talis eſt unctio de qua loquitur Sanctus Jacobus, 1. quidem eſt ritus ſenſibilis, cum externa materia, ſcilicet unctione olei & adjunctis precibus coaleſcat: *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo; &c.* 2. Eſt ritus permanens; cum verba hæc: *Inducat Presbyteros, & oratio fidei alleviabit infirmum, &c.* nullis temporum aut perſonarum limitibus coerceantur; nec minus omnes cujuslibet ſæculi Fideles ſpectent, quam ſequentia iſta: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, &c.* Unde & ritus ille ſemper in Eccleſia retentus eſt, & in ea ſtabit, quandiu erunt infirmi. 3. Ritus ille annexam habet gratiæ promiſſionem, vel quod eodem redit, vim infallibilem ejus conferendæ; cum oratio unctioni conjuncta peccata infirmi, ſi quæ in eo ſint, remittere debeat. 4. Demum a Chriſto inſtitutus eſt; cum Chriſtus ſolus certis rebus ac verbis gratiam annectere potuerit. Ergo ritus, de quo Jacobus, habet omnes veri Sacramenti characteres, eoſque in individuo aſſignatos, materiam remotam in oleo, proximam in unctione, formam in oratione, Miniſtrum in Presbyteris, ſubjectum in infirmis.

Prob.

Prob. 2. ex Traditione. Origenes, tertii ſæculi Scriptor inſignis, Hom. 2. in Lev. (Tom. 1. pag. 68.) varia inter media, quæ peccatorum remiſſionem conciliant, Pœnitentiam & Extr. Unctionem commemorat. Sic ille: *Eſt adhuc ſeptima, licet dura & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum .·.· in quo impletur & illud quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Atqui hic Origenes, & Unctionem a pœnitentia expreſſe diſtinguit; cum illi propriam aſſignet materiam, oleum, ſcilicet, quod nunquam pro materia pœnitentiæ habitum eſt; & hanc ipſam habet pro Sacramento (Pœnitentiæ completivo) cum & eam comparet Pœnitentiæ, quam dubio procul inſtar Sacramenti habuit, & per eam ſub certis materia & forma peccatum remitti declaret. Ergo. 18

S. Chryſoſtomus Libr. 3. de Sacerdotio (edit. novæ Tom. 1. pagina 384. E.) *Neque enim*, inquit, Sacerdotes *tantum cum nos regenerant; ſed etiam poſt regenerationem admiſſa peccata condonare poſſunt. Nam infirmatur quis in vobis*, Ait Apoſtolus, *adducat Presbyteros Eccleſiæ*. Atqui hic & ſermo eſt de Extr. Unctione, cum agatur de ritu erga infirmos exercendo, quæ conditio nuſquam ad Pœnitentiæ Sacramentum requiſita eſt: & ſermo eſt de Unctione quæ ſit vere Sacramentum: cum effectus ejus effectui Baptiſmatis comparetur; & ſuam perinde ac Baptiſma materiam habeat &c. 19

S. Innocentius I. qui exeunte IV. & ineunte V. Eccleſiæ ſæculo claruit, in Epiſtol. ad Decentium, Eugubinum * Antiſtitem, a quo interrogatus fuerat, an Jacobi verba de infirmis omnino intelligenda forent; an iis, non a Presbyteris tantum, ſed & ab Epiſcopis Unctio hæc adminiſtrari poſſet; an item conferri poſſet publicis pœnitentibus, quibus alia Sacramenta quandoque negabantur; ſic reſpondet cap. 8. (Tom. 2. Concil. pagina 124.) *Non eſt dubium* Apoſtoli verba *de fidelibus Ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chryſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus; ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo. Ceterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non eſt dubium .·. Pœnitentibus* (minime reconciliatis) *iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti; Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* 20

* Gubio.

Ex his non una exurgit probatio, 1. enim dubitabat Decentius an unctio infirmis adminiſtrari poſſet ab Epiſcopis. Atqui ſi unctionem pro ritu mere Eccleſiaſtico habuiſſet, nihil fuiſſet dubii an ab Epiſcopis, qui eum inſtituiſſent, conferri poſſet. 21

2. Cum reſpondet Innocentius Epiſcopum poſſe Unctionem illam adminiſtrare, utpote *cujus* ſit *ipſum chriſma conficere*, idem eſt ac ſi dicat, eum qui ſolus materiam ſacramenti conficere poteſt, ejuſdem Miniſtrum eſſe poſſe. 22

3. qui unctionem hanc noſtram vocat *genus Sacramenti*, id eſt unum e Sacramentis; qui docet ex conſequenti illud eſſe denegandum iis quibus alia Sacramenta denegantur; & hoc docet nemine tota in Eccleſia reclamante; is utique unctionem Sacramentis annumerat. 23

Atqui

Atqui Innocentius I. hæc docet, & quidem nemine per orbem reclamante; cum e contra S. ille Pontifex pro pietate & doctrina toti ſemper Eccleſiæ, Chryſoſtomo præſertim, Hieronymo & Auguſtino commendatiſsimus fuerit. Ergo *non eſt dubium* quin Unct. Extremam habuerit pro Sacramento.

24 Atque, ut advertit Bellarminus hic cap. 4. Vel is unus Innocentii textus aſſerendo catholico dogmati ſufficit; cum & Auctor antiquus ſit, ſiquidem an. 402. ſedere incœpit; & vir ſit doctus æque ac ſanctus; & de re velut indubia loquatur; & adverſarium habeat neminem. Hinc etiam colligitur, *cur non extent multa hujus generis*, tum in argumento præſenti, tum & in aliis quibuſdam, *teſtimonia, id eſt, tam antiqua, & tam expreſſa; quia videlicet non habuerunt occaſionem de hac re ſcribendi. Nam nec Innocentius de hac re ſcripſiſſet, niſi Epiſcopo Eugubino dubitatio illa in mentem veniſſet, &c.*

25 Eandem unctionem cum ejuſdem efficaciæ fiducia v. & vi. ſæculo uſurpatam fuiſse a fidelibus, liquet tum ex S. Cyrillo Alexand. qui Libr. 6. de oratione in ſpiritu, &c. hæc loquitur: *Commemorabo etiam divinitus inſpiratam Scripturam, quæ ait. Infirmatur quis in vobis: adducat Presbyteros Eccleſiæ*, &c. Tum ex Cæſario Arelat. Serm. nunc 265. in Appendice Auguſtini (Tom. 5. pagina 437.) alias inter Auguſtinianos 215. de tempore, ubi: *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas ſupervenerit, Corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ſuum ungat*, per Presbyteros ſcilicet; *ut illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo: Infirmatur aliquis*, &c.

26 S. Gregorius deſinente eodem vi. ſæculo Pontifex, poſt deſcriptos ritus benedicendi infirmorum olei, præcipit ut Sacerdos in ipſa ungendi actione hanc fundat orationem: *Deus* .˙. *conſerva famulo tuo tuarum dono virtutum, & concede ut medelam tuam, non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat.* Ungendi officium hæc ibidem claudit oratio: *Mittere digneris S. Angelum tuum, qui famulum tuum in anguſtiis & neceſſitatibus laborantem, conſolationibus tuis attollat, quibus & de præſenti conſequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.* (Sacrament. Operum Tom. 3. pag. 237.) Atqui in his textibus occurrunt materia, forma, gratiæ collatio &c. Ergo.

27 Sæculo vii. Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus in Libro pœnitentiali decernit ut *ab infirmis in periculo mortis poſitis, pura* inquiratur *peccatorum confeſſio* .˙. *& ſecundum auctoritatem canonicam* .˙.

28 *ſacra unctione olei inuncti* .˙. *communione Viatici reficiantur.* Ubi tria infirmis, ſecundum auctoritatem canonicam conferuntur Sacramenta, Pœnitentiæ videlicet, Unctionis & Euchariſtiæ.

Sæculo viii. Capitularia Caroli Magni hæc ſanciunt cap. 75. & 76. *Si infirmitate quis depreſſus fuerit, vitam ſine communione non finiat, nec unctione ſacrati olei careat* .˙. *Omnes Presbyteri oleum infirmorum ab Epiſcopo expetant, ſecumque habeant, & moneant Fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti, gratia Dei ſanentur, quia oratio fidei ſalvabit infirmos.*

29 Eundem uſum ſæculis ix. x. xi. & xii. pie & ſedulo fuiſse obſervatum liquet ex Paſchaſio Radberto in vita Adelardi, Corbejenſis Abba-

Abbatis; ex Scriptore vitæ S. Oſualdi Epiſcopi Eboracenſis; ex Wiberto in vita Leonis IX. ex D. Bernardo in vita S. Malachiæ Epiſcopi. Similia plura dabit Sanbovius in præcitato Tractatu.

His addi poſſint Concilia multa, ex quibus nos pauca hæc ſubnectimus. Concilium Cabilonenſe II. an. 813. Can. 48. hæc ſtatuit: *Secundum B. Jacobi Apoſtoli documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo quod ab Epiſcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent. Sic enim ait Jacobus, Infirmatur quis, &c. Non eſt itaque parvi pendenda hujuſmodi medicina, quæ animæ corporiſque medetur languoribus.* Atqui medicina quæ animæ corporiſque languioribus ſecundum Apoſtoli doctrinam medetur, non eſt *Hiſtrionica Hypocriſis*, nec figmentum humanum. 30

Concilium Moguntinum an. 847. citata ſuperius num. 27. Theodori Cantuarienſis verba refert & amplectitur. 31

Concilium Ticinenſe I. an. 855. cap. 8. *Illud quoque Sacramentum*, inquit, *quod commendat Jacobus Apoſtolus dicens*, &c. *ſolerti prædicatione populis innoteſcendum eſt: Magnum ſane & valde appetendum myſterium, per quod .·. remittuntur peccata, & conſequenter corporalis ſanitas reſtituitur*, &c. Hic porro Unctio extrema & Sacramentum aperte dicitur, & præcipuum Sacramenti caracterem habet, videlicet magnæ gratiæ productionem. Ergo erat is totius ſeculo IX. Eccleſiæ ſenſus. Sed & præcedentium ſeculorum erat; cum nemo Unctionis hujus dignitatem extra limites antiquos evectam fuiſſe conqueſtus ſit. 32

Concilium Conſtantienſe an. 1414. Seſſ. 15. confirmat Decretum Martini V. ſancientis, ut *ab eo qui de hæreſi ſuſpectus fuerit, præter cetera* quæratur, *an Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extr. Unctionis, peccet mortaliter.* 33

Eugenius IV. in celebri pro inſtruendis Armenis Decreto an. 1439. Extr. unctionem cæteris Sacramentis quinto loco annumerat; ejuſque uſum & effectus B. Jacobi auctoritate ſuffulcit. 34

Demum Trid. Synodus ſeſſ. 14. Can. 1. *Si quis dixerit Ext. Unctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum, a Chriſto D. N. inſtitutum, & a B. Jacobo promulgatum; ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.* 35

Prob. 3. argumento præſcriptionis, jam quidem trito, ſed ſemper efficaci. Dogma quod ante exortas Lutheri, Calvinique novitates pari conſenſu credebant Eccleſiæ Latina, Græca, ceteræque Orientales, & ita credebant ut ejus tanquam de novo in eaſdem Eccleſias inducti epocha figi non poſſit; illud, inquam, dogma non ut figmentum humanum, ſed ut perennis Eccleſiæ fides haberi debet. Atqui; Ext. Unctionis velut Sacramenti dogma, 36

1. Credebatur in tota, qua patet, Eccleſia Latina, prout conſtat ex adductis ſupra Innocentii & Gregorii Magni auctoritatibus.

2. Pari fide credebatur in Eccleſia Græca, ceteriſque Orientalibus, aut ſaltem earum præcipuis. Et id quidem liquet, 1. ex omnibus eorum Euchologiis, quæ Olei ſancti officium, a Sacerdotibus ſeptem, tum & benedicendi, tum & adminiſtrandi fuſe continent, 2. ex

præ-

præcipuis ejuſdem gentis Scriptoribus. Sic Gregorius Protoſyncellus in Epitome dogmatum Eccleſiæ, cap. de Extr. Unctione: *Septimum*, inquit, *Sacramentum unctio puri olei eſt, pro ægrotantibus præparata per benedictionem & ſanctificationem, ſanitatis ſpiritualis & corporalis conferendæ vim habens*. Sic auctor *Confeſſionis Orthodoxæ*, Operis apud Græcos ſpectatiſſimi: *Septimum Sacramentum eſt Extr. Unctio a Chriſto præſcripta .·.·. Fructus hujus Sacramenti ſunt, quos velut ei proprios S. Jacobus Apoſtolus explicat, videlicet remiſſio peccatorum, animæ ſalus*, &c. Sic Meletius Syrigus in confutatione articulorum Cyrilli Lucaris: *Certo credimus oleum Domini & Dei N. J. C. invocatione conſecratum, ab ipſo Chriſto præſcriptum eſſe .·.·. Ait enim B. Jacobus Apoſtolus: Infirmatur quis*, &c. *Nec enim credibile eſt paria juſſuros Apoſtolos, niſi in mandatis a Domino habuiſſent .·.·. Unde infertur, id quod a nobis oleum cum prece vocatur, vere ſacrum myſterium, id eſt Sacramentum eſſe*. His accedit citata pluries, ubi de aliis Sacramentis, auctoritas, tum Jeremiæ, CP. Patriarchæ in Reſponſ. ad Lutheranos Vvittembergenſes; tum Synodorum quæ plures contra perfidam Cyrilli Lucaris fidei confeſſionem habitæ ſunt; in his enim omnibus eadem quoad rei ſubſtantiam deprehenditur Eccleſiæ Græcæ fides, quæ Latinæ.

3. Demum aſſignari nequit epocha mutationis, quam in præſenti materia inductam eſſe fabulantur Calviniani; cum reclament Rituales Latinorum Libri omnes cum antiquioribus Euchologiis, iiſque antiquiores Patres, qui de Unctionis ritu, ut ſacro & gratiæ productivo conſtanter, data occaſione, locuti ſunt.

37 Objic. 1. Potiſsima Concluſionis noſtræ probatio deſumitur ex Jacobi capite 5. Atqui hæc probatio omni ex parte ruinoſa eſt. Ut enim ruinoſa dicatur noſtra hæc probatio, duo ſufficiunt: 1. ut Epiſtola Jacobo afficta, nec Jacobi Apoſtoli fœtus ſit, nec Canonica; 2. ut ſuppoſita gratis ejus Canonicitate, nihil ex ea in gratiam Sacramenti hujus extundi poſſit. Atqui .·.· 1. Epiſtola hæc Canonica non eſt; ut hinc patet, quod prioribus ſæculis rejecta fuerit, nec deinceps potuerit fieri divina. 2. Nec ex ipſa quidquam in gratiam Sacramenti hujus extundi poteſt; quandoquidem in ea ſermo non ſit de Sacramento proprie dicto, ſed de gratia curationum primis Eccleſiæ ſæculis vulgari, & a Chriſto Diſcipulis ſuis conceſſa, ſecundum id Marci 6. 13. *Dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*. Porro exterior curationum gratia, quæ quandoque erga infideles exercebatur, a gratia Sacramentali inſigniter diſcrepat. Ergo.

38 Reſp. ad 1. & 2. neg. min. & dico 1. Epiſtolam Jacobi vere Canonicam eſſe, prout ad calcem Capitis hujus Diſſertatione oſtendemus. Dico 2. in ea Epiſtola ſermonem eſſe de gratia Sacramentali, non de gratia curationum; hæc enim per ſe non remittebat peccata, nec indigebat Sacerdotum aut ſeniorum miniſterio; cum infirmitates ſanarent ipſi etiam utriuſque ſexus juvenes inſigniter pii, ſecundum iſtud tum Pauli, 1. Corinth. 12. 4. & ſeq. *Diviſiones gratiarum ſunt .·.· alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ .·.· alii gra-*

Digitized by Google

tia ſanitatum :·.· *hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult*; tum divi Petri, Act. 2. verſ. 17. ubi impletum dicit illud quod prædixerat Joel: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt*, &c. Atqui gratia de qua loquitur S. Jacobus, & peccata dimittebat, & ſolo Sacerdotum miniſterio conferebatur, ut cap. ſeq. oſtendetur. Ergo.

Ad id quod additur, gratiam de qua loquitur Jacobus eandem eſſe de qua loquitur Marcus cap. 6. non una eſt Theologorum Catholicorum reſponſio. Alii enim id ſponte fatentur, ſed utramque vere Sacramentalem fuiſſe contendunt. Ita Alphonſus a Caſtro, Thomas Valdenſis; Maldonat. Catharinus; & noviſſime, adductis variis, D. Thomæ præſertim, Bonaventuræ, Scoti, Hugonis Victorini auctoritatibus, probabile reputat Laurentius Berti. Alii communius identitatem hanc negant, & melius. Ita qui pro ſe etiam Doctores Angelicum & Seraphicum cum Hugone Victorino adducunt, Cajetanus, Bellarminus, Eſtius, Sylvius, Tournelyus, &c. 1. Quia gratia de qua Marci 6. ea ipſa eſt quam dedit Chriſtus, Matth. 10. v. 8. his verbis: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite*. Atqui gratia hæc per ſe ipſam ſimpliciter exterior, ad ſolam corporum curationem dirigitur; nihil in ea eſt de unctione Sacramentali, nihil de gratia peccatum remittente, nihil de oratione a Sacerdotibus effundenda; quæ omnia diſtincte commemorat S. Jacobus. 39

2. Quia non decebat ut Sacramentum, cujus adminiſtratio ſolis Sacerdotibus reſervanda erat, ab iis conferretur qui nondum erant Sacerdotes. Porro ex Trid. Seſs. 22. cap. 1. Apoſtoli nonniſi in ultima Cœna Sacerdotes conſtituti ſunt. Nec valet quod reponit Maldonatus, Chriſtum anticipatione quadam Apoſtolos Extr. Unctionis Miniſtros feciſſe, ſicut & Baptiſmi; hæc enim mera eſt conjectura, nullo prorſus fundamento innixa: neque eadem erat Unctionis hujus conditio, quæ Baptiſmi; cum is novæ quam Chriſtus inſtituebat Religionis teſſera eſſet, & ſignum quo Fideles a Judæis atque Gentilibus neceſſario ſecernendi forent. 40

3. Quia Apoſtoli non eos ſolum qui infirmi decumbebant, ſed & quoſcumque etiam ceteroqui ſanos ungebant, claudos puta, cæcos, poſſeſſos a dæmone, &c. Atqui unctio de qua Jacobus, ſolos ſpectat ægrotantes cum periculo vitæ, ut conſtat ex omnium ſæculorum ſenſu, & ex Jacobo ipſo, cum ii de quibus loquitur Sacerdotes adire vix poſſint, ſed eos præ infirmitate *adducere* cogantur. 41

4. Quia quos ungebant Apoſtoli, non interrogabant an baptizati forent, vixque dubium eſt quin infideles multos unxerint. Atqui ex ipſa Chriſti conſtitutione, non autem, ut ſomniat Maldonatus, ex Eccleſiæ diſciplina, Sacramenta nulli niſi baptizato conferri debent, & multo minus adhuc infideli. Eſto enim miracula in aliquo per unctionem perpetrata, eum ad fidem proxime diſponerent, ut ait Maldonatus; at certe necdum Fidelis eſt, qui ad fidem diſponitur. Ergo gratia quam recenſet Jacobus, non ea eſt de qua loquitur Marcus cap. 6. Unde Tridentina Synodus Seſs. 14. cap. 1. 42

caute

ꝛaute dicit Sacramentum hoc *apud Marcum quidem inſinuatum fuiſſe* ; ſed *per Jacobum Apoſtolum ac Domini fratrem Fidelibus commendatum*. Nec audiendus Beati, qui vocem *inſinuatum* idem vult eſſe ac *inductum & inſtitutum*; inſinuare enim non eſt inſtituere, ſed *in notitiam alicujus inducere*, ut vel ex ipſo Calepini Dictionario norunt juniores Grammatici. Quapropter Marci unctio inſtituendæ poſtmodum a Chriſto unctionis alterius longe præſtantioris typus erat atque ſymbolum; ſicut Joannis Baptiſmus Baptiſmi ſubinde a Chriſto inſtituendi figura erat.

43. Atque hinc jure a Pallavicino, Lib. 12. cap. 12. numer. 11. & ſeq. vapulat Petrus Suavis, qui ſcribit Tridentinos PP. in prima Decreti ſui forma ſeu delineatione dixiſſe, *Sacramentum Extr. Unctionis a Chriſto fuiſſe inſtitutum Marci 6.* nec ab idea hac receſſiſſe, niſi quia unus e Theologis, Jodocus Raveſtein Lovanienſis, *Patres monuit, Apoſtolos, quo tempore infirmos oleo unxiſſe a Marco narrantur, nondum fuiſſe Sacerdotes ordinatos*, &c.

Hæc enim ſycophantæ intus Calviniani narratio ne veri quidem umbram habet; cum ex Actis Concilii liquido conſtet, in Congregatione ad citatum Decretum prævia, non unum modo, ſed plures e Theologis monuiſſe, Unctionem noſtram inſinuatam fuiſse ac præfiguratam Marci 6. non autem inſtitutam: Et aliunde nemo in animum inducere ſibi queat, eo collapſam eſse ſanctam Synodum, ut articulum hunc contra Patrum torrentem, & nobiliores Scholæ Magiſtros, definiret.

44. Inſt. 1. Unctio mere temporalis tam in effectu quam in uſu, nihil aliud eſse potuit quam exterior gratia curationis. Atqui unctio de qua Jacobus mere temporalis erat; 1. in effectu, cum ad ſolam corporis ſanitatem ordinaretur, ut ex iis Jacobi verbis patet: *Et alleviabit eum Dominus*, græce *relevabit*, ſeu *eriget* jacentem. 2. In uſu, cum alleviatio per unctionem fieri ſolita poſt Apoſtolorum tempus evanuerit. Unde merito, Lutherus, Libr. de Captiv. Babylon. *Si unctio iſta Sacramentum eſt, debet eſſe ſine dubio, ut dicunt, efficax ſignum ejus quod ſignificat & promittit. At ſanitatem & reſtitutionem infirmi promittit. Quis autem non videt hanc promiſſionem in paucis, imo in nullis impleri. Inter mille enim vix unus reſtituitur; idque nemo Sacramento, ſed naturæ, vel medicinæ beneficio fieri putat.* Ergo.

45. Reſp. negat. min. 1. enim unctio de qua Jacobus non erat mere temporalis quoad effectum; tum quia non ſiſtit Apoſtolus in *alleviatione*, de qua loquitur objectio, ſed ulterius ad ſanitatem ſpiritualem progreditur per hæc verba: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*; tum quia voces *alleviabit*, ſeu *eriget*, jure optimo intelliguntur de anima, quam gratia Sacramentalis a vicinæ mortis anxietatibus *relevat*. Sane relevatur quidquid depreſsum jacet. Atqui depreſsum jacere in Scripturæ phraſi non ad corpus ſolum pertinet. Neque enim ad corpus ſpectabat id Pauli, Epheſ. 5. *Surge qui dormis*; iſtudve Roman. 13. *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*. Et vero ſi comma hoc: *Alleviabit eum Dominus*, de corporali ſanitate intelligatur, nihil jam eſt aliud quam frigida verſiculi precedentis repe-

repetitio : *Oratio fidei ſalvabit infirmum* ; utriuſque enim idem erit ſenſus. Id autem quis facile admittat?

2. Nec eadem unctio penes uſum temporalis fuit, ſeu tranſitoria ; tum quia eam perpetuo in Eccleſia viguiſſe conſtat ex allata ſuperius Traditione ; tum quia eandem nunc quoad animas, in iis qui bene diſpoſiti ſunt, effectum operatur, quem ab initio habuit ; licet non magis ille afficiat ſenſus, quam qui ab aliis Sacramentis producitur. 46

Neque vero mirum, quod non quæcumque Unctio corporum ſanitatem tribuat ; cum hæc ſecundarius tantum ſit Sacramenti noſtri effectus ; nec a Deo petatur abſolute, ſed ut alia quæcumque temporalia bona, ea tantum conditione, quod æternæ hominis ſaluti, quæ ſola vere eſt ſalus, conveniat : unde qui ab Apoſtolis ipſis ungebantur infirmi, non utique ſemper convaluere. Quod autem negat Lutherus, quempiam Unctionis hujus virtute ſanari, pſeudoprophetæ eſt & ſacrilege divinitatis. Unde enim plus naturæ & Galeno tribuit Novator, quam Unctioni ad refocillandas vires divinitus inſtitutæ? An rurſum a diabolo, ſuo circa Miſſam præceptore, didicit, eos qui accepta Unctione ſanantur, non vi ejus, ſed naturæ vel artis beneficio ſanari? Annon infirmum, etiam ex morbo conficiendum, eximie alleviat ſacra Unctio, cum ei in ferendis doloribus patientiam, atque integram divinæ voluntati ſubmiſſionem conciliat? An demum quia cum Baptiſmo, vel actu ſuſcepto, vel proxime ſuſcipiendo, fiebant primitus miracula, nec forte infrequenter (ut patet tum ex Paulo, qui dum ab Anania tingeretur, *viſum* recepit, Actor. 9. 18. tum ex Cornelio Centurione, qui Baptiſmo proximus, cum cognatis & amicis ſuis *loquebatur linguis*, ibidem 10. 45.) quæ quidem miracula pridem evanuerunt ; ideo periclitabitur fides Baptiſmi, iſque tantum ad tempus dicetur inſtitutus fuiſſe.

Inſt. 2. Unctio ad animæ ſalutem in ratione Sacramenti permanenter inſtituta, effectum ſuum ex opere operato, & ideo abſolute, produceret. Atqui Unctio Jacobæa, 1. effectum ſuum ex ſolo opere operantis parit, nempe ex fide Miniſtri, ut ex eo liquet : *Oratio fidei ſalvabit infirmum*. 2. Et eam parit conditionate tantum, ut indicant hæc ibid. verba : *Si in peccatis ſit, remittentur ei*. 47

Reſp. ad 1. neg. min. Ad 1. 2. neg. antec. Neque enim per hæc verba, *Oratio fidei*, &c. intelligitur fides Miniſtri, aut etiam ſuſcipientis, (niſi prout ex hujus parte obicem removet, quo ſenſu de regenerationis Sacramento dictum eſt : *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*) ſed oratio quæ in totius Eccleſiæ fide funditur, pro ſolis Fidelibus inſtituta eſt, & ſola fide intelligitur : quo ſenſu, juxta Auguſtinum, Tractat. 80. in Joann. Verbum fidei operatur in Baptiſmo, non quia dicitur exterius, ſed quia mente creditur. 48

Ad 2. 2. neg. ant. ſicut enim Baptiſmus abſolute peccata remittit, nec tamen remittit, cum ea per contritionem perfectam dimiſſa reperit ; ſic & Extr. Unctio hominem ſolvit a peccatis, nec ſolvit, niſi cum peccata habet ; quod ſæpe quantum ad læthalia non evenit ; 49

quia

quia Extrema Unctio poſt pœnitentiam & Viaticum multis in locis datur. Ut ergo effectum ſuum quoad dimiſſionem peccati abſolute operetur Unctio extrema, ſufficit ut peccatum remittat, ſi occurrit; & gratiam de ſe ejuſdem remiſſivam conferat; prout a ſimili diximus in Tract. de pœnitentia.

Non deſunt qui, ut infra videbimus, particulam *Si* exiſtiment in Jacobæo textu non ſumi pro conditione rei dubiæ, ſed pro deſignatione eventus certi, prout in aliis Scripturæ locis. At eam Trid. Synodus hic cap. 2. conditionate accipit; & is genuinus eſt Jacobi ſenſus.

50 Inſt. 3. Noſtra hæc interpretatio a ſenſu veterum diſſonat; quam enim Unctioni tribuimus peccatorum remiſſionem, hanc Origenes, Hom. 2. in Levit. & Beda in Jacobum, tribuunt poteſtati clavium, ſeu confeſſioni. Quin ibid. Beda docet a Jacobo conſilium dari infirmis, ut ſe a murmuribus, invocato ſeniorum auxilio, tueantur. Hæc autem quam aliena ſint a dogmate noſtro nemo non videt.

51 Reſp. Origenem & Bedam in uno Jacobi textu duplex Sacramentum deprehendiſſe; Pœnitentiæ aliud, quo graviora peccata remitterentur; aliud quo per olei unctionem alleviaretur infirmus. *Sed magis probabile eſt*, ait Eſtius in 4. diſt. 23. §. 7 imo plusquam probabile, *totam Jacobi ſententiam eodem pertinere; & poſteriori parte leviorum* (quin & graviorum) *peccatorum promitti remiſſionem, prout forma Sacramenti manifeſte ſignificat*.

52 Quod addit Beda, moralis eſt expoſitio, non literalis. Ceterum paulo poſt perſpicue docet illud ab Apoſtolo præcipi, quod Eccleſiaſtica conſuetudine circa infirmos obſervatur, videlicet ſacræ Unctionis Myſterium, quod & ex Innocentii I. verbis confirmat. Ergo.

53 Obj. 2. Unctio de qua Jacobus, toto cœlo ab ea differt quam celebrant Catholici; 1. quia illa ſanabat infirmos, noſtra non item; 2. quia illa per plures Presbyteros adminiſtrabatur, noſtra per unum; 3. quia illa conferebatur infirmis quibuſcumque, noſtra cadaveribus pene mortuis, 4. quia illius Miniſtri erant *Seniores*, ut indicat vox Græca, noſtræ ſoli Sacerdotes; 5. quia illa certo ritu conſtabat, noſtra tam ambiguo, ut inter nos nec de materia, nec de forma, nec de effectu, nec de ipſo etiam ſubjecto conveniat; cum Græci ſanos etiam ungant, Latini eos duntaxat quorum ſanitas deſperata ſit.

54 R. neg. ant. Ad 1. unctio Apoſtolica, perinde ac noſtra, infirmos ſanabat, cum id eorum ſaluti expediebat, non ſemper; alioqui ii ſoli tunc mortui eſſent, quibus præſto non fuiſſent Presbyteri.

55 Ad 2. per Presbyteros unum de Presbyteris intellexit Jacobus, qui de qualitate magis quam de numero ſollicitus fuit. Sic vulgato ſermone dicimus confitenda eſſe Sacerdotibus peccata, licet ad id unus ſufficiat. Ceterum non negamus bonum eſſe ut adſint Sacerdotes multi, prout in Monaſteriis & in aliis quibuſdam locis obſervatur.

56 Ad 3. neg. ant. 1. quia alleviatio quam expreſſit vulgatus Interpres, græce deſignat ſtatum hominis qui valde oppreſſus decumbit; 2. quia homo non ita infirmus potuiſſet ire ad Sacerdotes; nec credibile eſt voluiſſe Jacobum, ut qui ſibi in obviis infirmitatibus per

reme-

remedia naturalia ſuccurrere poterant, illico ad ſupernaturalia confugerent; 3. quia ſi ſeniores multos ad unumquemque infirmum accedere oportuiſſet, nec orationi, nec ipſi ſomno vacare potuiſſent in urbibus populoſis, quæ tot habent infirmos. 4. Ipſi ſe jugulant adverſarii: Si enim ægrotos omnes inungi jubet Apoſtolus, cur ipſi nullum inungunt? Ita Bellarminus, hic Lib. 1. cap. 3.

Ceterum perperam effutiunt Novatores, Unctionem noſtram ideo extremam dici, quia ſemimortuis tantum conferenda ſit; quandoquidem cum Catechiſmo Romano, part. 2. c. 6. n. 9. confitemur graviſſime peccare eos, *qui illud tempus ungendi infirmi obſervare ſolent, cum jam omni ſpe ſalutis amiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat.* 57

Ad 4. quamvis vox *Presbyter* idem græce ſit ac ſenior, ea tamen in novo Teſtamento ubique fere, ſicut & vox *Sacerdos*, non ætatis nomen eſt, ſed officii & dignitatis Eccleſiaſticæ; idque, ſi alibi dubium eſſet, in textu Jacobi indubium fuerit. 1. quia ut cavillis locum præcluderet Apoſtolus, non dixit *Presbyteros* ſimpliciter, ſed *Presbyteros Eccleſiæ*, neque enim monere voluit Chriſtianos ut ad Ethnicorum preces non recurrerent. 2. Quia per *Seniores* non potuit Jacobus laicos indiſtincte deſignare, cum non omnes laici haberent gratiam curationum, de qua Apoſtoli textum interpretantur Lutherani. 3. Quia ſolis Sacerdotibus datum eſt remittere peccata. Velint porro, nolint Adverſarii, per Jacobæam unctionem remittebantur infirmo peccata, ſi in iis eſſet. 58

Ad 5. controverſiæ Catholicorum nec dogmatis ſubſtantiæ nocent, cum eam ſupponant; nec modo dogmatis, cum qui certum ritum pro accidentali habent, eum nuſquam omittant. Ceterum non eſt quod lites noſtras objiciant nobis Adverſarii, qui nequidem de ipſius Baptiſmi materia, forma & effectibus conveniunt, ut olim evicimus. Sed de his ſuo loco inferius. 59

Objic. 3. cum Kemnitio: Ritus partim ab Hæreticis, partim ab Ethnicis deſumptus, non poteſt haberi niſi pro admodum profano. Atqui unctionis noſtræ ritus partim a Valentinianis deſumptus eſt, ut patet ex Irenæo, Lib. 1. cap. 18. partim ab Ethnicis, de quibus Latinus Poeta: *Corpuſque lavant frigentis & ungunt.* 60

Reſp. neg. min. 1. quia ſi ritum quem abjici oporteat, quia ipſo uſi ſunt hæretici vel gentiles, rejiciendum erit aquæ Baptiſma, quia aquam utrique ſuis in Myſteriis adhibebant. 2. Quia non deſumpſit Eccleſia ritus ſuos ab hæreticis, aut ethnicis; ſed hi Eccleſiæ vel Hebræorum ritus pie inſtitutos impie corruperunt. 3. Quia Valentiniani & Heracleonitæ (de quibus Auguſtinus Libr. de hæreſ. cap. 16.) oleo & aqua commixtis, idque in vicem Baptiſmi, & horribilibus quibuſdam verbis Hebraicis, non viventium, ſed defunctorum corpora inungebant, ut aperte tradit Epiphanius hæreſ. 36. 4. Quia Virgilius de mortuorum unctione loquitur, nos de viventium. 5. Quia etſi mala erat Gentilium ſuperſtitio, malum non erat quod corpora mortuorum lavarent & ungerent. Unde & Chriſtiani Tabitham poſt mortem lavarunt, Act. 9. & Chriſtus pietatem Mariæ, quæ eum quaſi *ad ſepeliendum* unxit, laudat, Joan. 19. 61

62 Objic. 4. Nulla eſt Extr. Unctionis mentio in omnibus, qui plures ſuperſunt, ſecundi & tertii ſæculi Libris, etſi in iis accurate exprimuntur quæcumque ad Sacramenta pertinent. Item prioris ævi Scriptores, cum de piorum mortibus loquuntur, ne verbo quidem inſinuant eos oleo in extremis unctos fuiſſe. Id ſilent Euſebius in vita Conſtantini, Athanaſius in vita S. Antonii, Gregorius Nazianz. in vita ſororis ſuæ Gorgoniæ; Ambroſius in funebri oratione, ſeu Satyri fratris ſui, ſeu Theodoſii Senioris; Sulpitius in vita S. Martini; Auguſtinus de morte Monicæ loquens; Poſſidius in vita Auguſtini, &c. Præterea plerumque ſacri Canones recenſent eos quibus in exitu vel neganda, vel tribuenda ſit Euchariſtia. Atqui nullibi vel voculam reperies de neganda, vel de concedenda Extr. Unctione.

63 Reſp. ad 1. arg. part. 1. neg. ant. Origenes enim tertio ſæculo Unctionis per oleum, tanquam conſtanti uſu a Jacobo ad ſuum uſque tempus conſervatæ diſertim meminit. Meminit & ejuſdem qui ſequenti ſæculo floruit Chryſoſtomus: Meminit tanquam ritus vulgatiſſimi Innocentius I. Atqui pluris ſunt duo treſve teſtes qui rem palam affirmant, quam mille qui rem ſilentio prætermittunt. Unde

64 Reſp. 2. neg. conſeq. 1. Quia ex argumento negante nihil concluditur, præſertim cum ſuppetunt poſitiva; 2. quia nemini dubium eſt quin e priorum ſæculorum ſcriptis plura interierint; 3. quia poſtulabat ſilentii ſeu ſecreti lex antiqua, ut Religionis Myſteria, ea præſertim quæ Gentibus calumniandi materiam præbere poterant, ſcripto non traderentur, ut alibi pluries obſervavimus. Porro arcana inter S. Baſilius, Lib. de Spiritu S. cap. 27. *olei inunctionem* expreſſim recenſet.

65 Ad 2. part. neg. conſeq. 1. quia, fatente Dallæo, quæ trita ſunt, & quotidiano uſu frequentantur, recenſeri non ſolent.

66 2. Quia Viaticum certo recipiebatur a morientibus, ſecundum id Canonis 13. Synodi Nicœnæ: *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regulariſque ſervabitur, ita ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo & neceſſario Viatico minime privetur*. Atqui tamen nec Gregorius Nazianz. in vitis Gorgoniæ, Gregorii patris, & Baſilii; nec Gregorius Nyſſenus in Actis Gregorii Neocæſar. Ephremi, & Macrinæ ſororis; nec Ambroſius in orationibus de morte Satyri fratris, & Theodoſii; nec S. Sulpitius in vita S. Martini, nec Hieronymus cum illuſtrium utriuſque ſexus perſonarum mortes celebrat, ſacri Viatici ab iiſdem recepti meminerunt. Ergo ut hinc nihil contra Viatici ſuſceptionem, ſic nihil inde contra ſuſceptionem ſanctæ Unctionis inferri poteſt.

67 3. Quia dubio procul notat S. Bernardus pretium & dignitatem Extr. Unctionis, ut conſtat ex ſcripta ab eo vita S. Malachiæ. Atqui tamen a nemine ſcriptum eſt, Bernardum Unctione illa donatum fuiſſe, cum tamen ejus recipiendæ opportunitatem habuerit, nec circa mortis ſuæ horam fuerit deceptus, utpote qui eam prædixiſſet.

68 4. Quia cum Extr. Unctio quoddam eſſet pœnitentiæ complementum, quædam & appendix, non abſurdum fuerit credidiſſe de ea in antiquis ſermonem fieri, quoties ii morientium pœnitentiam commemo-

memorant. Porro nihil eſt in vitis Sanctorum frequentius, quam eos ubi diem obitus inſtare ſentirent, nihil eorum neglexiſſe quæ ad veram pœnitentiam pertinerent. Sic Ferrandus Fulgentii Diaconus, in ejus vita: *Poſtrema ſua*, inquit, *pœnitentiæ conſecravit*. Sic de S. Auguſtino Poſſidius: *Sentiebat . . . etiam laudatos Chriſtianos & Sacerdotes abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere, quod etiam ipſe fecit, in ultima qua defunctus eſt ægritudine*.

5. Quia non omnes religioſe etiam defuncti ſacro ritu ungebantur; non Clinici qui Baptiſma ad ultimum vitæ tempus differebant, quod utcumque Conſtantino Magno evenit; non ii quos inopina mors, nulla prævia ægritudine, tollebat e vivis, quales fuere Chryſoſtomus, Paulus Eremita, Paphnutius, Simeon Stylites, & alii plurimi. Sed nec ii forte, qui cum Angelicam vitam vixiſſent, ab omni culpa immunes judicabantur. Favet huic conjecturæ, quod teſte Paſchaſio Radberto, in vita S. Adhelardi, cum Hildemanus Bellovacenſis Antiſtes a Fratribus petiiſſet, *utrum* Adhelardus *benedictionis oleo deberet perungi*, illi interrogaverunt eum *utrumne vellet? Quem*, ſubjicit Auctor, *procul dubio ſciebamus peccatorum oneribus non detineri*. Ubi, quemadmodum notat Sanbovius, pagina 441. dubitatur an vir ſanctus, & qui ſciebatur a peccatis liber, Extr. Unctione donari deberet. 69

6. Quia id cavebant unum Fideles ne Myſteria noſtra Ethnicis innoteſcerent. Atqui ſi paſſim infirmis decumbentibus data fuiſſet Unctio, hujus neceſſario teſtes fuiſſent Ethnici; tunc enim temporis, ſi fidelis erat uxor, ut Monica, infidelis erat vir, ut Patricius; ſi Chriſtianus frater, ſoror gentilis. Adde quod qui latitare cogebantur Sacerdotes, ſtatim cogniti in magnum vitæ diſcrimen veniſſent; quod ut vitaretur, ne Viaticum quidem deferri ſolebat ad infirmos, ſed in domum deferenda tradebatur Euchariſtia, ut norunt omnes. 70

7. Falſum eſt nulla eſſe antiquioribus ſæculis recepti hujus in extremis Sacramenti veſtigia. Liquet enim ex vitis SS. Eugendi Abbatis, & Treſani Presbyteri, quorum vitas exhibet Bollandus Tom. 1. Januarii, & Tom. 2. Februarii, eos, ut *moris* eſt, ſacro Oleo in extremis inunctos fuiſse. Extant plura ſæculorum ſequentium in idem exempla, quæ videris apud Sanbovium, pag. 406. & ſeq. Imo cum tunc uſu receptum foret, ut Viaticum poſt receptam ſancti Olei unctionem ſuſciperetur, unctione hac donati cenſeri debent, quos Viatico refectos fuiſse legimus; ſicut Pœnitentiæ Sacramento expiatus eſse intelligitur, qui dicitur Viaticum recepiſse, nulla licet præviæ confeſſionis mentio fiat. 71

Ad 3. part. Reſp. cum Ill. Albaſpineo, Libr. 1. Obſervat. numer. 1. *nomen communionis latius patere Euchariſtia, eaque omnia prorſus complecti, quæ quiſque Fidelium communia habet cum ceteris Fidelibus;* quod & extendit, ibid. Obſervat. 11. ad Viatici nomen, ita ut *Viaticum non diſtinguatur a communione, niſi quod ſit brevi morituri Communio*. Jam vero hinc ſequitur Extr. Unctionem iis omnibus conceſsam fuiſſe, quibus conceſsa fuere Communio vel Viaticum. Quod ſi Communionis & Viatici nomina ſtrictiori ſenſu accipiantur pro Euchari- 72

 ſtia,

ſtia, quibus hæc conceſſa fuerit, conceſſam fuiſſe Unctionem moraliter neceſſe eſt; cum hæc vulgo prævia foret ad Euchariſtiæ participationem diſpoſitio.

73 An pari jure quibus negata eſt Communio, iis negata ſit Extrema Unctio, non ita compertum eſt. Multo certius videtur negatam hanc fuiſſe illis quibus negabatur pœnitentia; quia Unctio hæc quædam ſit *pœnitentiæ ſpecies* & *conſummatio;* atque id non obſcure declarat Innocentius I. in textu ſupra citato. Qua porro ratione, & an paſſim negata ſit in exitu pœnitentia, expendimus ſuperius.

74 Objic. 5. Si Unctio Extr. prioribus ſæculis fuiſſet in uſu, ut ad minimum donanda fuiſſet, quibus per pœnitentiam non poterat ſuccurri. Atqui tamen non dabatur. Minorem probat Dallæus, 1. ex facto Serapionis illius, ad quem, teſte apud Euſebium Dionyſio Alexandrino, miſſa eſt per puerum Euchariſtia, non vero oleum ſacrum. 2. Et Can. 37. Concilii Illiberitani quo *Fidelibus qui a ſpiritibus immundis vexantur, ſi vitæ finis immineat, decernitur dandam eſſe Communionem*, nihil autem de unctione, &c.

75 Reſp. ad 1. neg. min. quæ nec ex facto Serapionis vera eſſe probatur, cum ei per puerum laicum ſacra Unctio adminiſtrari non poſſet; & ex Can. 37. Illiberitanæ Synodi facta eſse probatur; quia, ut num. præcedenti dictum, communio vel omnia complectebatur auxilia, quæ Fidelibus in extremis impertiri poterant; vel ſi de Euchariſtia ſtrictius intelligebatur, omnia ad debitam ejus ſuſceptionem neceſſaria præſupponebat: alioqui iis etiam data eſset Euchariſtia, qui cum Deo per pœnitentiam reconciliati non eſsent; cum prædictus Canon & alii plures altum ſileant de pœnitentia. Id autem ſi forte Dallæo, at nemini præter ipſum probabitur. De his adi Sanbovium, pag. 451. & ſeq.

Objic. 6. Eccleſiæ Armenorum & Æthiopum Extr. Unctionem non agnoſcunt. Ergo.

76 Reſp. Ex iis Eccleſiis quæ pari ad ignorantiam ſchiſmate laborant, nihil in Dallæi gratiam colligi poſse, cum earum auctoritas, non ſecus ac Calvinianæ Synagogæ, cum ceteris mundi totius Eccleſiis collata, nullius ſit momenti. Ceterum facti hujus veritas multis incerta videbitur.

77 Objic. 7. Sacramenta novæ Legis non ab alio quam a Chriſto inſtitui potuerunt. Atqui Unctio Extr. a Chriſto inſtituta non eſt. Quidquid enim inſtituit Chriſtus, in Evangelio recenſetur. Atqui nulla eſt in quatuor Evangeliis mentio inſtitutæ per Chriſtum Extr. Unctionis.

78 Reſp. ad 1. data maj. cujus examen alterius eſt loci, neg. min. Extrema ſiquidem Unctio, non a Jacobo, ut exiſtimarunt Hugo Victor. Magiſter, & alii quidam, ſed a Chriſto ipſo inſtituta eſt, ut aperte declarat Tridentinum.

79 Ad 2. neg. maj. Multa enim fecit & dixit Chriſtus, quæ ab Evangeliſtis prætermiſsa ſunt, & ad nos ſeu Apoſtolorum, ſeu Traditionis ope deducta. Ea vero potiſſimum commemorarunt Evangeliſtæ, quæ vel ad neceſſitatem ſalutis pertinent, ut Baptiſmus & Pœnitentia; vel ad diſtinguendos Eccleſiæ gradus ſpectant, ut Ordo, & Euchariſtiæ miniſterium. Nihil ergo mirum, ſi de Unctione Extr. ut

& de

Google

& de Confirmatione ſiluerint, cum neutra vel ad ſalutem neceſſaria ſit, vel Fideles a Fidelibus quoad gradum ſecernat.

Objic. 8. Quidquid in nova Lege factum eſt, præfiguratum fuit in antiqua. Atqui nulla eſt in veteri Teſtamento figura Unctionis noſtræ.

Reſpondent plures, quos ſecuti ſumus Tom. IV. pagina 12. nul- 80
lam in veteri Teſtamento fuiſſe imaginem Extremæ Unctionis, quia hujus Sacramenti vis in eo eſt, quod exeuntes ab hoc ſæculo diſponat ad Regni cœleſtis ingreſſum, qui tunc decedentibus nondum patebat. Cenſet tamen Eſtius eadem diſt. 23. §. 7. Sacramentum iſtud non modo inſinuatum fuiſſe per Unctionem de qua Marci 6. ſed etiam prænuntiatum in Lege per quaſdam unctiones, eam præſertim qua David tertio unctus legitur, ut jam totum Iſraelis regnum poſſideret, qui primo unctus erat ad regnum comparandum, & ſecundo ad idem propagandum. Sic enim 1. unguntur Fideles in Baptiſmo, ut fiant hæredes Regni; 2. in Confirmatione, ut Chriſti Regnum pugnando promoveant; 3. in Extr. Unctionis Sacramento, ut ad pacatiſſimum Chriſti Regnum in Cœlis poſſidendum tranſeant.

D I S S E R T A T I O.

De auctoritate Epiſtolæ S. Jacobi.

Lutherus Epiſtolam Jacobi a Scripturarum canone reſecat, eam- 81
que ſtramineam, aridam & Apoſtolo indignam nuncupat. Ei concinunt Brentius, Kemnitius & Magdeburgenſes: quin & Eraſmus aſſerit hanc non redolere gravitatem Apoſtolicam. Longe aliter ſentiunt Catholici, a quibus, projectæ licet temeritatis homo, recedere auſus non eſt Calvinus, Libr. 3. Inſtit. cap. 17. §. 11. & 12. cui aſſentit Confeſſio Piſſiacenſis, art. 3. Mirum ſane quod Spiritus S. qui Epiſtolam hanc apocrypham eſſe Lutherum docuit, Calvinum docuerit eam eſſe canonicam. Sit

Conclusio. Epiſtola D. Jacobi vere eſt canonica.

Prob. Ideo aliquos utriuſque Teſtamenti Libros, licet horum ali- 82
qui, ut Canticum Canticorum, nonnihil difficultatis faceſſant, pro Canonicis habemus, quia eos uti tales de ſæculo in ſæculum moraliter habuerit Eccleſia. Atqui pariter Epiſtolam Jacobi omnibus retro ſæculis ut Canonicam habuit Eccleſia, moraliter loquendo. Licet enim aliquando a quibusdam, teſte Euſebio, Lib. II. Hiſtor. cap. 22. *tanquam adulterina & minime germana propterea judicata fuerit, quod non* adeo multi ex veteribus *illius meminiſſent, ſicut neque alterius quæ dicitur Judæ . . . tamen nos iſtas cum reliquis,* in quamplurimis Ecclesiis *publice recepta approbataſque cognovimus.* Neque hinc multum recedit Hieronymus, Lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. ubi de Jacobo: *Unam, inquit, tantum ſcripſit Epiſtolam.,* quæ de

SEPTEM CATHOLICIS EST *, *quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur a nonnullis ſcilicet; licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem*; tantamque ut Hieronymus ipſe eam pluribus in locis, præſertim vero in Epiſt. ad Paulinum, citet velut opus divinum. Nec certe immerito, cum hanc Scripturis Canonicis annumerent Melito coævus Polycarpi, Origenes, Hom. 7. in Joſue, Athanaſius, aut quiſquis Auctor eſt Synopſis eidem adſcriptæ, Cyril. Hieroſol. Catech. 4. Laodicenum Concilium, Can. 60. Carthaginenſe III. Can. 47. Gregor. Nazianz. Tom. 2. pag. 98. Auguſt. Lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 8. Innocentius I. Epiſt. ad Exuperium, Can. 7. Gelaſius S. P. in Concilio 70. Epiſcoporum. De his adi Bellarminum, Lib. de Verbo Dei, cap. 18. Tillemontium hic, &c.

83 Objic. 1. cum Eraſmo. Epiſtola hæc, ſi ullius Jacobi eſt, illius certe eſt qui primus fuit Hieroſolymorum Antiſtes, & de quo tam multa dicuntur in Act. Apoſt. & in Epiſt. ad Galatas. Atqui Jacobum Epiſtolæ noſtræ Auctorem, unum ex duodecim Apoſtolis fuiſſe diſerte negat Hieronymus, in cap. 1. Epiſt. ad Galat.

84 Reſp. neg. min. non enim negat eo loci Hieronymus Jacobum hunc unum eſſe e duodecim Apoſtolis, ſed eum eſſe Jacobum illum, Joannis fratrem, ac Zebædei filium, cognomine Majorem, quem Herodes capite plecti juſſit. Et id quidem merito negat S. Doctor, quia cum Jacobus major an. 44. undecim poſt Chriſti mortem annis necatus eſt, Act. 12. necdum nata erat Simonianorum hæreſis de fide ſine operibus ſufficiente, quæ in hac Epiſtola confutatur. An vero Jacobus ille noſter fuerit ipſe Alphæi filius, qui Marci 15. verſ. 40. dicitur Jacobus minor; an non ſimplex Diſcipulus, qui Chriſti cognatus eſſet, & primus Jeroſolymorum Antiſtes; ita ut tres Jacobos diſtingui oporteat, gravis eſt controverſia. Pro duobus tantum Jacobis ſtant innumeri pene cum Fraſſenio in Diſquiſ. Biblicis, pag. 736. Tillemontio, &c. Pro tribus pugnant Bollandiſtæ, quos adi, ſi vacabit.

85 Objic. 2. Auctor Epiſtolæ hujus non utitur conſueta Apoſtolorum ſalute, qua, ut Apoſtoli, pacem & gratiam Chriſti optant Fidelibus: ſed tantum profano more *ſalutem* dat *duodecim Tribubus*. Deinde nec explicari poteſt quid ſibi per eas duodecim Tribus velit. Ergo.

86 Reſp. ad 1. mirum eſſe quod Cajetanus argumentum illud effutire auſus ſit: ſi enim hæc Jacobi ſalutatio profana eſt, magis profana erit hæc quæ habetur Act. 15. *Apoſtoli & ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ* .·.·. *ſalutem*. Ceterum nec Paulus ipſe Apoſtolum ſe in omnibus Epiſtolis prædicavit, ut patet in iis quas ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes, & ad Philemonem ſcripſit.

87 Ad 2. per *duodecim Tribus quæ ſunt in diſperſione*, intelligunt multi Judæos qui ex unaquaque Tribu fidem amplexi, huc & iſthuc, præſertim a perſecutione ob S. Stephanum facta, diſperſi erant. Alii cum

* Epiſtola hæc perinde ac ſex aliæ ſequentes, dicitur Catholica, ſeu ut ab apocryphis quæ plures prodierunt, Epiſtolis diſtingueretur; ſeu quia univerſalis eſſet; id eſt non ad unam perſonam vel civitatem ſcripta, ſed ad Fideles ubique diſperſos. Ibi autem, ut moris eſt, denominatio ſumitur a potiori parte; ſecunda enim & tertia Joannis ad privatas perſonas diriguntur.

Digitized by Google

cum Maldutio hic, diſsert. 27. duodecim Tribus allegorice interpretantur de Chriſtianis omnibus a Gentilitate, vel a Judaiſmo ad fidem converſis. Hoc ſenſu ſpondebat Apoſtolis ſuis Chriſtus, futurum ut thronis duodecim ſuperpoſiti judicarent *duodecim Tribus Iſrael*. Hoc rurſus ſenſu Joannes in Apocalypſi vidit portas duodecim cœleſtis Jeroſolymæ, unamquamque unius Tribus nomine inſcriptam, &c. ubi per Tribus duodecim omnes cujuſcumque Gentis Chriſtiani deſignantur.

Objic. 3. Doctrina Epiſtolæ hujus a Pauli doctrina inſigniter aberrat; Jacobus enim cap. 2. non uni fidei, ſed operibus juſtificationem adſcribit. Contra Paulus, Rom. 3. 28. *Arbitramur*, inquit, *juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*. Ergo. 88

Reſp. neg. antec. docet enim Paulus neminem per opera ſine fide Chriſti facta utcumque mereri primam eam juſtificationem, qua homo ex injuſto fit juſtus; neque id ullibi negat Jacobus. Rurſum docet Jacobus ad ſecundam juſtificationem, qua quis ex juſto juſtior fit, non ſufficere fidem niſi bonis operibus ſtipatam; & id adeo non negat Paulus, ut 1. Corinth. 13. 2. fidem quæ montes transferat ſine charitate nihil prodeſſe affirmet. Hinc Auguſtinus, Libr. 2. de fide & operibus, cap. 14. *Excutiendum eſt a cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putaverint, bene autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apoſtolorum non intellectis quibuſdam ſubobſcuris ſententiis Apoſtoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati ſunt dicere. ' . ' Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ Petri, Joannis, Jacobi contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer aſtruant fidem ſine operibus nihil prodeſſe: ſicut etiam ipſe Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt*. Ergo Jacobus veteres quidem hæreticos, & in eis propaginem ipſorum, Lutheranos inſectatur, at Paulo nullatenus contradicit. 89

Inſt. Auctor Epiſtolæ, cap. 1. & 2. Legem antiquam vocat *Legem libertatis*; Paulus vero eandem in Epiſt. ad Galatas vocat *Legem ſervitutis*. Ergo alter alteri e diametro adverſatur. 90

Reſp. neg. ant. pro 1. parte: Id enim Jacobi, cap. 1. verſ. 25. *Qui perſpexerit in Legem perfectam libertatis*, non cadit in Moſaicam Legem, ſed in Legem novam, quæ, cum bona Lutheri venia dictum ſit, non ſolas gratiæ promiſſiones, & fidei prædicationem complectitur, ſed & univerſa Decalogi antiqui præcepta injungit, ut patet ex Matth. 5. & tamen, ait Auguſtinus, Lib. de nat. & grat. cap. 57. *Lex eſt libertatis, non ſervitutis, quia charitatis utique, non timoris, de qua & Apoſtolus Jacobus ait: Qui autem perſpexerit*, &c. 91

Objic. 4. Auctor prædictæ Epiſtolæ quædam ex Petri & Pauli Epiſtolis teſtimonia profert. Ergo non Apoſtolus ipſe, ſed Apoſtolorum Diſcipulus fuit. 92

Reſp. 1. non minus ſacram fore Epiſtolam hanc, etiamſi non eſset Apoſtoli: genuina utique ſunt Marci & Lucæ Evangelia, nec hi tamen Apoſtoli fuere. 93

94 Reſp. 2. ne unum quidem eſse in Epiſtola Jacobæa locum, qui ſit Petri vel Pauli; etſi quædam ſunt ſententiæ eodem tendentes, quod & in aliis Scripturis non ita raro contingit.

95 Reſp. 3. mirum fore ſi Spiritus S. quæ uni verba inſpiravit, non potuiſſet alii inſpirare. Ergo ut antecedens, ſic & negari poteſt conſequentia.

96 Quæres ubi & quando Epiſtola hæc ſcripta fuerit.

Reſp. De neutro indubie conſtat; veri tamen ſimillimum eſt eam Jeroſolymis conſcriptam eſse, poſt ſcriptam a Paulo ad Romanos Epiſtolam, qua Simoniani abutebantur: iſthæc autem anno æræ Chriſti 58. non improbabiliter conſignatur.

CAPUT SECUNDUM.

De Auctore & Miniſtro Extr. Unctionis.

Utramque cauſam, efficientem ſcilicet & miniſterialem conjungimus, de utraque duobus articulis dicturi.

ARTICULUS PRIMUS.

De Inſtitutione Extr. Unctionis.

Duo hic brevis negotii expendenda veniunt; I. quis Sacramentum Extr. Unctionis inſtituerit; II. quo tempore fuerit inſtitutum.

1 I. Circa primum exiſtimarunt Magiſter Sentent. Libr. 4. diſt. 23. Hugo a S. Victore, & alii pauci e veteribus, Sacramentum iſtud, non a Chriſto, ſed ab Apoſtolis inſtitutum fuiſse. Hinc arripuerunt Proteſtantes occaſionem inſultandi dogmati Catholico, quaſi Sacramentum eſse non poſſit ritus quem inſtituiſsent Apoſtoli. Verum hic, ut alibi ſolent, lapſi ſunt; neque enim vel uſquam negarunt prædicti Doctores Unctionem Extr. verum eſse Sacramentum; vel aſſeruerunt eam ab Apoſtolis vi humana inſtitutam eſse; ſed ex Chriſti ſolius virtute, qui ut hominum miniſterio ſuſcitabat mortuos a tumulo; ſic & eorum ope infirmos ſpirituali & corporeo ſenſu ſublevare poterat; quod nullam involvere repugnantiam probavimus, Tom. 4. pag. 23. & ſeq.

Quin & cenſet Eſtius, hic §. 3. id quod poſt Hugonem dicit Magiſter Sentent. inſtitutum eſse ab Apoſtolis Sacramentum iſtud, non de primæva illa inſtitutione accipiendum eſse, qua quodcumque Decretum Legislatoris ſeu Principis auctoritate conditur, ſed de Legis & Decreti promulgatione; quo ſenſu Jacobi verba intellexere Tridentini Patres. Sic legimus a Lino inſtitutum eſse, ne qua mulier, niſi ve-
2 lato capite, Eccleſiam introiret; ab Alexandro, ne quid præter panem, vinum & aquam in myſterio Altaris offerretur; & hæc tamen vel ab Apoſtolis, vel a Chriſto inſtituta erant, tantumque a prædictis Pontificibus promulgata ſunt, aut, quia neglecta eſsent, ab iis in uſum revocata. Ergo nihil eſt cur ab ea paucorum e veteribus opinione ſibi blan-

Digitized by Google

blandiantur Calviniſtæ Tota igitur in præſens quæſtio eſt, an Chriſtus per homines fecerit id quod per eoſdem facere potuit; annon vero Sacramentum hoc per ſe & immediate inſtituere voluerit. Sic ea de re

CONCLUSIO I. Chriſtus non mediate per Apoſtolos, ſed immediate per ſe ipſum Extr. Unctionem inſtituit.

Probat. 1. ex Trident. tum Seſſ. 7. Canon. 1. ubi anathemate percelluntur *qui dicunt Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a J.C.D.N. inſtituta*; tum Seſſ. 14. ubi de hoc noſtro Sacramento expreſſe ait cap. 1. *Inſtituta eſt autem ſacra hæc Unctio infirmorum, tanquam vere & proprie Sacramentum novi Teſtamenti a Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem, Fidelibus commendatum ac promulgatum*. Quod & decernitur ibid. Can. 1. Atqui textus illi vix de alia quam de immediata inſtitutione intelligi poſſunt; 1. quia in uſu communi, a quo S. Synodus non debet præſumi receſſiſſe, illud quis ſimpliciter inſtituiſſe dicitur, quod per ſe ipſum immediate inſtituit; alioqui dici poſſet Chriſtum Feſta & cenſuras inſtituiſſe, quia facultatem ea inſtituendi Apoſtolis conceſſit; 2. quia Tridentinum opponit inſtitutionem promulgationi. Atqui non ſtaret oppoſitio hæc, ſi promulgator Sacramenti Jacobus, idem eſſet qui inſtitutor. Ergo. 3

Prob. 2. Quia veteris Legis Sacramenta a Deo ſolo fuere inſtituta. Ergo decuit etiam & a fortiori, ut novæ Legis Sacramenta, quæ & de ſe ſanctiora ſunt, & virtute majora, a ſolo Chriſto inſtituerentur. 4

Subdit poſt Eſtium Tournely, in Prælect. de Extr. Unct. poteſtatem inſtituendi Sacramenta omnem humanæ & Apoſtolicæ facultatis vim excedere. At nullius eſt momenti ratio iſthæc; nec enim ſi Unctionem Extr. inſtituiſset Jacobus, id propria ſua virtute fecisſe diceretur, ſed Chriſti. *Potuit* autem *D.N.J.C. ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſervo* gratiam quibuſdam ſignis annectendi, ut ex S. Thoma docuimus, Tom. 4. p. 23. & id ipſe paulo poſt Eſtius confiteri videtur §. *Eſt autem, &c.* 5

CONCLUSIO II. Extr. Unctio nec inſtituta eſt, cum Marci 6. acceperunt Apoſtoli poteſtatem ungendi & ſanandi infirmos: nec poſt Chriſti Aſcenſionem, ſed medio Reſurrectionem inter & Aſcenſionem tempore.

Prob. 1. pars contra Theophilactum, OEcumenium, Victorem Antiochen. & Bedam in cap. 6. Marci; 1. quia unctio de qua Marci 6. ab Unctione extr. toto cœlo diſcrepat, uti diximus cap. 1 n.39. 6

2. Quia poſtulat ratio ut Sacramentum, quod quædam eſt appendix & complementum Sacramenti alterius, ante iſtud non inſtituatur. Atqui Extrema Unctio quoddam eſt complementum, ſeu conſummativum pœnitentiæ, ut ex Tridentino & Patribus notum eſt. Ergo cum hæc nonniſi poſt Reſurrectionem inſtituta ſit, neque illud antea inſtitui debuit. 7

Prob. 2. pars contra Magiſtrum & Bonaventuram; hi nempe non alia de cauſa Sacramentum hoc poſt Aſcenſionem inſtitutum fuiſſe volunt, quam quia illud a Jacobo ex particulari S. Spiritus revelatione inſtitutum eſſe arbitrantur. Atqui male, tum ex dictis Concl. præced. 8

tum.

tum quia alioqui Eccleſia utiliſſimo Sacramento per annos circiter 25. caruiſſet.

9 Prob. 3. pars ex duobus præviis. Si enim nec poſt Aſcenſionem, nec ante Pœnitentiam inſtituta eſt Extr. Unctio, ſupereſt ut medio Reſurrectionem inter & Aſcenſionem tempore inſtituta ſit; cum nempe per dies 40. Chriſtus cum Apoſtolis conveſcens, loquebatur eis *de Regno Dei*. *Hi enim dies*, ait S. Leo, Serm. 1. de Aſcenſ. cap. 2. (Tom. 1. pag. 312.) *non otioſo tranſierunt decurſu, ſed magna in eis confirmata ſunt Sacramenta, magna revelata myſteria.*

10 Confirm. quia ſicut Chriſtus ligandi & ſolvendi claves, quas ante mortem promiſerat, poſt Reſurrectionem dedit, ſic & quam ante mortem exhibuerat Marci 6. Unctionis noſtræ figuram, poſt Reſurrectionem, cum ſuis degens, implere debuit.

Objectiones quæ contra proponi ſolent, diluimus, ubi de Sacram. in genere, cap. 2. pag. 22.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Miniſtro Extr. Unctionis.

TRia hic inquiruntur; 1. quis Extr. Unctionem valide adminiſtrare poſſit; 2. quis licite; 3. an plures ad miniſterium iſtud concurrere debeant Sacerdotes, an unius opera ſufficiat. Sit

CONCLUSIO I. Solus Sacerdos Miniſter eſt Extr. Unctionis.

11 Prob. ex citato toties textu: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ*. Atqui per Presbyteros eo loci non intelliguntur, ut Novatoribus placet, ſeniores e Chriſtiano grege, ſed qui Sacerdotali charactere inſigniti ſunt: & id vel una textus Apoſtolici ſeries evincit, ut eum in locum obſervat Eſtius. Namque 1. non loquitur Jacobus de Presbyteris ſimpliciter, ſed de Presbyteris Eccleſiæ; 2. jubet eos orare ſuper infirmum; 3. & iis unctionem præſcribit faciendam in nomine Domini; 4. remiſſionem peccatorum ex hoc ipſorum miniſterio obtinendam eſſe promittit. Atqui hæc omnia non ætate ſeniores, ſed ordine & dignitate Presbyteros indicant: alioqui enim, ut notat idem Eſtius, in 4. diſt. 23. §. 11. cum aliquando præficerentur Eccleſiis ætate juvenes, ut Timotheus qui ab Apoſtolo Epiſcopus conſtitutus eſt; hi, non obſtante qua eminebant pietate, ab eo miniſterio excludendi fuiſſent. Id autem quis capiat?

12 Confirm. ex conſtanti PP. doctrina, & continuo Eccleſiæ uſu, qui Jacobum non de ſenioribus ætate, ſed de veris Sacerdotibus intellexerunt; his enim major habenda fides, quam Novatoribus ſæculi XVI.

Merito igitur Tridentinum, Seſſ. 14. Can. 4. *Si quis dixerit Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis Communitate, ob idque proprium Extr. Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem; anathema ſit.*

13 Obj. 1. Vox *Presbyteri* idem eſt græce ac *ſeniores*. Ergo nihil eſt cur ad Extr. Unctionem veri Sacerdotes requirantur.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. diſting. antec. Idem eſt quoad vim nominis, Conc. quoad 14
nominis uſum in novo Teſtamento, Neg. Siquidem, ut vere Eſtius in
Jacob. cap. 5. *vox unquam in Scriptura novi Teſtamenti*, *vox Presbyter
nomen eſt ætatis; ſed paſſim aut Magiſtratus populi*, (qui non ſemper æta-
te ſeniores erant) *eo vocabulo deſignantur, ut in Evangelio, & interdum
in Actis Apoſtolorum; aut ii ſignificantur Presbyterorum nomine, qui ad Epi-
ſcopalem aut Sacerdotalem functionem ordinatione ſua promoti ſunt*, uti vi-
dere eſt Actor. 14. verſ. 12. ibid. 15. verſ. 2. I. ad Tim. 5. verſ. 17.
& 19. I. Petri 5. verſ. 1. ac demum initio I. & II. Joann. Id autem
ſi moraliter loquendo verum eſt, quanto magis cum vox illa ex ad-
junctis ad deſignandos veri nominis Sacerdotes determinatur, ut in
præſens, ex dictis n. 1.

Obj. 2. Sacerdos non eſt neceſſarius Miniſter Sacramenti, quod Fide- 15
lis quiſque ſibi conferre poteſt. Atqui .·.·. Prob. min. ex citata Inno-
centii. I. Epiſt. ad Decentium, (Tom. 2. Concil. pag. 1248.) ubi
hæc: *Sancto oleo Chriſmatis .·.·.·.·. non ſolum Sacerdotibus, ſed omni-
bus uti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo*. Quibus
concinit Beda in cap. 5. Epiſtol. Jacobi, monens infirmos ut *ſeniorum
adjutorio curari ſe meminerint, neque ad juniores minuſque doctos cauſam ſuæ
imbecillitatis deferant*. Unde patet in hujus Sacramenti adminiſtratione
ſeniores laicos juniori Parocho præferendos eſſe. Præiverat Auctor Li-
bri de rectitudine Catholicæ converſationis apud Auguſtinum, his
verbis: *Qui ægrotat, oleum benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde cor-
pus ſuum ungat*.

R. 1. fuiſſe qui Innocentii Decreto commoti exiſtimarint, Sacramen- 16
tum iſtud a laicis, deficiente Presbytero, adminiſtrari poſſe; quo fer-
me pacto permiſſum eſt olim Diaconis, imo & laicis, ut in Sacerdo-
tis defectum, morituri confeſſionem exciperent; atque ita ſenſit Tho-
mas Vvaldenſis, Tom. 2. de Sacram. cap. penult.

Verum opinio hæc nec antiquitati conſonat, nec ex ambiguo Inno- 17
centii textu ſatis firmatur, nec cum Tridentina definitione conciliari
facile poteſt; ſed nec ei ullum accreſcit robur ex adducto confeſſionis
exemplo; tum quia credunt nonnulli Diaconos, de quibus quantum ad
exomologeſim frequenter agit Cyprianus, fuiſſe veros Sacerdotes, quod
& de B. Laurentio indubium putant; tum quia nec Diaconi illi, ſi
meri Diaconi fuere, nec laici, qui quandoque alter alterius peccata
excipiebant, veram ac Sacramentalem abſolutionem largiebantur, uti
ſuperius expendimus. Unde

Reſpondent alii permitti quidem ab Innocentio ut Fidelis quilibet, 18
tum ſe, tum alios, in neceſſitatis caſu, ungere poſſit, non qui-
dem Sacramentum conficiendo, ſed ex pio in Sacramenti materiam
ab Epiſcopo conſecratam affectu; quo pacto Fideles aqua benedicta
aliiſque rebus conſecratis ex devotione uti ſolent. Hæc ſolutio præ-
terquam a textu nihil habet alieni, confirmari poteſt, 1. ex his Or-
dinis Romani verbis: *Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis, quas
offerunt populi ad ungendos tam infirmos, quam energumenos*. Hinc enim
manifeſte ſequitur, oblatas fuiſſe ad Epiſcopi benedictionem ampul-
las oleo plenas, quas ſubinde, ut nunc aquam benedictam, populi

domum

domum deferrent, iis in ſua & ſuorum neceſſitate uſuri. 2. Ex uſu; qui ambigua ſolide interpretatur; conſtat enim ex Palladio, Hiſtor. Lauſiacæ cap. 20. Macharium, ex Euſtathio Presbytero Eutychium Conſtantinopolitanum, ex Gregorio Turon. in vitis Patrum, cap. 14. n. 2. Martium Abbatem, ex D. Thoma. Suppl. q.31. B. Genoveſam, ſibi & aliis, cum infirmi decumberent, *infuſo benedicti olei liquore*, mederi fuiſse ſolitos.

19 Reſpondent demum alii cum Baronio, Bellarmino, Ruardo, Janſenio Gandavenſi, Eſtio hic, §. 12. Suarez, diſput. 43. ſect. 1. num. 6. Innocentii ſenſum eſse, non quod Fidelis quiſque alius alium inungere poſſit; ſed quod nemo ſit Fidelis, præter eos qui publicæ pœnitentiæ addicti ſunt, qui unctione hac donari non poſſit; quia unctio hæc nec Regum, nec Sacerdotum propria eſt, ut erant non paucæ in veteri Lege unctiones, quædam etiam in nova, ſed pro univerſis inſtituta eſt. Porro interpretatio hæc quæ vocem *inungendo*, non active, ſed paſſive exponit, hinc confirmatur, 1. quod non dicit Innocentius *inungendo eos*, ſed abſolute & nullo adito caſu, *inungendo*, ut ſcilicet unctionem paſſivam deſignet: quo pacto dictum eſt a Poeta: *Uritque videndo femina*, id eſt, dum videtur: *cantando rumpitur anguis*, id eſt, dum incantatur. 2. Quod idem Pontifex manifeſte loquitur de unctionis hujus ſubjecto, quod in *Sacerdotibus* & *omnibus* aliis *Chriſtianis* conſtituit: infra autem de Miniſtro loquens, *Presbyterorum* vocabulo utitur. Ergo ſenſus Innocentii eſt, non ſolum Sacerdotes, cum infirmantur, ungendos eſse, ſed & alios quoslibet Fideles; non quidem per ſe, ſed Presbyteros advocando.

20 Quod ad Bedam attinet, is, uti jam obſervavimus, unum Apoſtoli locum & morali ſenſu intelligit de confeſſione, & litterali de Unctione extrema. Juxta priorem intellectum, Presbyteri nomen ſecundum ætatem accipit; quia reapſe multo ſatius eſt *cauſam ſuæ imbecillitatis referre*, ſeu peccata ſua confiteri ſenioribus magiſque doctis, quam juveni cuipiam, vel indocto. Juxta poſteriorem ſenſum nomen *Presbyteri* ſumit ſecundum dignitatem, prout ſumptum eſt ab Innocentio, cujus verba ipſiſſima recitabat.

21 Moram non facit textus e Lib. de rectitudine deſumptus: quia melioris notæ Codices non habent, *ungat*, prout legit Waldenſis; ſed *ungatur*, quæ lectio verbis Jacobi ab eodem Auctore citatis longe magis congruit. Ita Eſtius.

Conclusio II. Poteſt Sacerdos omnis, etiam Cenſura percuſsus, Extr. Unctionem adminiſtrare; licite vero non poteſt niſi Parochus, aut alter de ejus licentia.

22 Probat. 1. pats. Poteſtas quæ Sacerdoti competit ratione Ordinis ſolius, ab omni Sacerdote valide exercetur, etſi non ſemper licite, ut patet in conſecratione Euchariſtiæ. Atqui poteſtas Extrem. Unctionem adminiſtrandi competit Sacerdoti etiam ratione Ordinis, non autem ratione juriſdictionis. Minor patet tum ex communi Eccleſiæ ſenſu, tum quia Unctio extr. non confertur per modum judicii, ſicut Pœnitentia, quæ idcirco juriſdictionem requirit; tum utcumque quia Jacobus non dixit: Inducat Epiſcopum vel Rectorem, bene vero, *inducat*

inducat Preſbyteros Eccleſiæ; quia pluris intererat doceri populos facultatem hanc Preſbyteris omnibus competere, quod in dubium vocari potuiſset, quam doceri eam nonniſi a Paſtoribus legitime exerceri poſse: quia id in Eccleſia bene conſtituta ſatis intelligebatur. Ergo quilibet Sacerdos, etiam ſuſpenſus ab officio, degradatus, &c. Sacramentum hoc valide conferre poteſt.

23 Prob. 2. pars, quia Paſtoris eſt oves ſuas paſcere. Atqui Sacramenta primam ſibi ſedem vindicant inter ſpiritualis vitæ pabula. Unde ne ipſe quidem Baptiſmus, etſi ſummæ ad ſalutem neceſſitatis, ab alio quam a proprio Sacerdote conferri licite poteſt, niſi grave impendeat periculum.

24 Confirm. ex Concilio Viennenſi, ubi hæc Clemens V. (Clement. 1. de privilegiis) *Religioſi qui Clericis aut laicis Sacramentum Unctionis extr. vel Euchariſtiæ miniſtrare; Matrimonia ſolemnizare, non habita ſuper his Parochialis Preſbyteri licentia ſpeciali .·. præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam duntaxat abſolvendi*, quæ prohibitio ipſos etiam ſæculares Preſbyteros afficit, licet hi cenſuræ, ut qui vix unquam in hac parte delinquerent, non fuerint ſuppoſiti.

25 Obj. contra 1. part. Ad Pœnitentiæ adminiſtrationem validam requiritur juriſdictio. Atqui Unctio Extr. quoddam eſt Pœnitentiæ conſummativum. Ergo.

26 Reſp. diſt. min. Eſt conſummativum Pœnitentiæ, quia ſuperſtites poſt ipſam peccati reliquias tollit, Conc. quia eodem modo exerceatur ac Pœnitentia, N. Hæc enim per modum veri judicii exercetur, adeoque juriſdictionem ſtricte ſumptam requirit; illa vero non exercetur per modum judicii, adeoque ſolam boni ordinis juriſdictionem poſtulat, ſicut & Baptiſmus.

27 Obj. contra 2. part. Hinc ſequi nequidem in neceſſitatis caſu licitum eſse Religioſo Extr. Unctionem infirmis conferre. Id autem quam durum ſit, nemo non videt.

28 R. neg. ſequel. Quidquid enim contra ſenſerit Navarrus, in Manuali, cap. 27. num. 101. nuſquam Eccleſiæ intentio fuit, ut abſente Parocho, vel citra cauſam Miniſterium ſuum recuſante, Fideles Sacramento tam ſalubri privarentur. Noluit quidem Eccleſia, ut Regulares futilibus nixi privilegiis in Parochorum jura involarent, ſed neque voluit ut iſtorum ſocordia Fidelibus ſuis noceret. Unde S. Carolus in Concilio Mediolanenſi V. *Si Parochus impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat, hoc Sacramentum Sacerdos alius adminiſtret*. (Tom. 15. Concil. pag. 590.)

29 Etſi autem in eo neceſſitatis caſu ſatius eſt ut idem ſit Unctionis Miniſter, qui fuit Pœnitentiæ, non eſt tamen id neceſſarium. Hic ſuprema lex, morientium ſalus. Indubie tamen præferendus eſt excommunicato is qui a cenſuris liber fuerit. Imo, ceteris paribus, aptior videtur qui ad cetera approbatus eſt, quam omni omnino juriſdictione deſtitutus.

Conclusio III. Ad validam hujus Sacramenti adminiſtrationem ſufficit unus Sacerdos. Valet tamen rite collatum a pluribus: & ii aliquando neceſſarii ſunt ex lege Eccleſiaſtica.

Prob.

30 Prob. 1. pars 1. ex Innocentio I. citata ad Decentium Epiſtol. ubi declarat Epiſcopum eſſe Sacramenti hujus Miniſtrum ; neque tamen exigit ut collegam advocet , quod moraliter loquendo non potuiſſet fieri.

31 2. ex Alexandro III. cap. *Quæſivit* 40. *De verb. ſignificat.* ubi ait , quod *Sacerdos uno præſente Clerico , & etiam ſolus ; poteſt infirmum ungere.*

32 3. ex S. Thoma, Lib. 4. contra Gentes , cap. 73. (Tom. 14. pag. 777.) ubi: *Si tamen unus ſolus Presbyter adſit , intelligitur hoc Sacramentum perficere.*

33 4. ex Eccleſiæ ſenſu, quem varia variis ſæculis ejus exempla confirmant . Conſtat enim ex vitis S Eugendi , S. Popponis , S. Wolphelmi, S. Mauræ, & factis aliis quæ dabit Sanbovius pag. 501. item ex Concilio Aquiſgranenſi II. Can. 5. & Hincmaro Remenſi, cap. 10. Unctionem noſtram ab uno pluries adminiſtratam fuiſſe . Nec vero apte ſuorum bono conſuluiſſet Chriſtus, ſi plures hujus Sacramenti Miniſtros neceſſario ſanxiſſet , cum certo præſciret innumera fore loca , quibus unus tantum præeſſet Sacerdos.

34 Confirm. Si ad Unctionis extrem. valorem multiplici opus ſit Preſbytero (uti volunt Lutherus , ac Simeon Theſſalonicenſis , qui *tres* ſaltem Presbyteros requirit ;) utique propter pluralem hanc Jacobi vocem , *inducat Presbyteros* . Atqui ratio hæc nullius omnino eſt momenti, cum ea vox per *enallagem*, ſeu mutationem numeri, unum per plures exprimat, prout ſolemus nos cum peccata Sacerdotibus , id eſt alicui ex ipſis , confitenda eſſe dicimus . Neque hæc in Scripturis vel Patribus infrequens eſt figura: Sic Matth. 27. dicitur: *Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, id eſt, Latronum alter, ut indicat Lucas cap. 23. Sic ibidem apud Lucam : *Illudebant ei milites .·.·. acetum offerentes ;* & tamen unus tantum acetum obtulit , ut conſtat ex Matth. 27. & Marci 15. Sic Paulus, Hebr. 11. de Prophetis ait : *Obturaverunt ora leonum .·.·. lapidati ſunt, ſecti ſunt*; & tamen unus Daniel obturavit ora leonum , unus Jeremias fuit lapidatus , unus Iſaias ſectus fuit, &c. Sic ſcribit Auguſtinus Serm. 324. alias 33. de diverſis feminam detuliſſe infantem a S. Stephano reſuſcitatum , ad Presbyteros, ut baptizaretur, id eſt ad aliquem e Presbyteris. Similia habet S. Doctor Lib. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 16. Ergo cum dixit Jacobus: *Inducat Presbyteros*, idem dixit quantum ad ſenſum quod Chriſtus Leproſis , Luc. 17. *Oſtendite vos Sacerdotibus* ; id eſt Sacerdotum uni, hoc enim ſufficiebat , ut patet ex Levitici 14. ubi : *Hic eſt ritus leproſi, quando mundandus eſt ; adducetur ad Sacerdotem.*

35 Deinde eſto Jacobus plures Presbyteros requiſiverit, nuſquam probabitur eos eſſe de neceſſitate Sacramenti ; potuerunt enim ad ſolam ſolemnitatem requiri, ut ſcilicet ungente ex iis uno, alii eum juvarent per preces, ac quaſi per manum illius ungerent ; quo ferme modo ad Epiſcopi inaugurationem concurrunt plures, uno tantum reipſa conſecrante, ut multis videtur, de quo Tract. ſeq.

36 Probat. 2. pars , 1. quia Extrem. Unctio apud Græcos a Sacerdotibus ſeptem confertur, ut ex eorum Euchologiis liquet. Unde Simeon Theſ-

Theſſalonicenſis : *Septem* , inquit , *eſſe vocandos conſuetudine traditum eſt . Quod fieri arbitror propter ſeptem dona Spiritus Sancti vel propter illos ſeptem antiquæ Legis Sacerdotes , qui divino juſſu circumeuntes urbem Hierico , ſepties tubis cecinerunt* , *&c.* vel quia, ut ait Arcudius, Lib. 5. cap. 3. *ſeptem corporis partes ungunt ;* quanquam, ſi urget neceſſitas, ſufficiant Græcis Presbyteri tres, ſed nunquam unus vel etiam duo, alioqui, ſaltem Conſtantinopoli, *ab officio deponuntur* , ut ibidem ſcribit & improbat Arcudius ; quia hinc fit ut innumeri Fideles ſaluberrimo eo Sacramento priventur.

2. Quia eundem olim in Eccleſia Latina uſum , ſi minus quoad ſeptem , ſaltem quoad multos Sacerdotes , viguiſſe pluribus indubiæ fidei monumentis conſtat . Sic Sanctus Gregorius Magnus Lib. Sacram. apud Menardum, pag. 253. *Multi Sacerdotum* , inquit , *infirmos perungunt in quinque ſenſus* , *&c.* Sic Carolus M. *oleo ſancto inunctus ab Epiſcopis* fuiſſe refertur ; ſic , ut plures alios , quos videris apud Sanbovium pag. 499. prætermittam , ipſe Sanctus Thomas citat. Lib. & cap. contra Gentes : *Quia* , inquit , *hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet , & in eo requiritur copia gratiæ , competit huic Sacramento , quod multi Sacerdotes interſint , & quod oratio totius Eccleſiæ effectum hujus Sacramenti coadjuvet* . Et vero Vvaldenſes , teſte ſupra Regnerio , *Sacramentum Extr. Unctionis* utcumque *reprobant propter plures Sacerdotes ibi neceſſarios*, nec gratis , quod peſſimum , operam ſuam impendentes. 37

Sed quomodo hæc unius infirmi unctio fiebat a pluribus? 38

Reſpondent Sanbovius ibid. & Tournely , id pluribus modis factum eſſe, 1. ita ut *unus oleum applicaret* , *altero formæ verba pronuntiante* , ut habet Liber Sacram. Sancti Gregorii, ex Codice Menardi, & ex Cod. Rotradi. 2. Ita ut *ſinguli eaſdem omnes ungerent corporis partes* , *& ungendo formam proferrent*, ut in Codice Tilliano & Remigio-Rhemenſi; quo caſu non multiplex , ſed unum erat Sacramentum , ex omnibus illis unctionibus reſultans; 3. ita ut *unus unam partem , alius aliam ungeret* , prout fit apud Græcos.

Fatendum tamen ex his modis nullum eſſe præter ſecundum , qui difficultatem non faceſſat . Primus quidem ; quia ſi invalidum ſit Baptiſma collatum a duobus , quorum alter formam conferat , alter materiam applicet ; invalida eſſe debet paris formæ Extrema Unctio. At reponi poſſit , diſcrepare inſigniter formam Baptiſmi , quia indicativa ſit, a forma Extr. Unctionis quæ deprecatoria eſt . Si enim citra mendacium dicere non poteſt: *Ego te baptizo* , qui reipſa non baptizat ; poteſt qui non ungit citra mendacium dicere ; *Per iſtam Unctionem* .·.·. *indulgeat tibi Deus* , *&c.* Nec valet quod regerit Henno , pag. 368. ab hero per famulum ſtipem dante non immerito dici: *Ego do tibi eleemoſynam* ; a pari igitur ab uno per alium baptizante dici poſſe: *Ego te baptizo*. Non valet, inquam, quia actio baptizandi phyſicum quid & perſonale ex uſu communi deſignat ; contra vero actio dandi nihil requirit aliud quam dominii tranſlationem , quæ ſine manuum ope fieri poteſt; unde domum dat vel agrum, qui ſuam ea de re voluntatem exterius manifeſtat. 39

Ut ut

Ut ut ſit, opinio quæ Extr. Unctionem, uno materiam applicante, alio formam pronuntiante, valere negat, practice omnino tenenda eſt, non ut tutior tantum, quod nemo in dubium vocat, ſed ut probabilior; atque ita reſolvit qui nunc feliciter regnat Benedictus XIV. in Conſtitutione *Etſi paſtoralis*, ſuper ritibus Græcorum, num. 5. Nec multum habenda fides Codicibus quibuſdam antiquis, cum & alii ab aliis differant, & eorum nonnulli abuſus nunquam ab Eccleſia probatos indicare poſſint. Idem docent Sylvius, in Suppl. quæſt. 31. art. 1. Pontas, hic caſ. 7. &c.

41 De ſecundo modo quem valere diximus in Concluſione, & a pari in Tract. de Baptiſmo, p. 338. unum eſt quod addam, nempe id apud nos illicitum eſſe, utpote quod univerſæ Eccleſiæ praxi adverſetur.

42 Quod ad tertium modum ſpectat, cenſent plures eum valere; unde ſequitur moriente Presbytero, qui jam oculos inunxit cum formula unctioni huic reſpondente, poſſe alium qui præſto eſt, reſiduas unctiones quatuor cum formulis ſuis perficere, ita ut ex utriuſque Miniſtri actione unum exurgat Sacramentum. Opinionem hanc indubie tenet Divus Thomas, in 4. diſt. 23. quæſt. 1. artic. 1. quæſtiunc. 2. ubi ſic S. Doctor: *Quamvis in Euchariſtia, ſi poſt conſecrationem moriatur Sacerdos, alius Sacerdos poſſit ad conſecrationem vini incipere, ubi ille dimiſit, vel etiam incipere a capite ſuper aliam materiam; tamen in Extrem. Unctione non poteſt a capite incipere, ſed debet ſemper procedere; quia unctio in eadem parte facta tantum valeret, ac ſi bis conſecraretur eadem hoſtia; quod nullo modo faciendum eſt. Nec tamen Miniſtrorum pluralitas tollit unitatem Sacramenti, quia inſtrumentaliter tantum operantur; mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri.* Opinionem hanc ſatis receptam eſſe aſſerit Suarez, citat. diſput. 43. ſect. 2. num. 5. eamque tradit S. Carolus Borrom. cui concinit Pontas hic, caſ. 13.

43 Reclamant tamen alii cum Simonneto, Tom. 9. pag. 663 1. quia Concilia Florentinum & Tridentinum dicunt in numero ſingulari Miniſtrum Extrem. Unctionis eſse Sacerdotem; ergo non plures, ut eſſent in præſenti caſu. 2. Quia valet in præſens iſtud D. Thomæ principium, 3. part. qu. 67. art. 6. O. *Homo non baptizat niſi ut Miniſter Chriſti, & vicem ejus gerens: unde ſicut unus eſt Chriſtus, ita oportet unum eſſe Miniſtrum, qui Chriſtum repræſentet*: pari enim jure dicere poſſim: *Sacerdos non ungit infirmum, niſi ut Miniſter Chriſti, & vices ejus gerens. Ergo ſicut unus eſt Chriſtus, ita oportet unum eſſe Miniſtrum Extr. Unctionis qui Chriſtum repræſentet.*

44 Nec prodeſt comparatio ex valida panis conſecratione petita; prima enim hæc conſecratio effectum ſuum ſortita eſt, & vere panem convertit in Corpus Chriſti; & hoc ſenſu verum efficit Sacramentum. At in propoſito caſu Sacerdos qui primam fecit unctionem, etiam cum forma ſibi reſpondente, nec Sacramentum fecit, nec partialem etiam Sacramenti effectum produxit. Unde Sacerdos ſecundus primam iterando unctionem cum formula eidem reſpondente, facere poteſt id quod ab alio factum non eſt, nempe Sacramentum, & reipſa faciet, reliquas unctiones perficiendo; adeoque nec

perpe-

perperam nec irreverenter ceremoniam a priori factam iterabit.

Eadem ratione ſolvunt id quod objici ſolet, Epiſcopum videlicet, 45
ſi moriatur Epiſcopus alter peracta priori cœremonia, qua confertur Euchariſtiæ conſecrandæ poteſtas, nec poſſe, nec debere primam hanc ceremoniam iterare, ſed proſequi a ritu altero, quo confertur poteſtas dimittendi peccata.

Nec enim, inquiunt, quia Ordinatio plures ſucceſſive Miniſtros 46
habet, ideo & plures habere poterit Unctio extrema. Siquidem Ordinatio Presbyteralis eſt Sacramentum conſtans ex duabus partibus, quarum utraque ſeorſim ab alia completam habet ſignificationem ſacramentalem, ac proinde quarum utraque eſt vero aliquo ſenſu Sacramentum integrum, (quanquam in unum totale coaleſcens, quia caracter, qui utriuſque effectus eſt, in unum totalem caracterem coaleſcit.) At vero Unctionis Extremæ Sacramentum conſtat quidem e multis partibus, ſed quarum nulla ſeorſim ab aliis completam ſignificationem ſacramentalem facit; proinde nullum habere potuit effectum, niſi per alias, & quidem ab eodem Miniſtro factas compleretur. Unde cum ab eo compleri non potuerint, neceſſum eſt ut omnes a capite iterentur.

Hæc ſecunda opinio, ait idem Theologus pag. 665. *& valde ſaltem probabilis eſt, & oppoſita tutior, adeoque anteponenda videtur*. Anteponam igitur (in locis ſcilicet ubi contrarium minime ſancitum fuerit) non quia omnimodis probatam, ſed quia in his quæ hinc quidem a Dei voluntate non ſatis manifeſtata pendent, inde vero ad Sacramenta ſpectant, id ſequendum quod nullitatem Sacramenti efficacius removere valeat. Sed de his rurſum aliquid ubi de effectu hujus Sacramenti. 47

Ex iis jam intelligitur cur in Concluſione hac tertia dictum ſit, valere Extr. Unctionem, *modo rite* collatam a pluribus. Dubia enim ut minimum erit, ſi uno materiam applicante, formam alter pronuntiet. Sed & dubia utcumque videbitur, ſi qui Sacerdotis alterius vices excipit, unctiones ab eo peractas non iteret.

CONCLUSIO IV. Eſt etiam Epiſcopus Miniſter hujus Sacramenti. Ita ſemper judicatum adverſus eos qui Unctionis extremæ adminiſtrationem ſolis Presbyteris reſervaverunt. Unde

Prob. quia ita variis temporibus pronuntiarunt Innocentius I. Epiſt. 48
ad Decentium; Concilium Regiaticenſe can. 8. Pronuntiarunt & facto fideles ac Paſtores Eccleſiæ Chriſti. Siquidem Carolus Mag. teſte Monacho Engoliſmenſi, *inunctus eſt ab Epiſcopis*, S. Maura a prudentio Tricaſſino, ut ipſe de ſe in illius vita teſtatur, &c.

Idem probat ratio; quia recepti juris eſt, ut poſſit Epiſcopus quidquid 49
poteſt ſimplex Sacerdos; cum & ipſe vere ſit & eminenter Sacerdos.

Quæres 1. quid in Parocho requiratur, ut Sacramentum hoc licite adminiſtret.

R. Cum eod. Simonnet. pag. 661. requiri duo, 1. ut ſit in ſtatu 50
gratiæ, 2. ut a denuntiata excommunicationis ſuſpenſioniſve cenſura liber ſit. Primum patet ex dictis in Tract. de Sacramentis in genere, pag. 31. & ſeq. Secundum conſtat ex Tract. de cenſuris part. 2.

cap. 1. artic. 3. ſect. 3. Ex his enim ſequitur excommunicatum vel ſuſpenſum, qui minime tolerantur, Ordinis ac Juriſdictionis uſu privari; ita ut Extr. Unctionem nunquam licite adminiſtrent, niſi moribundus in æternæ ſalutis diſcrimen veniat, quia confiteri non potuit, nec præſto eſt alius, qui poſſit & velit eum inungere. Quod ſi Rector ſuſpenſus ſit vel excommunicatus, ſed toleratus, liquet ex ibidem aſſertis, poſſe fideles, juxta Bullam *ad vitanda ſcandala*, ab eo Extrem. Unctionem petere, quam ipſe impendere poteſt indigentibus, præmiſſo vividæ contritionis actu, ſi hic & nunc per claves reconciliari non poſſit, nec adſit cui provinciam hanc demandare valeat. Sed de his quæ in longum ducant, neceſſario adeundus idem Tractatus de cenſuris.

51 Quæres 2. an Parochus ex juſtitia & ſub mortali Extr. Unctionem ſubditis indigentibus, per ſe, vel per alium adminiſtrare teneatur.

R. Affirmat. idemque eſt de Superiore domus reſpectu ſubditorum. Ratio eſt, quia Paſtorum eſt oves ſibi concreditas ordinariis alimentis paſcere. Atqui Unctio extrema, ab Apoſtolo inſigniter commendata, non infirmum habet locum inter ordinaria ſpiritualis vitæ paſcua & remedia. Hinc Catechiſmus Romanus part. 3. n. 18. *graviſſime* eos peccare decernit, qui non tantum Sacramenti hujus adminiſtrationem negligunt, ſed & qui eam nimio differunt, *donec* nempe *jam omnis ſalutis ſpe omiſſa Ægrotus vita & ſenſibus carere incipiat.*

52 Quin & deficiente Parocho tenetur Sacerdos alius ex caritate vicem ejus ſupplere. Jubet enim caritas ut proximo in neceſſitate conſtituto adjutrix, cum poteſt, manus porrigatur. Atqui utcumque neceſſaria eſt infirmis Extr. Unctio, tum ut leniori animo ægritudinis moleſtiam ferant; tum ut ingruentes eo præſertim tempore Diaboli inſidias potentius ſuperent.

53 An autem hæc caritatis obligatio gravis ſit, diſputant Theologi. Fatentur omnes eam gravem fore, ſi moribundus nec Euchariſtiæ vel Pœnitentiæ Sacramenta recipere poſſit, qui caſus vix evenire poteſt; vel eam ſolum receperit ſpeciem abſolutionis, quam graves multi pro dubia & incerta habent, qualis eſt quæ homini ſenſibus deſtituto, propter æquivoca ſigna, aut vitam dubie Catholicam impenditur. Ratio eſt quia poſſet tunc Sacramentum iſtud moribundo huic gratiam primam conferre.

54 Hac præciſa hypotheſi cenſent nonnulli non teneri alienum Sacerdotem ſub gravi Extrem. Unctionem præbere. Mihi quidem dura hæc agendi ratio dubii ut minimum mortalis peccati ſuſpecta fuerit. Fateris nimirum tu quicum congredior, ſumme utilem eſſe Unctionem Extr. ut quis allevietur in morbo, ut vim dolorum patientiori animo toleret, ut diabolicos inſultus potentius evadat. Ergo fieri poteſt ut in negligentia tua pereat infirmus frater pro quo mortuus eſt Chriſtus; quia fieri poteſt ut eo careat gradu auxilii, quo tentationi reſtitiſſet.

55 Nec eſt quod dicas, eum ſi ceſſit, culpa ſua ceſſiſſe; quia vires ſibi per pœnitentiam & Euchariſtiam ampliſſimas parere potuerat. Namque 1. ſua quoque culpa peribat infirmus ille, de quo Paulus

lus 1. Corint. 8. v. 11. nec tamen in ſolum ſui damnum peribat. 2. Quæro annon ſua etiam, eaque maximi momenti, præter Pœnitentiam & Viaticum, auxilia ferat Extr. Unctio. Si fert: Ergo jacturam grandem patitur infirmus. Mirum porro, ſi damnum quod in temporalibus ſub gravi avertere teneris, illud in ſpiritualibus ſub levi tantum avertere tenearis.

Quæres 3. an teneatur Paſtor cum gravi vitæ periculo Sacramentum hoc miniſtrare Parochianis peſte vel alio contagioſo morbo laborantibus. 56

Et quidem 1. Fatendum cum Sylvio Suppl. qu. 32. artic. 3. Concl. 4. teneri Parochum per ſe, ſi per alium non poſſit, Extrem. Unctionem ſubditis ſuis in his caſibus largiri *non obſtante parvo aliquo periculo, ſi illud non ſit moraliter magnum*. Ratio eſt quia ex modo dictis Sacramentum iſtud magnæ eſt utilitatis, & per ſe ad Parochi officium ſpectat ejus adminiſtratio. *Sylvius pag.130.*

2. Fatendum etiam cum eodem, Parochum ad ejuſdem Sacramenti adminiſtrationem teneri, non ſolum quoties infirmus nec Euchariſtiæ, nec pœnitentiæ Sacramenta recipere potuit, &c. Sed etiam cum tot, tamque gravibus tentationibus urgetur, ut niſi Extr. Unctione roboretur, grave ſubeat lapſus ac ruinæ periculum; quia tunc non utile modo, ſed & quaſi neceſſarium eſt Sacramentum.. 57

3. Et id fatendum poſſe Paſtorem Sacramentum hoc, ut & alia infirmis per Vicarium aut alios Sacerdotes miniſtrare; præſertim cum major gregis ſui pars a morbo immunis eſt; quia cum perſona ſit publica, ſeipſum ut infirmis, ſic & ſanis debet. Ab his autem fugeretur, ſi cum peſtiferis converſatus eſſet. Atque ita reſolvit approbante Gregorio XIII. Sacra Congregatio, teſte apud Pontaſ. V. *Cure*, Caſ. 4. Fagnano in cap. *Clericos* final. *de Clericis non reſidentib.* Lib. 3. decretal. Tit. 4. Tota igitur quæſtio eſt de caſu, quo infirmus ſacra jam Euchariſtia, vel Pœnitentiæ Sacramento, quantum fieri moraliter poteſt, certo donatus fuerit. 58

Docet porro idem Sylvius cum Suarez, Tannero, Poſſevino, quos ut plurimum ſequuntur alii, non teneri Parochum in hoc caſu *cum notabili vitæ ſuæ periculo* Sacramentum hoc adminiſtrare. Ratio eſt, 1. quia non tenetur ſubditus cum gravi vitæ periculo recipere Sacramenta vivorum, puta Euchariſtiam, vel Confirmationem, &c. quæ vitam ſpiritualem non inducunt, ſed inductam ſupponunt. Ergo nec ad ea Miniſtranda tenetur Parochus, qui non plus proximo debet, quam proximus ſibi. 2. Quia ubi deficit lex, agendum ex conſuetudine. Atqui moris non eſt plerique in locis, ut Peſtiferis detur Extr. Unctio. De Italia teſtatur Poſſevinus, de Hiſpania & nonnullis aliis Provinciis Leander de S. Martino, Doctor Duacenus: de Belgio res conſtat, quia graſſante in illis partibus lue, reprehenſi non fuere Paſtores, qui id omiſiſſent. 3. Quia in ruralibus Parochiis ſæpe unicus eſt Sacerdos, qui ſi ad ungendum domos infectas ſubeat, vitabitur a ſanis, quibus jam inutilis erit. Sed etſi hunc contagio infici & emori contingat, multa ſequitur confuſio in grege. Hæc illi. 59

Aliter ſentiunt Wiggers, Nugnus & Henricus Scaille, Lovanienſis

Doctor, & Profeſſor Regius; *eamque ſententiam*, inquit pag. 29. *ſemper audivi in hac Schola* deffendi.

60 Probant 1. quia Fideles jus habent Sacramentum iſtud exigendi a ſuis Paſtoribus; cum ad hoc præſertim toto vitæ ſuæ decurſu alantur, ut in neceſſitatis tempore ſpiritualia ovibus ſuis alimenta conferant, ea ſaltem, quæ ut media ordinaria in Eccleſiæ utilitatem conſtituta ſunt. Atqui ſuum illud jus retinent Fideles ipſo etiam peſtis & contagii tempore. Ergo Sacramentum hoc adminiſtrare debent, quoties *non adeſt moralis certitudo contrahendæ infectionis, ſed ſolum periculum illud quod regulariter ſequitur ex tali infirmitate & contagio*. Verba ſunt ejuſdem Scallii ibid.

61 Probant 2. quia duces ac milites, qui in bello ſerviunt, regulariter ex officio tenentur vitam majoribus exponere periculis, propter impendentem Reipublicæ neceſſitatem, etiamſi hæc non ſit extrema. Cur ergo non tenebitur Parochus tempore belli ſpiritualis, maxime perieuloſi, vitam exponere periculo, ſi id requirat miniſtratio Sacramenti hujus, quo Redemptor vitæ noſtræ finem velut firmiſſimo quodam præſidio munire voluit?

62 Probant 3. quia onus iſtud imponunt Synodi complures Belgicæ, ut ſecunda Cameracenſis Provinciæ titul. 5. cap. 10. Iprenſis titul. 8. cap. 1. Audomarenſis. titul. 19. cap. 1. Leodienſis titul. 8. cap. 4. Idem ſubindicant Paſtoralia quædam & Ritualia Diœceſeon, quæ ritus tempore peſtis obſervandos præſcribunt. Quod autem dicit Marchantius licitum forſan eſſe conqueri de Epiſcopis, qui *alligent onera importabilia, nec ea digito movere velint*; & inverecunde dictum eſt, & falſo, ut ex peſtis Maſſilienſis hiſtoria liquet: nec ſi verum ſit, quidquam probare poteſt; cum ſua ſit æquitas Legibus, etiam cum a Legiſlatoribus non obſervantur.

63 Probant 4. quia *ſi nudum vitæ periculum, etiam non extraordinarium admittatur ſufficere ad eximendum Paſtorem a prædicta obligatione*, erit pariter ab ea eximendus, *Si graſſentur febres valde malignæ, ſi dyſſenteria, & ſi qui ſimiles morbi contagioſi, a quibus ſæpe non minus vitæ periculum creatur miniſtranti. Quin & facile ex eodem principio procedetur ad denegationem Viatici. Quæ omnia non poſſunt non cedere in graviſſimum Fidelium præjudicium*. Ita idem Scallius, qui hæc ſubjungit: *Fateor* tamen *libenter, cum per alia Sacramenta neceſſitati ægri jam utcumque ſubventum ſit, occurrere poſſe plures caſus, in quibus Paſtor*, nec ad Extrem. Unctionis, nec ad Viatici adminiſtrationem, *cenſeatur obligari: qualis indubie foret, ſi ſubeſſet periculum extraordinarium & mors Paſtoris evidenter cederet in publicum detrimentum ſpirituale communitatis. Item ſi Paſtor vocetur ad alium infirmum*, &c. Vide Tom. v. hujus Operis pag. 460.

Nec plurimum moventur ii Theologi argumentis num. 59. adductis. Unde reſpondent.

64 Ad 1. 1. perrarum eſſe, ut quis ſanus vel æger nonniſi a Sacerdote peſtifero Sacramenta recipere poſſit; proinde raro fieri ut hinc grave immineat damnationis periculum: contra vero tempore peſtis quotidie fieri ut peſtiferi plures Sacerdotis miniſterio indigeant. Ubi

vero

vero multi indigent miniſterio Sacerdotis, vix unquam fieri poteſt ut pene neceſſarium aliquibus non ſit, id quod tantummodo utile judicabatur. 2. teneri poſſe Parochum adminiſtrare, licet non teneatur fidelis ſuſcipere; quia quiſque melius propriam conſcientiam, diſpoſitiones ſuas, ſuamque in bono firmitatem novit, quam alius; 3. non deeſſe caſus in quibus etiam cum vitæ periculo Sacramenta ſuſcipi debeant, puta ab eo qui imminens ex gravi tentatione facinus nulla alia via avertere poſſit.

Ad 2. Conſtat S. Carolum piis adhortationibus ſuis obtinuiſſe ut Extr. Unctio in Diœceſi ſua peſte infectis conferretur. Conſtat rurſus Nugnum, Doctorem Hiſpanum, & Valliſoletani Collegii primarium Profeſſorem hæc de Extr. Unctione ſcripſiſſe: *Parochus tenetur ad adminiſtrandum ſuis ſubditis hoc Sacramentum etiam cum notabili periculo vitæ.... Alias eſſet magna triſtitia & perturbatio in Eccleſia, quia nullus vellet conferre Sacramentum Extr. Unctionis in tempore peſtis.* Ergo non adeo certum eſt, invaluiſſe prorſus morem contrarium. Sicubi autem viget, forte toleratur ab Epiſcopis metu gravioris mali; forte etiam quia opinionem noſtræ oppoſitam habent pro tuta, *de quo ipſi viderint: neque enim nobis incumbit de ſingulorum facto reſpondere*. Ita idem Scallius pag. 40. 65

Ad 3. 1. ceſſat objectio iſthæc quantum ad loca, ubi plures ſuppetunt Presbyteri, quorum unus ſolis infectis miniſtrat. 2. Si Paſtor invigilet ut Extr. Unctio tempeſtive conferatur, vix unquam opus erit domum introire; ſed poterit æger ad liberum aerem deferri, ibique longiori virgula inungi. 3. recurrit idem incommodum, ſi ſubeunda ſit domus ad excipiendam peſtiferi confeſſionem, nec tamen dubitandum quin ad hoc teneatur Parochus, ſi quidem exigat neceſſitas. 4. Curandum quidem ex dictis n. 58. ut Paſtor ſanis ſe incolumem ſervet, cum poteſt; ſed rebus profunde inſpectis, minus eſt periculum quod vitetur a ſanis, qui providere ſibi poſſunt, quam quod ægris omnibus deſit ſalubre Sacramentum. Alioqui male populis ſuis conſuluiſſent Epiſcopi, qui vel præceperunt tunc temporis dari Sacramentum iſtud, vel ad id pro viribus exhortati ſunt. 66

Ceterum parum vel nihil ſanis imminet periculi e commercio Parochi peſtiferos inviſentis, cum is debita utitur diligentia ne luem contrahat. Depopulante ann. 1721. Provinciam peſtis flagello, qui tunc Aquis Sextiis conſtanter permanſit Carolus Vintimilius, Medicum ſingulis diebus in ſedili ad id tantum deſtinato excepit; nec labem contraxit. Quin & datis pro ſapientia ſua mandatis ſic providit omnibus, ut eorum qui cadavera defodiebant, vix unus, ſi tamen unus, peſte inficeretur. Hæc ab occulato teſte didici, quæ ad commendandam Pontifici optimi memoriam inſervire velim. 67

Huic ſententiæ, ut quæ Deo acceptior ſit, morientibus utilior, & minus dura, quam prima fronte videatur, adhærendum puto iis in locis, ubi in mortui Sacerdotis locum alius ſubſtitui facile poſſit. Quod iis temporibus non ægre contingit: cum audito graſſantis contagii rumore, ubi maxime ſævit, eo ſtatim avolent Sacerdotes, caritatis martyrium æmulati,

68 Hæc autem a Presbytero infectos ungente ſervanda, 1. ut veſtes breves gerat, eaſque ita ad ſe colligat, ut infirmi contactum fugiat, quam maxime poteſt; 2. ut infirmum, ſi potis eſt, in loco puro & libero conſtitui curet; 3. ut non ſe ſtatuat inter ignem & infirmum, neque inter januam vel feneſtram, & ægrotum; 4. ut muniat ſe præſervativis judicio Medicorum; 5. uti poteſt virga oblonga, vere tamen oleo tincta, quam vel purgabit, ſi argentea ſit, aut ſtanea; vel igne comburet, ſi lignea. Hanc virgæ praxim approbant quædam Ritualia, nec eſt quod redarguatur; 6. e re etiam erit ut duplex olei vaſculum habeat, aliud pro peſtiferis, aliud pro iis qui a lue hactenus immunes ſunt. *Neque hoc magni diſpendii eſt*, ait Scallius pag. 247. *cum non requiratur ut vaſcula iſta ſint argentea, ſed ſatis ſit eſſe ſtannea, uti diſerte habetur in Rituali Romano*. Ceterum ſi oleo lues adhærere poſſit, quod a Medicis reſciendum, non liceret poſt unctum infectum, eodem oleo alium a contagio liberum inungere. In his, ut opinor, caſibus, ſupplici oratione confugendum eſt ad Deum qui veritatem omnem, tunc temporis neceſſariam, edoceat.

Quæres 4. Quomodo gerere ſe debeat Parochus erga moribundos repente ſenſu omni deſtitutos.

69 Reſpond. Hos inungi debere, quotieſcumque præſumi poſſint certo vel dubie dipoſiti, hoc eſt contriti, vel ſaltem attriti. Præſumuntur autem diſpoſiti, quoties non conſtat eos eſſe indiſpoſitos, ſecundum hanc legem: *Tandiu quiſque debet præſumi bonus, quandiu non conſtat eum eſſe malum*. Adde quod in extremis extrema quæque tentari debent. Sed de his infra cap. 5.

Quæres 5. quid obſervandum a Parocho in adminiſtratione hujus Sacramenti.

70 R. hæc ab eo curanda. 1. Ut precibus ſuis ſuas jungant qui interſunt actioni; quo utcumque verificetur iſtud Apoſtoli: *Orent ſuper eum*. Unde quibuſdam in locis pie inſtitutum eſt, ut ex campanæ pulſu innoteſcat populis proxima Sacramenti hujus adminiſtratio. 2. Ne quid exigat pretii propter hanc ſuam actionem, quod tota exhorret Eccleſia, & Waldenſium errori originem dedit. 3. Nec certum cereorum numerum ſuperſtitioſe accendi patiatur.

Quæres 6. Quos errores plebem dedocere debeat Parochus circa hoc Sacramentum.

71 Reſp. hos præſertim; 1. quod ſemel inunctus teſtamentum condere, vel Matrimonio uti non poſſit; 2. quod ſi convaleſcat, gradi non poſſit nudis pedibus; 3. quod citius moriturus ſit. Imo ſapienter animadvertit Bellarminus, Lib. 2. de arte bene moriendi, cap. 8. cauſam cur non convaleſcant multi, eſſe quod ſerius ad illud remedium confugiant; 4 quod ad imitationem Chriſti a Patre ſuo in extremis derelicti poſſit omitti Sacramenti hujus ſuſceptio: eſt enim hæc deceptio diaboli apertiſsima, qui ut infirmum devoret, eundem a præſidio tam ſalutari avertit.

Quæres 7 quo habitu adminiſtrari debeat Extr. Unctio.

72 Reſp. Gravis eſt obligatio ut Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola indutus

ſit;

ſit ; poſſet tamen, ait La Croix L. 1. part. 2. n. 2116. miniſtrare in habitu communi, ſi id exigeret neceſsitas.

CAPUT TERTIUM.

De materia Extremæ Unctionis.

MAteria hujus Sacramenti, ut & aliorum, duplex ; remota, quæ eſt res ſenſibilis, cujus applicatione conficitur Sacramentum ; & proxima, quæ ipſa eſt materiæ remotæ applicatio. De utraque dicendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De materia remota Extr. Unctionis.

COnſtat apud omnes Sacramenti hujus *materiam eſſe oleum*, prout docent Eugenius IV. in Decreto, & Tridentinum, Seſs. 14. cap. 1. & id expreſſe tradit his verbis Jacobus cap. 5. *Ungentes eum oleo*. Neque hic deſunt congruentiæ. *Unctio* enim, ait ibid. Tridentinum, *aptiſſime Spiritus ſancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat*. Atque ſicut *oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita Sacramenti hujuſce virtus animæ triſtitiam ac dolorem minuit*. 1

At controvertitur 1. quale eſse debeat oleum iſtud ; 2. an illud ab Epiſcopo benedictum fuiſse oporteat. Sit

CONCLUSIO I. Materia Extr. Unctionis eſt oleum ex olivis expreſsum ; illudque ſimplex, non ex balſamo aliiſve aromatibus compoſitum.

Prob. 1. pars, tum ex citato Eugenii Decreto, ubi Extrema Unctionis materia dicitur eſse *oleum olivæ per Epiſcopum benedictum* ; tum quia ſicut panis ſimpliciter dictus triticeum panem deſignat, uti diximus in Tract. de Euchariſtia ; ſic & olei ſimplicis nomen oleum olivarum exprimit ; alii enim liquores e nucibus, amygdalis, &c. expreſſi, nonniſi cum addito dicuntur oleum. 2

Prob. 2. pars, tum quia olei nomen non ſignificat aliquid e variis liquoribus compoſitum ; tum quia Eccleſia conſtanti uſu in unctione infirmorum oleo ſimplici uſa eſt ; licet forte alicubi eidem balſami quid additum fuerit. Nec enim hinc periclitatur Sacramentum, modo pars addita non mutet prioris rei ſubſtantiam ; ſicut nec periclitatur Euchariſtia, ſi tritico ſiliginis quidpiam vel alterius grani admiſceatur ; in ente enim morali, quale eſt Sacramentum, materia moraliter, non phyſice omnino, ſpectanda eſt ; at moraliter dicitur triticeus panis qui melanthii tantillum habet. 3

At, inquies, Innocentius I. cit. ad Decentium Epiſt. docet infirmos *ex ſancto oleo Chriſmatis perungi* ; Chriſma autem aliud importat quam oleum ſimplex.

R. Chriſmatis nomen ab Innocentio ſumi prout unguentum, ſeu 4

id quo quis ungitur, ſignificat; non prout ſtrictiori Theologorum ſenſu mixturam ex oleo & balſamo exprimit. Quanquam fieri potuit ut Innocentii tempore modicum quid balſami oleo infirmorum adjiceretur.

Conclusio II. Oleum iſtud debet eſſe benedictum ab Epiſcopo, ſaltem mediate. An autem benedictio hæc ſit de neceſſitate Sacramenti, ambigitur inter Theologos. Probabilius quod non.

5 Prob. 1. pars, quia benedictio hæc conſtanti uſu in omnibus Eccleſiis adhibita eſt. Atqui conſtans ille uſus ad minimum probat Legem Eccleſiaſticam. Minor patet. Prob. maj. 1. ex cit. toties Innocentii Epiſt. ubi docet Fideles *ſancto oleo Chriſmatis .... ab Epiſcopo confecto* uti poſſe. 2. Ex Eccleſiaſticis Auctoribus, quorum alii ut S. Eligius & Scriptor vitæ B. Roberti de Arbrucellis oleum iſtud vocant *benedictum;* alii, ut Beda & Ælfricus, *oleum conſecratum;* alii, ut Jonas Aurelianenſis, *oleum Pontificali benedictione conſecratum*, & *oleum ſanctificatum;* alii, ut Patres Concilii Aquiſgranenſis, *oleum ſacrificatum;* alii, ut Heraldus Turonenſis, *ſacratum oleum;* alii *oleum ſanctum*, *oleum ſacrum*, &c. 3. Ex Decreto Eugenii IV. ubi Sacramenti hujus materia dicitur eſſe *oleum olivæ per Epiſcopum benedictum;* 4. ex Tridentino, quod Seſſ. 14. cap. 1. in ejuſdem Sacramenti materiam aſſignat *oleum ab Epiſcopo benedictum.*

6 Quod autem benedictio hæc ab Epiſcopis fieri debeat, patet ex mox adductis Innocentii, Eugenii IV. & Synodi Trid. auctoritatibus.

7 At quod eadem benedictio ab Epiſcopis mediate tantum fieri poſſit, ſeu ab iiſdem facienda demandari ſimplicibus Presbyteris, patet ex uſu perantiquo Eccleſiæ Græcæ, in qua moris eſt ut Presbyteri oleum infirmorum benedicant *; nec tamen uſquam ea de re, ſive ante, ſive poſt ſchiſma reprehenſi ſunt ab Eccleſia Latina. Imo hanc eorum conſuetudinem approbavit Clemens VIII. in Conſtitutione 34. ann. 1598. per Inſtructionis modum ſuper Græcorum ritibus edita, ubi hæc habet: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta, præter Chriſma ab Epiſcopis Diœceſanis Latinis accipere; cum hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur. Chriſma autem, quod nonniſi ab Epiſcopo, etiam juxta eorum ritum benedici poteſt, cogantur accipere.* Eundem ritum approbavit Congregatio de propaganda fide, cujus juſſu & impenſis edita eſt Romæ Synopſis vernacula Neophyti Rhodini, in qua hæc leguntur: *Materia Sacramenti Extr. Unctionis eſt oleum olivæ expreſſum, a Pontifice vel a Sacerdote benedictum.* Jam vero quod ex facultate ſibi conceſſa poſſint Græci Sacerdotes, id dubio procul Latini poſſent ex pari facultate, ſibi vel conceſſa per S. Pontificem, vel etiam per Epiſcopos, niſi, ut docet Sambovius pag. 459. reſiſteret Lex Eccleſiaſtica.

Prob.

* „ Quamvis Epiſcopi *Græci*, approbante R. Pontifice, benedictionem hujus olei Presbyteris commiſerint.... ipſi tamen Græcorum Pontifices non ſe privarunt hac ſua juriſdictione; ſed ſemel in anno, more Latinorum, Feria V. ſacratioris hebdomadis ſolemni pompa & apparatu, peracto ſacro, illud conſecrant, quo deinde præſentes, qui divinis interſunt, illinunt. *Arcudius, Lib. 5. cap. 2. pag. mihi* 442.

Prob. 2. pars, quia controvertitur graviores inter Theologos, an olei benedictio ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti, an ſolum neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici. Pro affirmativa pugnant Theologi plures magni nominis, ut Bellarminus, Eſtius, Suarez, Sylvius, & alii. Negativam tuentur Franciſcus Victoria, Cajetanus, Maldonatus, Sambovius, Nat. Alexander, & alii complures, quorum opinio in Academia Pariſienſi plurimum invaluit. Utrique porro armis ferme paribus congrediuntur, 8

Nimirum ſic diſputant priores. Florentinum & Tridentinum in hujus Sacramenti materiam expreſſe aſſignant oleum benedictum. Atqui cum ſtricte & dogmatice loquantur, nihil requirunt quod ad ſubſtantiam Sacramenti hujus non pertineat. 9

Confirm. 1. Vel utriuſque Synodi Patres benedictionem hanc requirunt, quia hæc neceſſaria ſit ad eſſentiam Sacramenti; vel quia ad ejus ſolemnitatem neceſſaria ſit ex Lege Eccleſiaſtica. Atqui poſtremum hoc dici non poteſt. Siquidem benedictio aquæ Baptiſmalis neceſſaria eſt de Lege Eccleſiaſtica ad ſolemnitatem Baptiſmi. Atqui tamen neutra Synodus dicit materiam Baptiſmi eſse aquam benedictam, ſed aquam naturalem. Ergo cum aſsignando materiam Extr. Unctionis requirit benedictionem Epiſcopi, requirit aliquid non accidentali ſolum & poſitiva Eccleſiæ Lege inſtitutum, ſed ex inſtitutione Chriſti neceſsarium. 10

Confirm. 2. Cum Florentinum ait: *Materia* Baptiſmi *eſt aqua vera & naturalis*, perinde eſt ac ſi diceret: Materia Baptiſmi eſt aqua, non quælibet, ſed vera & naturalis. Ergo a pari cum ait: *Materia* Extr. Unctionis *eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum*, perinde eſt ac ſi diceret: Materia Extr. Unctionis eſt oleum olivæ, non quodlibet, ſed ab Epiſcopo benedictum. 11

Nec eſt quod dicas, Florentinum id unum intendiſse ut Armenos doceret quo ritu Extr. Unctio in Eccleſia Romana doceretur; Tridentino autem propoſitum non fuiſse, ut lites Catholicos inter ſalva fide agitatas dirimeret: Hæc enim levi ſtatu diſsipant. Unde 12

Reponunt ad 1. Florentini Decreti intentum non melius detegi poſſe, quam ex ipſius verbis; hæc autem ſic habent: *Eccleſiaſticorum Sacramentorum veritatem, pro ipſorum Armenorum, tam præſentium quam futurorum faciliori doctrina, ſub hac brevi redigimus formula: Novæ Legis ſeptem ſunt Sacramenta*, &c. Ergo non ritus tantum, ſed & Sacramentorum ſubſtantialia docere intendit Eugenius. 13

Reſpondent ad 2. 1. Tridentinis Patribus id etiam propoſitum fuiſſe, ut Fideles eſſentiam, adeoque materiam & formam Sacramentorum edocerent; 2. ab iis quandoque reprobatas fuiſſe opiniones, quæ prius ſalva fide agitabantur; quo pacto eorum, licet numero plurium, opinionem reprobarunt, qui abſolutionem, non remiſſivam peccati, ſed obtentæ jam remiſsionis mere declarativam eſſe propugnabant. Subdunt mirum non eſſe, quod proſcripta ſit opinio negans olei benedictionem ad Extr. Unctionis eſſentiam pertinere; cum ea Concilii tempore nullum haberet vindicem præter Victoriam, cujus tanti non erat auctoritas, ut Patres a definitione dimoveret. 14

Pu-

15 Pugnant 2. iidem Theologi ex auctoritate Doctorum Angelici, Seraphici & Subtilis, quorum, qui ceterorum inſtar erit, primus ſic habet q. 30. a. 6. *In aliis unctionibus etiam materia per Epiſcopum conſecratur. Ergo ita debet eſſe in iſta.* Atqui veri non eſt ſimile veteres Theologos cum Anteſignanis ſuis id neceſſarium neceſſitate Sacramenti credidiſſe, quod lege tantum humana imperatum eſset. Hæc illi.

16 Arguunt e contrario alterius opinionis defenſores, 1. Si olei benedictio ad Sacramenti hujus ſubſtantiam pertineat, vel id ex Scriptura deducitur, vel ex Traditione. Non 1. cum Jacobus ſimpliciter dicat: *Ungentes eum oleo*; quod enim ſequentia hæc verba, *in nomine Domini*, quidam de benedictione Pontificia poſt Bedam interpretantur, nullius eſt roboris; cum verba *in nomine Domini*, non ad oleum referantur, ſed ad actionem Miniſtri, qui non ſuo, ſed Dei nomine ungere debet. Non 2. aliud enim eſt quod conſtans Traditio benedictionem olei requirat, aliud quod eam ut eſsentiale quid neceſsariam eſse declaret. Siquidem conſtans Eccleſiæ totius Traditio docet vinum quod in Altari offertur, non ſimplex, ſed aqua delibutum eſse debere. Docet & eadem Traditio ad Confirmationis materiam requiri Chriſma ab Epiſcopo conſecratum. Atqui tamen certo certius eſt aquam Euchariſticæ conſecrationi eſsentialem non eſse: Ad minus vero dubium an Chriſmatis benedictio ſit de ſubſtantia conſecrationis, uti Tom. V. diximus.

17 Arguunt 2. Approbat, vel ſaltem tolerat Eccleſia Rom. Unctionem Extr. prout datur a Græcis cum oleo per ſolum Sacerdotem benedicto. Atqui ſi Eccleſia olei benedictionem haberet ut aliquid eſſentiale, non poſset iſtud Extr. Unctionis genus tolerare, ac multo minus approbare: Nec enim tolerari poteſt quod Sacramentum cum materia admodum dubia conferatur. Atqui ſummopere dubium eſt an Sacerdotalis benedictio ſufficiat ad oleum infirmorum. Cum praxim hanc ſuam, licet in Gente ſua antiquam, nullo quinque priorum ſeculorum argumento adſtruere valeant, eaque toti Eccleſiæ Latinæ, in qua *orthodoxæ fidei fundamenta* ſunt, prorſus ignota ſit. Ergo cenſet quidem Eccleſia Rom. benedictionem hanc ex præcepto gravi neceſsariam eſse, ſed eam minime habet ut eſsentialem.

18 Confirm. Ritus ad ſubſtantiam Sacramenti pertinens, fixus eſt, conſtans & immutabilis; quandoquidem, ut ſolide Vincentius Lirinenſis, commonit. 1. cap. 32. *Chriſti Eccleſia, ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil unquam in iis commutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua.* Atqui nihil eſt in Eccleſia fixum circa benedictionem olei infirmorum: hæc enim apud Latinos eo uſque ſemper fuit Epiſcoporum propria, ut Suarez, tom. 4. diſp. 40. ſect. 1. neget eam vel ab ipſo etiam Papa Presbyteris demandari poſse; quia, inquit, quæ juris ſunt divini, & ad ſubſtantiam Sacramentorum pertinent, ab Eccleſia immutari nequeunt Etſi autem ex Scriptura & Traditione inferri poſsit Presbyterum eſse v. grat. Confirmationis Miniſtrum extraordinarium, nullo tamen Scripturæ vel primævæ Traditionis momento ſuaderi poteſt,

teſt, eum benedictionis vel olei infirmorum, vel Chriſmatis Confirmatorii Miniſtrum eſſe. Atqui tamen ſinit Eccleſia Romana ut Græci Presbyteri in hac ſua benedicendi infirmorum olei conſuetudine perſeverent; nec ullam iis litem ea de re movit in Concilio Lugdunenſi II. & Florentino; cum tamen vera Chriſti Eccleſia eos in ſinum ſuum admittere non poſſit, quos norit errare in negotio tanti momenti, & Sacramenta alio celebrare ritu, quam eſſentialiter a Chriſto inſtituta ſint. Ergo.

Arguunt 3. Quia adeo non urgent partis adverſæ momenta, ut conſenſum eliciant; multoque minus habent roboris, quam quæ modo propoſita ſunt. Unde reponunt 19

Ad 1. ſupra n. 9. neg. min. Concilia enim, dum etiam dogmatice loquuntur, ea præcipere poſſunt & debent, quæ licet eſſentialia non ſint, ſine gravi peccato, (forte etiam & Sacramenti periculo) omitti non poſſunt. Hinc Florentinum Euchariſtiæ conſecrandæ formam referens, ea omnia verba recenſuit quæ a Latinis proferri conſueverant. Atqui tamen ne ipſi quidem ſingula hæc habent pro eſſentialibus. 20

Ad 2. n. 10. neg. min. & dico neceſſum fuiſſe ut Patres de olei benedictione loquerentur, non autem de benedictione aquæ; iſthæc enim nec in omni Baptiſmo adhibetur, nec ab ullo unquam pro eſſentiali habita eſt; illa vero & in omni Sacramenti Extr. Unctionis adminiſtratione conſtanter adhibetur, & a pluribus judicatur eſsentialis. Horum autem opinioni, quæ & ſuam probabilitatem habet, & forte vera eſt, licet nobis falſa videatur, non erat detrahendum. 21

Ad 3. n. 11. neg conſeq. Non enim magis neceſsarium eſt, ut omnia quæ in materiam Extr. Unctionis aſſignat Florentinum ſint eſsentialia, quia idem Concilium nihil in materiam Baptiſmi aſſignat quod ſubſtantiale non ſit; quam neceſse ſit ut omnia quæ aſſignat in formam Euchariſtiæ, ſint eſsentialia; quia nihil in formam Baptiſmi aſſignat quod eſsentiale non ſit. Atqui, &c. 22

Ad 4. n. 13. Potuit Florentina Synodus docere quæ *ad veritatem Sacramentorum* pertinent, nec tamen vel docere omnia eſsentialia, vel nihil præſcribere quod ex inſtitutione divina eſsentiale non ſit. Patet id ex dictis in Tract. de Confirmatione, de Euchariſtia, & plenius patebit ex dicendis ubi de materia Ordinum, & Miniſtro Matrimonii. 23

Ad 5. n. 14. Eſto Tridentini Patres reprobaverint nonnullas opiniones, quæ olim ſalva fide controvertebantur (quod an bene probet objectio, judicandum eſt ex dictis ſupra in Tractat. de Pœnitentia, p. 506.) at conſtat ne tactam quidem fuiſse eorum ſententiam, qui benedictionem olei ſubſtantialem eſse inficiantur, cum hanc nullo per orbem Epiſcopo reclamante doceant majoris famæ Theologi, tum in Galliis, ut nemo ambigit, tum in Italia, ut Auctor Librorum de re Sacramentaria pag. 195. 24

Ad 6. n. 15. Si certo de mente Angelici conſtaret, non ab eo divellerentur, qui pene in ipſius verba jurant Thomiſtæ. Atqui aliud tamen ſentiunt eorum nobiliores, ut Nat. Alexander, citatus mox Drouin, &c. Porro ubi dubia eſt Scriptoris eximii auctoritas, inſpicien- 25

cienda ſunt ejus momenta. Ex dictis autem patet ea non multum habere firmitatis.

26 Inſt. Non alia de cauſa reprobati ſunt Waldenſes, quam quia benedictionem olei reprobarent. Ergo hæc eſſentialis eſt.

27 R. neg. conſeq. aliud eſt enim ſacros Eccleſiæ ritus velut ſuperſtitioſos rejicere, quæ fuit Vvaldenſium, & hodieque eſt Calviniſtarum impietas, aliud negare horum aliquos, etſi de ſe bonos, ad Sacramenti eſſentiam pertinere, quæ eſt quotidiana Theologorum doctrina.

28 Ergo, inquies, ſi Sacerdos oleum Catecumenorum, vel Chriſma quo recens baptiſati in vertice inunguntur, imo commune oleum, imprudenter adhibuerit, non erit iteranda Extr. Unctio.

29 R. neg. ſeq. etſi enim opinio, quæ benedictionem olei eſſentialem eſſe negat, *ſpeculative* probabilior eſt: quia tamen minus eſt tuta, eique abſolute falſum ſubeſſe poteſt, nunquam ſequenda eſt *practice*. Unde, quod ſæpius a nobis obſervatum fuit, proſcripta eſt ab Innocentio XI. propoſitio aſſerens *in Sacramentis conferendis licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore*. Hinc S. Carolus in Synodo V. Mediolanenſi, an. 1579. (Tom. 15. Concil. pag. 590.) *Parochus, ſi per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum eſt, ad ægrotum ungendum adhibuerit, etiamſi Chriſmatis aut Catecumenorum ſit, ut erratum emendet, olei ſacri quod proprium infirmorum eſt, unctionem eidem adhibeat, tuncque Sacramenti formam iteret;* ſecluſo tamen ſcandali, alteriuſve gravis incommodi periculo. Scallius, pag. 241.

Sed num, ſaltem in neceſſitatis caſu, oleo vel communi, vel Catecumenorum uti licebit.

30 Non deſunt ex iis etiam qui benedictionem olei ad eſſentiam Sacramenti hujus pertinere credunt, qui exiſtiment licere uti oleo Catecumenorum, quia, inquiunt cum Goneto, hic diſp. 1. n. 27. non requiritur in oleo benedictio *certo ritu & forma verborum* peracta, *ſed quocumque modo ab Epiſcopo, vel a ſimplici Sacerdote, ex Epiſcopi commiſſione facta. Ex quo ſequitur oleum Catecumenorum, quod diverſa benedictione ab Epiſcopo conſecratus, eſſe ſufficientem materiam hujus Sacramenti, cum non differat ab oleo infirmorum, niſi diverſa benedictione, quæ non variat eſſentialiter materiam*. Non debet tamen, niſi *magna urgente neceſſitate, in tali oleo Sacramentum Extr. Unctionis miniſtrari, propter contrariam Eccleſiæ conſuetudinem*. Hæc ille, quæ uni ex Fratribus ejus probabilia videntur.

31 Ad hæc ego paucis; 1. Vix unquam uterer oleo communi; cum uſus ejuſdem toti Eccleſiæ ignotus videatur. Vix, inquam, quia ſi *infirmus nec dare potuit, nec unquam dedit ſigna pœnitentiæ, cenſent plurimi, in hac extrema neceſſitate adhiberi poſſe*, & ideo *debere oleum ab Epiſcopo non benedictum*; ita Paulus Lugdun. pag. 442. 2. non in quocumque etiam mortis imminentis caſu uterer oleo Catecumenorum, ſed in his anguſtiarum caſibus, quos ſupra c. 2. n. 53. & 57. deſcripſi. 3. nec tunc ob Goneti rationes uterer (ſi enim, ut ipſe vult, Chriſtus olei benedictionem præcepit, non utique vagam, ſed accomodatam uſui ad quem oleum & unctio deſtinabantur) ſed ob generale principium, quod in extremis dubia etiam materia uti licitum ſit.

Ex

Google

Ex his colliges ad vitandum in adminiſtratione hujus Sacramenti 32
errorem, *qui* teſte Haberto, pag. mihi 544. *non eſt iſta infrequens*, curandum ſedulo ut oleum Cathecumenorum & infirmorum in vaſibus ſeparatis conſerventur.

Quæres 1. quid facto opus ſit, cum deficere incipit oleum benedictum. 33

Reſp. ei priuſquam omnino deficiat immiſcendum eſſe oleum commune, quod, ut in re morali fieri ſolet, benedictionem ejus participabit. Unde Innocentius III. cap. 3. de conſecrat. Eccleſiæ: *Non negamus*, inquit, *quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri*: ubi licet non præſcriptum ſit ut oleum ſimplex conſecrato admiſceatur in minori quantitate, non eſt tamen ab hac cautione recedendum; quia Legis defectum ſupplet conſuetudinis receptæ interpretatio. Imo Rituale Romanum, Pariſienſe, &c. præcipiunt ut in hoc caſu oleo benedicto ſuperfundatur non benedictum *in minori quantitate*. Et vero, ſi ut adverſariis placet, dignius ad ſe traheret minus dignum, conjecta vel olei benedicti in dolium, vel in puteum, aut etiam in mare, aquæ benedictæ gutta, totum dolii oleum, tota & putei vel maris aqua fierent benedicta, quod eſt ridiculum.

Sed quid, ſi peſtis v. g. tempore paulatim & diſtinctis vicibus tanta addatur olei non benedicti quantitas, ut hæc olei ab initio benedicti quantitatem excedat. 34

R. Non deſituram benedictionem; quia oleum etiam ex mixtione benedictum, vere eſt benedictum, proinde totum ejuſdem virtutis. Ergo quæcumque fiat ei additio, modo ſemper in minori quantitate, non minus transfundetur benedictio, quam prima vice tranſmiſſa fuerit. Sic Eccleſia per modicas partes ſtatim refecta, nunquam a conſecratione ſua excidit, etiamſi temporis ſucceſſu partes de novo additæ ſuperent antiquas. Ita Sylveſter, Panormitanus, & alii quos citat & ſequitur Quarti in Tract. de benedictionib. Tit. 1. ſect. 2. dub. 5. pag. mihi 98.

Quæres 2. an neceſſe ſit ut oleum eodem anno benedictum fuerit. 35

R. id neceſſum non eſſe de neceſſitate Sacramenti. De neceſſitate autem Eccleſiaſticæ Legis, ſaltem gravi, a quibuſdam dubitatur: Quia id expreſſum non eſt quantum ad oleum infirmorum, licet expreſſum ſit quoad Chriſma. Ut ut eſt, declaravit S. Congregatio, die 20. Martii 1690. Gavanto teſte, poſſe Sacerdotem, adeoque teneri, vetus oleum adhibere, ſi deſit hoc anno benedictum. Imo ſi graſſante alicubi peſte prævideat Paſtor oleum novum non fore ſufficiens, poterit vetus reſervare, donec majorem novi copiam acceperit, & in hujus defectum vetus vel ſolum, vel novo commixtum adhibere. Rectiſsime autem monet Heſſelius, Lib. 5. c. 67. cavendum Parochis, ne veteri ſe oleo exuant, donec novum acceperint; ne inde diſpendii quid ferant ægrotantes. Ubi autem advenerit novum, vetus in lampade quæ coram SS. Sacramento ardet, comburetur, ut docet Coll. Andegav. p. 350.

Quæres 3. an qui oleum verum quo caret, oleo benedicto admiſcere non poteſt, peccet ſi balſamum, aut extraneum liquorem, aquam v. g. eidem alioqui defecturo admiſceat. 36

R. ne-

Reſp. negat. cum Scallio, ibid. pag. 237. modo & in gravi ſolum neceſſitate id faciat, & alium liquorem non apponat in ea quantitate, quæ olei naturam ſubvertat.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia proxima Extr. Unctionis.

37 CUM materia proxima cujuslibet Sacramenti ſit ipſa materiæ remotæ applicatio, oleum vero nonniſi per inunctionem ægro applicari poſsit, conſtat unctionem eſſe proximam hujus Sacramenti materiam. Atque id ſatis indicant hæc ejuſdem Apoſtoli verba: *Ungentes eum oleo.*

38 Porro rituales Libri præcipere ſolent, 1. ut unctio fiat in quinque, aut etiam in ſeptem corporis partibus. Sic Rituale Romanum Pauli V. juſſu editum: *Quinque*, inquit, *corporis partes præcipue ungi debent, quas velut ſenſuum inſtrumenta homini natura tribuit, nempe oculi aures, nares, os & manus. Attamen pedes & renes ungendi ſunt; ſed renum inunctio in mulieribus, honeſtatis gratia ſemper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt.* Sed ſive in mulieribus ſive in viris, alia corporis pars pro renibus inungi non debet. 2. Et id etiam plerumque præcipiunt, ut unctio hæc fiat per modum crucis. Jam quæritur an & quouſque hæc neceſſaria ſint. Qua de re ſit

CONCLUSIO I. Non eſt neceſsum ad eſsentiam Sacramenti hujus, ut unctio una vel multiplex fiat per modum crucis.

39 Prob. quia nec ſigni hujus meminit Jacobus, neque illud commemorat Traditio, nec præſcribunt Concilia Florentinum & Tridentinum, quæ materias & formas Sacramentorum accurate recenſent; neque ſi præſcriberent, ideo eſsentiale cenſeri deberet; cum ex dictis Artic. præced. quædam etiam minime ſubſtantialia identidem præſcribant.

40 Obj. 1. id Stephani Papæ, diſt. V. de conſecrat. cap. 10. (circa an. 887.) *Numquid non omnia Chriſmata Sacerdotalis Myſterii* (vel *Miniſterii*) *crucis figura perficiuntur.* Ergo ſecluſa cruce non perficitur Chriſma, quo nomine olea quæcumque ſancta exprimuntur.

41 Reſp. neg. conſeq. hæc enim verba ſolam Eccleſiaſtici præcepti neceſsitatem indicant, ut ex his ſequentibus patet; *Numquid Baptiſmatis unda, niſi cruce ſanctificata, peccata relaxantur?* &c. Valet enim indubie Baptiſma cum aqua ſimplici, nec per crucem ſanctificata collatum. Hanc porro Eccleſiaſticæ legis neceſsitatem ſponte agnoſcunt Theologi; imo tantam plures, ut hanc crucis formam ſine peccato mortali omitti poſse negent.

42 Obj. 2. Non valet unctio Chriſmatis in Confirmatione, niſi fiat per modum crucis. Ergo nec in Sacramento exeuntium.

43 R. Prætermiſso antecedente, quod ad minus dubium eſse liquet ex dictis in Tract. de Confirmatione, cap. 3. pag. 108. neg. conſeq. Diſpa-

Digitized by Google

Diſparitatis ratio eſt, vel eſſe poteſt, quod, ut ait Eugenius IV. in Decreto, Confirmandus *in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, propter quod ſigno crucis ſignatur*. At in morientium Sacramento ægrotus tantum ungitur per modum medicinæ, ad recuperandam mentis & corporis ſanitatem; ad id autem ſufficit invocatio nominis Domini, non autem abſolute requiritur crucis ejus imago, licet hæc pie & utiliter ex uſu Eccleſiæ adhibeatur.

Conclusio II. Ad Sacramenti hujus valorem non requiritur unctio multiplex; hæc tamen ex Eccleſiæ præcepto, pro tempore & loco adhibenda eſt. *Ita cenſent ætatis noſtræ eruditi pene omnes*, ait eruditus Auctor Libri de re Sacramentaria, pag. 198.

Prob. 1. pars. Illud ſolum in eſſentialem Sacramenti materiam aſſignari debet, quod ab omni ævo materiam ejus fuiſſe rite conjicitur; neque enim Eccleſia materiam aut formam Sacramentorum pro libitu immutat, uti probatum eſt in Tract. de Sacram. in genere. Atqui nihil eſt unde vel probabiliter conjiciatur, unctionem quæ nunc in quinque ſenſuum organis efficitur, ab initio viguiſſe. Non ex Scriptura, quæ Jacobi 5. unctionem generatim requirit, ſed de partibus liniendis altum ſilet. Non ex primæva Traditione, quæ ut ex allatis Origenis, Chryſoſtomi & Innocentii I. auctoritatibus liquet, unctionem præſcribere contenta, ne inſinuat quidem quibus in partibus hæc facienda ſit. Non ex praxi perpetua, quæ Traditionis cujuſdam oralis vices gerat; 1. quia currente jam ſæculo VI. moris erat ut unctio in uno ſolum pectore fieret; uti teſtatur anonymus Scriptor vitæ S. Eugendi, vel Augendi, qui hoc tempore floruit; de quo ſic ille: *Vocato uno ad ſe de Fratribus, cui olim perungendi infirmos opus injunxerit, ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum petiit, ut moris eſt, inungi*. Ergo tunc moris erat, ut pectus ſolum inungeretur, prout in Præfatione ad ſæculum I. Ordinis Sancti Benedicti obſervat Mabillonius. 2. Quia cum invaluit uſus plures partes liniendi, non ubique eædem perunctæ ſunt; vetera enim Græcorum Euchologia, nullum deſignando corporis membrum, videntur Sacerdotibus ſuis liberum feciſſe, quas vellent corporis partes pro vario ægrotantium ſtatu linire. Sanctus Gregorius Magnus circa initium ſæculi VII. morem induxit * quinque ſenſuum organa ungendi; ſed mos ille nec quoad numerum, nec quoad partem ungendam ubique receptus eſt. *Perungant*, ait Tilianus, ſeu Sagienſis Codex antiquiſſimus (apud Hug. Menardum, pag. 340.) *ſinguli Sacerdotes infirmum de oleo ſanctificato, cruces faciendo in collo & gutture, & pectore, & inter ſcapulas, ſeu in loco ubi dolor plus imminet*. Hodierni Græci, teſte Arcudio lib. 5. cap. 7. *ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas; ita ut fieri videatur unctio in capite ad modum crucis, deinde*

* Hæc tantum habet Gregorius M. in Sacramentario, quod publici juris fecit Menardus: „ Multi Sacerdotes infirmos perungunt in quinque ſenſibus corporis, id eſt, in „ ſuperciliis oculorum, &c. Hæc vero legem non ſanciunt, ſed factum referunt.

deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, poſtremo pedes. Neque is ritus multæ eſt apud eos antiquitatis, cum Simeon Theſſalonicenſis, Florentina Synodo paulo antiquior, de pectore & pedibus nullam facit mentionem. Eugenius IV. in Inſtruct. ad Armenos: *Hoc Sacramentum*, inquit, *niſi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus eſt, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibi vigentem*. Sed neque huic plane conſonat Rituale Pauli V. juxta quod *quinque corporis partes præcipue ungi debent .... nempe oculi, aures, nares, os & manus: Attamen pedes etiam & renes ungendi ſunt; ſed renum inunctio in mulieribus, honeſtatis gratia ſemper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt. Sed ſive in mulieribus, ſive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet*. Ergo Græci & Latini, tum ab invicem, tum etiam ipſi inter ſe, quantum in Unctione admittenda conſentiunt, tantum in unctionum numero, vel ungendis partibus diſcrepant, & præteritis ætatibus diſſenſerunt. Atqui diſſenſio hæc in re ad eſſentiam Sacramenti ſpectante ſupponi non poteſt. Ergo.

45 Prob. 2. Non aliter loquitur Scriptura de unctione infirmorum, quam de ablutione Cathecumenorum. Ut enim de ablutione ait Chriſtus, Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine*, &c. ſic de unctione ait Jacobus cap. 5. *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Atqui ad Baptiſmi ſubſtantiam ſufficit ablutio una, licet trina olim & diu fuerit in uſu. Ergo a pari, &c.

46 Prob. 3. Si ad Sacramenti eſſentiam unctio quinque ſenſuum pertineret, unctio una in nullo quantumlibet gravis neceſsitatis caſu ſufficeret, aut a magnis Eccleſiis, diſsimulante Romana, ſufficere crederetur. Atqui tamen, &c. Prob. min. 1. quia Codex Remigio-Rhemenſis, abbreviatum hujus Sacramenti ritum deſcribens, unius tantum unctionis mentionem facit. 2. Quia Rituale Mechlinienſe, ab Academia Lovanienſi ann. 1588. approbatum, ſtatuit, quod *ut in morbis contagioſis periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſus organum magis ad unctionem expoſitum aut detectum, dicendo: Per iſtam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, odoratum, guſtum & tactum*. 3. Quia idem docent Manualia Cameracenſe & Atrebatenſe, apud Sylvium quæſt. 32. artic. 6. 4. Quia idipſum ſanxit Octavius Tricarienſis per Germaniam & Belgarum Provincias Apoſtolicus Nuntius in Directorio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ubi hæc: *Etſi ordinarie inungenda ſunt ſingula ſingulorum ſenſuum loca, nec unquam, niſi graviſſima neceſſitas cogat, aliter faciendum; conſtabit tamen ſacræ Unctionis Sacramentum, & in inungendo* quopiam *contagioſo morbo aut peſte laborante, ad evitandum contagionis periculum ſufficeret, ſi inungatur ſenſus organum ad unctionem magis expoſitum & detectum, dicendo: Per iſtam ſanctam Unctionem*, &c. ut ſtatim. 5. Quia Rituale Pariſienſe, non ſine præſtantiorum Urbis primariæ Theologorum conſilio editum ab Antonio Card. Noallio, pag. 204. *Si non poſſit ſuper infirmos*

fieri

fieri niſi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud ſenſuum organum, & ceteris precibus prætermiſſis dicatur: Per iſtam ſacri olei unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per ſenſus. Idem præſcribit Rituale Argentinenſe juſſu Eminentiſs. Armandi Gaſtonis Cardin. de Rohan editum, pag. 187. ubi ritum Sacramenti hujus, tempore peſtis, adminiſtrandi, paucis his complectitur: Sacerdos intrans cubiculum infirmi, dicat: *Pax huic domui*. Aſpergat infirmum aqua benedicta, ſi ad manum habeat, *& mox prætermiſſis orationibus & aliis precibus, eum ungat cum bacillo ſeu virgula ſuper primum ſenſum obvium, dicens: Per iſtam ſanctam unctionem, &c.*

Prob. 2. pars, quia ex S. Auguſtino, nulla prudentior eſt regula, quam ut quiſque Eccleſiæ ſuæ ritum ſequatur. Id autem præcipue ſervandum in Sacramentis, in iſto autem maxime quantum ad unctiones quinque organorum ſenſus, quæ adeo in Eccleſia Latina obtinuerunt, ut S. Thomas in 4. diſt. 23. q. 2. art. 3. eas dicat *ab omnibus obſervari, quaſi de neceſſitate Sacramenti*. 47

Objiciuntur duo contra 1. part. 1. quod Florentinum, Rituale Pauli V. & Catechiſmus Romanus pure ac ſimpliciter quinque ſenſus inungi præcipiunt; 2. quod Paſtorale Mechlinienſe, cui multum innitimur, anno 1608. emendatum ſit, & ad formam Ritualis Romani reductum; in hoc porro non permittitur ſenſus unius inunctio. 48

Reſp. ad 1. neg. conſeq. aliud eſt enim unctionem quinque ſenſuum præcipere, quod & nos facimus; aliud eandem pro eſſentiali habere. Sane ne ipſum quidem Pauli V. Rituale in hac parte conſentit Florentino Decreto. 49

Ad 2. 1. Editores poſtremi Ritualis Mechlinienſis non reprobarunt opinionem prioris; ſed quia illic trepidaverunt timore ubi non erat timor, eam ut incertam ſuppreſſerunt: 2. ut bene Sylvius, ubi ſupra pag. 134. eſto eam rejecerint, at non inde ſequitur Profeſſores S. Theologiæ Lovanienſes, alioſque doctos viros, qui prius Manuale vel concinnaverunt, vel probaverunt, a priori ſua ſententia receſſiſſe. 3. Non ita Manuali huic innitimur, ut, eo deficiente, cauſa noſtra periclitetur, ut patet ex monumentis ſtatim congeſtis. 4. Ne ipſi quidem adverſarii ſibi ſatis cohærent; exigunt enim ut ſenſuum organa ungantur. Atqui tamen non unguntur oculi, ſed palpebræ, quæ nullatenus ſunt organum viſus: pari modo unguntur os & labia, non lingua & palatum, in quibus tamen unis poſitum eſt guſtus organum. Demum ſi cui abſciſſa ſit manus, ei pugnus inungitur. Pugnus autem a manu eſſentialiter diſcrepat. 50

Nec eſt quod dicant, non equidem tunc ungi organa viſus, guſtus, &c. ſed partes vicinas, quod ſufficit; quia harum unctio non equidem phyſice, ſed moraliter unctio eſt organorum. Namque 1. hinc ſequitur in rei veritate non ungi organa, quod tamen, ſi quid requirunt, requirunt Concilia. 2. Non magis moraliter ungitur organum viſus & guſtus, cum liniuntur vicinæ partes, quam ungatur manus, cum ungitur pugnus in homine membris integro. 3. Si moralis organorum unctio ad valorem Sacramenti ſufficere poteſt, 51

ſufficiet unica unctio ; quia unica unctio phyſica poteſt eſſe moralis unctio organorum omnium ſenſuum ; uncta enim fronte ungitur caput in nobiliori ſui parte ; uncto autem capite , moraliter ſaltem unguntur ſenſus omnes , qui in capite velut in arce reſident ; & id unum requirere videtur Sanctus Gregorius , Lib. Sacrament. ubi ſic : *Ingrediens Sacerdos in domum infirmi , dicat hanc orationem , &c. poſtea faciat ei ſignum crucis in capite de oleo benedicto , dicens : In nomine Patris , &c. ſit tibi hæc perunctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis* . Ergo ſicut ſuppleri poteſt unctio organi per unctionem vicinæ partis , ſic & ſuppleri poteſt per unctionem partis in qua reſidet ſedes organorum; imo quod ſuppleri poteſt , non eſt eſſentiale Sacramento.

52 Inſt. Duo apud Theologos recepta ſunt ; 1. iterandam eſſe primam unctionem, ſi Miniſtrum, ea ſola peracta, mori contingat ; 2. nullum eſſe Sacramentum, ſi infirmus poſt primam, ſecundam , imo & quartam unctionem, ſtatim moriatur . Atqui ſi unctio una ad Sacramenti eſſentiam ſufficeret, neque ea in priori caſu iteranda foret ; nec dubium aut invalidum foret Sacramentum in poſteriori. Ergo.

53 R. ad 1. Nihil minus receptum eſſe apud Theologos , quam primæ hujus unctionis iterationem , quam , ut dixi cap. 2. num. 41. expreſſe rejicit S. Thomas, & his verbis , S. Carolus ubi de hoc Sacramento, *Si aliquando acciderit ipſum Parochum dum ungit, præ virium debilitate aliove caſu deficere, alius Sacerdos, ſi præſens aderit, aut aliunde ſtatim evocatus, reliquas partes quas ille non unxit, ungere rite perget ; unctas autem denuo non unget*. Cenſet quidem Grandin, hic p. 183. tutius eſſe ut tunc repetantur unctiones prius factæ , ſi per tempus licebit : ſed ejus dubium inde quoad præſens oritur , quod incertum ei ſit an Sacerdotes duo, quorum unus partem unam, alter alteram, ſeu ſimul , ſeu ſucceſſive inungit, valide operentur. Et id ego, ut dixi, ſequerer in locis, ubi nihil contra fuiſſet ſancitum.

54 Ad 2. fateor non ſtare Sacramentum, ſi Presbytero quinquies ungere volente, moriatur infirmus ante quintam unctionem . Verum non ideo tunc deficit Sacramentum, quia unctio una non poſſit ſufficere , ſed quia deficit forma quæ ſufficienter & ex intentione Miniſtri totum Sacramenti effectum exprimat; tunc enim duntaxat exprimitur totalis effectus Sacramenti, cum ſignificatur remiſſio peccatorum omnium, quæ per illud Sacramentum auferri poſſunt . Atqui cum juxta uſum Eccleſiæ Romanæ adminiſtratur Extr. Unctio, remiſſio totalis peccatorum, quæ per Sacramentum hoc deleri poſſunt, non exprimitur niſi poſt unctionem quinti ſenſus, cum formula ſibi reſpondente . Quælibet enim formula ſpeciatim ſumpta effectum hunc non ſignificat , ſed ſolum partem ejus. Ergo ut totus exprimatur effectus, proinde ut conficiatur Sacramentum, neceſſe eſt ut unctiones omnes poſitæ ſint. Verum ſi a prima unctione exprimeretur totalis Sacramenti effectus, cum intentione eum totum conferendi ; puta ſi diceret Sacerdos : *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti* , tunc dubio procul ſtatim exiſteret Sacramentum.

Quæres 1. an unctio fieri debeat in oculis cœci nati.

Negant

Digitized by Google

Negant S. Thomas, S. Antoninus, & alii, quos ſequitur Pontas hic caſ. 11. quia non indiget ut ſibi condonetur quidquid per viſum deliquit, qui nuſquam deliquit per viſum. Idem præſcribit Rituale Argentin. pag. 175. *Si quis cæcus ſit aut ſurdus a nativitate, non fiat ſuper eum unctio his ſenſibus reſpondens. In mutis autem a nativitate fiat unctio ad labia, ſed reticeantur hæc verba*, per locutionem. 55

Aliter ſentiunt Toletus, & alii non pauci, quos ſequi videtur Habert. Horum ratio eſt, quod licet quis per organum quo privatus eſt, exterius peccare non potuerit, potuit tamen appetere actus noxios, qui per ejuſmodi organum perficiuntur, & exterius prodeunt, puta intueri quæ videre non liceat. Idem docent Collator Andegav. p. 361. ubi nititur auctoritate S. Thomæ, Rituale Burdigalenſe *, & PP. Antonius & Paulus Lugdunenſis. Atque id quia prodeſſe poſſit, nihil autem nocere, ſequerer in praxi, niſi reſiſteret uſus locorum. Unde obiter arguendi veniunt Ritualium factores, qui quod in aliis Ritualibus detegunt, inconſultis Theologis ſequuntur. Interim a lege contraria, ſicubi viget, recedere non auſim, niſi ad id obtenta Superioris facultate. 56

Quæres 2. an proſequendæ ſint unctiones, ſi æger interim decedat. 57

R. cum Rituali Romano: *Si dum inungitur infirmus decedat, Presbyter reliquas unctiones omittat. Quod ſi dubitet an vivat adhuc, unctionem proſequatur, ſub conditione pronuntiando formam, dicens: Si vivis, per iſtam ſanctam unctionem, &c.* Cum adeo in extrema vergit infirmus, ut periculum ſit ne decedat antequam finiantur unctiones, prætermittendæ ſunt orationes, quæ unctiones præcedunt. Imo tunc non duplex ſenſus organum, ſed unum duntaxat, puta oculus unus, auris una inungi debet. Quod ſi ſupervivat infirmus prætermiſſæ orationes dicendæ erunt: ita paſſim Rituales Libri. Conſulunt nonnulli cum Sylvio, ut in his anguſtiarum caſibus, ſi multi ſint Sacerdotes, *unus unam unctionem faciat cum ſua forma, & alius aliam, etiam cum propria forma*, quod, inquiunt, *ob neceſſitatem, licite* fieri poteſt. Id equidem, de quo ſup. cap. 2. n. 41. non reprehenderim, quia in extremis dubia quæcumque licent. At malim ut obvius ſenſus ſemel ungatur cum forma generali ſuperius num. 46. exhibita. Nuſquam tamen ſic partienda hujus Sacramenti adminiſtratio, ut *uno ungente alter formam proferat*, quia tunc *nihil fit*; aut ſaltem nulla eſt utilitas, quæ hujuſce ritus dubietatem compenſet. Vide Sylvium, Suppl. q. 31. art. 1. ſub finem, & ſupra, cap. 2. num. 39.

Quæres 3. quid obſervandum Parocho duplex ejuſdem ſenſus organum linienti. 58

Reſp. cum Rituali Roman. *Dum oculos, aures, & alia corporis membra quæ paria ſunt, Sacerdos ungit, caveat ne ipſorum alterum inungendo, Sacramenti formam prius abſolvat, quam ambo hujuſmodi paria membra peruxerit.*

Oo 2 Quæres

* On ne doit omettre aucune des onctions ſur les perſonnes qui n'ont jamais fait uſage de quelques ſens, tels que ſont les aveugles, les ſourds & les muets de naiſſance; parce qu'encore qu'ils ne ſe ſoient jamais ſervi de l'ouie, de la vue, ou de la langue pour pécher, ils ont pu déſirer d'en avoir l'uſage, pour prendre quelque plaiſir illicite. *Rituale Burdigal. pag. 173.*

59 Quæres 4. unde incipiendæ ſint unctiones.

Reſp. quod licet unctionum ordo in nulla prorſus opinione pertineat ad ſubſtantiam Sacramenti, paſſim tamen præſcribunt Ritualia, ut *ſemper* incipiatur ab oculis; ſi nempe ſubſit ſpes futurum ut unctiones omnes perfici valeant; alioqui enim conſultius eſt, quemadmodum docet Benedictus XIV. in Tract. de Synodo, Lib. 7. cap. 18. *ut caput, e quo omnium ſenſuum nervi deſcendunt, ſub eadem forma univerſali inungatur*; quod & Epiſcopi plures permiſerunt, & optandum ut omnes permittant. *Ne vero*, ſubdit idem Pontifex, *Parochi hac libertate abutantur, expedit ut Epiſcopus ſimul ſerio eos admoneat, a gravis culpæ reatu non excuſari, qui extra caſum veræ neceſſitatis, vel unam ex quinque ſenſuum unctionibus prætermittat*.

60 Quæres 3. an unctio Sacerdotibus applicetur eodem modo, quo ceteris Fidelibus.

R. negat. *Sacerdotibus* enim *manus exterius inungendæ ſunt, non interius, propter reverentiam olei ſacri, quo in Ordinatione unctæ fuerunt*. Rit. Argent. & alia paſſim.

61 Quæres 4. quomodo unctiones fieri debeant.

Reſp. eas fieri poſſe ſive crudo pollice, ſive ope bacilli in oleo intincti; quod ultimum obſervari debet, cum inunguntur peſte, vel rabie infecti; & hi in genis, non in ore ipſo liniri debent, ne malum inferat ſaliva. Porro bacillus, ſi metallicus ſit, igne purgari, ſi ligneus flamma conſumi debet. Idem de globulis abſterſione ſacri olei delibutis faciendum, vel in ipſa infirmi domo, vel in Eccleſia; tuncque cineres in ſacrarium projiciendi. Ita monet cum Ritualibus Collator Andegav.

62 Quæres 5. an ſufficiat infirmum una olei gutta liniri.

Negarunt aliqui cum Suarez; quia ad Baptiſmum non ſufficit una aquæ gutta. Sed melius affirmant alii; quia ſi olei gutta linias, diceris ungere: contra ſi digito apponas aquæ guttam, non diceris abluere; quia ad ablutionem requiritur fluxus. Ceterum unctio incipit ab oculo dextro, & ſimiliter ab aure dextra, manu, pede, &c.

CAPUT QUARTUM.

De forma Extremæ Unctionis.

1 Circa hujus Sacramenti formam varias in partes abierunt Scholaſtici. Ex iis enim nonnulli, de quibus S. Thomas, Supplem. quæſt. 29. art. 7. *dixerunt quod nulla eſt forma de neceſſitate hujus Sacramenti*. Neque hinc omnino recedit Maldonatus, qui quamvis credat Extrem. Unctionis formam his indicari B. Jacobi verbis: *Ungentes eum oleo, &c.* docet tamen formas Sacramentorum verbis neceſſario non conſtare. Alii docent ſuam ut ceteris Sacramentis, ſic & Extr. Unctioni neceſſario formam ineſſe: ſed hanc, niſi deprecativa ſit, irritam prorſus eſſe volunt. Alii deprecativam fatentur Jacobi verbis ſummopere accommo-

commodari: at ſimul indicativam ſeu abſolutam ſufficere poſſe contendunt. Quæ lis ut pro modulo dirimatur, ſit

CONCLUSIO I. Sua eſt indubie forma Sacramento Extr. Unctionis.

Prob. 1. ex ipſo Jacobi textu: *Orent ſuper eum, ungentes* . . . *& oratio* 2
fidei ſalvabit infirmum. Unde ſic: Si Sacramentum iſtud non conſtaret forma, ſola ad effectum ejus ſufficeret materia, videlicet olei unctio. Atqui tamen cum unctione concurrere debet oratio fidei; quod & ita facit, ut ei potiſſimum adſcribatur Sacramenti effectus, nimirum ſpiritualis, vel etiam corporea ſalus infirmi. Ergo.

Prob. 2. ex utriuſque Eccleſiæ conſenſu. De Orientali conſtat ex ve- 3
teribus & novis Græcorum Euchologiis. De Occidentali ex Conciliis Tridentino & Florentino, quæ id unum ad nos tranſmiſere, quod ab Antiquis acceperant.

Prob. 3. ratione D. Thomæ: Sacramentum non operatur niſi id quod 4
ſignificat. Atqui unctio per ſe ſolam & independenter a forma non ſignificat id quod in iſto Sacramento operari debet; debet enim animæ præſertim ſanitatem operari: hanc autem practice non ſignificat olei unctio, quæ multa alia ſignificare poteſt.

CONCLUSIO II. Secura eſt, & alia quacumque convenientior forma deprecatoria.

Prob. 1. Forma quæ profertur juxta modum ab Apoſtolo conſtitu- 5
tum, indubie ſecura eſt, & alia quacumque convenientior. Atqui talis eſt forma deprecatoria, quæ mire congruit, tum his Jacobi verbis, quæ Sacramenti hujus miniſtrandi ritum continent: *Orent ſuper eum, ungentes, &c.* tum & his quæ Sacramenti effectum deſignant: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*. Ergo.

Probat. 2. Forma quam ſemper adhibuit Eccleſia Orientalis, quæ- 6
que jam pridem, ſi non ab omni ævo, uſurpatur in toto Occidente, & ſecura eſt, & admodum conveniens: Alioqui vel nullum hodie eſſet in tota Eccleſia Sacramentum Extrem. Unctionis, vel illud minus decenter adminiſtraretur. Atqui deprecativam formam ſemper adhibuit Eccleſia Orientalis, iſtam videlicet quam exhibent Eucologia: *Pater ſancte, medice animarum & corporum, qui miſiſti Unigenitum Filium tuum D. N. J. C. omnem morbum ſanantem, & a morte liberantem, ſana quoque hunc ſervum tuum a corporali ſpiritualique infirmitate, qua continetur, & vivifica eum per gratiam Chriſti tui, &c.* Sed & formam huic Græcorum penes eſſentialia parem multis abhinc ſæculis adhibet Eccleſia Latina; hanc nimirum: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum* (& ſic de aliis ſenſibus) *deliquiſti*. Hæc autem forma a Tridentino & Florentino præſcripta, diu ante erat in uſu, ut patet ex Sancto Thoma, qui ibidem ſic loquitur: *Forma hujus Sacramenti eſt oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi, & ex uſu Romanæ Eccleſiæ, quæ ſolum verbis deprecativis utitur in collatione hujus Sacramenti*. Hanc autem formam Græcanicæ formæ penes eſſentialia parem dico; quia ſi a forma Latina demantur accidentalia iſthæc: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam*; a Græca vero cetera præter breve iſtud: *Pater ſancte, ſana hunc ſervum tuum*

 ab

Digitized by Google

ab infirmitate qua continetur, palam erit non aliud eſſe inter utramque formam diſcrimen, quam grammaticale; & utrobique eundem ſignificari effectum, nempe gratiam, quæ peccati reliquias abſtergat; de quo cap. ſeq.

Idem variis, ut loquuntur, *congruentiis* probat cit. art. 7. S. Thomas quem adi, ſi vacat.

7 Obj. 1. Tam ex his verbis: *Ungentes eum*, colligi debet forma indicativa, quam ex iſtis, *Baptizantes eos* colligitur forma indicativa. Atqui.

8 Reſp. neg. maj. in his enim verbis, *Baptizantes*, aut in iis quæ eadem ſequuntur, vel præcedunt, nihil eſt quod deprecationem ſonet. Atqui contra in his Jacobi verbis, tum antecedentibus, *orent ungentes*, tum ſequentibus, *& oratio fidei*, *&c.* eſt aliquid quod orationem abunde exprimat. Ergo.

9 Obj. 2. Forma Sacramenti duo eſſentialiter habet; 1. quod pariat gratiam; 2. quod eam pariat infallibiliter. Atqui forma mere deprecativa, nec gratiam cauſat, ſed tantum petit; nec infallibiliter cauſat, cum effectus orationis non ſit infallibilis.

10 R. neg. min. forma enim deprecativa, licet forte ut opus eſt operantis, effectum ſuum vel certo non pariat, vel proprie non cauſet; tamen ut eſt opus ex Chriſti inſtitutione ad eſſe Sacramenti elevatum, non minus quam abſoluta quæcumque forma effectum ſuum parit; eſt enim inſtrumentum quo Deus ſecundum leges a ſe poſitas utitur; inſtrumenti autem modus nihil divinæ operationi nocet.

11 Ergo, inquies, poſſet etiam Sacerdos in Pœnitentiæ Sacramento remittere peccata, orando ut remittantur, per hæc aut ſimilia verba: *Miſereatur tui*, *&c.* Atqui tamen non remitteret; & ideo juxta S. Thomam, 3. p. qu. 84. art. 3. ad 1. non remitteret, quia non abſolveret ipſe, ſed tantum peteret abſolvi. Ergo nec peccata per verbum, *indulgeat*, remittere poteſt.

12 R. 1. non deeſſe graves Theologos, & in his primi ſubſellii Thomiſtas, qui abſolutionem deprecativam certo valere contendant, uti diximus Parte I. cap. 7. nu. 10. & ſeq. 2. Si forte non valet, nec uſquam valuerit abſolutio deprecativa, debet id repeti, tum ex Chriſti voluntate, qui gratiam ſuam determinatis pro ſapientia ſua ſignis annectit; tum quia in Tribunali pœnitentiæ Sacerdos judicem agit; judex autem non precatur, ſed fixam & abſolutam ſententiam profert. Atqui contra in Extr. Unctionis ritu Sacerdos non agit judicem, neque ſententiam fert, ſed eſſentialiter precatur. Ergo.

13 Inſt. Si forma Extr. Unctionis ſit eſſentialiter oratio, Sacerdos voluntarie diſtractus, adeoque vere non orans, nihil operabitur. Atqui durum conſequens.

14 R. ex Theologis alios concedere illationem cum Henno; pag. 364. quia qui in Sacramento orationem exigente non intendit orare, non intendit Sacramentum conficere; alios vero negare, tum quia Sacramenti valor non pendet ab oratione Presbyteri, prout eſt opus operantis; ſed prout eſt quid Sacramentale, & ſuam ex Chriſti meritis efficaciam habens; tum quia, dum etiam male orat Sacerdos, Eccleſia

per

per eum bene orat. Utraque opinio in re non ſatis a Chriſto manifeſtata probabilis videtur. Quibus res dubia videbitur, & ſane videbitur non paucis, his Sacramentum ſub conditione iterandum erit, ſi citra grave ſcandalum iterari poterit.

Quæres 1. an omnia prædictæ formæ verba ſint de neceſſitate Sacramenti.

R. nullum ex his verbum, dempto neceſſitatis caſu omitti poſſe ſine 15
peccato, quod gravius erit vel levius pro ratione omiſſionis.

R. 2. non eſſe eſſentialia iſthæc, 1. *ſanctam* aut *ſacram*, cum in Flo- 16
rentino & Tridentino omittantur; 2. *per ſuam piiſſimam miſericordiam*, quia vel Sacramenti forma non requirit expreſſionem principalis cauſæ ſui effectus; vel hujus cauſæ expreſſio ſatis habetur in verbo *Indulgeat tibi Deus*; quia indulgere quidquid deliquit homo, grandis eſt miſericordia; 3. nec eſſentialia videntur hæc *per viſum*, *guſtum*, *&c.* cum ea generali hac voce *per ſenſus* ſuppleantur aliquando in variis Diœceſibus. Si tamen, ut communiter fieri ſolet, unctis ſigillatim cum partiali forma ſenſibus, effectus Sacramenti uſque ad unctionum finem ſuſpendatur, videntur hæc eſſentialia; quia nec prior ſine poſterioribus, utpote ad certum peccati genus coarctata; nec poſteriores, eadem de cauſa, ſine priori operari poſſunt. Malim profecto dixiſſe generatim, *Quidquid deliquiſti*, quam dixiſſe tantummodo, *quidquid per viſum deliquiſti*. 4. Negant plures eſſentialia eſſe iſta: *In nomine Patris, &c.* quia, inquiunt, non unguntur infirmi, ſicut confirmati, ad defendendam fidem, cujus præcipuum objectum eſt Trinitas. Verum abſit ut ab hujuſmodi ratiunculis dijudicetur Sacramentorum eſſentia. Sane unguntur infirmi ad reſiſtendum diabolo, qui præcipue ejicitur in nomine Trinitatis. Ergo nihil mirum, ſi expreſſa ejus invocatio dubie ſaltem eſſentialis exiſtimetur. 5. Nec deſunt quibus voculæ: *Quidquid deliquiſti*, haud omnino neceſſariæ videantur, quia eas per verbum *indulgeat*, ſatis reddi & ſignificari opinentur. Sed rurſum male, quia ad minus dubie; vox enim *indulgere*, præterquam latiorem habet ſenſum quam condonare, ſeu remittere *, de pœna non minus quam de culpa intelligi poſſet. Ergo niſi ad peccati remiſſionem determinetur, per id *Quidquid deliquiſti*, non ſignificabit diſtincte ſatis effectum hujus Sacramenti.

Sed quid de verbis iſtis: *Per iſtam unctionem, &c.* Negant quidam 17
ea abſolute requiri, vel expreſſe, quod certum eſt, cum iis non utantur Græci; vel æquivalenter, quod falſum eſt; tum quia alioqui non exprimeretur actio Miniſtri; tum quia oleum de ſe ad multa indifferens, non magis per formam determinaretur ad unctionem, quam aqua ad ablutionem in Baptiſmo, ſi Miniſter non diceret: *Baptizo te*. Sufficit tamen, ſi ungendi actio implicite exprimatur. Sic enim eam, nec aliter, exprimunt Græci per hæc verba: *Pater ſancte, Medice animarum & corporum, ſana, &c.* ſanat enim Medicus per remedia quæ ejus juſſu applicantur.

* *Indulgeo*, ſeu *obſequor*, *conſentio*, *inſervio*, *facile concedo*, *plus æquo remitto*. Calepin.

18 Ergo indubie pro eſſentialibus haberi debent hæc, vel æquivalentia: *Per iſtam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*. Pro dubie eſſentialibus iſthæc: *Per ſenſus*, & *in nomine Patris*, &c. cetera vero pro accidentalibus.

19 Quæres 2. annon eo redargui poſſit conſueta Extr. Unctionis forma, quod effectum Sacramenti hujus totalem non ſignificet: Utique enim forma hæc eorum duntaxat defectuum Indulgentiam exprimit, qui per quinque corporis ſenſus commiſſi ſunt. Conſtabit porro ex dicendis cap. ſeq. per hoc Sacramentum ſanari etiam delicta ſine ſenſuum miniſterio commiſſa, qualia ſunt ſpiritualia ſuperbiæ peccata, &c.

20 R. cum Suarez, diſp. 41. ſect. 2. n. 14. (Tom. 4. in 3. p. pag. 531.) per unctiones quinque, & quæ eis reſpondent formas, ſufficienter ſignificari mundationem ab omnibus peccatis; 1. quia radix peccatorum eſt cogitatio; hæc autem a ſenſibus, vel aliquo ad ſenſus relativo originem ducit: unde hic præſertim valet vetus adagium: *Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu*. Nec enim quis mente ſolum ſuperbus eſt, ſed amat videri, laudari, ceteris præferri &c. 2. quia nullum eſt peccatum in homine, quod ſolius animæ ſit, & non totius hominis; nullum proinde peccatum, cujus curatio per corporis curationem ſignificari non poſſit. Ergo & optime ſignificatur per eam corporis partem, quæ eſt radix peccati, id eſt per ſenſus,

21 Quæres 3. an Sacramentum iſtud, licet materiis pluribus conſtet & formis, ſit unum.

R. affirm. cum S. Thoma, Suppl. q. 29. art. 2. Ratio eſt quia Sacramentum, utpote compoſitum morale, unum eſſe debet, ſi unus eſt finis ad quem ordinatur. Porro reipſa unus eſt hujus Sacramenti finis, nempe perfecta ſpiritualium animæ vulnerum curatio. Ergo.

Major eſt circa tertium caput difficultas, an videlicet ad eſſentiam Sacramenti opus ſit forma deprecatoria; annon ſufficiat forma indicativa, ſeu abſoluta. Iſtam omnino ſufficere, atque olim pluribus in Eccleſiis ſolam viguiſſe docent uno prope calculo recentiores, atque in his Morinus, Lib. 8. de Pœnit. cap. 16. Hugo Menardus, in notis ad Sacramentarium Gregorii Magni, Joannes Launojus, in ſpeciali Libro de hoc Sacramento, & alii quos ſequuntur Juenin, hic q. 4. Tournely pag. 231. Auctor Hiſtoriæ Sacramentorum, &c.

22 Probant ex variis formulis quibus inſignes etiam Eccleſiæ, Romana potiſſimum, Mediolanenſis, Germanicæ pene omnes, Remenſis, &c. uſæ ſunt. 1. itaque Gregorius M. hanc inungendi formam tradit, (apud Menard. part. 1. pag. 251.) *Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic ſpiritus immundus, neque in membris illius, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus Sancti. Per eundem, &c.*

23 2. Forma quæ dicitur Ambroſiana, quia a S. Doctore uſurpata fuiſſe creditur, quamque ex D. Bonaventura in 4. diſt. 23. q. 4. refert idem Menardus in notis, pag. 332. ſic habet: *Ungo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, &c. ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poſſis*

ſupe-

ſuperare poteſtates. Porro, ait Paludanus in 4. diſt. 23. formam hanc nullus ex antiquis Patribus improbaſſe legitur.

3. B. Albertus Magnus, eadem diſt. aſſerit ſe oculis luſtraſſe Germaniæ Rituales Libros antiquiſſimos, qui Sacramenti hujus formam mere indicativam continerent, quæ in iis Regionibus *Gregoriana* vocitabatur. 24

4. Arcudius, Lib. 5. cap. 5. laudat Sacramentale Venetum a Leone X. approbatum, hanc continens formam: *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus varias catervas. In nomine Patris*, &c. 25

4. Serrarius in Opuſculo de Extr. Unctione, cap. 5. teſtatur ſe in vetuſto Halitgarii ad Ebonem Remenſem Codice Mſſ. Herbipoli * hæc legiſſe: *Poſtea unges eum*, infirmum, *de oleo ſanctificato*, his verbis: *Ungo te de oleo ſanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen, aereas poſſis ſuperare catervas. Operare creatura olei*, &c. fere ut ſupra in forma Gregoriana. Florebat porro Halitgarius tempore Ludovici Pii. 26 *Vvurtzbourg.

5. Idipſum demonſtrant Ritualia multa multæ antiquitatis, puta Remenſe, Tilianum, ſive Sagienſe, Ratoldi, Siculum, Sueſſionenſe, Catalaunenſe, Ambianenſe, *quorum editio*, ait Martenius, Lib. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus, cap. 7. artic. 3. numer. 9. *necdum ducentos attigit annos;* quibus concinunt alia quæ in præcitatis Auctoribus videre eſt. Jam vero niſi valeat forma indicativa, quæ hiſce monumentis continetur, dicendum erit pleraſque Eccleſias, & in his admodum inſignes, ut ſunt Romana, Mediolanenſis, Germanicæ pene omnes, longo ſæculorum decurſu, genuino Extr. Unctionis Sacramento caruiſse, ejuſque in locum vanam Sacramenti imaginem ſubrogaſse. 27

Opinio hæc, ſi poſset rejici, rejicienda videretur, 1. quia formam exhibet Jacobæo textui minus congruentem; cum vel ipſa ſola ejus inſpectio formam deprecatoriam exigat. 2. Quia ſtupendam invehit varietatem formarum in Sacramento, quod cum uſus eſset non infrequentis, iis ſaltem ſæculis quibus eædem formæ viguiſse ſupponuntur; mirum ſi cujuſque, ut ita loquar, Diœceſis arbitrio permiſsum ſit: 3. quia Græcam Eccleſiam præ Latina non parum commendat; cum illi eadem conſtanter fuerit forma, eaque deprecativa: hæc vero a deprecativa, quam omnium Eccleſiarum ab initio fuiſse veri admodum ſimile eſt, ad abſolutam, vel potius ad abſolutas, ſine cauſa ulla, & ab his rurſum ad deprecativam unanimem ſtupenda levitate pertranſierit. Loquor in ſyſtemate Morini, Menardi, & utriuſque ſequacium. 28

Sed quid demum reſponſi ad objecta monumenta? duplex e diametro adverſum, quod utrumque paucis proponam.

Reponunt itaque plures, formas, quæ a Menardo & aliis obtruduntur, reipſa eſse quantum ad aliquid deprecativas, vel explicite, ut aliqui cenſent, vel implicite, ut aliis videtur. Nimirum, ajunt cum Nat. Alexandro, hic cap. 1. art. 3. verba hæc *ungo*, vel *inungo te*, ſunt equidem indicativa: at deprecativa ſunt ſequentia iſthæc: *Ut* 29

in-

in te habitet virtus Chriſti, &c. *ut more militis uncti præparatus ad certamen*, &c. hæc enim conjuncta invocationi ſuperni Numinis, ex noto Eccleſiæ ſenſu, tacitam ad minus deprecationem continebant. Atque id indicat Pontificale vetus Anglicanum, de quo Sambovius, pagina 467. ubi Gregoriana forma ab his deſinit verbis: *Quatenus per hujus operationem Myſterii, & per hanc ſacroſancti olei unctionem, atque* NOSTRAM DEPRECATIONEM, *virtute ſanctæ Trinitatis medicatus ſive ſanatus, priſtinam & melioratam recipere merearis ſanitatem*. Idem colligere eſt ex Codice Arremarenſi, ubi dicit Sacerdos: *Per iſtam unctionem & Dei benedictionem mundentur ab omni ſorde* . ˙ . ˙ . *manus & os, cor quoque & tactus*, &c. Et poſtea ſubditur: *In nomine Patris*, &c. *ſit tibi hæc perunctio olei ſanctificationis ad purificationem mentis & corporis*. Similia habent plerique qui ab adverſariis objiciuntur Codices. Sic Tilianus iiſdem deſinit verbis quibus Anglicanum Pontificale de quo ſupra: *Quatenus* . ˙ . ˙ . *per noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis*, &c. ubi vel forma ſolum eſt deprecativa, vel deprecativa conjungitur indicativæ. Hæc illi, quibus nemo dicet rationem offendi.

30 Reſpondent alii cum S. Thoma, in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 4. q. 2. ad 3. *Verba illa, quæ ſecundum morem quorumdam præmittuntur orationi, non ſunt forma hujus Sacramenti, ſed ſunt quædam diſpoſitio ad formam, in quantum intentio Miniſtri determinatur ad actum per illa verba*. Quoniam vero ſolutionem hanc in S. Thoma improbat Tournely in Petro Ledeſma Jueninus, pagina mihi 789. & in Scholaſticis omnibus Auctor Hiſtoriæ Sacramentorum, Tom. 4. pag. 389. huic paulo fuſius immorandum. Itaque,

31 1. Conſtat Sacramentorum formas inviolata ſecreti lege tectas fuiſſe quarto & quinto Eccleſiæ ſæculo; & ita tectas, ut eas ne in privata quidem ad Epiſcopum Epiſtola proferre auderet R. Pontifex. Notum eſt omnibus id S. Innocentii, Epiſtol. ad Decentium Eugubinum in Umbria Epiſcopum: *Verba dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere*. Et infra de Extr. Unctione loquens, formam ejus reticet: *Reliqua vero*, inquit, *quæ ſcribi fas non erat*, *interrogati* viva voce, cum huc veneris, *poterimus edicere*. Eadem perſeverabat ſæculo VII. diſciplina, ut patet ex S. Maximo, qui an. 660. Martyrio conſumptus eſt; is enim ad hunc S. Dionyſii, vulgo Areopagitæ, Lib. de Hier. Eccl. cap. 1. locum: *Invocationes perfectivas*, ſeu formas quibus perficiuntur Sacramenta, *nefas eſt ſcripto interpretari* . ˙ . ˙ *ſed ut noſtra ſacroſancta Traditio docet, eas ſecretioribus inſtructionibus hauries*, ſic loquitur: *Vide ea quæ medio verbo aguntur, & verbo non ſcripto Myſteria eſſe tradita* . ˙ . ˙ ˙ *Nota etiam non ſcriptis inſtructionibus divina nobis tradi*. Ergo ſeptimo etiam ſæculo perdurabat lex formas ſcripto conſignari prohibens. Atqui eo ipſo corruunt formæ Gregoriana & Ambroſiana, quarum prior ſæculo ſexto exeunte, poſterior diu ante ſcribi debuiſſet. Ergo neutra hæc formula vera fuit Extr. Unctionis forma. Sane ſilentii legem ſervabat & imperabat Ambroſius, ut ex cap. ult. Libri de his qui initiantur, probat Eſtius in 4. diſt. 11. §. 18. pag. mihi 16.

2. Ad

Digitized by Google

2. Ad minus difficile eſt, ut duplex fuerit Sacramenti forma, alia 32
pure indicativa, qualem hanc judicant adverſarii: *Inungo te . ° . ° ſi-*
cut unxit Samuel David, &c. alia deprecativa. Atqui Gregorius ibid.
formam, ſi tamen forma eſt, ſaltem ultima ſui parte deprecatoriam
adducit, hanc nempe quæ in pluribus Mſſ. Codicibus recurrit: *Inun-*
go te oleo ſancto in nomine Patris, &c. *ut non lateat in te ſpiritus immun-*
dus . ° . ° ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi & Spiritus Sancti; qua-
tenus per hujus operationem Myſterii, *& hanc ſacrati olei unctionem*, *atque*
noſtram deprecationem, &c. ut ſupra, n. 19.

3. Nec probabile eſt unquam valuiſſe formam quæ nullam habet ad 33
Sacramentum Extr. Unctionis ejuſque effectum relationem. Atqui ta-
lis eſt vaga hæc forma: *Inungo te ſicut Samuel*, &c. quæ ad minus
tam apte conſecrationi Regis, aut ipſi Confirmationi conveniret, quam
Unctioni Extremæ.

4. Ex dictis formæ antiquitus non tradebantur ſcripto, ſed memo- 34
riæ conſignabantur. Quis porro prolixas hujuſmodi formas fragili ho-
minum memoriæ commiſſas eſſe crediderit?

5. Teſtatur cit. diſt. 23. artic. 4. Albertus Magnus, ſe in Libris 35
adeo veteribus ut eas vix legere poſset, hanc inveniſse formam,
qua ipſius ætate utebatur tota Alemanniæ Eccleſia: *Ungo hos oculos*
oleo ſanctificato in nomine Patris, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*: *per*
iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quid-
quid deliquiſti per viſum. Ergo merito conjicitur poſtremam hanc,
quam adverſarii ſufficientiſſimam judicant, ubique viguiſse; ſed ab
Eccleſiis aliquibus ſcriptam, ab aliquibus non; quia in aliis ocius,
ſerius in aliis deſiit lex ſilentii.

6. Teſtatur Martenius, qui an. 1700. Librum ſuum *de antiquis riti-* 36
bus dedit in lucem, ſe in Ritualibus necdum gemino ſæculo anti- Tom. 2.
quioribus formas indicativas reperiſse. Atqui nemo facile concipiet p. 116
formam indicativam in plurimis Galliarum Diœceſibus uſque ad an.
1500. permanſiſse, contra Angelici Solis doctrinam, quam ipſa ge-
neralia Concilia multo ſtudio reverita ſunt; contra Eugenii IV. de-
ciſionem, quæ ad minus ſana erat, & admodum facilis, &c. Ergo
hæc Ritualia ab antiquioribus quidem exſcripta erant, ſed in utriſ-
que omiſsa erat vera hujus Sacramenti forma, quæ memoriter in
ipſo Sacramenti actu recitabatur. Id autem, quia non ſatis obſerva-
runt veteres quidam Theologi, formæ inſtar habuerunt id quod for-
ma non erat; unde & deprecativam atque abſolutam formam pari
loco eſse crediderunt. Sed rem ut ſe habebat ſubodoratus Angelicus
Præceptor, errorem emendavit. Et vero qua tandem ratione, qui
Italiam, Germaniam, Galliam, eruditis utique oculis perluſtra-
verat S. Thomas, formam, quæ ſi Mſſ. Codicum indagatoribus cre-
ditur, ubique ferme, vel ſaltem in omnibus pene Provinciis ali-
cubi vigebat, velut inſufficientem rejicere potuiſset? Quo pacto qui
Coloniæ, Pariſiis & alibi tantum Magiſtrum audierant, & exinde ad
Diœceſeon regimen vocati ſunt, abjectis utcumque Doctore & do-
ctrina, viam, quæ ad minus dubia videri poſset, eadem qua prius
fide ſecuti ſunt?

Et

Et hæc modeſte, ut decet, non autem ad cujuſpiam labem dicta ſint. Mihi id unum in votis ut Romanam Eccleſiam a variationibus immunem faciam. Optandum ſane, ut quemadmodum ab Academiis Litterariis honorifica præmia iis afferuntur qui nodos quoſdam difficiles ſolvunt; ſic & iis affererentur, qui gravia Theologiæ capita evolverent. Quantum ad illud de quo nunc, quod eruditos calamos exercere poſſit, hæc venirent diſcutienda, 1. annon, quandiu viguit, ubique viguerit lex ſecreti, de qua ſupra; 2. an in Occidente ante ſæculum ſeptimum deſierit; prout contendit doctus Vvitaſſii Continuator; 3. an ea lex non ſpectaret Rituales Libros, (quam tamen vel in privata Epiſtola violare non audebat Summus Pontifex) uti docet Morinus; 4. an abſurde quis dicat vitiatam fuiſſe in quibuſdam Diœceſibus formam alicujus Sacramenti. Horum indagatori, ſi forem opum dives, præmium ſpoponderim: at ſaltem & ab eruditis laudem plurimam, & a Deo mercedem non modicam polliceri auſim.

CAPUT QUINTUM.

De Subjecto Extr. Unctionis.

QUatuor in hoc quinto capite diſputanda ſunt, 1. an ſolis infirmis conferenda ſit Extr. Unctio 2. an ſolis graviter & periculoſe infirmis; 3. an his omnibus, 4. an ante vel poſt viaticum, ſit

Conclusio I. Solis infirmis danda eſt Unctio Extrema.

1 Prob. 1 ex Scriptura. Iis ſolis conferri debet Extr. Unctio, quibus ſolis divinitus deſtinata eſt. Atqui ſolis infirmis .·. Siquidem de his unis loquitur Jacobus cap. 5. *Infirmatur quis in vobis; inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo*, &c.

2 Prob. 2. ex Traditione. Innocentius I. Epiſt. ad Decentium cap. 8. *Non eſt dubium*, inquit, *verba Jacobi de Fidelibus ægrotantibus accipi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt.*

3 S. Gregorius Magn. in Sacramentario, ubi de ſacri hujus olei benedictione: *Emitte Domine*, inquit, *Spiritum Sanct. tuum Paracletum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, ut tua ſancta benedictione, omni hoc unguentum tangenti, ſit tutamentum mentis & corporis, ad evacuandum omnes dolores, omneſque infirmitates, omnem ægritudinem corporis*, &c.

4 Theodorus Cantuarienſis, qui Græcus origine, & Latinæ Eccleſiæ Antiſtes, utriuſque dogma norit & diſciplinam, in Pœnitentiali. *Ab infirmis in periculo mortis poſitis pura eſt inquirenda confeſſio peccatorum .·. & ſacra unctione olei inuncti, ſecundum ſtatuta SS. Patrum communione Viatici reficiantur.*

5 Capitularia Caroli Magni lib. 6. cap. 75. *Si infirmitate quis depreſſus fuerit, vitam ſine communione non finiat, nec unctione ſacrati olei careat*, *ut*, ajunt cap. ſeq. *eodem oleo peruncti, gratia Dei ſanentur; quia oratio fidei ſalvabit infirmos.*

6 Idipſum docent Concilia Cabillonenſe II. an. 813. can. 48. Aquiſgranen-

nenſe an. 836. can. 5. & alia quibus concinunt, tum Eugenius IV. in
Decreto pro Armenis ubi: *Hoc Sacramentum niſi infirmo de cujus morte timetur*, *dari non debet*; tum Trident. PP. in doctrina de Ext. Unctione, ubi declarant Chriſtum *Sacramento* iſto *finem vitæ tanquam firmiſſimo præſidio* muniviſſe contra adverſarium, qui nunquam *vehementius omnes ſuæ verſutiæ nervos intendit*, *quam cum impendere nobis exitum vitæ perſpicit*. Atqui hi textus omnes theſim noſtram continent, vel ſupponunt.

Prob. 3. ex Hiſtoria Eccleſiaſtica. Hæc nimirum docet Unctionem 7
ext. B. Mauræ a Prudentio, inſtante jam morte; Carolo M. ab Epiſcopis ante Viaticum; Adelardo graviter ægrotanti ab Hildemano Epiſcopo collatam fuiſſe.

Objic. 1. citati textus docent equidem Sacramentum hoc infirmis 8
dari, ſed ſanos non excludunt. Unde Eugenius IV. Armenis propoſuit amplectendam Roman. Eccleſiæ praxim, ſed non declaravit qualis eſſet inſtitutio Sacramenti. Sicut ergo nunc Euchariſtia nonniſi rationis ſuæ compotibus conferri debet; neque tamen pro iis ſolis inſtituta eſt, qui rationis uſum haberent: ſic & Ext. Unctio ex Eccleſiæ lege ſolis ægrotantibus danda eſt; & tamen ex inſtitutione non prohibetur dari ſanis: Ita Sanbovius pag. 506.

Confirm. ex facto B. Odiliæ; quæ præmonita a Ricardo S. Vilani 9
Virdunenſis de morte ſua, die ſequenti futura, *in craſtinum Liquore ſancti olei ab eo inuncta fuit*, *cum nullam gravedinem pateretur*, *& cum communicaſſet divinis Myſteriis* . ' . ' *inter manus ejus in cinere & cilicio læta ſpiritum efflavit*; prout refert Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi pag. 167.

Reſp. opinionem hanc a temeritatis nota non videri immunem; 10
cum & pluſquam moraliter unanimi Theologorum ſententiæ adverſetur; (quode videbis Suarem diſp. 42. ſect. 2. n. 2.) & doctores communi calculo per citata Jacobi verba ſanos excludi doceant, quod & tradunt Concilia vel ſupponunt, & abunde probat conſtans Eccleſiæ praxis. Et vero ſi impune dici poteſt per hæc verba: *Infirmatur quis in vobis*, non excludi ſanos; impune etiam dici poterit, per hæc quæ ſubſequuntur verba: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ*, non excludi laicos; alioſve Clericos inferiores. Id autem quis cogitare auſit?

Nec obeſt comparatio ex communione etiam mentis impotibus con- 11
ceſſa. Hanc enim diſerte permiſerunt ſeu Concilia, ut Carthaginenſe IV. ſeu Libri multi Rituales, uti Tom. V. pagina 458. diximus: Atqui nuſquam in Eccleſia tale quid factum eſt relative ad Ext. Unctionem ſanis adminiſtrandam. Ergo nulla eſt ab uno ad aliud conſecutio.

Ad confirm. Reſp. 1. Ex iis quæ revelante Deo fiunt, nihil pro ca- 12
ſibus ordinariis colligi poſſe; 2. Odiliam, licet nihil gravedinis pateretur, intus tamen affectam fuiſſe morbo, quo ſequenti die conſumpta eſt; 3. factum illud non unicum fore in tota Hiſtoria, ſi receptum aliquando fuiſſet ut ſani ipſi linirentur, & tamen hoc unum proferre potuit Martenius Tom. 2. Lib. 1. c. 7. art. 1. n. 1.

Inſt. Quod tota facit Eccleſia Græca, nuſquam reclamante, atque 13

ideo.

ideo approbante Latina, id profecto permiſsum dici poteſt. Atqui Eccleſia Græca Sacramentum hoc *tum ſanis*, *tum infirmis* adminiſtrat. Eaque *præſens Græcorum conſuetudo*, *non in aliquo angulo Græciæ viget*, *ſed ubique paſſim*, *quam eandem retinet hac noſtra ætate Ruſcia univerſaque Moſcovia*; ita Arcudius Libr. 5. capit. 4. & rurſum pagina mihi 449. Græci hodie *pœnitentes quamvis benevalentes in omnibus iis corporis partibus adhibita quoque forma Sacramenti*, *non aliter atque infirmos inungunt*.

14 Reſpondent plures, hanc equidem eſse Græcorum praxim, ſed redarguendam maxime, ut quæ Sacramenti hujus inſtitutioni, & Traditioni antiquæ repugnet. Ego, inquit, citato proxime loco Arcudius, *præſentem hunc morem Græcorum* .·.· *nulla ratione probare poſſum*; *& ſi ſordidi quæſtus gratia id faciunt*, *ut teſtatur Nathanael*, *eo magis deteſtandus eſt*.

15 Reſpondent alii cum Goario in Euchologio Græcorum, nota 3. in Officium S. Olei, ritum hunc apud Græcos meram eſse ceremoniam, quæ a Sacramento penitus diſcrepet, & nihil omnino habeat mali. Solutionem hanc alteri præfert Tournelyus, 1. quia ex citato alias Innocentii textu non inepte colligi poſſit, Latinos olim ad depellendos morbos oleum ab Epiſcopo ſanctificatum adhibuiſse; quod & confirmari poſſit ex variis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis. Genovefa ſiquidem, S. Eutychius Patriarcha CP. S. Uldaricus, & alii plures oleo iſto graves morbos curaverunt, 2. quia Latina Eccleſia, quæ hunc Græcorum morem non neſciit, eum nullibi unquam reprehendit. Quod enim ſcribebat ad Epiſcopum Tuſculanum Innocentius IV. *Nullis per Sacerdotes*, *vel Confeſſores pro ſatisfactione pœnitentiæ unctio aliqua ſolum inungatur*, (Tom. XI. Concil. pag. 613. num. 6.) non unctionem ipſam redarguit, ſed quod ea in pœnitentiam ſola injungeretur.

16 *Nec dicas*, inquit citatus Pariſienſis Magiſter, pag. 58. *in praxi Græcorum adeſſe materiam*, *formam & Miniſtrum Sacramenti*. *Namque*, reponit, *pariter & in ritu quo hæreticos ad Eccleſiam redeuntes olim Græci recipiebant*, *aderat materia*, *forma & Miniſter Confirmationis*; *nec tamen verum erat ac proprium Sacramentum quod dicitur Confirmatio*. *Quid ita? quia non erat idem Operandi modus*, *non eadem mens atque intentio*, *tum conferentium*, *tum percipientium eam exteriorem ceremoniam*. *Idem jam dici debet in præſenti negotio*.

17 Solutionem hanc improbat Auctor Hiſtor. Sacrament. Tom. IV. pagina 435. quia, inquit, ex actione judicatur de intentione agentis. Unde, pergit, nullus dubito quin Calvinus qui Sacerdos erat, etſi dixiſset ſe Miſsam offerre nolle, imo eam ſe deteſtari, reipſa conſecraſſet, ſi iiſdem materia & forma uſus eſset, quæ in Eccleſia adhibentur.

18 Verum bis eo loci labitur vir doctus, 1. quod Calvinum Sacerdotem facit, qui licet ad Parochialis Eccleſiæ regimen ſemel & iterum nominatus, nequidem Subdiaconatus gradum recepit *, 2. quod nequi-

* Joannes Calvinus nullis alioqui Pontificiis Ordinibus initiatus. *Melchior Adam in vita Calvini*, *Edit. Francofurti*, 1653. *pag. mihi* 64. Remarquez bien que Calvin ne fut jamais Prêtre; & qu'il ne tenoit à l'état Eccléſiaſtique, que par la ſimple Tonſure. *Bayle*. v. Calvin note A. *Edit. Roter* 1720.

nequidem externam intentionem ad confectionem Sacramenti requirere videtur. Illam enim non habet, qui palam profitetur ſe eam non habere. Unde mimum agit, & nihil ultra.

Quidquid id eſt, conſtat neminem in explorandis Græcorum ritibus oculatiorem fuiſſe doctiſſimo Renaudot. Atqui is Tom. V. perpetuitatis fidei cap. 3. expreſſim docet, moris quidem eſse apud Græcos, ut inuncto ægro, inungantur eodem oleo quicumque adſtant, & liniri petunt, ſed abſque ulla precum hujus Sacramenti propriarum recitatione. Neque vero, inquit, vel Græci illi corporis ſanitatem quærunt, qua fruuntur; vel peccata ſua ſibi per Unctionem tanquam Sacramentum condonari; cum inviolati ſit juris apud Orientales ut Ext. Unctionis receptioni præmittatur confeſſio Sacramentalis. Ergo is Græcorum ritus ei ſimilis eſt quo vel diſtribuuntur reliquiæ panis ad ſacrificium aſſumpti; vel tingitur frons aqua ad Baptiſmum benedicta. Si quid ultra hæc forte inductum eſt, id avaritiæ quidem & inſcitiæ Sacerdotum, ſed nec Euchologiis, nec ipſis Eccleſiæ Græcæ principiis imputandum eſt. Sicut nec Romanæ Eccleſiæ imputandum, ſi quis forte ex Presbyteris ejus, maleficii propellendi cauſa, jam conjunctos denuo in Matrimonium conjunxerit. 19

Conclusio II. Non iis ſolum qui jamjam morituri ſunt impendenda eſt Ext. Unctio; ſed & his etiam quorum ægritudo mortem, licet incerto, præſagit. Illis autem qui levi morbo tenentur, non eſt danda, ſaltem juxta Eccleſiæ Latinæ diſciplinam.

Prob. 1. & 2. pars contra impudens Calvini mendacium ſcribentis Lib. 4. Inſtit. cap. 19. num. 21. Catholicos, *non infirmos, ſed ſemimortua cadavera pinguedine* ſua *inficere, cum jamjam anima in primoribus labris laborat*. Prob. inquam, quia ex Decreto Eugenii Hoc *Sacramentum dari debet infirmo, de cujus morte timetur*. Atqui timetur de morte non ejus ſolum qui in extremis eſt, ſed illius etiam cujus talis eſt ægritudo, ut mortem, dubie licet, præſagiat. 20

Prob. 2. ex Tridentino, quod ſeſſ. 14. cap. 3. declarat *hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti eſſe videantur*. Si illis *præſertim*: ergo & aliis etiam, qui licet nec ſint, nec *videantur* in exitu vitæ conſtituti, periculoſe tamen decumbunt. 21

Prob. 3. ex variis Conciliis, quæ Tridentini mentem aſſecuta eſſe nemo inficiabitur. Mediolanenſe I. Sub S. Carolo (Tom. 15. Concil. pag. 264) *Extremæ Unctionis Sacramentum curet Parochus, ut ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adhibeatur*. Burdigalenſe an. 1583. Tit. 13. (ibid. pag. 957.) *Non eo uſque tamen differendum eſt, dum æger omnibus pene ſenſibus deſtitutus ſit*. Pituricenſe an. 1584. Tit. 28. numer. 1. (ibid. 1097.) *Adminiſtretur tempeſtive a Sacerdote Extr. Unctio olei ſancti, ita ut Chriſtianus mente adhuc integra Sacramenti efficaciam agnoſcere poſſit*. 22

Catechiſmus Rom. part. 2. num. 17. & 18. *Cum illi tantum qui morbo laborant, curatione indigeant; idcirco iis etiam, qui adeo periculoſe ægrotare videntur, ut ne ſupremus illis vitæ dies inſtet, metuendum ſit, hoc Sacramentum præberi debet. In quo tamen graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſpe ſalutis amiſſa,* 23

vita

vita & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur. Atqui in his omnibus requiritur equidem ægrotatio ſeria & gravis, ſed non tanta ut rationis & ſenſuum privationem inducat, qualis eſt in ſemimortuis cadaveribus. Ergo.

24 Et vero ex dicendis, diu moris fuit ut ante Viaticum daretur Extrem. Unctio. Atqui ſedulo ſemper, quantum fieri licuit, curatum eſt, ut mente omnino ſanis, nec ſenſuum uſu deſtitutis Viaticum daretur; Etſi non iis ſemper negatum eſt quos improviſa morbi vis in phreneſim egiſſet. Ergo.

25 Prob. 2. Pars 1. Ex auctoritatibus mox allatis, quæ Unctionem Sacram nemini indulgent, niſi ea laboret ægrotatione, quæ, ut ait S. Thomas, *nata eſt inducere mortem, & de cujus periculo timetur.*

26 2. Ex Apoſtolo, qui quod Latina verſio per *infirmum* expreſſit, græce exprimit per voculam quæ ſonat *fere* ex morbo *deficientem*. Idem liquet ex adductis ſuperiori Concluſione exemplis.

27 3. Ex communi tum Eccleſiæ uſu, tum ſuffragio Doctorum, qui cum Conciliis Extrem. Unctionem vocant *Sacramentum exeuntium*; eamque a Chriſto miſericorditer inſtitutam eſſe dicunt, tum ad roborandam infirmi mentem in mortis diſcrimine, tum ad eum, quantum in ſe eſt, proxime, & immediate diſponendum ad ingreſſum cæleſtis patriæ.

28 Atque hinc mihi ſummopere dubium eſt, an legitima ſit conſuetudo Græcorum *qui omnes indiſcriminatim pro quavis etiam levi ægritudine ad Unctionem admittunt*, prout dicit & approbat Scriptor Operis de re Sacramentaria pag. 217. Hunc equidem uſum non redarguero, ut qui juxta eumdem Auctorem, *non poſſit ſine temeritate redargui*. Duo tantum obſervavero reverenter: 1. Opinionem hanc alienam prorſus videri a mente Doctoris Angelici, *cui*, ait pag. 203. P. Drouin, *contradicere nobis religio eſt*; 2. eam minus ſolide probari.

29 Primum liquet; quia ex S. Thoma Sup. q. 32. art. 1. ad 1. *Solum illis hoc Sacramento ſanitas ſpiritualis dari poteſt, quibus corporalis curatio competit, ſcilicet infirmis; ſicut ille ſolus poteſt Baptiſmum ſuſcipere, qui poteſt eſſe corporalis ablutionis particeps, non autem puer in ventre matris exiſtens*, & artic. 2. O, *Hoc Sacramentum illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc quod ægritudo nata eſt inducere mortem*. Unde ſic: Non magis ex D. Thoma valet Unctio non infirmis data, quam Baptiſma collatum infanti in ventre matris. Atqui ex S. Thoma non alii relative ad Extr. Unctionem ſunt infirmi, quam *qui ſunt in ſtatu exeuntium*, & quorum *ægritudo nata eſt inducere mortem*. Ergo.

30 Secundum non minus conſtat. Ut enim ex Rom. Eccleſiæ ſilentio, cui ſoli innititur P. Drouin, aliquid colligeretur, neceſſum foret ut vel omnes omnino Græcorum abuſus exploraſſet; vel is de quo nunc ſermo eſt, Florentini Concilii tempore frequens fuiſſet. Neutrum autem ſolide probabitur: imo neque hunc abuſum vel uſum vigere probant verba hæc quæ ipſe ſola ex Goario refert; moris nimirum eſſe apud Græcos, ut ægri plurimi ſacram Unctionem accepturi, *aliorum*

ope

ope & manibus ad Eccleſiam ſe deferri faciant, ibique plurium nonnunquam dierum ſpatio in catecumenæis jaceant, pernoctent, morentur, & ſacra tandem unctione ſibi remedium expoſcant. Jam enim graviter male habent, qui nonniſi *aliorum ope & manibus ad Eccleſiam deferri* poſſunt; & multo pejus, qui tranſactis ibidem diebus aliquot, *tandem* unctionis ſibi remedium depoſcunt. Stet igitur adhærendum D. Thomæ, non ejus Diſcipulo.

CONCLUSIO III. Non omnibus etiam periculoſe infirmis, aut mortis proximæ periculum ſubeuntibus, danda eſt Unctio Extrema.

Prob. inductione, 1. enim non eſt danda iis qui baptizati non ſunt: 31
Quia Baptiſmus ceterorum eſt Sacramentorum janua.

2. Nec danda eſt iis, ſive infantibus, ſive amentibus, qui hactenus, 32
rationis uſum non obtinuere. In his enim nec verificari poteſt forma: *Quidquid deliquiſti*, cum numquam deliquerint; nec produci primarius Sacramenti effectus, id eſt gratia adverſus dæmonis inſidias corroborans; quia in ipſa ſua imbecillitate tutiſſimum habent contra ejuſdem inſultus præſidium.

3. Neque iis eſt impertienda, quibus proximum impendet vitæ diſ- 33
crimen, ſed non ex infirmitate; quales ſunt mox venturi ad arma, quaſſati tempeſtate, morte plectendi, mulieres partui etiam periculoſo vicinæ, qui ſecantur pro calculo; quia licet vereri ſit ne pereant, non ſunt tamen infirmi. Atque ita docent Catechiſmus Trident. ubi ſupra n. 9. Concilium Mediolanenſe IV. &c.

Sed num dari debet, 1. pueris aliquo rationis uſu præditis, 2. rabidis aut peſte infectis, 3. lethaliter vulneratis; 4. ex potato veneno morientibus; 5. feminis quæ deficiunt in partu; 6. ſenibus qui abſque alia infirmitate ſenio ipſo conſumuntur; 7. adultis ſtatim a Baptiſmo morti proximis?

Affirmat de omnibus his præter pueros Sylvius q. 32. art. 2. Quia, 34
inquit, & adulti ſunt, qui peccare potuerunt, atque probabiliter peccaverunt; & vere infirmi iique in mortis periculo conſtituti. Quamvis enim quidam morbum ſuum extrinſecæ ac violentæ cauſæ debeant; vere tamen infirmitate gravi premuntur. Et quid eſt ſenectus, non quæcumque, ſed deficiens, niſi virium conſumptio & naturæ totius infirmitas? & ita habet Rituale Romanum.

Quod ad pueros ſeptennes attinet, iis S. Thomas eadem quæſt. 32. 35
art. 4. Unctionem negari vult, eo maxime quod *Sacramentum hoc exigit actualem devotionem in ſuſcipiente, ſicut & Euchariſtia*. Qua etiam de cauſa S. Doctor ibid. art. 3. ab eadem unctione furioſos & amentes excludit, *niſi haberent lucida intervalla, in quibus Sacramentum recognoſcerent*. Favet quoad pueros ſancto Doctori conſuetudo, non tamen unanimis *, & quam, ubi non eſſet inducta, minime invehere: Utique pueri capaces ſunt totius effectus hujus Sacramenti; nec expertes ſunt devotionis ad Sacramenti receptionem ſufficientis.

* „ Il faut adminiſtrer ce Sacrement aux enfans malades qui ont atteint l'age de „ diſcrétion, quoiqu'ils n'ayent pas fait leur premiere Communion; mais on ne „ doit pas le donner à ceux qui n'ont pas cet age, non plus qu'aux inſenſés. *Rit.* „ *Burdigal. pag.* 174.

Sane militat contra S. Thomam exemplum Euchariſtiæ , quam actu phreneticis conceſsam fuiſse , cum pluribus aliis & ipſo S. Thomæ q. 80. art. 9. non ſemel diximus . Atque ita cenſent. Layman, Averſa, &c. Sylvius vero hic nu 2. &c. devotionem quæ præceſserit aliquam, non vero actualem requirit.

36 Quod ad furioſos ſpectat , amentes & alios , qui olim certo vel dubie habuerunt, vel nunc habent uſum rationis, his, ſi abſit irreverentiæ periculum, quod iiſdem ligatis ad tempus poteſt averti, danda eſt Ext. Unctio; uti jam communiter docent Theologi ex Rituali Romano, & Synodo Colonienſi an. 1682. Cap. 3. §. 6.

37 Poſsent etiam ungi , niſi reſiſteret conſuetudo , tum affixi rotæ, ſi ferventer peterent; quia ex membrorum divulſione graviter infirmantur ; tum vulnerati in duello , ſi quid exhiberent pœnitentiæ . Non tamen ii quibus pes vel manus abciſsa fuerint ; quia non ſolent deficere . Hæc ex circumſtantiis definienda . Inungi ſiquidem poteſt puerpera , ſi fœtus extrahendus ſit, vel ei mors ob ſpecialem cauſam ex hoc partu timeatur; uti docent Sylveſter , Navarrus & alii apud La Croix Lib. 6. part. 2. num. 2108.

38 Sed num etiam peccatoribus , qui confiteri non poſsunt , tribuenda Unctio Extrema ?

Reſp. Non eſse dandam iis qui in ipſo criminis actu ſenſibus deſtituti ſunt, utpote qui impœnitentes ſint, & gratiæ ſanctificantis incapaces . *Si tamen ait* Habert pag. mihi 556. *ſpatium habuerint pœnitendi , priuſquam rationis impotes fierent , non eſt eis denegandum* iſtud Sacramentum : *quia conjectare licet eos pœnituiſſe , etiamſi nullum pœnitentiæ ſuæ ſignum dederint . Ita communiter Theologi , ii etiam qui in hiſce circumſtantiis abſolutionem concedendam eſſe negant.*

39 Hinc colligere eſt cum prædicto Doctore, *adultis quibuſve Fidelibus , ſive pie, ſive male vixerint, modo pœnitentes præſumi poſſint*, adminiſtrandam eſse Unctionem Extremam, *etiamſi ſenſibus ſint deſtituti*. Ratio eſt *quia per Baptiſmum jus accepere ad alia Sacramenta , quibus privandi non ſunt, niſi conſtet eos jure ſuo cecidiſſe per manifeſtam impœnitentiam*. Utique, ait Auguſtinus Lib. I. de adulterinis conjugiis cap. 26. *Multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti denegare*. Vide quæ de pari argumento diximus ſupra , & animadverte , quidquid de abſolutione dictum eſt, a fortiori intelligendum de Ext. Unctione , quæ nullum exteriorem ſubjecti actum requirit, prout requirit Pœnitentia.

40 Paulo ſeverior Sylvius hic art 3. exigit quoad amentem , phræneticum , & energumenum , ut vel Sacramentum petierit ; vel ſi non petivit, vir fuerit bonæ vitæ , aut ſaltem oſtenderit ſigna ſinceræ ad Deum converſionis . Quoad eos vero , qui vi morbi uſum rationis amiſerunt, adeo ut confiteri non poſſint , requirit idem ut *De Sacramentis Eccleſiæ bene ſenſerint, nec in notorio mortali peccato jaceant, abſque ſigno contritionis*. Eadem eſt Ritualis Burdigalenſis diſpoſitio, pag. 174. Ergo quidem Haberto adhærendum opinor, ut cujus doctrina & liberior ſit a ſcrupulis , & uni forte e ducentis morientium millibus prodeſse valeat. Confer quæ dixi ubi de pœnitentia cap. 5. n. 481. & ſeq.

Quæres, an inungi poſsit juſtus qui nunquam peccavit actualiter.

Quæ-

Quæſtio hæc, uti obſervat Nugno, prorſus impertinens eſt quoad mores, quia præter B. Virginem nemo eſt purus homo, qui ab omni actuali culpa immunis ſit. An autem inuncta ſit B. Virgo controvertunt Doctores. Affirmant poſt Albertum Magnum S. Bonaventura, Ricardus & nonnulli recentiores, 1. quia B. V. Baptiſmum recepit, licet per eum inſinuetur peccati remiſsio, facienda ſaltem, ſi in ſubjecto ſit peccatum. 2. Quia ad validam Ext. Unctionis receptionem ſufficit ut ſubjectum diabolicæ tentationi obnoxium ſit: Huic autem non minus obnoxia erat Chriſti mater, quam ipſe Chriſtus. Sed & id habuit, quod in exitu ita ab intrinſeco debilitata fuerit, ut ſua ipſi vita naturaliter conſervari non poſſet. 41

Negant alii, vel incerti hærent. 1. Quia nequidem certum eſt an Deipara ex infirmitate occubuerit, an non charitatis impetu conſumpta, 2. quia hinc equidem nuſquam in ea verificari potuit verbum iſtud: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*, inde vero ſola infirmitas corporis non eſt ſufficiens ratio conferendi hujus Sacramenti, quod alioqui vel infantulis conferri poſſet. 42

Nec nocet objectio e Virginis Baptiſmo petita. Baptiſmus enim ſicut non omnino exigit actuale peccatum, ſic nec præteritum abſolute requirit, uti dictum eſt Tom. 4. cap 7. art. 2. At Unctio Extr. neceſſario requirit ut aliquando peccati quidpiam præceſſerit: cum ea quadantenus ſortiatur rationem pœnitentiæ, cujus conſummativum eſt. Addunt alii cum Sanbovio hic pag. 513. Apoſtolos baptiſmo tinctos fuiſſe ex diſpenſatione Chriſti, qui voluit ut iis nonniſi per Baptiſma pateret Eccleſiæ aditus. Unde, inquiunt, ſequeretur tantum, quod poſſet quis nulla actuali labecula infectus, infirmorum oleo ex ſpeciali privilegio liniri. 43

Inſtant cum Suarez diſp. 42. ſect. 2. num. 7. Jacobus non ſupponit eum qui liniri debet, actualis peccati reum eſse debere: quandoquidem particula conditionali utitur: *Quod ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei*. Nec dubium quin eodem conditionato ſenſu locuti ſint Patres, cum Extr. Unctionem *medicinam animæ & pœnitentiæ completivum* dixerunt. 44

Confirm. qui nuſquam actualiter peccavit, poteſt virtute Sacramenti noſtri recipere augmentum gratiæ præparantis ad gloriam. Quin & infirmus quilibet propriis hujus Sacramenti auxiliis indiget, ut ſuperſtites originalis peccati reliquias, & cum iis diaboli inſultus ſuperet. Ergo non eſt cur Unctione ad minus perutili privetur. 45

Reſp. ad 1. Jacobum ſupponere id quod eſt, videlicet ipſos etiam juſtos ſepties peccare, adeo ut qui dixerit ſe non habere peccatum, ipſe ſe ſeducat. 46

Nec nocet particula *Si*, qua utitur: 1. quia hæc in Scriptura non raro certi aliquid, minime autem conditionati deſignat. Sic Malachiæ 1. *Si pater ego ſum, ubi eſt honor meus?* id eſt, Cum ego pater ſim, ut quid non honoratis me. Sic 2. Theſſal. 1. *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant*. Id eſt, Quandoquidem juſtum eſt. Sic Jacobus ipſe ibid. cap. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo*. Id eſt, Cum veſtrum quiſque indigeat 47

 ſapien-

ſapientia, &c. Ergo Jacobi verba citra vim ullam abſoluto ſenſu intelligi poſſunt. 2. (Et melius, cum particula *Si* conditionalis eſſe ſoleat) quia textus Apoſtoli de peccatis etiam gravibus intelligitur: his porro non ſemper ſubjacent, qui Extr. Unctione donantur.

48 Ad confirm. nego ant. Quia Extr. Unctio non confert augmentum gratiæ ad gloriam præparantis, niſi per modum medicinæ.

49 Ad id quod ſubditur, reſpondet S. Thomas, Unctionem extremam non poſſe mederi debilitati, quæ ex originali peccato naſcitur in homine nullius actualis peccati reo; ſed ei ſoli, quæ quodammodo *per actualia peccata* increvit.

50 At inquiunt, duo hinc ſequuntur abſurda, I. quod homini ſub vitæ finem baptizato, & ſacra communione refecto, Sacramentum iſtud tribui non poſſit; II. quod qui ex ſpeciali privilegio venialibus omnibus caruiſſet, non poſſet, Ext. Unctione donari.

51 Reſpondet idem Sanbovius, in priori caſu neminem ſtatim inungendum eſſe: quia deſunt reliquiæ peccati *per actualia peccata* confortati. Idem de eo dicit, cui ſua a quocumque peccato immunitas revelata fuiſſet. *Quia vero*, ait, *id non eſt*, *neque ſi eſſet*, *revelaretur*, *imo docet fides neminem eſſe abſque peccato*, *hinc fit quod quilibet Fidelis adultus poteſt inungi*. Sed de quæſtione otioſa hactenus plus ſatis. Nemo eſt qui non videat utramque contradictionis partem non ægre poſſe defendi.

Conclusio IV. Extr. Unctionis receptio quandoque ſacri Viatici receptionem ſubſecuta eſt, quandoque præceſſit. Circa ordinem utriuſque ſtandum eſt diſciplinæ locorum.

52 Prob. 1. pars, ex plurimis monumentis quæ congerit Martenius ubi ſupra art. 2. pagina 106. Et quidem 1. Acta S. Treſani Presbyteri, qui in pago Remenſi florebat ſæculo VI. ſic de eo habent: *Oleum ſanctæ reconciliationis accepit*, *aquæ poſtquam explevit*, *viaticum petiit*. 2. Theodorus qui teſte Yvone Carnot. anno 668. a Vitaliano Papa inauguratus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, in Pœnitentiali: *Ab infirmis in periculo mortis poſitis pura eſt inquirenda peccatorum confeſſio* .·. *ſacra unctione olei inuncti ſecundum ſtatuta SS. Patrum*, *communione Viatici reficiantur*. 3. Acta Sancti Hunegundis virginis ſæculo 2. Benedictino: *Unctionis oleum & communionem expetiit*. 4. Venerabil. Beda apud Reginonem Lib. 1. cap. 119. *Poſtquam infirmus ſacra unctione fuerit delibutus*, *ſtatim corpore & ſanguine Domini recreandus eſt*: quem ritum moriens ipſe Beda obſervavit, *inunctus & communicatus*, ait Guillelmus Malmesburienſis Libr. 1. Hiſtor. cap. 3. 5. Concilium Aquiſgran. an. 836. cap. 5. *Infirmitate depreſſus ne confeſſione* & *unctione ſacrificati olei per* Sacerdotis *negligentiam careat*; *denique ſi finem urgentem perſpexerit*, *commendet animam chriſtianam Domino cum acceptione ſacræ communionis*. Plura id genus Decreta & facta dabit idem eruditus Martene in loco citato.

53 Prob. 2. pars, nimirum contrarium morem alicubi, & quidem in magnis Eccleſiis obtinuiſſe. 1. Namque id aperte ſatis colligitur ex Sancto Cæſario, ſerm. 265. in Append. Auguſtini ubi: *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit*, *corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat* acci-

accipiat, & inde corpuſculum ungat. 2. Idem tradit S. Eligius Tract. de rectitudine Catholicæ converſat. num. 5. 3. Herardus Turonenſis Archiepiſcopus in Capitulari num. 21. præcipit, *Ut in infirmitate poſiti abſque dilatione reconcilientur, & Viaticum viventes accipiant, & benedictione ſacrati olei non careant*. 4. Iſaac Lingonenſis in Capitulis tit. 1. cap. 23. *Si in infirmitate deprehenſus quis fuerit, vitam ſine communione non finiat nec unctione ſacrati olei careat*. 5. S. Prudentius Trecenſis in ſermone de vita & morte S. Mauræ, virginem hanc ſic loquentem inducit: *A te peto, Prudenti Pater Epiſcope, ut . . . de manu tua Euchariſtiæ & Extremæ unctionis recipiam Sacramenta*. Multa in idem monumenta alia congerit Martenius, quæ tamen dicit *pauca* eſſe, *præ infinita Ritualium multitudine, Auctorumque veterum turba, in quibus unctio Viatico præmittenda decernitur*.

54 His de cauſis antiquum morem renovarunt Epiſcopi plures, atque in his Ludovicus Ant. Card. Noaillius. Nec dubium quin Sacramentorum Adminiſtri ſuæ, quæcumque ea ſit, Diœceſis conſuetudinem ſequi teneantur, ſecundum Auguſtini regulam pluries a nobis commemoratam. Et vero utraque ſuis ſe rationibus tuetur. Prior hinc commendanda, quod & frequentior fuerit; & animam per unctionem, quæ pœnitentiæ conſummatio eſt, a peccatorum reliquiis abſterſam, ad ſacroſancti Viatici myſteria aptiorem efficiat. Poſterior, quod labes poſt ſacram communionem quomodocumque contractas diluendo, cœleſtis regni introitum promptiorem efficiat; & aliunde ex Cæſarii ſermonibus antiquior eſse videatur.

55 Sed qua ratione factum eſt ut ritus præmittendæ Viatico unctionis olim tam frequens, tot exinde in locis obſoleverit? Mutationis hujus potiſſima ratio petenda eſt ex falſa illa populorum perſuaſione, *Martene, T. 2. pag. 110.* quod ſemel uncti jam teſtamenti incapaces forent, quod certo morituri, quod ad opus conjugale reverti, ac deinceps veſci carnibus non poſſent, &c. Cum enim idcirco Sacramenti hujus perceptionem pro viribus differrent ægroti, & differendam curarent amici, quotidie eveniebat ut multi ſine unctione, adeoque ſine Viatico ad eum prævio, fortaſſis etiam ſine confeſſione morerentur. Quibus ergo Extr. Unctio vix jam dari potuit, his collatum eſt Viaticum, ne omni prorſus auxilio deſtituti occumberent. Ita ferme Bellarmin. Libr. 2. de arte bene moriendi, cap. 7.

C A P U T   S E X T U M.

De Proprietatibus Extremæ Unctionis.

PRoprietatum loco expendimus an ſacra Unctio neceſsaria ſit, an pluries recipi valeat, quæ ad eum prærequirantur diſpoſitiones, de quibus ſit.

Conclusio I. Extr. Unctio non eſt per ſe neceſſaria neceſſitate medii, eſt tamen neceſſaria neceſſitate præcepti, tum divini tum & Eccleſiaſtici.

Prob. 1. pars: neceſſarium neceſſitate medii illud dicitur, quo etiam inculpabiliter omiſſo ſalus obtineri non poteſt; ut patet in Baptiſmo vel martyrio reſpectu infantis. Atqui ſine Extr. Unctione, præſertim inculpabiliter omiſſa, poteſt obtineri ſalus. Imo unctio hæc per ſe Sacramentum eſt vivorum, & de lege ordinaria ſupponit juſtificationem jam conceſſam per uſum Pœnitentiæ, cujus ipſa complementum eſt. Ergo.

2 Dixi: *per ſe*: fieri enim poteſt ut eadem ſancta Unctio per accidens neceſsaria fiat; puta ei, qui, ut ait Merbeſius hic diſsert. 5. quæſt. 10. lethalia ſua nullatenus confiteri poſset; vel aliquo tenetur quod invincibiliter ignorat, nec perfecte contritus eſt; vel gravi ac importunæ qua fatigaretur dæmonis tentationi, nulla alia ratione, puta qua Viatici ex vomitu incapax, reſiſtere valeret. Stricte enim tenetur ad antidotum, cui mors, niſi eo utatur, pene certa impendet.

3 Prob. 2. pars: contra Eſtium in 4. diſt. 23. §. 15. Sambovium pagina 514. alioſque non paucos. 1. Quia vix ſibi quiſquam perſuadere poſſit, magnum novæ legis Sacramentum, magnifica ſpondens ac præſtans, ſic a Chriſto inſtitutum fuiſſe, ut meri conſilii, & devotionis utcumque arbitrariæ praxis foret: ita ut non equidem liceret illud aſpernari, at liceret pro nutu prætermittere.

4 2. Quia hæc Jacobi verba: *Inducat Presbyteros*, non minus præceptum arguunt, quam iſthæc, *Confitemini alterutrum*, *Orate pro invicem*, *Orent ſuper eum ungentes oleo*, quibus in eodem orationis contextu utitur Apoſtolus. Atqui verba hæc poſteriora præceptum grave important, & ita a Patribus, & antiquis Theologis expoſita ſunt. Certe ad minus cordato cuique & Deum timenti dubium erit, an vox, *inducat*, merum conſilium ſonet, an veram legem. Et quis in ſe ſumat, ut quod lex eſse poſſit, in puram adhortationem convertat?

5 3. Quia ne unum quidem extat in tota retro antiquitate monumentum, quod Jacobi verba de ſimplici conſilio interpretetur: eſt autem & multiplex, quod eadem de mandato ac lege interpretari videatur. Sic Theodorus Cantuarienſis in textu jam citato: *Sacra unctione olei inuncti ſecundum ſtatuta SS. Patrum* &c. Sic Concilium Cabilonenſe, Can. 48. *Secundum B. Apoſtoli documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo, quod ab Epiſcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent*. Sic Rupertus in vita Hereberti: *Abbatem etiam accerſivit, quo veniente ſecundum præceptum Apoſtoli, ſacro eſt unctus oleo in nomine Domini*. Sic Concilium Colonienſe, 1536. Sacra Unctio *impendatur cum expoſitione mandati Apoſtolici*. Sic demum Trid. Synodus ſeſs. 14. cap. 3. non eos tantum rejiciendos eſse tradit, qui docent Unctionem hanc a *Fidelibus ſine peccato contemni poſſe*; ſed & qui docent eam *nec mandatum Dei nec promiſſionem gratiæ habere*. Ex iis omnibus ſic: Quod ſecundum mandatum Dei, ſecundum præceptum Apoſtoli, ſecundum Patrum ſtatuta recipi debet; illud tum divini, tum & Eccleſiaſtici juris lege neceſsarium eſt. Atqui talis eſt Unctio Extrema, &c.

6 Confirm. quia, ut ſolide ait Tournelyus in Prælect. quemadmodum dubio procul contra jus divinum peccaret, qui imminente perſecu-

tionis

tionis æſtu, cum neceſse eſt fidem intrepide ſuſtineri, nihil curaret de percipiendo Confirmationis Sacramento; Sic & contra idem jus peccare debet, qui in periculo vitæ conſtitutus, adeoque actu vel potentia gravioribus diaboli inſidiis objectus, ad Unctionem contra eos roborantem non confugeret. Ergo cum inſidiæ illæ vel immineant, vel ſemper timeri poſſint, peccat graviter qui ſe eis inermem objectat, cum præ manu habet arma quibus tueri ſe poſsit.

Reſpondet Neotericus aliquis 1. auxilia hæc *aliunde abſolute* obtineri poſse; 2. Ceteroquin hinc ſecuturum Ext. Unctionem neceſsitate medii neceſsariam eſse; quod ipſi negamus. 7

Verum utraque reſponſio futilis eſt; prior quidem, quia qui media a Deo ad finis aſsecutionem conſtituta negligit, temere admodum confideret, ſe auxilia hiſce mediis miſericorditer annexa per aliam viam eſse obtenturum. Eſto igitur hæc ſincero Sacramenti cujuſcumque voto rependantur; at nuſquam futura ſunt turpis negligentiæ merces; eo maxime quod negligentia hæc vix ſatis a virtuali contemptu ſecernatur. 8

Poſterior vero, quam qui proponit, haud ſcire videtur quid ſit neceſsarium neceſsitate medii. V. n. 1. 9

Ex his probata manet tertia pars, nam 1. quod divino juſte conſtitutum eſt, id a ſuis obſervari vult Eccleſia, 2. quod Patres & Concilia uti præceptum commendat, citra dubium Eccleſiaſtica lege præceptum eſt. Atqui &c. 10

Confirmatur aſsertio noſtra ex eo quod narrat D. Bernardus de S. Malachia apud Hibernos Epiſcopos, in vita ipſius cap. 24. *Cum pararet Malachias ungere*, mulierem ad quam accerſitus fuerat, *viſum eſt omnibus differendum potius uſque mane; erat enim veſpera. Acquievit Malachias . · . · . At vero poſt modicum ſubito clamor factus eſt. Accurrit Malachias tumultu audito, & accedens ad lectum, ut certo comperit expiraſſe, conſternatus eſt animo, ſibi imputans quod fraudata gratia Sacramenti obierit, & elevatis in cœlum manibus; Obſecro, Domine, inquit, inſipienter egi: Ego peccavi, qui diſtuli; non iſta, quæ voluit. Hæc dicens, conteſtatus eſt in audientia omnium, nullam ſe recepturum conſolationem, nullam daturum requiem ſpiritui ſuo, niſi, quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Et ſtans ſuper eam tota nocte laborabat in gemitu ſuo, & pro oleo ſancto, longo imbre lacrymarum perfundens mortuam, vicem illi unctionis quam poterat, exhibebat. Quid plura aperuit oculos quæ fuerat mortua . · . Sed & Malachias gratias agens benedixit Dominum, & unxit eam nihilominus, ſciens in hoc Sacramento remitti peccata, & quod oratio fidei ſalvat infirmum. Poſt hæc abiit ille, & illa convaluit.* Atqui factum hoc & catholicum dogma impendio confirmat contra Pſeudoreformatos; & ſimul cuique plus veritatis quam argutiarum ſtudioſo demonſtrat, Unctionem hanc rem eſſe graviſſimam; non conſilii modo & quaſi ſupererogationis; ſed vere in præcepto; ita ut & eo ſolum a peccato mulier immunis fuerit, quia recipere *voluit*; & ſe non leviter reum crediderit Malachias, quia *diſtulerat*. Hinc Sanctus Carolus in Concilio Mediolanenſi V. part. 1. (Tom. 15. Concil. 11

pag. 590. D.) *Caveat Parochus, ne in eo Sacramento negligentiam, aliamve moræ culpam contrahat. Alioquin, ſi ad illius miniſtrationem accerſitus, ire neglexerit, cum rationem Deo reddet, tum pœna ab Epiſcopo graviter plectatur. Is porro ad omnem hujus Sacramenti in tempore adminiſtrandi diligentiam, præterquam quod præcipue cura ſua, quæ ſanctæ ſollicitudinis plena eſt, Officio valde admodum perpetuo excitetur; propoſito etiam ſibi exemplo ſanctiſſimi Epiſcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus eſt, quod culpa ſua mulier quædam Sacramenti hujus gratia fraudata deceſſerit, ut totam noctem orando, gemendo, lacrymando conſumpſerit*, &c. Hæc animis revolvant Paſtores, qui identidem ne alienæ cœnæ deſint, huic, quod vidi, miniſterio deſunt.

12 Confirm. 2. peccat indubie contra jus divinum qui verbo vel facto Ext. Unctionem contemnit; unde & Eccleſiaſtica ſepultura privari jubetur a Concilio Colonienſi an. 1549. Sed qui in periculo poſitus Unctionem recipere negligit, eam facto aſpernatur: ſicut juxta Synodum Senonenſem an. 1514. Confirmationis Sacramentum temnit, qui ab eo recipiendo abſtinet, *quando Epiſcopus eſt præſens, paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit aut deſpicit recipere*.

13 Confirm. 3. Sanxerunt Mediolanenſes Synodi Extr. Unctionem a Parochis ſæviente peſte dandam eſſe, proinde cum gravi Miniſtrorum periculo. Atqui non latebat eos præcipi neutiquam poſſe, ut quis gravi mortis periculo ſe ſe, ob rem meri conſilii, ultro exponat: Ergo hic divinam legem ſubeſſe intellexerunt. Ita Gibert in locum Cabaſſutii mox citandum.

14 Objic. 1. cum Henno pag. 373. Si Sacramentum hoc ſub gravi recipere teneretur infirmus, vel ex natura rei, vel ex lege divina, vel jure Eccleſiaſtico, vel ex conſuetudine. Atqui nullum ex his dici poteſt. Non 1. cum Ext. Unctio ſit Sacramentum utilitatis, non neceſſitatis. Non 2. quia vox *inducat*, documentum ſonat, non præceptum, aut ſi præceptum, non graviter obligans, ſed tantum leviter, ut patet ex communi Theologorum ſenſu. Non 3. quia Innocentius I. dicit ſolum quod *Fideles ægroti S. Oleo perungi poſſunt*, & quod *eo omnibus Chriſtianis uti licet*. Nec nocent voces *mandati* & *debiti*, quia per *mandatum* intelligitur divina inſtitutio, ſecundum quam Chriſtus Sacramentum hoc exiſtere voluit; & id *debere* dicimur, quod melius fuerit, non quod præceptum; quo ſenſu plerumque id auditur: *Fideles ſæpe confiteri, crebro Miſſam audire debent*; licet neutra hæc actio ſub legem rigoroſam cadat. Non 4. quia non omnis conſuetudo obligat ſub culpa; utpatet in conſuetudine recitandi, *Angelus*, ter in die, frontem ſignandi luſtrali aqua in ingreſſu Eccleſiæ. Ergo.

15 Reſp. ad 1. neg. min. & quidem 1. dici poteſt Sacram Unctionem ex natura rei ſaltem in voto neceſſariam eſſe; tum quia ad minus dubium eſt an non ſit neceſſaria; in dubio autem pars tutior tenenda eſt ex natura rei; tum quia grave in extremis impendet diabolici impetus periculum; nec dubium quin eis gravius immineat, qui conſtituta a Deo remedia negligunt. Porro ex natura rei tenetur quiſque ſe contra periculum munire. Et hac de cauſa contra eoſdem, quos in

in præſenti habemus adverſarios, diximus cum Facultate Pariſienſi non poſſe Confirmationis Sacramentum ſine peccato prætermitti.

2. Ex adjunctis patet verbum, *inducat*, præceptum ſonare, & id quidem grave, ob materiæ gravitatem: quin & in dubio præſumendum eſſet pro lege. 16

3. Ex Innocentio, cujus auctoritatem objicit ſibi Juenin, & non ſolvit, nihil concludi poteſt. Neque enim de Extr. Unctionis neceſſitate conſultus erat Innocentius, ſed de ſubjecto. Exiſtimabant aliqui, ut notat Petrus Coutant, Unctionis Sacramentum pro ſolis Sacerdotibus inſtitutum eſſe; reponit Innocentius ceteros etiam fideles oleo ſancto inungi poſſe. Id ſane & non aliud reſpondere debuit. Male enim dixiſſet indiſtincte fideles omnes ungi poſſe, cum & hodieque ſint, qui ungi non debeant, puta qui in flagranti delicto ſenſibus deſtituti ſunt; & Innocentii tempore non inungerentur certi pœnitentes; ſicut nec apud nos unguntur ſontes rotæ affixi. 17

Obj. 2. Cum Cabaſſut. Lib. 3. cap. 15. Theor. &c. Quæ juris ſunt poſitivi etiam divini, non obligant cum graviſſimo eorum quibus imponuntur detrimento. Atqui Ext. Unctionis apparatus, qui vicinæ mortis ideam importat, in grave infirmi detrimentum cedere poteſt. Hinc enim facile fiet, ut tremore concuſſus, incapax efficiatur actuum pietatis ad quos maxime conari debet, imo ut adaucto morbo vita ejus in majus periculum veniat. 18

Reſp. 1. Hinc ſolum ſequi per accidens fieri poſſe, ut vitandi hujuſce periculi cauſa, quibuſdam ad extremos pene halitus differatur Extr. Unctio. 19

Reſp. 2. Cum Juenino hic pag. 815. 1. argumentum illud non habere locum in iis infirmis, qui cupiunt diſſolvi & eſſe cum Chriſto. 2. Periculum, cui Cabaſſutius conſultum voluit, raro iis etiam qui ſani ſæculo ſervierunt, impendere: 3. Eodem argumento evictum iri, ipſum etiam Viaticum pleriſque infirmis dandum non eſſe; cum vel agreſtiores ſciant Viaticum nonniſi perículoſe decumbentibus adminiſtrari: 4. Majores noſtros nullam periculi hujus rationem habuiſſe; 5. docendos eſſe fideles Extrem. Unctionem iis etiam dari quorum ſalus conclamata non ſit; imo per eam fieri ut plures ſanitatem recuperent. 6. Male ſupponi infirmos ordinarie monendos non eſſe de periculo, in quo verſantur. Quod tamen falſiſſimum eſt. Hæc ille, quibus etſi nihil detractum volo, cenſeo tamen mortem caute & prudenter, niſi aliud quid exigat perículoſa infirmi fiducia, eſse denuntiandam. Dicat Sacerdos, e Parochiæ exemplo eſſe, ut æger quam primum Sacramentis refici poſtulet; remedia eo plus ipſi profutura eſse, quo conſcientiæ erit tranquillioris; prodeſse Unctionem ad recuperandas vires ſuas. Sed mortem non inclamet ab abrupto. Novimus nec impios, quibus eo nuntio concuſsum veluti fulmine cerebrum toto triduo fuerit, adeo ut vix uno ante obitum momento, ſani mente potuerint abſolvi. Pius erat Ezechias: & tamen quæ ejus conſternatio ad hanc Iſaiæ vocem 4. Reg. 20. 1. *Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives.* 20

CONCLUSIO II. Ext. Unctio pluries conferri valet. Quin & olim

in

in eodem morbo iterabatur; quod hodie fieri prohibitum eſt, niſi ægritudo Phyſice vel moraliter diverſa ſit.

21 Prob. 1. pars 1. Quia ut duodecimo ſæculo arguebat Petrus Cluniacenſis Lib. 5. Epiſtolarum, Epiſt. 7. contra Goffridum Vindocinenſem, & Yvonem Carnot, qui Sacramentum hoc iterari poſse negabant; *Non ait* Jacobus*; Infirmatur quis in vobis ſemel: aut infirmatur quis in vobis; inducat Presbyteros Eccleſiæ ſemel: Sed nulla mentione unius, binæ vel ternæ Unctionis facta, jubet nu'lo præfixo numero induci ad ægrotum Presbyteros Eccleſiæ, &c.*

22 Prob. 2. quia ea ſolum Sacramenta iterari prohibentur, quæ characterem imprimunt. Atqui Extr. Unctionem hujuſmodi eſse nec probatur, nec probari poteſt.

23 Probat. 3. Ideo iteratur pœnitentia, quia in remedium peccati, quod ſæpius recurrit, inſtituta eſt. Atqui & Unctio in medicinam infirmitatis corporis & animæ, quæ ſæpius renaſcitur, conſtituta fuit. Ergo.

24 Probat. 4. quia opinionem Goffridi & Yvonis tota rejecit Eccleſia Chriſti, præeuntibus Petro venerabili, Magiſtro Sentent. Hugone Victorino, &c.

25 Atque hinc corruit quod contendebat Durandus, videlicet hominem ab Epiſcopo ſemel inunctum, non poſse denuo, propter ſupremi Ordinis reverentiam, a ſimplici Presbytero inungi. Id enim & gratis fictum eſt, & rationibus mox adductis convellitur.

26 Objiciebant tria repetitæ Unctionis adverſarii; 1. Unctionem eſse genus Sacramenti, porro injuriam facere Sacramentis qui eadem repetit; 2. Eandem Unctionem eſse Sacramentum pœnitentiæ publicæ, iſtud autem non magis repeti poſse quam Baptiſmum, uti docet Auguſtinus; 3. Ceteras Unctiones, Baptiſmi v.g. Confirmationis, Ordinis ſacri, vaſorum Eccleſiæ, nuſquam iterari. Ergo nec unctionem de qua loquimur. Verum hæc caduca ſunt. Unde

27 Ad 1. neg. ant. Conſtat enim Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Matrimonii Sacramenta iterari poſse.

28 Ad 2. 1. Extr. Unctio perperam dicitur Sacramentum pœnitentiæ publicæ; cum iis ſemper collata ſit, aut conferri potuerit, qui nuſquam pœnitentiæ publicæ obnoxii fuerant. 2. Si pœnitentia publica non iterabatur, id poſitivis Eccleſiæ Legibus tribuendum, non juri divino. Cum ergo Eccleſia nuſquam Unctionis noſtræ iterationem vetuerit, non eſt cur hæc prohibita cenſeatur.

29 Ad 3. Non iterantur Unctiones Baptiſmi, Confirmationis, &c. quia vel Eccleſia, vel Deus eas ſemel tantum adhiberi voluit; nec novum jam effectum parere valent. Contra vero Deus non vetuit ne Unctio infirmorum repeteretur; eaque in morbo poſteriori eundem ſortiri poteſt effectum, quem jam habuerit in priori. Jam.

30 Probat. 2. pars; nempe quod Extrem. Unctio in ejuſdem morbi decurſu pluries daretur. 1. ex S. Gregorio Magno in Sacramentario apud Menardum pag. 253. ubi ſic: *Deinde* abſoluto toto Extrem. Unctionis ritu *communicet eum corpore & ſanguine Domini; & ſic faciant illi per ſeptem dies, ſi neceſſitas fuerit, tam de communione, quam de alio officio,*

efficio videlicet Unctionis ; *& ſuſcitabit eum Dominus ; & ſi in peccatis fuerit , dimittentur ei*. 2. ex vita S. Remberti Hammaburgenſis Archiepiſcopi ſcripta ab æquali Auctore, ſæculo IV. Benedictino, in qua hæc leguntur : *Septimo ante obitum die miniſterium ſacræ Unctionis ei fieri cæpit , & una tum communione Corporis & Sanguinis Domini uſque ad diem animæ exeuntis de corpore hoc ſalutare remedium omni die percepit* . 3. Ex Ritualibus plurimis , præſertim vero ex duabus Eccleſiæ Turonenſis , qui annos 800. ſuperant , uno B. Mariæ Remenſis , ejuſdem ævi, &c. de quibus adi Martenium Tom. 2. Lib. 1. cap. 7. artic. 2. numer. 5. pagin. 109.

Probat. 3. pars ex Trident. Seſs. 14. cap. 3. *Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Unctionem convaluerint , iterum Sacramenti hujus ſubſidio juvari poterunt , cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint*. Porro ex uſu in novum vitæ diſcrimen incidere cenſetur, cui , licet priſtinam valetudinem minime recuperaſset , ita morbi vis temperata erat, ut moraliter cenſeretur deſiiſse periculum mortis . Tunc enim redeunte eodem, quod prius, periculo , novus morbus in ratione perículoſi redire æſtimatur: atque, ut ait S. Thomas in 4. diſtinct. 23. quæſtione 2. *jam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus , quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter* . Utramque propoſitionis noſtræ partem paucis his complectitur Rituale Romanum : *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet , niſi diuturna ſit , ut cum infirmus convaluerit , in periculum mortis incidit* . Etſi vero præcipit Illuſtr. Tutelenſium Præſul Tom. II. pag. 400. ut a prima Sacramenti hujus adminiſtratione ad ſecundam uſque ſex ut minimum Hebdomadæ effluxerint ; melius tamen generatim conſulit Rituale Argentin. pag. 175. ut *tunc* quidem utramque inter adminiſtrationem ſervetur *quoddam temporis intervallum*, ſed *juxta prudentem Medici aut Parochi exiſtimationem* . Quin , & meo quidem judicio prudentiſſime , monet Collator Andegavenſis pag. mihi 377. in dubio an iterari debeat Unctio , non eſſe rem ſcrupuloſiori trutina expendendam, ſed judicandum in ægroti favorem: cum id antiquæ Eccleſiarum praxi congruat. Unde quod dicit Henno pag. 374. iteratum in eodem morbo Sacramentum, ex communi Doctorum ſententia irritum fore, nequidem meretur confutari. 31

CONCLUSIO III. ad Ext. Unctionem requiruntur animæ & corporis diſpoſitiones, vel remotæ, vel propinquæ.

Prob. 1. enim requiritur ut Unctionem receptus , Baptiſmo tinctus fuerit ; ut rationis uſum aliquando habuerit ; ut nulla excommunicatione irretitus ſit ; ut demum periculoſe decumbat ; & eæ ſunt remotæ diſpoſitiones. 32

2. Quoad corpus requiritur , ut inungendæ partes lotæ ſint & mundæ ; ut infirmo raſa ſit barba , quatenus obſtare poſſit , ne Unctio labia contingat . Atque id his præcipit verbis Rituale : *Sacerdos operam dabit , ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum miniſtretur* . 33

3. Quoad animam requiritur, ut æger conſcientiam ab omni lethali peccato puram gerat ; proinde ut vel jam reconciliatus fuerit per Sacramentum Pœnitentiæ ; vel , ſi confiteri nequit, ſinceræ, quantum poterit, 34

terit, contritionis actum eliciat; tumque, vel, juxta nos, etiam ſine apertis ſignis abſolvi poterit, vel, juxta alios, minime abſolutus, ſacra Unctione donabitur.

35 4. Et ante Unctionem curabit, ut Theologicarum virtutum actus eliciat, fidei præſertim illius vivæ, cum qua ad Chriſtum accedebant ſanandi. Sed & ſatagei, ut divinæ voluntati omnimodis ſe ſubjiciat, & vitam ſuam eidem offerat in ſacrificium.

36 5. Dum penes ſenſum quemque linietur, quidquid per ſingulos deliquerit, toto corde dolebit. Atque id monendus eſt a Sacerdote.

37 6. Sacramento donatus Gratias Domino rependet ſingulares, intuitu tanti beneficii, quod, ut ex adductis exemplis liquet, enixe optarunt ſancti, ſibique gratulati ſunt acceptum. Ita ferme Collator Andegav.

CAPUT SEPTIMUM.

De effectibus & ceremoniis Unctionis Extremæ.

Punctum prius fuſe ſatis, poſterius breviſſime ſcrutabimur.

ARTICULUS PRIMUS.

De effectibus Extremæ Unctionis.

1 NEgant ex æquo Lutherani & Calviniſtæ ullum eſſe Unctionis noſtræ effectum. Reclamant Catholici omnes, & huic penitus ſubſcribunt Concilii Trident. doctrinæ, ſeſſ. 14. cap. 2. *Res & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur:* Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. *Res etenim hæc gratia eſt Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ gratiæ fiduciam excitando; qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, uti ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Quæ omnia his paucis contrahit ſacra Synodus Canon. 2. ubi; *Si quis dixerit ſacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos. Anathema ſit.* Brevius Florentinum in Decreto Rom. *effectus* quinti hujus Sacramenti *eſt mentis ſanitas; & in quantum expedit, ipſius etiam corporis.*

2 Et hæc quidem Catholicis ſufficere debuerant. Sed quia nodos nectere amant Scholaſtici, varias circa unamquamque Tridentini capitis voculam difficultates moverunt. Docuerunt itaque 1. nonnulli per unctionem hanc nullum ſeu mortale, ſeu veniale peccatum remitti; ſed tantum reſidua e peccato veſtigia & cicatrices, id eſt pravas habitudines, ſeu proclivitatem in malum, torporem & debilitatem ad bonum; quæ peccati nomine a Tridentino & Patribus expreſſa eſſe exiſti-

exiſtimant : ita Dominic. Soto in 4. diſtinct. 23. quæſt. 1. artic. 2. Alii hanc peccati acceptionem violentam eſſe perſuaſi, docuerunt per ſacram Unctionem & venialia & mortalia condonari. Sed hic nova lis; an ſcilicet mortalia ipſa per ſe & primario vi Sacramenti hujus remittantur; an ſecundario, & per accidens tantum. Pro remiſſione directa & per ſe, pugnat Sanbovius pag. 478. directa alii quoad peccata venialia ſponte admittunt; ſed quoad mortalia negant: neque hic ſtetit controverſiæ finis. Quæſitum nempe eſt inſuper an ſanitas corporis, quam hujus Sacramenti effectum eſſe conſtat, ab eo ex opere operato producatur; an ſolum ex opere operantis, quo ferme modo Sacramentalium, puta aquæ benedictæ, uſus mundat a peccatis. De quæſtione hac quam Theologicæ argutiæ ex aperta ſatis intricatam fecere, ſequentia ſtatuimus, quæ Deo dante, haud multum neceſſaria ſunt; cum ſacra Unctio certum independenter ab humanis diſceptationibus, eumque dubio procul gravis momenti, effectum producat.

Conclusio I. Ext. Unctio per ſe & primario ad alleviandum hominem, & aliqua ſaltem ejus peccata dimittenda a Chriſto inſtituta eſt. Concl. eſt de fide.

Prob. Utraque pars ex Apoſtoli textu, ubi hæc toties repetita: *Et alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Atqui ſacræ unctioni abnegari non poteſt effectus, quem ei diſerte adſcribit Scriptura. Ergo. 3

Hæc autem alleviatio in eo ſita eſt, quod ſacra unctio, *ægroti animam confirmat*, eumque adverſus *morbi incommoda ac labores*, dæmoniſque rugientis impetus corroborat, auferendo ab eo languorem illum ac torporem, quo depreſſi, præſertim in gravioribus morbis, Chriſtiani a ſupernis exitioſo quodam pondere ad terrena revocantur. Atque id exprimebat vetus hæc forma, ſi tamen vere forma fuit, Mediolanenſis Eccleſiæ: *Ungo te .·. ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare poteſtates*. 4 *Trid. ſup.*

Obj. 1. cum Brentio Lutherano: Unctionis nomen in textu Jacobi metaphorice intelligi debet: nimirum pro ſolatio infirmis per Evangelii lectionem procurato. 5

R. neg. ant. quod utique non probabit Brentius ex Scriptura, quam tamen ſibi & ſuis unam eſſe regulam falſo aſſeverat, 1. Namque nihil eſt in textu Apoſtoli quod metaphoram ſonet; nec eſt cur magis Unctio olei de qua loquitur, Spirituali ſenſu intelligatur, quam quæ Marci 6. recenſetur. 2. quia locum hunc de vera & reali unctione tota ſemper intellexit Eccleſia, cui major quam Brentio debetur fides; 3. quia alioqui Jacobææ Unctionis exſortes forent, qui Evangelii lectionem vel audire, vel animo concipere non poſſent; quod repugnat generali Jacobi ſententiæ: *Infirmatur quis in vobis, &c.* 6

Conclusio II. Extrem. Unctio peccata venialia per ſe & primario remittit.

Prob. 1. Extr. Unctio id per ſe & primario facit, ad quod directe inſtituta eſt. Atqui Ext. Unctio .·. Ad id enim directe inſtituta eſt, quod veluti unum ex primariis ejuſdem effectibus nobis proponunt Scriptu- 7

Scriptura & Concilia. Atqui .·.·. Minor patet ex Apoſtoli textu, qui non minus remiſſionem peccati, quam infirmi allevationem huic Sacramento attribuit. Conſonat id Tridentini ſupra: *Unctio delicta, ſi quæ ſint .·.·. abſtergit*. Mirum ſane quod ſacra Synodus eum primo loco Sacramenti hujus effectum commemoraſſet, qui ab eo vel nullatenus, vel quaſi per accidens produceretur.

8 Prob. 2. Ille eſſe debet primarius Sacramenti effectus, quem ipſius forma directe exprimit. Atqui peccati remiſſionem directe exprimit recepta hæc toto in Occidente forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, &c. deliquiſti*. Ergo.

9 Prob. 3. Unctio Extr. vero aliquo ſenſu remittit peccata, uti docet fides ex Apoſtoli textu. Atqui per peccata hæc ſaltem intelligi debent venialia quæcumque, vere tamen peccata. Si quid enim præter iſta intelligi valeat, vel reatus pœnæ peccato remiſſo debitæ, vel reliquiæ ex peccato ſuperſtites, id eſt pronitas in malum, torpor & debilitas ad bonum, vel demum lethalia peccata. Atqui nullum ex his dici poſſe videtur in adverſariorum opinione.

10 Non 1. Siquidem Extrem. Unctio ex natura ſua gratiam ſanctificantem in ſubjecto prærequirit, proinde æternæ pœnæ, ſicut & mortalis culpæ remiſſionem ſupponit. Aliunde vero eadem Unctio pœnam temporalem non relaxat; tum quia alioqui cœleſte Regnum pleno curſu ingrederentur, qui pie Unctionem ſuſcepiſſent; tum quia nulla pœnitentibus infirmis, qui mox liniendi forent, injungenda eſſet ſatisfactio; quam praxim in Græcis apud quos invaluerat, reprobavit Innocentius IV.

11 Non 2. 1. Quia peccatum a peccati reliquiis expreſſiſſime diſtinguit Tridentinum in textu citato, ubi *delicta* ſub conditione, *ſi quæ ſint*, peccati vero reliquias abſolute & ſimpliciter abſtergi declarat; 2. Quia peccatum in communi Scripturæ uſu, a quo nuſquam ſine gravi cauſa recedere licitum eſt, non metaphorice pro languore, qui peccatum non eſt, ſed proprie & litteraliter pro vero culpæ reatu accipi debet. Ergo & in Jacobæo textu, præſertim cum hunc de peccato ſimpliciter dicto tota ante Scholaſticos intellexerit antiquitas.

12 Non 3. ſaltem in opinione adverſariorum, qui ſi venialia per Unctionem remitti negant, negant a fortiori per eam dimitti lethalia, de quo Concl. ſeq.

13 Obj. 1. Cum Goneto hic diſp. 2. n. 19. ex forma Sacramenti hujus nihil colligi poteſt; 1. Quia formæ Mediolanenſis & Veneta nihil de peccatorum remiſſione loquuntur; & tamen legitimæ erant; 2. Quia hodierna forma non minus de lethali peccato, utpote generalis, *quidquid deliquiſti &c.* intelligi poteſt, quam de veniali: Attamen negant plerique lethalia per Unctionem noſtram remitti.

14 Reſp. ad 1. 1. Incertum eſſe an prædictæ formulæ veram aliquando & totalem Sacramenti hujus formam exhibuerint; 2. indubie certiorem ac meliorem eſſe formam, quæ nunc in tota qua patet Occidentali Eccleſia uſurpatur. Neque enim Eccleſia vel certioribus incertiora, vel melioribus minus bona ſubſtituit; 3. in hac forma; *Ungo te*, implicite contineri remiſſionem peccatorum: nunquam enim facilius aerias pote-

poteſtates in judicio vincit anima , quam cum maculas leviores prō viribus ſuis abſterſit.

Ad 2. patebit reſponſio ex Concl. ſeq. 15

Obj. 2. Cum eodem ibid. num. 5. poſt D. Thomam hic quæſt. 30. art. 1. Deus nihil facit fruſtra . Atqui fruſtra Unctionem inſtituiſſet in remiſſionem venialium : Cum Pœnitentia ad horum remiſſionem plene ſufficiat.

Reſp. 1. ad ſummum hinc ſequi , quod abſolute potuerit Chriſtus 16
Extrem. Unctionem non inſtituere in remiſſionem venialium ; nequaquam autem quod de facto eam in hunc finem non inſtituerit . Quid ſibi vult iſtud argumentandi genus? Declarat quidem Tridentinum per Unctionem abſtergi delicta: Cave tamen id proprie intelligas, quia ſic eſſe non potuit. Quanto ſanius eſt Deo gratias habere ſingulares, quod ſicut Pœnitentiam inſtituit ad remittenda peccata , quæ per contritionem remitti poterant, ſed multo difficilius; ſic & poſt inſtitutam Pœnitentiam inſtituerit Extr. Unctionem, per quam peccata facilius, quia ſine confuſione, remitti poſſunt, quo tempore pleniori eorum remiſsione indiget homo.

Reſp. 2. neg. min. Ut enim potuerit, & præ infinita ſua miseratio- 17
ne utcumque debuerit Chriſtus Unctionem ſacram in venialium remiſſionem inſtituere , ſatis erat ut Unctio venialia in caſibus innumeris abſtergere poſſet, in quibus id vel non poteſt , vel non certo poteſt Pœnitentia. Atqui res ſic ſe habet. Pœnitentia enim, potiſſimum juxta plures ex adverſariis, non delet peccata ſine exterioribus pœnitentium ſignis, aut ſaltem ea certo non delet . Annon vero multi eſt in his qui tam frequenter recurrunt caſibus, habere Sacramentum quod gerat Pœnitentiæ vices.

At inquies cum recentiore, ut effectus ille habeatur , ſufficit quod Unctio venialia per accidens remittat.

Reſp. 1. Diſputant Theologi de accidentali Sacramentorum effe- 18
ctu , an infallibilis ſit , necne . 2. conceſſo quod infallibilis ſit , equidem per accidens producetur, non ſecus ac producitur per ſe ; ſed an æque ſtabit Tridentina hæc definitio : *Si quis dixerit ſacram Unctionem .·.·.·.·. non remittere peccata , nec alleviare infirmos ; anathema ſit :* Hic enim peccati remiſſio ab aliis effectibus appertiſſime diſtinguitur.

Inſt. Cum eodem, & quem innominatum tranſcripſit, Goneto num. 19
7. in hac noſtra opinione Unctio non remittet venialia ſimpliciter , ſed in exitu , ne gloriæ aſſecutioni obicem ponant . Atqui duo hinc ſequuntur abſurda . 1. hoc Sacramentum ſerius quam fieri poterit ; & in ipſo mortis articulo conferendum eſſe, quando jam non ſubeſt periculum peccandi. 2. illud damnatis ad mortem eſſe adminiſtrandum.

R. 1. Duo hæc ab adverſariis, niſi ludant, ſolvenda eſſe. Cum enim 20
juxta ipſos Ext. Unctio per accidens venialia remittat , eo plura dimittet, quo ſerius data fuerit, atque ipſis etiam ad mortem damnatis poterit, ſecundario quidem, vere tamen opitulari.

Reſp. 2. quod ipſi nobis reponerent, neg. min. pro utraque parte . 21
Pro prima, tum quia Unctio inſtituta eſt etiam ad infuſionem gratiæ

contra

contra extremum luctamen corroborantis, qua qui diutius caret, plus periclitatur; tum quia qui mente plene integra linitur, uberem percipit gratiam, quæ venialis alicujus peccati dimiſſionem aliunde compenſat, & non raro impedit ne ommittatur. Et id præcipue verum eſt in opinione Angelici doctoris, qui ad Sacramenti hujus fructum *devotionem actualem* requirere videtur.

22 Pro ſecunda parte; quia norunt vel infantes 1. non prodeſſe Sacramenta niſi eis quorum in gratiam inſtituta ſunt; 2. Unctionem hanc nonniſi pro ægrotantibus inſtitutam eſſe.

23 Obj. 2. Cum S. Thoma 3. p. q. 65. art. 1. ad 3. *Ad deletionem venialis peccati non requiritur infuſio gratiæ*. Atqui *in quolibet Sacramento novæ Legis gratia infunditur*. Ergo *nullum Sacramentum novæ Legis directe inſtituitur contra veniale, quod tollitur per quædam Sacramentalia, puta per aquam benedictam*.

24 R. Quidquid ſit de forma hujus argumenti, 1. ex eo equidem conſequi poſſe Unctionem Ext. non fuiſſe ſimpliciter inſtitutam ad ſolam venialium remiſſionem: non vero quod Deus, qui dives eſt in miſericordiis, vel non potuerit, vel non voluerit eam ſio inſtituere, ut ſimul & gratiam augeret, & venialia dimitteret. Unde

25 R. 2. Diſt. maj. ad venialium remiſſionem non requiritur gratia, ſed poteſt tamen cum gratia tribui venialium remiſſio, ſi hanc illi Deus annectere voluerit, C. Ad venialium remiſſionem ∴ & non potuit Deus remiſſionem hanc cum gratia connectere, N. Id enim nec attributis Dei, nec hominis, nec gratiæ aut peccati adverſatur.

Conclusio III. Unctio peccata etiam mortalia per ſe remittit; non tamen eo modo quo Pœnitentia.

26 Prob. 1. pars, quam tenent Sanbovius pag 483. Henricus a S. Ignatio Lib. 6. n. 29. Haberr cap. 6. Tournely in prælectionibus, & alii quibus præiverunt Bellarminus, Maldonatus, &c. Prob. inquam, non metaphyſicis argutiis, quæ in materia Sacramentaria, modici, ſi cujus, ponderis eſſe debent; ſed 1. ex verbis Jacobi: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*. Atqui 1. verba hæc generalia ſunt; 2. & habitum peccati exhibent, non enim eſt *in peccatis* niſi qui eorum habitum gerit; 3. nec ad peccati reliquias, nec ad peccata venialia reſtringi poſſunt. Nec enim dubium eſt quin infirmus ejuſmodi reliquiis, ſaltem per originale peccatum contractis implicetur; & levioris alicujus culpæ conſcius ſit: cum toties juſtis ipſis venialiter peccare contingat. Ergo dubium Apoſtoli cadit in peccata mortalia, quæ, ſi forte inſint, per ſacram Unctionem remiſſum iri declarat.

27 Prob. 2. Ex verbis formæ, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*: unde ſic: *Sacramenta novæ Legis id operantur quod ſignificant*. Atqui Sacramentum Ext. Unctionis ſignificat quorumcumque peccatorum remiſſionem: ergo hanc eſſentialiter producit, cum producere poteſt: *ſi* infirmus *ſit in peccatis*.

28 Reſpondent Sacramenti formam non operari niſi cum materia, ſeu *proportionaliter ad materiam*; proinde cum *materia*, *ſeu Unctio*, *ſignificet ſanctionem*, *quæ ſupponit vitam*, ſeu *abſentiam peccati*, non poſſe Sacramentum iſtud operari remiſſionem peccati. Verum ſolutio hæc,

quæ

quæ formæ apertiſſimæ ſenſum ex materia de ſe, juxta adverſarios ipſos indifferenti, reſtringit, vel potius pervertit; quam exilis ſit & caduca patebit ex dicendis n. 36. & 37.

29 Probat. Quia Sancti Patres generatim & indiſtinčte docent per unctionem, de qua loquitur Sanctus Jacobus, remitti peccata. Petrus Cluniacenſis, de quo ſupra, probat iterandam eſſe unctionem infirmorum, *quia iterari neceſſe eſt peccatorum, propter quam ſit illa Unctio, remiſſionem*. Sanctus Carolus in inſtruct. de unct. extrem. *Prima*, inquit, *utilitas & effectus hujus Sacramenti eſt, quod peccati reliquias tollit tanquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ. Quæ reliquiæ peccata eſſe intelliguntur, ſive mortalia, ſive venialia, quæ poſt alia Sacramenta remanent. Poteſt enim fieri, ut ignorante eo qui commiſit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri poſſit eum per hoc Sacramentum ſalvari, qui alioqui fuiſſet damnandus.*

30 Reponunt effectum hunc remiſſionis peccatorum Extrem. Unctioni, ſicut & aliis vivorum Sacramentis, Euchariſtiæ præſertim, competere ſecundario; idque ad objectorum textuum veritatem ſufficere. Verum ſolutio hæc, niſi res præſens ad meram de nomine quæſtionem reducatur, aut vox *ſecundario* explicetur ut infra numer. 39. nequaquam ſufficit; docent enim plures Euchariſtiam, & a fortiori cetera quæ vivorum dicuntur Sacramenta, nunquam remittere lethalia, niſi mediante perfecta contritione, quæ ſi deſit, in eo etiam qui bona fide Euchariſtiam recipit, manet peccati mortalis reatus. Qui autem aliter ſentiunt, quod & nos fecimus Tom. 5. pag. 622. non tam aſſerendo, quam conjectando ſentiunt; ut qui ſciant ſuam hanc opinionem piis equidem conjecturis niti, ſed nullo fulciri argumento quod aſſenſum certo eliciat. Aliud eſt de Extr. Unctione, cui virtus remittendi peccata indefinite tribuitur, tum in Scriptura: *Si in peccatis ſit, &c.* tum per ipſam Sacramenti formam, *Quidquid deliquiſti, &c.* quæ, quod notatu dignum eſt, ait Pariſienſis Doctor, a Tridentinis Patribus vindicata eſt adverſus alienas interpretationes, quibus nonnulli & Jacobi verba, & ejuſdem Sacramentalis formæ ſenſum obſcurare nitebantur. Sic enim Patres, quod repetere non pigeat, *Unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit;* ubi conceptis verbis delicta a reliquiis peccati diſtinguuntur; & ea quidem delicta a quibus æger poteſt eſſe immunis; ergo lethalia, cum a venialibus nemo diu prorſus immunis ſit.

Prob. 2. pars, nimirum quod Ext. Unctio non remittat peccata, ut remittit Pœnitentia. 1. Quia Pœnitentia ſic inſtituta eſt, ut ſemper & in omni caſu peccata remittat. Atqui non ſic Ext. Unctio, quæ ea ſolum in periculo mortis dimittit, & tunc ſolum quando ea per Pœnitentiam remitti non poſſunt. 31

2. Quia Sacramentum Pœnitentiæ iis qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, omnino neceſſarium eſt, cum recipi valet. Atqui non ita neceſſarium foret, ſi per Ext. Unctionem ſemper, aut ſaltem in omni mortis periculo ſuppleri poſſet. 32

33 3. Si Extr. Unctio inſtar Pœnitentiæ dimitteret mortalia, non minus ex genere ſuo mortalia præſupponeret, quam Pœnitentia. Atqui tamen ea non ſupponit; 1. quia alioquin inepta foret hæc conditionalis locutio Jacobi: *Si in peccatis ſit*; ſicut inepta foret, cum de Sacramento Pœnitentiæ agitur; 2. quia Unctio hæc eſt Sacramentum vivorum, & ex primaria ſua inſtitutione ſupponit animam a peccati morte ſuſcitatam.

34 Obj. 1. contra 1. part. non equidem Scripturam, Conciliave aut Patres, quæ tamen in gravibus ejuſmodi materiis potiſſima eſſe deberent argumenta; ſed metaphyſicas quaſdam ſubtilitates. Sic itaque diſputant: Extrem. Unctio eſt inſtituta per modum curationis & ſanationis. Atqui medicina & curatio ſupponunt vitam in eo qui curatur. Ergo Ext. Unctio ſupponit vitam ſpiritualem in infirmo: adeoque abſentiam mortalis peccati.

35 R. 1. diſt. maj. Inſtituta eſt per modum curationis, & ſimul ſupplementi pœnitentiæ in certis caſibus, nempe *ſi æger in peccatis ſit*, C. Per modum curationis ſimpliciter & pro quocumque caſu, N. Solutionis veritas patet ex Scriptura & Conciliis.

36 R. 2. cum aliis diſt. maj. Eſt inſtituta primario per modum medicinæ & curationis, C. Eſt inſtituta unice per modum medicinæ ſpiritualis, Neg. Atqui medicina, &c. diſting. pariter min. Medicina quæ non habet niſi vim ſanandi, ſupponit vitam, Conc. Medicina quæ primario vim habet ſanandi, ſecundario autem vim vitam infundendi, Neg. Itaque ex prima divini Reparatoris intentione Extr. Unctio inſtituta eſt per modum medicinæ vitam actualem ſupponentis; unde qui ſibi lethalis peccati conſcius eſt, ante Unctionis ſuſceptionem tenetur vel ad Pœnitentiam confugere, ſi poteſt; vel ſi non poteſt, quantam valebit contritionem in ſemetipſo cum Sacramentalis Confeſſionis voto accendere. Verum ſtat cum his eum per Unctionem a mortuis aliquando ſuſcitari poſſe, etiam cum imperfecta contritione, quæ a Sacramento infirmorum ſecluſa, eidem juſtificando non ſufficeret, adoque ut *per hoc Sacramentum* ſalvetur, *qui alioqui fuiſſet damnandus*.

37 Inſt. Quod peccata ſecundario tantum remittit, ea non remittit niſi per accidens. Atqui ex modo conceſſis Ext. Unctio, &c. Ergo nullum reipſa nos inter & Thomiſtas occurrit diſcrimen, niſi in verbis.

38 R. neg. maj. Neque enim, ut appoſite monet Habertus, confundi debent voces iſtæ *per ſe* & *primario*. Aliud enim eſt rem *per ſe* ad finem aliquem eſſe inſtitutam; aliud eam *primario* ad finem hunc inſtitutam eſſe; quædam enim tam ex intentione operantis, quam operis aſſumentur ad finem, qui tamen non intenditur niſi ſecundario. Patet id exemplo Medici, qui ita vult levare dolorem capitis, ut timeat nocere pulmoni male affecto, ideoque medicamentum parat, cui utilia ad utrumque morbum curandum immiſcet. Medicamentum illud per ſe ad capitis & pulmonis levamen dirigitur; ſed primario in capitis levamen, quod primum intendit Medicus, ſecundario autem in bonum pulmonis. Sic Unctio per ſe tendit in abſterſionem peccati & reliquiarum ejus; ſed ſecundario tantum in abſterſionem peccati

morta-

mortalis; quia intendit, ut, ſi fieri poteſt, jam per clavium opem remiſſum fuerit. His adde quod Sacramentum certo, & cum minori diſpoſitione id facit, quod per ſe facit. Quod autem *per accidens* tantum operatur, non ita certo, nec cum iiſdem diſpoſitionibus operatur, juxta Theologos plures, quorum opinio etſi minus rata videatur, non omni tamen veri ſpecie deſtituta eſt.

Objic. 2. Nonniſi duo ſunt Sacramenta mortuorum. Atqui admiſſa noſtra opinione tria forent. 39

R. neg. min. Ut enim bene Sanbovius, ea duntaxat Sacramenta pure & ſimpliciter *mortuorum* dicuntur, quæ ex primaria propriæ inſtitutionis intentione remittunt peccata mortalia; ſeu quæ non requirunt ut diſpoſitionem ordinariam, abſentiam peccati mortalis. Atqui Unctio Ext. peccatum mortale ex primaria intentione non remittit, ſed ut ordinariam diſpoſitionem requirit abſentiam ejus. Ergo non debet dici ſimpliciter Sacramentum vivorum. Nihil autem abſurdi erit, ſi eo nomine ſecundum quid donetur. 40

Not. Triplex eſt ratio qua peccatum in Sacramentis dimittitur. Prima eſt *per ſe ex primaria intentione* primariæ inſtitutionis; & hæc eſt propria Baptiſmi & Pœnitentiæ. Secunda eſt *per ſe ex ſecundaria intentione* propriæ inſtitutionis; & hæc eſt peculiaris ſacræ de qua nunc Unctionis. Tertia denique eſt *per accidens*, quæ convenit ceteris quatuor Sacramentis. Quod autem Unctio *per ſe*, licet ex intentione tantum ſecundaria, dimittat peccata, hinc probatur quod Scripturæ & Concilia de remiſſione peccatorum per Unctionem alio loquuntur modo, quam per cetera *vivorum* Sacramenta. Porro ſi Extr. Unctio peccata ſolum per accidens remitteret, non magis remiſſio hæc inter effectus ejus, quam inter Euchariſtiæ v.g. vel Ordinis effectus recenſeretur. Hęc idem Doctor, pag. 478. 41

Inſt. 1. Duo Sacramenta non ordinantur ad eundem effectum. Atqui Pœnitentia ad remiſſionem peccati mortalis ordinatur. Ergo. 42

R. 1. argumentum hoc ab Adverſariis ſolvendum eſſe, ſi remiſſio mortalium, quam per accidens ab Ext. Unctione fieri confitentur, vera ſit & infallibilis. An enim Unctio vere non ordinabitur ad remiſſionem, quam certo & infallibiliter producet, ſicut Pœnitentia; licet eam nonniſi per accidens producere dicatur? 43

R. 2. diſt. maj. Duo Sacramenta non ordinantur ad eundem effectum ſub eadem ratione producendum, C. ſub diverſa, N. Porro Ext. Unctio non remittit peccata eadem ratione qua Pœnitentia; iſthæc enim peccata delet ſemper & in quocumque caſu; nec ullum eſt Sacramentum quod ea ſine ordine ad ipſam remittere valeat. Contra Unctio infirmorum ea tantum delet in exeuntibus, queis alia nulla ratione ſuccurri poteſt. 44

Inſt. 2. Sacramentum quod culpam abſolutione Sacramentali dimiſſam ſupponit, nullo modo culpam hanc remittit. Atqui Unctio extrema .:.:. Unde in Elucidario apud S. Anſelmum hæc legere eſt: *Si de peccato pœnitentiam non egit, iſti Unctio non ſolum ei nihil prodeſt, ſed etiam multum obeſt.* 45

R. diſt. min. Supponit culpam remiſſam de lege communi, C. quaſi 46

 nunquam

nunquam poſſit culpam hanc remittere ; puta cum æger vel confiteri non poteſt , vel alicujus ab ultima confeſſione perpetrati peccati oblitus eſt, aut nulla dat doloris ſigna ; quo in caſu plures eum ſacramentaliter abſolvere non audent , N. Itaque qui ſacramentaliter abſolvi poteſt , ad id procul dubio tenetur ; cum quidquid per claves deleri valet, per eas neceſſario delendum ſit. Unde qui unctioni, quia faciliori, omiſſa Sacramenti Pœnitentiæ via , confideret , *Unctio hæc non ſolum ei nihil prodeſſet, ſed etiam*, quia ſacrilege ſuſcepta, *multum obeſſet*. Verum non ideo nullum ex ea fructum capiet qui ſacramentaliter abſolvi non potuerit ; fiet enim aliquando ut per eam ſalvetur, *qui alioqui fuiſſet damnandus*.

47 Obj. 3. Nullum in Lege nova remittitur peccatum , niſi per actum judicialem . Atqui nihil eſt in unctione extr. quod actum judicialem ſapiat, cum forma ejus ſit deprecativa .

48 R. neg. maj. quæ licet de lege communi vera ſit , falſa eſt in caſibus num. præced. recenſitis.

49 Obj. 4. cum Auctore Operis de re Sacramentaria, pag. 223. Ex Tridentina definitione Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſma neceſſarium eſt neceſſitate medii. Atqui non poteſt ſtare hoc dogma, ſi Extr. Unctio per ſe ad dimittenda mortalia ſufficere poſſit ; in hac enim hypotheſi poſſent ablui peccata mortalia per ſolam unctionem , ſecluſo Pœnitentiæ Sacramento.

50 Reſp. 1. Nuſquam dixit Tridentinum Pœnitentiam lapſis eſſe neceſſariam neceſſitate medii ; ſed ſimpliciter eam eſſe lapſis neceſſariam , *ſicut nondum regeneratis* neceſſarius eſt *ipſe Baptiſmus* : porro Baptiſmus aquæ non eſt , adultis ſaltem , neceſſarius neceſſitate medii ; cum in his per Baptiſmum flaminis ſuppleri poſſit , imo & in infantibus per Martyrium , uti cum multis docuimus in Tractatu de Baptiſmo, cap. 8. art. 2. ſect. 1.

Seſſ. 14. cap. 2.

51 Reſp. 2. neg. min. Sicut enim Sacramentum Pœnitentiæ vere dicitur neceſſarium , licet effectus ejus per internam contritionem ſuppleri poſſit ; quia nunquam ſuppletur ſine ordine ad claves : ſic & idem Sacramentum vere neceſſarium dici debet, licet per extrem. unctionem aliquando ſuppleatur ; quia nunquam per eam ſuppletur ſine ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ ; & ita ſecum cohæret ſacra Synodus , quæ ſic docet neceſſariam eſſe Pœnitentiam ad peccati remiſſionem , ut remiſſionem hanc per extr. unctionem haberi poſſe declaret.

Conclusio IV. Extr. unctio per ſe & primario peccatorum reliquias abſtergit, & animam alleviat.

52 Prob. 1. pars. Per reliquias peccati intelligitur animi torpor , ſeu , ut loquitur S. Thomas in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 1. *quædam debilitas ſpiritualis* , mentem a cœleſtibus avocans , & ad terrena deprimens ; mœror item & anxietas quæ hominem morti vicinum vexare conſuevit, & diffidentiam concitat. Et is quidem totius hominis languor partim ex originali labe contrahitur, partim ex longa peccatorum ſerie vires & augmentum ſumit, ſecundum id Auguſtini, Lib. ult. de Trinitate, c. 27. *Quæ cauſa eſt cur acie fixa lucem illam incommutabilem*

videra

videre non poſſis, niſi infirmitas? Et quid tibi eam fecit, niſi iniquitas? Atqui torporem hunc abſtergit Unctio ſancta, & quidem per ſe & primario; 1. quia datur per modum medicinæ. *Medicina autem*, ait ibid. S. Thomas, per ſe & primario *eſt ad pellendam infirmitatem*. 2. Quia ad minus tollit venialium culpam. Atqui mens ab his, velut a multiplici gravamine libera, ad cœleſtium meditationem fit expeditior. 3. Quia Sacramenta id efficiunt quod ſignificant. Atqui aliqua hujus Sacramenti pars, unctio ſcilicet olei, ſignificat id in anima per Sacramentum hoc effici, quod olei unctio in corpore operatur. Hæc autem vigorem artubus præbet, & ab iis torporem abigit, ut compertum eſt exemplo Athletarum. *Oleum*, ait Victor Antiochenus, in cap. 6. Marci, *inter alia & laborum moleſtias mitigat, & lumen fovet, & hilaritatem conciliat*. Ergo.

Prob. 2. pars, 1. ex ipſo S. Jacobi textu, qui alleviationem hanc recenſet ut primarium unctionis noſtræ effectum: *Et alleviabit eum Dominus*, ſeu, ut Græce habetur: *Et eriget eum Dominus*, id eſt firmabit, corroborabit, & ut legebat Innocentius I. *ſuſcitabit*; 2. quia unctio extrema, juxta Patres tam Græcos quam Latinos, eſt perfectivum, ſeu, ut loquitur Trident. Synodus, *conſummativum Pœnitentiæ*. Atqui non eſt conſummativum Pœnitentiæ, niſi quia, inſtar illius peccatum abigendo, mentem adverſus reſiduas e peccato infirmitates confirmat; 3. quia eadem Unctio paſſim a SS. Doctoribus vocatur *Sacramentum ſpei*, ſicut Baptiſmus & Confirmatio dicuntur Sacramenta *fidei*, & Euchariſtia Sacramentum *amoris*. Atqui eatenus ſpei Sacramentum eſt, quatenus homini, penes venialia & venialium reliquias mundato, multam injicit ſpem divinæ miſericordiæ, quo nihil aptius ad alleviandam ac reficiendam animam excogitari poteſt; 4. Demum, quia per Eugenium IV. in Decreto: Unctionis noſtræ *effectus eſt mentis ſanatio*. Atqui anima ſanatur tum remiſſione peccatorum, juxta iſtud Prophetæ: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*; tum abſterſione languoris e peccatis contracti; juxta illud ejuſdem: *Miſerere mei, quoniam infirmus ſum*. Ergo. 53

Hos effectus pie & nervoſe his expoſuit verbis Tridentin. in prooemio de Extrem. Unctione: *Clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus remediis adverſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum; quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit quibus Chriſtiani conſervare ſe integros, dum vivererent, ab omni graviore ſpiritus incommodo poſſent; ita Extrem. Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio, munivit. Nam etſi adverſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas noſtras quoquo modo poſſit, nullum tamen tempus eſt quo vehementius ille omnes ſuæ verſutiæ nervos intendet ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, ſi poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perſpicit* .·.·.·. *Hæc* autem *Unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando; qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus* 54

dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, *& ſanitatem corporis interdum*, *ubi ſaluti animæ expedierit*, *conſequitur*.

55 Obj. 1. Poſt receptum Ext. Unctionis Sacramentum manent in iis qui convaluerunt, peccatorum reliquiæ, ſcilicet peccati fomes, vitioſi habitus, natura in malum proclivis, torpor ad bonum. Ergo falſum eſt quod Extr. Unctio reliquias peccatorum abſtergat.

56 R. 1. neg. conſeq Namque, ut advertit ibid. S. Thomas; ad 2. *Reliquiæ peccati non dicuntur hic diſpoſitiones ex actibus relictæ, quæ ſunt quidam habitus inchoati, ſed quædam ſpiritualis debilitas in ipſa mente exiſtens, qua ſublata, etiam iiſdem habitibus vel diſpoſitionibus manentibus, non ita poteſt inclinari mens ad peccata*. Ergo curatur equidem infirmitas mentem incurvans, ita ut homo, ſi gratia ſibi oblata utatur, ad bonum longe facilius tendat; ſed manet fundus diſpoſitionum perverſarum, ut & peccati fomes, qui nullo unquam Sacramento aufertur, licet non parum imminui poſſit. Unde

57 Reſp. 2. diſt. conſeq. Extrem. Unctio non abſtergit reliquias peccatorum, immutando nativam corporis habitudinem, Conc. Non abſtergit tribuendo robur & vigorem adverſus pravas quæ ex peccato remanent diſpoſitiones, Neg. Itaque Extrem. Unctio duo facit. 1. Culpæ reatum, ſi quis ſit, penitus delet; 2. culpæ ejus reliquias, non equidem funditus delet, (quia providentiæ eſt ut ad virtutis exercitium ſuperſint, atque etiam ad pœnam peccati, ut dicat homo cum fratribus Joſeph: *Merito hæc patimur*:) verum eas imminuit, aut ſaltem vires largitur, quibus ex eis *proventum faciat* infirmus, ſecundum id Catechiſmi Rom. §. 28. *Allevatur & erigitur ægri animus divinæ bonitatis ſpe, eaque corroboratus, morbi incommoda omnia fert levius, ac ipſius dæmonis calcaneo inſidiantis artificium & calliditatem facilius eludit*.

58 Inſt. Hæc reliquiarum peccati abſterſio perperam Ext. Unctioni tribuitur; cum eam abunde operetur Pœnitentiæ Sacramentum, quod, ut norunt omnes, jus tribuit ad auxilia quibus pœnitens concupiſcentiam frænare, tentationibus obſiſtere, proficere in bono, & uſque ad exitum perſeverare valeat. Ergo non eſt cur hæc reliquiarum peccati abſterſio in Extr. Unctionem refundatur.

59 Reſp. neg. antec. nam Pœnitentia dat equidem vires adverſus ordinaria ſpiritualis vitæ pericula; ſed quemadmodum Medicus qui hominem infirmæ valetudinis hactenus per leniora remedia curavit, fortiora, ingraveſcente morbo, incunctanter adhibet, ſic & poſtulabat clementiſſimi Redemptoris noſtri benignitas, ut Fideles ſuos, recrudeſcente periculo, firmioribus, & ad hunc finem directe inſtitutis præſidiis muniret. Atqui pœnitens, periculoſa ægritudine correptus, longe majus quam antea ſubit in ſpiritualibus diſcrimen. Invadunt animam torpor & anxietas, cruciant acutiſſimi dolores corporis, perturbat quam maxime horror præſentiſſimæ mortis; hinc animo recurrit præteritarum iniquitatum memoria, & immanes conſcientiæ ſtimuli; inde obſtrepit amara vox; *Statutum eſt hominibus ſemel mori*, tibi mox, *poſt hoc autem judicium*. His accedunt vehementiores dæmonis impetus, qui cum Sanctos aliquando perterruerint, peccatores aut

tepidos

Digitized by Google

tepidos in deſperationem conjiciant, niſi afflictis ſuccurrat miſericordia divina, vireſque novas & arma ſuppeditet. Hæc pie idem Pariſ. Magiſter.

Atque hinc cum ipſo colliges, quanta commiſeratione digni ſint fideles plerique qui nullam tanti gratiarum theſauri cognitionem habent; ſua minus, quod ſummopere dolendum eſt, quam Paſtorum incuria, e quibus multi perraro, quidam ne ſemel quidem in longo Regiminis decurſu de præſenti argumento ad plebem ſuam verba faciunt. Unde accidit, ut Deus nec gloriam, nec gratias ſibi e tam ſalubri beneficio debitas referat; quin & illud plures negligant, ſæpe etiam velut certum mortis ſententiam averſentur; ipſi quoque Parochi tam præſens remedium infirmis proponere vereantur, ne concidant animis, & tota velut ad fatalem nuntium perturbetur familia. Et reipſa quidem ad unum ſacræ hujus Unctionis nomen affines & domeſtici dedunt ſe lacrymis: inter ægrotos vero ii habentur religioſiores, qui Miniſtro rem proponenti non refragantur, nec ægre divinum illud medicamen ſibi adhiberi ferunt; pauci vero occurrunt, qui illud exoptent, & ea qua par eſt devotione & animi præparatione ſuſcipiant. 60

Præparationem dico; hæc enim cum ad omnia adultorum Sacramenta requiratur, & ad iſtud quoque requiritur; eo præſertim quod & Pœnitentiæ completivum ſit, & per adjunctam contritionem omnes anteactæ pœnitentiæ defectus reparare debeat. Porro in pœnitentia, qua ſani defungimur, quatuor occurrere poſſunt defectus. Vel enim deeſt propoſitum efficax vitandi peccata, quæ in Tribunali depoſuimus, ſolaque adfuit velleitas quæ propoſiti loco imprudenter habita eſt: Vel ex vincibili & culpabili ignorantia gravia etiam peccata excuſamus, nec proinde corrigimus; quod malum ita frequens eſse cenſent viri graves, ut quotquot in æternum pereunt, omnes, paucis exceptis, propter vincibilis ignorantiæ peccata, perire conſtanter aſſeverent: (Vide Auguſtinus Lib. 10. Confeſs. cap. 35. *Multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. Tu noſti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum.* Sed & præſtantiores amici Dei; alii cum Rege Propheta, Pſalm. 12. *ab occultis meis munda me;* alii cum Apoſtolo trepidi ajebant: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.*) Vel levia multa quaſi per ludum committimus, nec conſentaneo dolore abſtergere molimur; Vel de his etiam quæ ſincere deteſtamur per dignos pœnitentiæ fructus non facimus ſatis; unde manet nos gravis reatus pœnæ temporalis. 61

Atqui Ext. unctio ſine accuratiore infirmi pœnitentia vitia illa integre non corrigit. Non defectum, ſi quis fuerit, efficacis propoſiti, niſi jam plene mutata in bonum voluntas omnem peccandi effectum exuat. Non ignorantiæ peccata, niſi infirmus ea nunc condemnet, quæ male hactenus excuſavit; & inita arctiori crucis ſeu Evangelii via, ſpatioſam ſæculi viam, quæ tenebris obſita eſt, dimittat, ut ſic ea ſaltem ignorantia, quæ primitus voluntarie contracta eſt, deinceps involuntaria & veniæ digna cenſeatur. Non peccata venialia; cum deleri ea non poſſint, niſi ex aliquali quæ ad ea ſe extendat pœniten- 62

tia. Non reatum pœnæ temporalis, qui ſi forte ad reliquias peccati per Extrem. Unctionem auferendas pertinet, ut D. Thomæ & pluribus poſt ipſum videtur, dimitti nequit, niſi infirmus ex ardenti ſtudio ſatisfaciendi divinæ juſtitiæ, morbi dolores ſtrenue ſuſtineat, atque *in ſpiritu humilitatis & in animo contrito*, imminentem totius mundi & vitæ ipſius jacturam in ſcelerum ſuorum expiationem acceptet.

63 Ex his colligent Paſtores, 1. amplam ſibi ex hoc Sacramento, dicendi copiam exurgere; 2. ſuam ea de re orationem non eſſe remittendam ad tempus mortis, cum jam vel utcumque ſuſpecta eſt infirmo, vel ei plurimum prodeſſe non poteſt; ſed e ſuggeſtu coram populo quantum ſufficiet, habendam eſſe; ut diſcant ſani, quæ ſibi poſtmodum infirmis utilia ſint: Nec *dubitandum eſſe*, ait Catechiſmus Trid. hic num. 30. *quin Fideles ex hac doctrina maximum pietatis fructum percipiant;* 3. haud ſatis eſſe, quo infirmum ad debitam hujus Sacramenti perceptionem informent, ut eum generatim ad pœnitentiam moveant; ſed operæ pretium eſſe ut inſuper capita ſuperius annotata ſigillatim attingant; *ac præſertim quæ ſpectant ignorantiam vincibilem, propter quam tot homines in æternum pereunt*. Ita & inſtanter citatus Doctor, quem qui a nobis (in moralibus ſcilicet) appellari ægre ferunt, ægre in primis ferre debuerunt, quod vulgares Scholaſtici multa, plerumque jejuna diſputent; vix quid unquam afferant unde, juvari pietas, & Paſtores ad munia ſua informari poſſint.

Conclusio V. Valet etiam Extr. Unctio ad reſtituendam corporis ſanitatem, idque ex opere operato; attamen ſub conditione, ſi animæ ſaluti expedierit. Tres ſunt partes.

64 Prob. 1. pars 1. ex S. Jacobi verbis: *Oratio fidei ſalvabit infirmum*. Atqui hæc infirmi ſalus ab Hugone Victor. Magiſtro Sentent. SS. Thoma & Bonaventura, & aliis vulgo Theologis de corporea ſanitate, & merito intelligitur. Hæc enim verba: *Oratio ſalvabit infirmum*, ad præcedentia hæc, *Infirmatur quis in vobis*, neceſſario referuntur. Atqui poſtrema hæc verba de corporea tantum infirmitate intelligi poſſunt. Ergo.

65 Prob. 2. Ad id inſtituta ſunt Sacramenta, quod per ea fieri precantur Eccleſiæ Miniſtri. Atqui corporis ſanitatem ab Extr. Unctione præſtari hactenus orarunt Eccleſiæ Miniſtri, ſi minus in ipſa forma ſemper, quia hæc primarios effectus ſpectat; ſaltem in orationibus ad eam præambulis. Sic in Gregoriano ritu precatur Sacerdos, ut divina *benedictione ſit unguentum hoc omni* qui ab eo tactus fuerit, *tutamentum mentis & corporis ad evitandos omnes dolores omnemque ægritudinem corporis;* & huic concinunt monumenta ſuperius paſſim relata.

66 Prob. 3. tum ex Decreto Eugenii IV. ubi *effectus* hujuſce Sacramenti *eſt mentis ſanatio; in quantum autem expedit, etiam corporis* tum ex Tridentino, quod per eam ſacram Unctionem *ſanitatem corporis interdum, ubi animæ expedierit*, conferri declarat.

67 Prob. 2. pars contra Eſtium, qui negat infirmi ſanitatem a virtute hujus Sacramenti expectandam eſſe; eamque ſolum ab Eccleſiæ & Miniſtrorum precibus repetendam eſſe contendit. Prob. inquam, 1. quia

Digitized by Google

1. quia interpretatio hæc aliena eſt a communi Catholicorum ſententia, quam in Decreto ſuo Eugenius, & cit. loco Tridentini Patres exponunt, 2. quia ſanitas corporis non minus inter Unctionis effectus recenſetur, quam mentis alleviatio. Ergo licet indubie Sacramentum hanc primario intendat, quia, ut docet Auguſtinus, Enchyrid. cap. 66. *Totum quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quam ad retentionem vel adoptionem præſentium pertinet;* conſtat tamen & illam pari efficacia ab eodem Sacramento produci.

Prob. 3. pars, tum ex citatis Eugenii IV. & Synodi Trident. textibus, tum quia, ut bene S. Thomas cit. diſt. 23. quæſt. 1. artic. 2. *Operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundum quod expedit ad principalem: & ideo ex hoc Sacramento non ſequitur corporalis ſanatio ſemper, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem; & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte decipientis.* 68

Objic. 1. cum Luthero. Quod non datur niſi diſceſſuris, non confert corporis ſanitatem. Atqui Ext. Unctio, &c. 69

Reſp. neg. min. Datur enim ſacra Unctio iis qui pericuſoſe decumbunt. Porro ex iis qui periculoſe decumbunt, plures ſunt qui per media vel naturalia, vel ſupernaturalia ad integram ſanitatem revocari poſſunt. Datur quidem etiam proxime diſceſſuris Sacramentum iſtud: ſed nihil inde; quia quod ad unum effectum valere nequit, ad alios quos præcipue intendit Chriſtus, valere poteſt. 70

Objic. 2 Sacramentum ſuos ſemper effectus habet in iis qui ad ipſum non ficti, ſeu bene diſpoſiti accedunt. Atqui Unctionem recipiunt multi, bene & ut par eſt diſpoſiti, qui tamen ſanitati non reſtituuntur. *Vix enim*, ait idem Lutherus, *inter mille unus reſtituitur*, &c. 71

Reſp. diſt. Sacramentum ſuos ſemper habet effectus promiſſos abſolute, C. promiſſos ſub conditione, N. Porro ſanitas ſub hac tantum conditione promittitur, ſi animæ ſaluti expediat; unde licet prioribus Eccleſiæ ſæculis, quibus fides hominum cordibus inferenda erat, plurimum expedirent miraculoſæ ſanationes, non tamen a morbo convaleſcebant quicumque ungebantur. 72

Inſt. Atqui Unctioni ſanitas ſub prædicta conditione promiſſa non eſt. Prob. ſubſ. Multi Unctione ſuſcepta ſanitatem recuperant, qui poſtmodum in vitia proruunt; & his dubio procul melius fuiſſet mori. Multi contra tunc temporis moriuntur, qui recuperata ſanitate priora merita novis cumulaſſent, & his vivere melius fuiſſet. 73

Reſp. ad 1. neg. ſubſ. ad 1. 2. dico 1. nunquam in particulari conſtare quis hujus Sacramenti virtute ſanitatem recuperaverit: Forte enim citra Unctionem vitæ redditus fuiſſet; uti apud Turcas & Judæos aliis pluribus in eodem caſu contingit: unde objectio hæc nititur incerto. Dico 2. iis etiam qui per Unctionem ſanati ſupponerentur melius quid ab ipſa contigiſſe, nimirum plenioris gratiæ menſuram. Quod autem ab ea deinceps exciderint, ipſis ſolis, non autem Extr. Unctioni imputandum eſt; ſicut quod quis recepta pie Euchariſtia, poſtmodum in vitia proruat, & in eis uſque ad exitum perſeverans, 74

rans, durius ob gratiam qua perfuſus erat, a ſupremo Judice excipiatur, non Euchariſtiæ vitium eſt, ſed perſonæ.

75 Ad 2. 2. 1. Et id etiam incertum eſt, an diu ſtetiſſent in bono, qui per Unctionem ſanati fuiſsent; 2. nemo eſt ſincere Chriſtianus, qui cum Paulo non arbitretur ſibi melius eſse Chriſto citius perfrui, quam in hac lacrymarum & anxietatis valle diutius commorari; 3. qui momenta noſtra computavit Deus, certam cuique pro ſummo arbitrio gloriæ menſuram deſtinavit. Ergo ſicut de eo conqueri non poſsunt infantes ſtatim a Baptiſmo rapti, licet ex iis non pauci ad ſublimiorem beatitudinis gradum deventuri fuiſsent; ſic nec iis conquerendum quos tangit objectio.

76 Objic. 3. Si quotieſcumque corporis ſalus ad ſalutem animæ expedit, liberetur a morte infirmus, plerumque ſanitas inſigni miraculo adſcribenda erit; quoties nempe tanta eſt iniquitas morbi, ut citra miraculum æger ſanari non poſſit. Atqui miracula nec a Sacramentis hodie, nec ab Eccleſiæ Miniſtris expectari debent.

77 Reſpondet Dom. Soto, in 4. diſt. 23. q. 1. art. 2. Sacramenti hujus effectum eſse, non ipſam ſanitatem in ſe, ſed auxilium quoddam ad recuperandam ſanitatem; quod licet infallibiliter juvet ut præſtans Medici pharmacum, non tamen infallibiliter ſanat; quia vis morbi quandoque eo potentior eſt. Sicut Confirmationis effectus, qui eſt intrepida fidei confeſſio, quia non in ſe datur, ſed in auxiliis ad ipſam, quandoque majoribus tormentis cedit, &c.

78 Verum doctrina hæc, quam ne leviter quidem redarguit Jueninus pag. mihi 809. a Suare, diſp. 41. ſect. 4. num. 4. Goneto, diſp. 2. num. 25. Haberto, cap. 6. ſub finem, & aliis paſſim rejicitur ut ad minimum temeraria, & oppoſita, non quidem definitioni, ſed doctrinæ Tridentinæ ſupra adductæ. Nec profecto digne de Sacramento ſentit, qui plus non eidem tribuit quam pharmaco, vel arti medicæ. Nec obeſt exemplum ab eodem Theologo adductum; conſtans enim fidei profeſſio eſt opus pendens ab hominis libertate, quam gratia non tollit: at vero corporis ſanitas non eſt opus libertatis, ſed per modum naturalis operis perficitur; adeoque quod ægritudinem non vincat remedium, ejus infirmitati tribuendum eſt. Id autem de Sacramento ſentire prorſus indignum eſt.

79 Reſp. itaque neg. maj. ſanatio enim etiam ſupra naturæ vires tunc duntaxat vere eſt & dicitur miraculum, quando fit ſupra conſuetum gratiæ, Sacramentive operandi modum. Duo ſcilicet ex S. Thoma ad miraculum requiruntur; 1. ut opus naturæ vires excedat; 2. ut rarum ſit & præter ordinem a Deo conſtitutum; unde juſtificatio impii, licet vim naturæ ſuperet, miraculum dici nequit; quia nec rara eſt, nec a Sacramento niſi ſecundum ordinem a Deo conſtitutum producitur. Pari ratione ſanitas, quæ naturæ viribus propter iniquitatem morbi reſtitui non poteſt, per Sacramenti virtutem abſque miraculo reſtituitur; quia reſtituitur juxta legem a Deo conſtitutam. Ita Sanbovius, & melius Habert.

80 Quæres quis ſit ordo inter recenſitos Unctionis noſtræ effectus.

Reſp. cum Sanbovio, ibid. pag. 489. quod corporea ſanitas, ſi cum tribus

tribus aliis effectibus comparetur, rationem habet effectus ſecundarii; ii vero tres rationem habent effectus primarii. Si vero tres iidem effectus inter ſe comparentur, remiſſio peccatorum primam habet ſedem; ſecundam abſterſio reliquiarum peccati; tertiam denique gratia confortans & allevians.

Quæres iterum, an Extr. Unctio imprimat characterem. 81
Reſp. negat. idque fide conſtat, quia Tridentinum tria duntaxat Sacramenta recenſet quæ characterem imprimant. Accedit 1. quod ex D. Thoma *Character non imprimitur niſi in illis Sacramentis, quibus homo ad aliquod ſacrum deputatur. Sed hoc* Extr. Unctionis *Sacramentum eſt ſolum in remedium, & non deputatur per ipſum homo ad aliquod ſacrum agendum, vel ſuſcipiendum*. 2. Quod Sacramenta quæ characterem imprimunt, iterari non poſſint. Porro ex dictis iterari poteſt Unctio Extr. quanquam qui eam iterari poſse duodecimo ſæculo negarunt Gofridus & Yvo, haud tamen arbitrabantur per eam imprimi characterem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ceremoniis Unctionis infirmorum.

UNctionis ritus antiqui apud Sanbovium ii ſunt; 1. benedictio olei, 82
quæ vel ab Epiſcopo fit ſingulis annis in Eccleſia Latina, vel in Græca, cum Sacramentum adminiſtrari debet. 2. Locus adminiſtrandi Sacramenti, qui vel erat Eccleſia, ut etiamnum paſsim obſervant Græci, vel ut hodie apud nos, cubiculum infirmi. 3. Proceſsio ad locum in quo decumbit infirmus, quæ olim ritu maxime ſolemni fiebat. 4. Interrogatio hæc a Sacerdote poſt domus & adſtantium aſperſionem aqua benedicta factam: *Ad quid nos vocaſti, frater?* 5. Recitatio ab infirmo, tum orationis Dominicæ, tum & Symboli. 6. Confeſsio Sacerdoti facta. 7. Impoſitio cineris ſuper pectus infirmi, & cilicii ſuper caput ejus; & hæc unctionem præcedebant.

Tunc fiebant unctiones ut & nunc in modum crucis. Recitabantur 83
interim orationes & Pſalmi. Decantabatur a Clero inter ungendum, vel poſt unctionem, Hymnus *Chriſte Cœleſtis*, quem ex veteri Codice Siculo deſcripſit Morinus citato ſupra loco de Pœnitentia.

Unctionem ſequebatur, ut etiamnum in Ordine Ciſtercienſi, Eu- 84
chariſtiæ participatio, & pluribus in locis ſub utraque ſpecie, vel ſucceſsive, cum licebat per tempus, vel particula ſanguine pretioſo tincta, quod extra Eccleſiam difficile erat & periculoſum. Item unctio alicubi per ſex dies iterabatur. Sequebatur Miſsa pro infirmo, quæ quandoque ſicca in infirmi cubiculo dicebatur.

Ex his ritibus plures jam nunc non vigent; qui autem vigent, non ubique ſunt iidem. De his ſequatur quiſque Diœceſis ſuæ ſanctiones.

Et hæc ſunt quæ de Purgatorio, Indulgentiis, &c. dicenda habebamus; in quibus ſi quid nobis incautis fidei vel ſanioris Ethicæ legibus haud ſatis conſonum exciderit, pro non dicto, jamque revocato haberi volumus.

SUM-

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ,

De Pœnitentia, Purgatorio, Indulgentiis, & Extrema-Unctione.

Decretum Concilii Florentini de Pœnitentia.

„ QUartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia „ ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes; qua„ rum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de „ peccato commiſſo, cum promiſſo non peccandi de cetero. Secun„ da eſt oris confeſſio, ad quam pertinet ut peccator peccata om„ nia quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integra„ liter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacer„ dotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium & elee„ moſynam. Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ „ Sacerdos profert, cum dicit: *Ego te abſolvo*, &c. Miniſter hujus „ Sacramenti eſt Sacerdos habens auctoritatem abſolvendi, vel or„ dinariam, vel ex commiſſione Superioris. Effectus hujus Sacramen„ ti eſt abſolutio a peccatis.

Canones Tridentini de Pœnitentia.

„ I. Si quis dixerit in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe ve„ re & proprie Sacramentum, pro Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum „ in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis a Chriſto Domino in„ ſtitutum, anathema ſit.

„ II. Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœniten„ tiæ Sacramentum eſse dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta „ non ſint, atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufra„ gium tabulam appellari; anathema ſit.

„ III. Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiri„ tum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum „ retinueritis, retenta ſunt*, non eſſe intelligenda de poteſtate remit„ tendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccle„ ſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra „ inſtitutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evan„ gelium; anathema ſit.

„ IV. Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum re„ miſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacra„ menti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatiſ„ factionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit duas „ tantum eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcien-

tiæ, „

Digitized by Google

tiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata; anathema ſit.

V. Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema ſit.

VI. Si quis negaverit Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino; aut dixerit modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit.

VII. Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias quæ peccati ſpeciem mutant; ſed eam Confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem Canonicam imponendam; aut dixerit eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.

VIII. Si quis dixerit confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti Fideles, juxta magni Concilii Lateranenſis Conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Fidelibus ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit.

IX. Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti; modo tantum credat ſe eſſe abſolutum; aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat: aut dixerit non requiri confeſſionem pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit; anathema ſit.

X. Si quis dixerit Sacerdotes qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſolvendi non habere; aut non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti Fidelibus eſſe dictum; *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo;* & *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt:* quorum verborum virtute

„ qui-

„ quilibet abſolvere poſſit peccata; publica quidem per correptionem „ duntaxat, ſi correptus acquieverit; ſpontanea vero per ſpontaneam „ confeſſionem; anathema ſit.

„ XI. Si qnis dixerit Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere quominus Sacerdos a reſervatis abſolvat; anathema ſit.

„ XII. Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam quam fidem qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe; anathema ſit.

„ XIII. Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis; ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantum novam vitam; anathema ſit.

„ XIV. Si quis dixerit ſatisfactiones quibus pœnitentes per Chriſtum Jeſum peccata redimunt, non eſse cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes; anathema ſit.

„ XV. Si quis dixerit claves Eccleſiæ eſse datas tantum ad ſolvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra fidem Clavium & contra inſtitutionem Chriſti; & fictionem eſse quod virtute Clavium, ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exſolvenda remaneat; anathema ſit.

Doctrina Concilii Tridentini de Purgatorio.

„ Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna Cœlorum aditus patere poſſit; anathema ſit. *Seſſ. 6. Can. 30.*

„ Non ſolum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apoſtolorum traditionem offertur *Miſſæ Sacrificium*. Ibid. *Seſſ. 22. cap. 2.*

„ Si quis dixerit Miſsæ Sacrificium . . . ſoli prodeſse ſumenti; neque pro vivis & defunctis . . . offerri debere; anathema ſit, ibid. *Can. 3.*

„ Cum Catholica Eccleſia, Spiritu Sancto edocta, ex ſacris Litteris & antiqua Patrum Traditione, ſacris Conciliis, & noviſſime in hac œcumenica Synodo, (*locis mox adductis*) docuerit, Purgatorium eſse, animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis, potiſsimum vero acceptabili Altaris ſuffragio juvari; præcipit ſancta Synodus Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam, a ſanctis Patribus „

bus & ſacris Conciliis traditam , a Chriſti Fidelibus credi , tene- „
ri , doceri , & ubique prædicari diligenter ſtudeant . Apud rudem „
vero plebem difficiliores ac ſubtiliores quæſtiones , quæque ad ædi- „
ficationem non faciunt , & ex quibus plerumque nulla ſit pietatis „
acceſſio , a popularibus concionibus ſecludantur . Incerta item , „
vel quæ falſi ſpecie laborant , evulgari ac tractari non permit- „
tant . Ea vero quæ ad curioſitatem quamdam aut ſuperſtitionem „
ſpectant , vel turpe lucrum ſapiunt , tanquam ſcandala & Fide- „
lium offendicula prohibeant . Curent autem Epiſcopi , ut Fide- „
lium vivorum ſuffragia , Miſſarum ſcilicet Sacrificia , orationes , „
eleemoſynæ , aliaque pietatis opera , quæ a Fidelibus pro aliis Fi- „
delibus defunctis fieri conſueverunt , ſecundum Eccleſiæ inſtituta „
pie & devote fiant , & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus , „
vel alia ratione debentur , non perfunctorie , ſed a Sacerdotibus „
& Eccleſiæ Miniſtris & aliis qui hoc præſtare tenentur , diligenter „
& accurate perſolvantur. „

Decretum de Indulgentiis.

Cum poteſtas conferendi Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſ- „
ſa ſit , atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita , antiquiſ- „
ſimis etiam temporibus illa uſa fuerit : Sacroſancta Synodus Indul- „
gentiarum uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem , & ſacro- „
rum Conciliorum auctoritate probatum , in Eccleſia retinendum eſ- „
ſe docet & præcipit ; eoſque anathemate damnat , qui aut inuti- „
les eſse aſſerunt , vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſse „
negant . In his tamen concedendis moderationem , juxta veterem „
& probatam in Eccleſia conſuetudinem , adhiberi cupit ; ne nimia „
facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur . Abuſus vero qui in „
his irrepſerunt , & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum „
nomen ab hæreticis blaſphematur , emendatos & correctos cu- „
piens , præſenti Decreto generaliter ſtatuit , pravos quæſtus omnes „
pro iis conſequendis , unde plurima in Chriſtiano populo abuſuum „
cauſa fluxit , omnino abolendos eſse . Ceteros vero qui ex ſuper- „
ſtitione , ignorantia , irreverentia , aut aliunde quomodocumque „
provenerunt . · . · . ad S. Rom. Pontificem *deferri mandat* , &c. *Tri-* „
dent. Seſſ. 24. *continuat.* „

Canones de Extr. Unctione.

I. Si quis dixerit Extr. Unctionem non eſſe vere & proprie Sa- „
cramentum a C. D. N. inſtitutum , & a B. Jacobo promulgatum ; „
ſed ritum tantum acceptum a Patribus , aut figmentum humanum ; „
anathema ſit. „

II. Si quis dixerit ſacram infirmorum Unctionem non conferre „
gratiam , nec remittere peccata , nec alleviare infirmos ; ſed „
jam ceſsaſse , quaſi olim tantum fuerit gratia curationum ; ana- „
thema ſit. „

„ III. Si

„ III. Si quis dixerit Extr. Unctionis ritum & uſum quem obſer- „ vat S. Rom. Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Jacobi Apoſtoli, ideo- „ que eum mutandum, poſſeque a Chriſtianis abſque peccato contem- „ ni; anathema ſit.

„ IV. Si quis dixerit Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus addu- „ cendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdo- „ tes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communi- „ tate, ob idque proprium Extr. Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum „ Sacerdotem; anathema ſit.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM,

Quæ in toto Tractatu, & Appendicibus de Pœnitentia continentur.

Numerus primus indicat Volumen, ſecundus paginam: Verba Italice ſcripta monent ut ad ipſa propriis in locis recurratur.

A

ABbates, an *Indulgentias* dare poſſint, II. 408

Abortus procuratio reſervatur, II. 75 Qui caſum hunc incurrant, *ibid.* Quid ſi dubitet mulier an gravida foret, II. 76. Quid ſi puella abortus ſuſpecta ad Synaxim accedere jubeatur, *ibid.*

Abſolutio judiciaria, quomodo differat a ſuffragio & ſolutione, II. 378

1. *Abſolutio* pœnitentiæ forma, II. 5. *Vide* An declaret tantum *peccata* remiſſa, I 97. An ſupponat peccatorem *contritione* perfecta donatum, I. 96. *& ſeq.* 214. *& ſeq.* An in aliquo ſaltem caſu dici poſſit ſimpliciter declaratoria, I. 107. An ad abſolutionem requirantur particulæ *Ego*, vel *a peccatis tuis &c.* II. 6. An olim valuit apud Latinos forma deprecativa, II. 7. *& ſeq.* Ordinariæ formæ quis ſenſus, II. 21. Quomodo verificetur circa peccata jam dimiſſa, I. 136. Abſolutionis ritus, II. 18. An ſervandus erga omnes, II. 23. An verbis exprimenda abſolutio; II. 24. An conditionate dari poſſit I. 459. II 24. Conditio hæc an exprimenda, I. 460. II. 25.

2. An a peccatis abſolvi poſſit quis antequam a cenſuris, II. 56. An ad novam abſolutionem nova opus ſit confeſſione, II. 27. An eam præcedere debeat actus *contritionis*, I. 375. An ſufficeret *contritio* ſine ordine ad abſolutionem, I. 321. An quoties nova recipitur abſolutio, novus dolor requiratur, I *ibid.* An abſolutio, vel abuno pluribus, vel a pluribus uni impendi queat, II. 27. An valeat data abſenti, I. 482. 487. An, antequam recipiatur, impletum ſit præceptum *confeſſionis* annuæ, I. 409 Quid ſi injuſte denegetur, I. *ibid.* *Sacerdos* omnis an vi Ordinis ſui abſolvete poſſit, II. 39. *Juriſdictio* ejus quotuplex, II. 44.

3. *Abſolutio* an dari debeat *Puella* gravidæ, quæ moribunda ſtatum nec declarat, nec poſt mortem declarari permittit, II 218. Abſolutionis denegatæ rationes, an ad preces pœnitentis, judici declarari poſſint, II. 228. 229. Quid reſpondendum interroganti an pœnitentem abſolveris, II. 333. Quid *ſuperiori* conquerenti, quod publico peccatori abſolutionem dederis, II. 234. *Schedula* an ei neganda, cui negata eſt abſolutio, II. 235. Quid agere debeat Sacerdos ob negatam abſolutionem, gravi calumnia impetitus, vel is cui pœnitens mortem minaretur, niſi eum abſolveret, II. 241. Abſolutio nunquam in exitu negata a majoribus Eccleſiis iis qui pœnitentia fungi cœpiſſent, I. 461. Alicubi tamen viguit ſeverior diſciplina, I. 464. An negata iis qui in extremo tantum morbo veniam deprecabantur, *ibid.* & 473.

4. *Abſolvere* a reſervatis quis poſſit, II. 126. An Sacerdos communis a reſervatis valide abſolvit pœnitentem alterius Diœceſis, *ibid.* An eadem ſit ratio caſus, cum cenſura reſervati, quæ caſus reſervati ſine cenſura, II. 128 Quid de cenſura ab homine, *ibid.* An a communi Sacerdote abſolvi poſſit qui hic & nunc celebrare tenetur, II. 129. An qui apud communem Preſbyterum depoſuit peccata & reſervati alicujus oblitus eſt, illud apud approbatum denuo confiteri debet, II. 131. Quid ſi apud Superiorem confeſſus ſit, II. 132. An tollatur reſervatio per abſolutionem invalidam, II. 133. Quid faciendum, cum Sacerdos communis caſum reſervatum detegit in pœnitente, II. 135. Quid cum animadvertit ſe perperam abſolviſſe, *ibid.* *& ſeq.* II. 226. An poſſit ſuperior abſolvere a reſervatis & ad communem Preſbyterum remittere pro ceteris, II. 137. An confitendum Superiori, ſi neget licentiam recurrendi ad alterum, II. 138. An qui accepit licentiam abſolvendi ab uno reſervato ab aliis abſolvere queat, *ibid.* An vi poteſtatis abſolvendi a caſu non reſervato, poſſet quis abſolvere a reſervato, II. 139 Vel unum pro alio, *ibid.* An qui ex ſpeciali licentia eligere poteſt Confeſſarium, ab eo abſolvi poſſit a reſervatis, *ibid.* An poteſtas dimittendi reſervata expiret per mortem Superioris, *ibid.* An ſubjacet reſervationi, qui peccat in loco exempto, vel nullius Diœceſis. II. 140. Sæcularis an Regularem abſolvere poteſt, II. 141. Quid de ſæculari per Epiſtolam deputato ad audiendas Monialium confeſſiones, II. 142. Quid agendum ſæculari ad quem recurrit Regularis de Superiorum licentia, vel tempore ſtationis, II. 143. Pœnæ eorum, qui ſine licentia abſolvunt a reſervatis, II. 144. Abſolutio quibus deneganda, II. 141.

Vide Confeſſarius, *n.* 1. & 2. Pœnitens.

Abſtinentia violatio alicubi reſervata, II. 117. *Vide* Jejunium.

Advena an in aliena Diœceſi confiteri poſſunt, II. 54. Quid ſi in ea aliquot tantum horas degant & indulgentiá lucrari velint, *ibid.*

Adulterium reſervatur, II. 77. modo formale ſit, non coactum, & conſummatum, *ibid.* Hæc ultima conditio minus bene requiritur, *ibid.* Ubi duplex adulterium, an duplex reſervatio, *ibid.*

Adulti omnes qui poſt Baptiſmum lethaliter deliquerunt, an teneantur divina confeſſionis lege, I. 3.

Alea ſeu aleæ ludus reſervatur: an ſemper, II. 120.

Alenſis pœnitentiam exhibet ut collectionem virtutum, an bene, I. 7. & *ſeq.*

Altare privilegiatum, quid ſit, II. 453. An qui in eo celebrat, non Indulgentiam tantum, ſed & Miſſam in defuncti ſubſidium applicare debeat, *ibid.* quid ſi neutra indigeat defunctus, *ibid.* An quæ in Altari privilegiato celebratur Miſſa, debeat dici de *Requiem*, *ibid.* Varia circa hanc materiam, *ibid.* quid ſi quis in Altari communi celebret, ſed aliam Indulgentiam applicet defuncto, II. 455. An ſubſiſtat privilegium Altaris, ſi pauciores in eo Miſſæ celebrentur, quam ferat tenor privilegii, II. *ibid.* & 457. An Altaris privilegium communicetur, *ibid.* An dirutis Eccleſia vel Altari, concidat privilegium, II. 458. An privilegium ſuſpendatur tempore Jubilæi, *ibid.* A quo die privilegium incipiat, *ibid.* Quid ſi Miſſæ omnes in Altari illo celebrari non poſſint, *ibid* Cur defunctis ſæpius applicentur plenariæ Altarium Indulgentiæ, *ibid.* An in iis acceptari poſſint fundationes, 459.

Ambroſius (S.) an faveat Novatianorum errori, I. 91. & *ſeq.* An liber de lapſu Virginis ipſi ſit tribuendus, I. 92. Quare hujus auctor, Virgini lapſæ ſpem veniæ adimit, *ib.*

Amicitia. *Vide* Amor. Benevolentia.

Amor. Amoris nomen ambiguum, I. 202. Amor Dei aliquando idem eſt, ac proſecutio boni, *ibid.* Amor concupiſcentiæ quid ſit, *ibid.* An dici poſſit amor *Spei*, *ibid* Amor *benevolentiæ* quid ſit, *ibid.* In quo differat ab amore amicitiæ, I. 203. Quænam ad verum amicitiæ amorem requirantur, *ibid* Amor *charitatis* multiplex, *ibid.* & *ſeq.* An requiratur ſaltem initialis in Sacramento Pœnitentiæ, I. 289. & *ſeq.* An ſufficeret actus ejus qui non eſſet ſuper omnia, I. 315. & *ſeq.* Num forte ejus influxus, I. 317. & *ſeq* An amor *ſpei*, 285. & *ſeq.* An amor *benevolentiæ*, I. 313. & *ſeq.*

Angelus. An precatio illa tempore etiam paſchali flexo genu ad Indulgentiæ lucrum recitari debeat, II. 466. Ei ſubſtituenda eſt Antiphona *Regina cœli* paſchali tempore, ex Decreto Benedicti XIV. II. 467.

Antiochus, quare miſericordiam non conſecutus, I. 102.

Apoſtaſia triplex, II. 78. Quæ ſubjacet reſervationi, II. 78. & 122. An ut Apoſtata ſit habendus, qui oſtendit ſe omni religione deſtitutum, II. 78. Quid de Diacono habitum ſacrum dimittente ad tempus, II. 79. Quis proprie apoſtata a religione, *ibid.* Quid de eo, qui ad regulam meliorem tranſit, II. 80. Cujus eſt apoſtatam abſolvere, *ibid.*

Apoſtolici conjugio & bonorum poſſeſſioni renuntiabant, I. 43. Lapſis omnem adimebant ſpem veniæ, *ibid.*

Approbatio, neceſſaria ad excipiendas fidelium confeſſiones, II. 39. An data in una Diœceſi ſufficiat in altera, II. 55. An ad eam ſufficiat intentio interpretativa Epiſcopi, *ibid.* An ratihabitio de præſenti, *ibid.* An præſumptio, quod Epiſcopus finitam renovaverit, II. 56. An etiam capaci negari poteſt approbatio, II. 58. An poteſt hæc limitari quoad locum, tempus, & perſonas, II. 59. Approbationes ad tempus vel beneplacitum quando deſinunt, *ibid.* Vide *Parochi*. An ſemel approbati denuo ad examen vocari poſſint, II. 60. Vide *Religioſus*.

Approbatio non expirat ceſſu vel deceſſu approbantis, II. 61. Quid de approbatione quoad caſus reſervatos, *ibid.* Quibus ſubjaceat pœnis qui non approbatus excipit confeſſiones, II. 62. Approbatus ad abſolvendum ab hæreſi an abſolvere poſſit ab *apoſtaſia*, II. 78. Quilibet Sacerdos pro articulo mortis approbatus eſt, II. 155. An præferri tunc poſſit non approbatus approbato, II. 159. An in articulo mortis cenſeri debeat is de quo incertum eſt an evadere poſſit, *ibid.* Vide *Juriſdictio*. Approbatio an hodie ſeparari ſoleat a juriſdictione, I. 403. An olim Parochi approbaverint Sacerdotes ſibi pro excipiendis confeſſionibus opem laturos, *ibid.* An Sacerdos non approbatus poſſit abſolvere venialia, II. 57.

Archidiaconi, an Indulgentias diſtribuant, II. 407.

Athanaſius. (S.) Quomodo refutet Origenem & Theognoſtum, I. 79. An quædam agnoverit peccata irremiſſibilia, I. 86. & *ſeq.*

Atticus, Novatianus mitior rigidiores damnat, I 41. Solis Libellaticis pacem negat, *ibid.*

Attritio unde nomen deſumat, I. 163. Mere naturalis a multis habita ut ſufficiens ad effectum Sacramenti, I. 169. An ſupernaturalis eſſe debeat ratione principii & motivi, I. 170. An attritio ex ſolo metu concepta bona ſit & utilis, I. 285 & *ſeq.* An excludat voluntatem peccandi, I. 233. & *ſeq.* 242. & *ſeq.* An ſit vera virtus, I. 252. An a Tridentino definitum ſit attritionem ex

ſolo metu conceptam ſufficere ad *Sacramentum Pœnitentiæ*, I. 254. *& ſeq.* An opinio hæc, ſuppoſita eius probabilitate, eſſet practice tuta, I. 278. An ſit quædam attritio, quæ ab omnibus tanquam inſufficiens rejicitur, I. 318. An in omni attritione quæ hodie deffenditur ut ſufficiens, aliquis includatur Dei amor, *ibid.* Quinam requiritur & ſufficit, *ibid.* a pag. 319. uſque ad pag. 284. (*Vide* Amor, Benevolentia, Contritio, Spes) An ad venialium remiſſionem requiratur attritio, I. 322. An mortaliter peccet qui ſine ea venialia confitetur, I. 323.

Auguſtana confeſſio, confeſſionem peccatorum retinet, I. 44. Eorum enumerationem impoſſibilem, adeoque non neceſſariam docet, *ibid.*

Auguſtinus. (S.) Quo ſenſu Baptiſmo tribuat remiſſionem peccatorum, quæ ipſum ſequuntur, I. 62. An Donatiſtis concedat peccata vere per Baptiſmum dimiſſa reviviſcere, I. 120. *& ſeq.* An certus fuerit de ſuo in Deum amore antequam baptizaretur, I. 210. *& ſeq.* An putaverit Catechumenum divina flagrantem Charitate, a cœlo extorrem futurum ſi ſine Baptiſmo vita migraverit, I. 212.

B

B*Aptiſmus* infanti collatus ſine ceremoniis conſuetis alicubi caſum reſervatum inducit, II 80. An caſum hunc incurrit, qui diſpenſationem ſine cauſa obtinuit ab Epiſcopo, II. 81. Baptiſmus laborioſus vel lacrymarum quid ſit, I. 56. An a Baptiſmo vel Baptiſmi memoria, *Pœnitentia* diſtinguenda ſit, I. 45 59. *& ſeq.* Quo ſenſu tota Fidelium mundatio, Baptiſmo tribui poſſit, I. 62. *& ſeq* An ut adultus in Baptiſmo abluatur a mortalibus, ſatis ſit quod eis non adhæreat, I. 192. 193. An ut Sacramentum *Pœnitentia* deleat peccata poſt Baptiſmum ficte receptum admiſſa, requiratur dolor peccati ante Baptiſmum admiſſi, I. 326

Benedictus XIV. ejus Decretum pro denuntiandis ſollicitantibus ad turpia, II. 256.

Benevolentiæ amor an & quomodo diſtinguatur ab *amicitia* ſeu *charitate*, I. 202. 204. An ſufficiat ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, I. 313 *& ſeq*

Bernardus (S.) primum ſuum, in confeſſionis gratiam miraculum edidit, I. 363.

Bernardus (S.) Indulgentiam Cruceſignatis denuntians; innumera miracula edidit. II. 409.

Beſtialitas, caſus reſervatus, *Vide* Sodomia. II. 115.

Blaſphemia, quid & quomodo committatur, II. 81 Non eſt ubique reſervata eodem modo, *ibid.* Blaſphemia in Spiritum ſanctum an ſit omne peccatum quod a baptizato committitur, I. 79. An impœnitentia finalis, *ibid.* An peccatum omne quo quis extra Eccleſiam remiſſionem peccatorum quæreret, *ibid.* An peccatum omne quod ex malitia committitur, I. 80. An peccatum illud quo contra veritatem cognitam opera Spiritus ſancti diabolo tribuuntur, *ibid.* An prorſus irremiſſibilis declaretur *Matth.* 12. *ib. & ſeq.*

Bonaventura, (S.) quare putet Religioſos citius ad contritionem de lethalibus teneri, quam laicos, I. 188.

Bonifacius VIII. an inſtitutor Jubilæi, II. 475

C

C*OEcus* natus, an oculi ejus inungi debeant, II. 578.

Cajani. Cainum & Judam Iſcariotem impenſius laudant, I 37. Quædam peccata nec Eccleſiæ clavibus remitti, nec ſanguine Chriſti purgari poſſe ſtatuunt, *ibid.*

Calviniſtæ. Poteſtatem ſolvendi peccata reponunt in nudo miniſterio exteriori, I. 96. Immerito opinionem Lombardi afferunt in præſidium ſui erroris, *ibid.* Arma miniſtrant Socinianis, I. 98. 102 Falſo exiſtimant deleta culpa deleri ſemper omnem reatum pœnæ temporalis, I. 108.

Calvinus, pœnitentiam a memoria Baptiſmi non diſtinguit, I. 45. Totam pœnitentiæ rem collocat in mortificatione vitiorum & bene vivendi ſtudio, I. 153 Juſtificationem ſoli fidei tribuit. I. 21. Confeſſionem mox deprimit, mox commendat, I. 334.

Canones pœnitentiales, I. 542.

Capitulum Cathedrale, an Indulgentias largiri valeat Sede vacante, II. 407.

Capucini (RR. PP.) quid juris habeant in Indulgentia *Portiuncula*, II. 460.

Cardinales, quid poſſint in Indulgentiis, II. 407.

Carena, Indulgentiæ ſpecies, quid ſit, II. 366

Carolus VI. praxim denegandæ Pœnitentiæ iis, qui morte plectendi erant, abrogavit, I. 465.

Caſtitas, an ejus votum in Jubilæo commutetur, II. 518. & 524. Quid ſi vovens contraxit matrimonium, II. 523.

Caſus reſervatus quid II. 62. *Vide* Reſervatio.

Caſus reſervati, an omnes in Jubilæo ſolvi queant, 507. An extra Sacramentum Pœnitentiæ, II 511. Quid ſi quis in eos inciderit ſpe Jubilæi, II. 512. aut poſt Jubilæum apertum, *ibid.* aut idem jam lucratum, *ibid.* aut dilatum, *ibid.* An poſt Jubilæum a ſolvi quis poſſit a caſibus oblitis, II. 513. Quid ſi ſacrilege confeſſus ſit, vel neglexerit lucrari Jubilæum, II. 515. & 516.

Cathecumeni an poſſint juſtificari ante ſuſceptum Baptiſmum, I. 211. *& ſeq.*

Cathecumeni, an ſuffragiorum capaces, II. 36.

Cauſa finalis & efficiens Pœnitentiæ, I. 27. *Vide* Pœnitentia, n. 2.

Cenſura, an omnes in *Jubilæo* ſolvi queant, II. 507. Quid de *hæreſi*, II. 509. Qua conditi ne relaxetur cenſura ſpecialis, II. 510.

Charitas, a Pœnitentia diſtinguitur, I 9 Non eodem modo peccata attingit, I. 10. Ea non delet immediate, I. 11. Dolorem imperat, ſed non elicit, *ibid.* Charitatis nomen ambiguum, I. 202. Quæ ad veram charitatem requirantur, I. 203. Charitas multiplex diſtinguitur, I. 204. An perfecta ſtare poſſit cum peccato lethali, I. 206. An initialis, I. 296. 302 Quo ſenſu Charitas foras mittit timorem, I. 236. An charitas initialis requiratur in Sacramento pęnitentiæ, I. 289. An hoc poſito pejor evadat quoad reconciliationis facilitatem Chriſtianorum conditio, quam Judæorum, I. 301. Num ſufficeret charitas quæ non eſſet ſuper omnia, I. 315. Num charitatis influxus, I. 317.

Chriſtus, an prædicaverit in inferis, II. 342.

Chryſoſtomus. (S.) an confeſſionis neceſſitatem agnoverit, I. 374. *& ſeq.* Quid ſit apud ipſum ſoli Deo confiteri, I. 377. *& ſeq.* An a probationibus Euchariſtiæ præviis confeſſionem excluſerit. I. 378.

Circumſtantia quæ in confeſſione aperiendæ I, 422. 425. *& ſeq.* Non adeo difficile eſt aggravantes declarare I. 428. gravia hujus doctrinæ confectaria, I. 429. Quid de circumſtantia intenſionis, I. 431. Quid de circumſtantiis minuentibus, I. 432. An oblitus gravem peccati circumſtantiam, totum hoc denuo confiteri debeat, I. 438. An circumſtantiæ debeant a *confeſſario* reticeri, II. 216.

Clemens VIII. an hominem e tecto ruentem abſolvit, I. 455. Ejus Decretum circa abſolutionem datam abſenti, I. 487. Ejus inſtructio circa abſolutionem Græcorum, II. 9. Decretum quo cuidam Sodalitio permittit ut a certis caſibus abſolvat, non derogando Bullæ Sixti IV. an valeat. II. 74.

Clemens VI Jubilæum poſt annos quinquaginta reverti voluit, II. 475

Clerici majores an obnoxii pœnitentiæ publicæ, I. 603.

Clauſura regularis, qui eam violant, cenſuram incurrunt, II. 110. An ab hac lege liberi ſunt principes & alii quidam, *ibid.* Quid ſi Monaſterium ingreſſus cum licentia, hic diutius commoretur, vel alio ſe ferat, *ibid.* An cenſuras incurrant feminæ Regularium ædes ingreſſæ, *ibid.* An qui eas admit unt, II. 111. Canonici Regulares iiſdem pęnis ſubjacent, *ibid.* Moniales quando clauſuram violant, II. 112.

Clinici, his negata unctio extrema, II. 547.

Communio, an dari debeat notorio Peccatori, etiam ab eo, cui ipſe confeſſus eſt, II. 235.

Communicatio privilegiorum, an locum habeat in Altaribus privilegiatis, II. 457.

Communio, an neceſſaria in omnibus Jubilæis, II. 489. Quid ſi fieri nequit, *ibid.* & 490 An ſufficiat informis, II. 489. An pueris ſit commutanda, *ib.* Quando recipienda, II 490.

Commutatio votorum tempore Jubilæi. *Vide* Vota.

Concupiſcentiæ amor quid ſit. I. 202. An amor *ſpei* dici poſſit, *ibid.* An ſufficiat ad juſtificationē in Sacramento obtinendam, I. 285

1. *Confeſſarius*, quid debet in ordine ad abſolutionem præſtare, II. 160. Quibus ſignis dignoſcere poſſit an legitima ſit pœnitentium contritio, I. 328. *& ſeq* Quibus mediis eam in corde ipſorum generare, I. 330. *& ſeq.* An debeat novi pœnitentis nomen, familiam & ſimilia interrogare, ... Non debet digno negare abſolutionem, II. 139. At negare debet tum iis, qui neſciunt fidei Myſteria, II. 142. Tum iis qui eadem neſciri permittunt, II. 162. Quid de pęnitente ad diſcendum hebeti, II. 164. An debeat adigere ad iterandas *confeſſiones* eum qui gravis peccati malitiam ignoravit, *ibid.* Debet negare abſolutionem iis qui neceſſaria ad profeſſionem ſuam ignorant, II. 165. An ſemper monendus qui ex ignorantia facit aliquid illiciti, *ibid. & ſeq.* Differenda abſolutio propter occaſionem peccati, II. 168. Regulæ S. Caroli, II. 169. Quid de eo qui ſemel in anno ſed ſemper peccat, II. 173 Quibus differenda abſolutio proptec habitum peccati, II. 176. An ignotus circa habitum interrogari debet, II. 175. An aliquando ſtatim abſolvi poteſt qui fuit in habitu peccandi, II. 179. An peregrinatio pia ſit ratio abſolvendi hominem ex habitu recens egreſſum, II. 180. An doctrina quæ conſuetudinarium differri ſancit, gravibus ſubjaceat incommodis, II. 183. Quid de conſuetudinario ad matrimonium parato, II. 185. Monitum grave, II. 187. Exceptiones a lege communi, II. 189. Quid circa habitum peccati venialis, *ibid.* Conſuetudinarii aditerandas confeſſiones an adigendi, II. 190 Abſolutio an differenda propter relapſum. II. 191. Quæ his omnibus proponenda remedia. II. 192.

2. An debeat Confeſſarius abſolutionem differe iis, qui aliena retinent, qui violatam proximi famam non reparant, qui gravem inimicitiam non deponunt, II. 193. An eum abſolvere qui ad Confeſſoris opinionem accedere recuſat, II. 194. Ad quid teneatur, cum abſolvit indignos, II. 195. Vel quos abſolvere non valebat, II. 135. Poteſtne in utroque caſu pęnitentem monere non obtenta licentia, II. 226. Quid cum in errorem induxit, II. 195. An in locum pęnitentis reſtituere debeat qui neglexit eum reſtitutionis admonere, II. 196. &c.

ſ. h

ſeq. Quid ſi male interrogavit eirca numerum & eircumſtantias, II. 200. Quando adigendus pęnitens ut *generalem confeſſionem* faciat, *ibid.* An hæc ſtatim proponenda, II. 205. An peccent, qui ignoto gravia, levia ordinario Confeſſario aperiunt, I.·:·.

3. Quid Confeſſarius curare debeat in imponenda *ſatisfactione*, I. 559. Quid circa hæreticos ad Eccleſiam redeuntes, II. 90. Quid eirca magos & ſortiarios, II. 114. An matri vel nutrici, eo quia cubent cum infante, abſolutionem negare debeat, II. 103. Quid circa Regulares ad eum ſtationis tempore recurrentes, II. 143. Quid circa facturos generalem confeſſionem, II. 203. *& ſeq.* Excidit a juriſdictione per crimen cum pęnitente, II 96. An omne erimen pari pœna plectitur, *ibid* Quid ſi quis cum aliqua nondum pęnitente ſua peccavit, *ibid.* Aut cum ea quam neſciebat eſſe pęnitentē ſuam, vel quæ jam non eſt ſua, II 97. Quid ſi impudice tetigit dormientem, *ibid.* Quid con ſulendum *Parocho* qui cum parochiana deliquit, II 98. Quid agendum cum pęnitente, qui falſo negat ſe reum eſſe certi criminis, II. 206.

4. Confeſſarius, an & quo jure teneatur ad *ſigillum*, II. 21 t. Quæ *ſigillo* celare tenetur, *Vide* Sigillum, n. 10. An illud frangere poſſit ut ſaluti infantis provideat, qui puellam gravidam ja njam defunctam audivit, II. 218. An ipſam puellam *abſolvere* debuit, ſi nec ſtatum declarare, nce ſaltem poſt mortem declarari permittere voluerit, *ib.* Quid ſi a puella revocatus, eam ſenſibus deſtitutā invenerit, *ib.* An ſine licētia Penitētis nomē ejus conſiliario declarari poſſit, II. 224. An & quæ requiritur & ſufficit ejus; *Licentia, ib v. Licentia.* An poſſit Confeſſarius cum alio, de peccatis utrique confeſſis loqui, II. 225 An cum ipſo pœnitente, *ib d* Quid ſi Pœnitens prior Confeſſarium interrogat, II 227. An ex ejus licentia peccata audita, prout audita, revelare poſſit, *ibid. & ſeq* An ad ejus preces rationes pandere cur denegarit abſolutionem, II. 228 229. An propria peccara confiteri, aliena ſibi in confeſſione aperta intellecturo II 229. An redarguēdus qui e Tribunali exiens Pœnitentē interrogat, nū formulam ſibi ad communionem apponi velit, II. 230.

5. Confeſſarius quid reſpondere debeat interroganti an penitens tale erimen admiſerit, anve ei abſolutionem dederit, II. 232. & 233. Quid ſi Superior conqueratur quod publicum peccatorem abſolverit, II. 234. An *Schedulam* negare poſſit ei quem non abſolvit, II. 235. *Vide* Parochus. An confeſſionem revelare ejus qui patriæ aut Principis cladem meditatur, II 236. Quid hac occaſione Angliæ regi reſponderit Perronius, II. 237. Quid Henrico IV ejus Director, *ibid.* An ſaltem ſine revelatione remedium adhibere teneatur, II. 237. An hæreticum prodere poſſit, ne is alios corrumpat, II. 238. An impedimenta matrimonium dirimentia, *ibid.* An uti confeſſionis ootitia ad ſervandam vitam, II. 239. An fugere, quando ſcit Pœnitentem a complicibus interficiendum ut ſecreti proditorem, *ibid.* An a parato ſibi vino venenato abſtinere coram pęnitente vel complicibus, II. 240. An Hæretico mortem minanti fateri ſe audiviſſe famulum quem ſcit hac de cauſa ab hæro interficiendum, *ibid.* An alium adire Confeſſarium, ſi ex confeſſione diſcat ſuum non eſſe Sacerdotem, II. 241. *Vide* Superior. Quid agere debeat Confeſſarius a muliere ſpecioſa admonitus ſe ab ea ſub prætextu morbi advocandum, *ibid.* A pęnitente ob negatam ſibi abſolutionem, gravi calumnia impetitus, *ib.* Ab hypocrita nihil oiſi fabulas recitaturo quotidie ad Tribunal vocatus, *ibid.* Quid ſi in ipſo Tribunali mortem minetur pœnitens, quia abſolutionem negas, *ibid.*

6. An uti poſſit confeſſione ad regimen exterius, ubi nullus eſt revelationis timor, II. 242. An ex confeſſione unius alterum interrogare, *ibid.* An rebus propriis diligentius invigilare, *ibid.* Ao exteriores peccandi occaſiones tollere, *Vide* An Pœnitenti quem ex confeſſione ſcit indignum, beneficium, quod ei mente deſtinaverat, non conferre, II. 243. *& ſeq.* An famulum ejicere quem eadem via ſcit eſſe furem & homicidam, II. 245. An ancillam, quæ juniorem Presbyterum ad crimen ſollicitat, *ibid.* An declarare eum quem ad furcas comitatus eſt inſontem periiſſe, *ibid.* An luxuriæ deditum a communi cum pueris lectulo removere. *ibid.* An inquirere nomen complicis ut eum emendet II. 246. *& ſeq.* An aliquando Pęnitenti injungere ut eum Magiſtratui denuntiet, II. 247. Quæ in his circumſtantiis obſervanda, II 252. *& ſeq.*

7. Confeſſarius an *Sigillum* violans ſubjaceat cenſuræ, vel irregularitati, II. 253. An ſit a Laico vel ab Eccleſiaſtico tantum judice puniendus, *ibid.* Multiplex Sigilli violandi modus, II. 230. *Vide* Sigillum n. 3 Quomodo inquirendum ſit delictum in judicio, ut puniatur, II. 254 Quid ſi confeſſarius dicat ſe a Pęoitēte habuiſſe licentiam loquendi, aut ſe rem aliunde didiciſſe, *ibid.*

1. *Confeſſio* quotuplex in Scriptura diſtinguatur, I. 331. Quomodo definiatur Sacramentalis, *ib.* An idem ſit apud Latinos, quod apud Græcos *exomologeſis*, I. 36. & 332. An fuit in uſu apud Judæos, I. 277. 301 331. An præcepti ſit jure divino, I. 332. An ejus neceſſitas probetur ex Scriptura, I. 335. An traditione, 339. *& ſeq.* An eadem nunc vigeat quæ ſæculo nono, I. 357. An utraque Eccleſia Græca & Latina confeſſionis neceſſitatem numeret inter fidei dogmata, I. 365. An circa hanc neceſſitatē potuerit contingere mutatio, *ibid. & ſeq.* An circa neceſſitatem, an vero circa ejus efficaciam libera Gratiani temporibus agitaretur quæſtio, I. 383. An confeſſio a *Nectario* fuerit ſublata, I. 367. *& ſeq.* *Vide* Pœnitentiarius. An & quomodo a quibuſdam Lutheranis retineatur, I. 44.

2. Con-

2. Confeſſionis conditiones ſexdecim explicantur, I. 411. *& ſeq.* Debet eſſe vera ita ut excludat *mendacium*, I. 413. An peccat qui peccata nondum confeſſa miſcet cum jam confeſſis, I. 415. Qui mala fide celat peccatum, an omnes exinde confeſſiones iterare debet, I. 416. Quid ei agendum, qui dum confitetur, advertit ſacerdotem dormire, *ib.* Confeſſio frequens non eſt redarguenda, I. 417. Licet non omnibus temere perſuadenda, I 418. Utiliter ſuadetur iis, qui nec dum ſatis alieni ſunt a peccato, *ibid.* An ſummatim tantum audiendi qui in malo habitu degunt, *ibid.* Deciſio hic data lenitur, *ibid.*

3. Confeſſioni præmittendum *examen*, I. 419. An neceſſe ſit ut eam *dolor* actualis comitetur, I. 320. An ut eam *contritio* præceſſerit, *ibid.* An ut ad eam ordinem dicat, I. 321. Quænam in ea requiratur *contritio*. Quis amor, *Vide* Attritio, Amor. An valet confeſſio illius, qui in deteſtanda vita præterita occupatus actu de futura non cogitat. I. 185 *Vide* Propoſitum. Confeſſio an poſſit eſſe ſimul valida & informis, I. 325. An talis foret in qua duplicis peccati mortalis reus, de uno quod veniale putaret vel nullatenus doleret, vel tantum Purgatorii metu. I. 328.

4. Quæ in confeſſione requiratur *integritas*, I. 421. Male confitetur qui dicit ſe ter aut quater peccaſſe, I. 423. Quid agendum ei, qui certo comperire non poteſt quoties peccaverit, *ibid.* An qui dicit ſe toties plus vel minus peccatum hoc commiſiſſe, ſi dehinc numerum certo detegat, eum declarare teneatur, *ibid.* Quid ſi dixerit ſe feciſſe decies, quod quinquies tantum fecit, I. 424. An in hoc caſu poterit impoſitam ſibi pœnitentiam moderari, *ibid.* Qui *circumſtantia* oblitus eſt, an totum ad quod ea ſpectat peccatum aperire debet, I. 425. An exprimendum opus externum & effectus ex ipſo proveniens, I. 432. *Peccata dubia* declaranda, *ibid.* An etiam a ſcrupuloſis, I. 436. Major requiritur exactitudo circa peccatorum ſubſtantiam, quam circa numerum, *ibid.* Quid ſi quis aperuit peccatum, cujus nec ipſe, nec Confeſſarius ſciebat gravitatem, *ibid.* Ab integritate confeſſionis excuſant oblivio & ignorantia invincibilis, I. 438. Hæc tamen peccata, ſi in memoriam redeant, confitenda erunt, *ibid.* An neceſſario ante Communionem, *ibid.* An nova donari debeant abſolutione, *ibid.* Ab eadem integritate excuſat impotentia, I. 44[illegible] Ejus exemplum multiplex, *ibid. & ſeq.* Quid de tempore peſtis, I. 441 Excuſat & metus damni gravis, *ibid.* Quid damnum grave. I. 442. Non excuſat frequens populi concurſus in ſolemni die, I. 443 Neque complicis infamia, I. 444. Quædam hic cavenda, I. 445. An excuſat infamia non complicis, I 447. An abſolvi debeat *moribundus* qui nullatenus vel non integre confitetur, I. 448.

5. Qui divina confeſſionis lege tenentur, I. 388. Quando lex illa obligat per accidens, I. 389. Quandonam per ſe, I. 390. An ſtatim moraliter poſt admiſſum lethale, *ibid.* An quando ex dilatione ſequitur periculum obliviſcendi lethalia, I. 391. *& ſeq* An per præceptum confeſſionis annuæ *Eccleſia* permittat confeſſionem ad annum differri, *ibid.* Quis ſit proprius Sacerdos cui facienda confeſſio annua, I. 393. *Vide* Parochus. An in quibuſcunque Diœceſibus valeret facta Sacerdoti approbato ſine licentia *Parochi*, I. 403. An lex confeſſionis annuæ obliget omnes baptizatos, I. 405. An Pueros, *ibid.* An eos qui non habent niſi peccata interna, I. 406. An eos qui non haberent niſi venialia, *ibid.* An eos qui juſte timerent, ne unicus quem habent Sacerdos, vel peccata ſua revelaret, vel ſibi in confeſſione aperta intelligeret, *ibid.* & II. 229. An eos qui confiteri nequeunt niſi per *interpretem*, I. 407. Aut in ſcriptis, I. 408. An impletur præceptum per confeſſionem ſacrilegam. *ibid.* An per confeſſionem rite factam, nondum ſecuta abſolutione, *ib.* Quid ſi injuſte denegetur, I. 409. An per confeſſionem validam & informem, I. 408. An qui hoc anno confiteri omiſit, plura, differendo, peccata committat, I. 409. An iterum confiteri tenetur qui ſemel rite confeſſus, eodem anno in mortale labitur, *ibid.* Quibus ſubjaceant *pœnis* qui annuæ confeſſioni deſunt, *ibid. Vide* Lateranenſe.

6. Confeſſiones multis modis contra regulam audiri poſſunt, II. 82. Quando hic incurratur caſus reſervatus, *ibid.* Multa ea de re quæſtiones ſolvuntur, *ibid.* Confeſſio an voce neceſſario facienda, I. 480. an paſſim nutibus vel ſcripto fieri queat, *ibid.* An ex natura rei valeat facta abſenti per internuntium, I. 482. An iſthæc olim fuerit in uſu, I. 484. Nunc plane nulla, I. 487. Et a *Clemente VIII.* diviſim ut & conjunctim irritata, I. 488. *& ſeq.* Qualiter pœnitens Sacerdoti debeat eſſe præſens ad abſolutionem, I. 490. Subjectum confeſſionis, I. 491. An publicæ confeſſioni ſubjacuerint quæ ſubjacebant pœnitentiæ publicæ, I. 492. Pœnitentes num aliquando publice occulta confeſſi, I. 493.

7. Confeſſio generalis aliquando diſſuadenda, II. 200. Quinam ad hanc adigendi, II. 201. An qui pœnitentiam non implevit, *ib.* An qui paulo poſt recidit in peccatum, II. 202. Qui eo in caſu verſentur, *ibid.* Exceptiones, *ibid.* Num aliquando poſſit Confeſſor diſſimulare pœnitenti obligationem, quæ ipſi incumbit iterandæ confeſſionis, II. 203. Quid commendandum iis qui confeſſionem generalem meditantur, *ibid.* Hæc quomodo facienda, *ibid.* Qua ratione ad confeſſionem generalem adduci debet, qui ab ea

pœnu-

Digitized by Google

plurimum alienus eſt, II. 204. Modus examinis præſcribendi, II. *ibid.* & *ſeq.* 16. & *ſeq.* An iteranda ſemper omnium peccatorum confeſſio, II. 204. An hæc jam ab initio proponenda pœnitenti, II. 205. An ſatius ſit ut confeſſio generalis apud eundem Directorem fiat, II. 206.

Confeſſio, an requiritur ad lucrum Indulgentiæ contritis & confeſſis propoſitæ, II. 441. An & quæ præmittenda ad Jubilæi gratiam, II. 485. & *ſeq.* An neceſſaria venialium, *ibid.* Quid ſi inculpate omittatur, II. 486. Non ſufficit ſacrilega, *ibid.* An denuo confiteri teneatur qui vel peccatum aliquod oblitus eſt; vel novum commiſit, II. 287 Quid ſi is abſolutionem non recipiat, *ibid.* An Confeſſio ceteris operibus præmittenda, II. 488. Num differri poſſit in Dominicam ſequentem, *ibid.*

Confeſſor ſeu *Confeſſarius*, An Sacerdos quilibet tempore Jubilæi in Confeſſarium eligi poſſit, II. 500. A quo ordinario approbari debeat Confeſſor Jubilaris, *ibid.* An approbatus a duobus Epiſcopis poſſit in utraque Diœceſi abſolvere a caſibus reſervatis, II. 502. An in tota Diœceſi abſolvere valeat qui deſignatus eſt in Confeſſarium Jubilarem, *ibid.* Quid de Regulari quem approbavit Epiſcopus, ſeu quem a confeſſionibus audiendis prohibet Superior, II. 502. & 503. An Regulares vi Jubilæi Confeſſarium extra Ordinem ſuum eligere poſſint, *ibid.* & *ſeq.* A quo approbatus eſſe debeat Sacerdos, cui Regularis vult per Jubilæum confiteri, II. 504. *Vide* Moniales. Quid poſſit Confeſſarius Jubilaris circa irregularitates, II. 516.

Conjugicidium caſus paſſim reſervatus, II. 78. Is ut incurratur an neceſſe ſit conjugem occidi de facto, vel mortem ejus directe intendi, *ibid.* Quid de eo qui pugionem emit, ut compartem occidat, II. 83.

Conſiliarius, an a Confeſſario conſultus teneatur lege *ſigilli*, II. 224. An conſuli debet is cui innoteſcere poteſt pœnitens, *ibid.* An pœnitens ei poſſit nominari, niſi is expreſſe conſenſerit, *ibid.* An teneatur lege *ſigilli*, ſi ab ipſo pœnitente in ordine ad confeſſionem conſulatur, *ibid.*

Conſuetudinariis differenda abſolutio, II. 176. & *ſeq.* An ad iterandas confeſſiones adigendi, II. 190. *Vide* Confeſſarius, n. 1. & 2.

Conſtitutiones Apoſtolicæ an ſint Apoſtolorum, aut ſaltem S. Clementis Romani fœtus, I. 84.

1. *Contritio* unde nomen deſumat, I. 163. Nonniſi improprie ſacrificium vocatur, I. 12. Minus Deo placet in ratione ſatisfactionis, quam ei diſpliceat peccatum in ratione offenſæ, I. 13. An ipſi derogatum fuerit per inſtitutionem Pœnitentiæ & Baptiſmi, *ibid.* An ſit Sacramenti Pœnitentiæ *materia* proxima, I. 155. Quo ſenſu dici poſſit materia per accidens, I. 162. Contritio quomodo definienda, I. 165. Importat vitæ veteris odium, I. 166. & 167. An exiſtimata contritio eundem quem vera effectum producat, I. 168. An ut deleat peccata, debet eſſe interior, *ibid.* An ſupernaturalis ratione principii & motivi, I. 170. An talis ſit quæ peccatum deteſtatur prout oppoſitum Deo tanquam auctori naturæ, I. 172. Optanda quidem, ſed non neceſſaria contritio intenſa quoad gradus, I. 173. & *ſeq.* Neceſſaria appretiative ſumma. I. 176. Quid de contritione extenſive ſumma, I. 178. An contritio debeat augeri pro vario peccatorum gradu, I. 181. An comprehendere omnia lethalia, I. 182. An etiam omnia venialia, *ibid.*

2. Contritio an & qua neceſſitate ſit lapſis neceſſaria, I. 189. & *ſeq.* An ejus votum in *charitate* includatur, *ibid.* An ejus præceptum aliquando obliget tum per ſe, tum per accidens, I. 190. An urgeat, quoties menti occurrit peccatum, I. 191. An ſtatim ut contritionis actus elici poteſt, *ibid.* An contritio ſit cauſa remiſſionis peccatorum, I. 200. An & quomodo eam mereatur, *ibid.* & *ſeq.* An contritio perfecta ſemper juſtificet ante Sacramentum, I. 204. An ſit ad Sacramentum neceſſario prærequiſita, I. 215. *Vide* Tridentinum. An perfecta eſſet quæ non includeret *votum* ſacramenti, I. 218. An requirat votum formale, *ibid.* Quænam requiratur & ſufficiat in Sacramento pœnitentiæ, *Vide* Amor, Attritio, Benevolentia, Charitas, Dolor, Spes, Timor.

3. Quo tempore elici debeat contritionis actus, I. 319. An neceſſe ſit quod *Confeſſionem* præcedat, I. 320. An ſufficit qui diu ante præceſſit, ſed in ordine ad ipſam, I. 321. An qui eliceretur ſine ordine ad Sacramentum, I. 322. An jam elicitus retractetur per peccatum ſubſequens, *ibid.* Etiam per veniale, *ibid.* An requiratur ad venialium remiſſionem, I. 323. Quibus ſignis legitima contritio dignoſci poſſit, I. 328. & *ſeq.* Quibus mediis in corde pœnitentium generari, I. 330. *Vide* Confeſſarius, n. 1.

Cornelius, an juſtus fuerit antequam fidei myſteria edoceretur, I. 213.

Crimen falſi committitur falſam monetam cudendo, & adulterando legitimam; falſum reddendo teſtimonium coram Judice, vel in cauſa Matrimonii, Bullas Eccleſiaſticas falſificando, & in his caſibus reſervatum eſt, II. 83. Monetæ falſæ criminis quinam rei, *ibid.* Qui teſtimonium falſum reddant coram Judice, II. 84. Qui a vivente accepit, vel compenſationis titulo retinet, aut rem ſubreptam tradidit Confeſſario ut ab eo reſtituatur, an coram Judice jurare poſſit ſe nihil habere alienum, II. 84. Ad falſum in

in aliena Diœceſi abſolvere, II. 50. Poſſunt ſibi reſervare caſus etiam quoad Parochos, II. 65. An in Synodo reſervatio hæc facienda, II. 121. An ſit proprius Sacerdos de quo Lateranenſe, I. 395. An jus habeant alios a Parochis conſtituere qui confeſſiones excipiant tempore Paſchali, I. 396. An clauſula *de conſenſu Parochorum*, quam apponere ſolent in Litteris approbatoriis, ſint *condeſcenſus*, an *neceſſitatis*, I. 397. An inconſulta Sede Apoſtolica poſſint negare omnibus alicujus Communitatis Religioſis facultatem audiendi confeſſiones ſæcularium, I. 396. An *approbationem* negare capaci vel limitare quoad locum &c. II. 58. 59. *Vide* approbatio. Epiſcopi loco ſuo cedentis quando vacet Sedes, II. 121.

Epiſcopus non conſecratus, an indulgentias largiri poſſit, II. 405. & quales, II. 403. & 404. an *Stationes* Jubilæi ad minorem numerum coarctare, per ſe aut per Confeſſarios valeat, II. 492. An jejunium Jubilæi commutare queat tempore paſchali, II. 497. An ſit Miniſter Extr. Unctionis, II. 561. An ab eo ſolo oleum benedici poſſit, II. 568.

Epiſtola ad Hebræos quare a quibuſdam olim rejecta, I. 48. Quare a Luthero & hodie a Lutheranis, *ibid.*

Epiſtolæ, quædam cur dicentur Catholicæ, II. 550. S. Jabobi an Canonica, II. 549.

Error privatus & communis, II. 46. Poſterior dat juriſdictionem, & quando, *ibid.* An ſine titulo colorato, *ibid.*

Eſau an conſtet de ejus reprobatione, I. 75.

Eſtius docet contritionem perfectam non ſemper juſtificare per ſe ſolam, I. 204 An ejus opinio dici poſſit a Tridentino damnata, I. 206. Num ſaltem damnata ſit a Pio V. & a Faculeate Pariſienſi, *ibid.*

Euchariſtia, an & quare peccaret mortaliter, qui cum triticeis panibus hordeacum offerret ad conſecrationem, I. 182. Euchariſtiæ profanatio ejuſve ad extinguenda incendia delatio an eſt caſus reſervatus, II. ∴.

Examen Confeſſioni præmittendum, I. 419. Quale, I. 420. Qualiter inſtituendum, *ibid.* Pro *confeſſione* generali, *ibid.* Quid hac in re faciendum a *Confeſſario*, I. 421.

Exomologeſis nonniſi confeſſionem proprie ſonat, I. 36. Ex uſu tamen totam pœnitentiam exprimit, *ibid.* & 332. At ante S. Irenæi tempora ſolam exprimebat Confeſſionem, I. 340.

1. *Extrema Unctio* multiplici nomine donatur ab Antiquis, II. 533. definitio ejus, II. 534. Qui eam ex Sacramentorum albo deleverint, *ib.* Verum eſt Sacramentum, II. 536. a Chriſto immediate inſtitutum, II. 553. quo tempore, *ib.* Extr. Unctionis Miniſter ſolus Sacerdos, II. 554. Valide quidem Sacerdos omnis, at licite ſolus Paſtor, , II. 556. & ad id unus ſufficit, II. 557. unde redarguendi Græci, qui unctionem negant; niſi tres ad eam concurrant Presbyteri, II. 558. Quo pacto olim a pluribus Presbyteris conferebatur, II. 559. An moriente Presbytero qui oculos inunxit, ſufficiat ut ab alio continuentur reliquæ unctiones, II. 560. & ſeq. Epiſcopus eſt etiam hujus Sacramenti Miniſter, II. 561. *Vide* Parochus, Materia, Oleum, Forma.

2. An Unctio Extr. unum ſit Sacramentum, II. 584. Subjectum ejus ſunt infirmi ſoli, II. 588. Quid juris de contraria Græcæ Eccleſiæ praxi, II. 589. An iis ſolum conferenda ſit, quibus jam mors imminet, II. 591. An etiam leviter ægrotantibus, II. 592. Non eſt danda omnibus etiam periculoſe infirmi, II. 593. An danda pueris, rabie vel peſte infectis, lethaliter vulneratis, ex veneno pereuntibus, feminis deficientibus in partu, ſenibus decrepitis, adultis, a Baptiſmo recentibus, II. 593. & ſeq. An rotæ affixis, II. 594. An peccatoribus qui confiteri non valent, *ibid.* An juſtis ab actuali peccato immunibus, II. 595. An Extr. Unctio conferri debeat ante vel poſt receptionem Viatici, II. 596.

3. Unctio Extr. non eſt per ſe neceſſaria neceſſitate medii, II. 597. poteſt eſſe neceſſaria per accidens, II. 598. Eſt neceſſaria ex divina lege, *ibid.* Proinde & ex lege Eccleſiaſtica, II. 599. An ea lex exceptionem patiatur, 601. Unctio Extr. pluries conferri valet, *ibid.* An in eodem morbo, II. 602. Ad eam requiruntur variæ corporis & mentis diſpoſitiones, & quæ, II. 603.

4. Ceremoniæ Extr. Unctionis, quæ olim fuerint obſervatæ, II. 619.

5. Effectus Extr. Unctionis, II. 604. Qui negent illius effectum, *ibid.* Variæ Catholicorum ea de re opiniones, *ibid.* An Unctio Extr. per ſe & primario ad alleviandum hominem, & aliqua ſaltem ejus peccata dimittenda a Chriſto inſtituta ſit, 605. In quo ſita ſit hæc alleviatio, *ibid.* An peccata venialia per ſe & primario remittat, *ibid.* An etiam mortalia, 608. An eodem modo quo Pœnitentia, II. 609. Diverſæ rationes quibus in Sacramentis remittuntur peccata, II. 611. An ipſas etiam illorum reliquias Extr. Unctio per ſe primario abſtergat, II. 612. Moribundum adverſus ingruentes inſtante morte tum animi tum corporis dolores roborat, 614. Pœnitentiæ anteactæ defectus per adjunctam contritionem reparat, II. 615. Ipſam, ſi illud animæ ſaluti expedit, corporis ſanitatem ex opere operato reſtituit, II. 616. Sanitas illa nequaquam miraculo adſcribenda, II. 617. Quis ſit ordo inter recenſitos Unctionis effectus, *ibid.* An per illam character imprimatur, *ibid.*

6. Forma Extr. Unctionis, II. 580. An ſit deprecatoria, II. 581. An ſufficiat indicati-

va, II. 585. Quid ſi Sacerdos reipſa non oret, II. 582. An omnia formæ communis verba ſint de neceſſitate Sacramenti, II. 583. Annon forma hæc inde vitioſa ſit, quod totalem Sacramenti effectum non exprimat, II 584. Certior ac melior ea eſt quæ nunc in tota qua patet Occidentali Eccleſia uſurpatur, II. 607.

Exuſtio Templorum caſûs eſt reſervatus, II. 93. *Vide* Incendium.

F

FAlſificatio Litterarum Apoſtolicarum, quomodo fiat, & quando reſervetur, II. 85. *Vide* Crimen falſi.

Falſificatio manus quid ſit, & quando reſervetur, II. 123.

Forma pœnitentiæ, II. 5. *Vide* Abſolutio

G

GNoſtici, Borboritæ, ſeu cænoſi quare ſic vocati, I. 37. Inter eos qui Pœnitentiæ Sacramentum indirecte expungunt, a Tournelyo annumerantur, *ibid.* Potuerunt tamen illud admittere, I. 38. Imo & admiſiſſe præſumi poſſunt, *ibid.*

Gradus pœnitentiæ ſolemnis, I. 567. *Vide* Penitentia, n. ult.

Gratianus an dubitaverit de neceſſitate confeſſionis, I. 383. An circa eam verſaretur quæſtio ipſius ævo agitata, *ibid.* An tanta Gratiani auctoritas, ut certum ex eo depromi poſſit argumentum, I. 382.

H

HAbitus vitioſi an ſint *materia* remota Sacramenti *Pœnitentiæ*, I. 180. Iis qui verſantur in habitu peccandi quando danda, quando differenda *abſolutio*, *Vide* Confeſſarius, n. 1. & 2.

Hæreſis mentalis non reſervatur, II. 67. At reſervatur quæ foris prodit, ſi ſit formalis, II. 88. Et ab homine fidem Chriſti profeſſo criatur, *ibid.* Quid ſi quis ſolum de aliquo fidei capite dubitet, *ibid.* Vel hæretice ſentiat ex mortali ignorantia, II. 89. Num reſervationem incurrit, qui bene ſentiens, eos qui aliter ſentiunt non condemnat, *ibid.* Hæreſis quæcumque exterior an inducit reſervationem, licet publica non ſit, II. 90. Quid de iis qui hæreticorum concionibus interſunt, *ibid.* Aut in uno loco primum hæretice, in alio jam vivunt Catholice, II. 90. Quæ a *Confeſſario* ſervanda erga pœnitentem ab hæreſi reverſum, *ibid.* An hæreticus per confeſſionem cognitus poſſit declarari, ne alios corrumpat, II 238.

Hæreſis crimen an a Jubilari Confeſſore abſolvi poſſit, II. 507.

Heli pœnitentiam Scriptura non adſtruit, I. 26. Negant Calculoſe e unanimi antiqui Patres, I. 27. Aſſerunt quidam recentiores, I. 28. & ſeq. An auctoritatem fidei habeant quæ dixit ad filios, *Si peccaverit vir in virum*, &c. I. 75. Hujus textus explicatio duplex, *ibid.*

Hieronymus. (S.) negat Chriſti abnegationem eſſe blaſphemiam in Spiritum Sanctum, I. 93. Nec concedit iſtam eſſe prorſus irremiſſibilem, *ibid.* Quo ſenſu miniſterium Sacerdotum novæ legis erga peccatores cum miniſterio Levitico erga leproſos comparat, I. 105. & ſeq.

Homicidium eſt caſus reſervatus, II. 91. Quid de homicidio caſuali, *ibid.* & ſeq. Quid item ſi inflictum vulnus, a quo æger diu poſt deceſſerit, II. 92. Homicida ebrius an ſubjaceat reſervationi, *ibid.* Homicidium qui mandat an liber a reſervatione, *ibid.* Quid ſi mandatum revocavit, II. 93. Vel unum occidi jubens a ſervo, cauſa ſit cur ſervus perierit, *ibid.* Vel percuſſionem juſſerit ſolum, & mandatarius mandati leges prætergreſſus ſit, *ibid.*

Hoſtia an ejus nomine Baptiſmus exprimi poſſit, I. 46. Quo ſenſu non relinquitur ex Apoſtolo peccantibus hoſtia. *ibid.* & ſeq.

Hus (Joannes) admiſit ſeptem Sacramenta, I. 44.

I

JAcobus (S.) ejus Epiſtola vere eſt Canonica, II. 549. Quis Jacobus hujus auctor extiterit, II. 550. An a S. Paulo diſſentiat circa principium juſtificationis, II. 551. An Extr. Unctionem inſtituerit. II. 552.

Janſenius an docuerit actum timoris ſine charitate initiali elicitum, nec ſupernaturalem eſſe, nec ſine peccato elici, I. 222. & ſeq.

Jejunii vel abſtinentiæ violatio pluribus in locis reſervata, II. 117. An quocumque actu incurratur, *ibid.* Quæ volucres diebus jejunii comedi poſſint, *ibid.* An a jejunio liber ſit qui liber eſt ab abſtinentia, II. 118. An dapes miſcere liceat, *ibid.*

Jejunium an ſemper ad Jubilæi conſecutionem neceſſarium ſit, II 551. quale tunc requiratur, *ibid.* An ab Epiſcopo commutari poſſit tempore paſchali, *ibid.* Quid de jejunio in præcipuam loci feſtivitatem cadente, II. 552. An omnes ad jejunium teneantur pro Jubilæo, etiam ſenes, meſſores, &c. *ibid.* Quo tempore jejunia fieri debeant, II. 498. Quid ſi ſegnis quipiam poſt elapſu jejunii tempore ad Confeſſarium accedat, II. 499.

Ignorantia invincibilis an excuſet ab *integritate confeſſionis*, I. 438. Unde judicetur ignorantiam fuiſſe invincibilem, I. 439. Quid de ignorantia malitiæ pollutionis, *ibid.*

Illi-

* *Illiberitana* Synodus, an graviſſime lapſis abſolutionem in extru negaverit, I. 469.

Impedimentum Matrimonium dirimens per confeſſionẽ cognitum an poſſit revelari, II. 238

Impoſitio manuum an ſit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, I. 155.

Incendium reſervatur, & cui, II. 93. Incendiarius quis proprie, *ibid.* Quid de complicibus, II. 94. Qua opus ſit denuntiatione ur crimen illud reſervetur Papæ, *ibid.* Num ſubjacet reſervationi qui gravi ex incuria Templum vel domum comburit, II. 95.

Inceſtus naturalis quando reſervationem inducit, II. 95. Multiplex circa inceſtum ſpiritualem diſciplina; *ibid.* Pœnæ inceſti Confeſſoris, II. 96. Per quod peccatum contrahantur, *ibid* Caſus multi circa hanc materiam, II. 97. & *ſeq.*

1. *Indulgentia* quid ſit, II. 364. Alia eſt plenaria, alia particularis, II. 365. Quid plenior & pleniſſima, *ibid.* Quid quadragenæ, & ſeptenæ, II. 366. Cur aliquando plenariis Indulgentiis junguntur partiales, II 367. Fabuloſæ annorum 100000. Indulgentiæ *ibid.* Quid Indulgentiæ de injunctis pœnitentiis, II. 368 & *ſeq.* Indulgentia localis, quid II. 371. An gemina poſſit eſſe in eodem loco, *ibid.* An loco pereunte pereat, vel reædificato reviviſcat, II. 372. An ad ejus lucrum neceſſe ſit corporaliter ingredi locum cui annexa eſt, *ibid.* Indulgentia realis exponitur, *ibid.* Quid circa eam notandum, II. 374. & 461. Indulgentiæ Perſonalis & ejus appendices, II. 374. Cur eam pauci lucrentur in articulo mortis, *ibid.*

2. Indulgentia per ſe non remittit peccatum, II. 375. etiam veniale, *ibid.* Remittit vere & coram Deo pœnam Purgatorii, II 377. quo gradu incertum. II. 378. Defunctis non applicantur ſicut viventibus, *ibid.* An & a quibus pœnitentiæ laboribus eximant Indulgentiæ, II. 381. & *ſeq.* Indulgentiarum fides vindicatur, II. 389. A quibus concedi poſſint, II. 401. An ab Epiſcopo necdum conſecrato, II. 405. An ab Archiepiſcopi in Provincia ſua, II. 406. An a Concilio generali, abſente Papa, *ibid.* an a Capitulo Cathedrali, II. 407.

3. Theſaurus Indulgentiarum fons, in quo conſiſtat, II. 414 ad ejus diſpenſationem in Indulgentiis requiritur cauſa juſta & proportionata, II. 424. & 425. Unde deſumenda hæc proportio, II. 428. & 431. An Indulgentia quæ defectu cauſæ non valet ad pœnæ remiſſionem, valeat in ceteris, puta ad diſpenſationem voti, &c. II. 430. Quæ potiores ſint indulgentias largiendi cauſæ, *ibid.* quibus modis deſinat indulgentia, II. 431. & *ſeq.* Ad indulgentiæ lucrum requiritur character Baptiſmalis, II. 434. rationis uſus, & quo ſenſu, *ibid.* Status gratiæ, cum præſtatur opus ultimum ex præſcriptis, II. 435. & *ſeq.* An iis proſint indulgentiæ qui per ſe non ſatisfaciunt, cum poſſunt, II. 439. An ad eas prærequiritur confeſſio, II. 441. an non ſatis ſit ut per alium impleantur opera præſcripta, II. 442. An eadem tempore præfixo impleri debeant, *ibid.* an per unum actum, vel ſaltem per plures actus qui ſimul fiunt, acquiri poſſint indulgentiæ plures, II. 443. & 444. An comparentur per actum alias præceptum, *ibid.* an per actum interiorem, *ibid.* an ſine intentione eas lucrandi. *ibid.*

4. Quod ſit Indulgentiæ ſubjectum, II. 445. An *Defuncti*, *ibid.* Quæ ad id requirantur conditiones, II. 450. an plus iis proſint quibus ſpecialiter applicantur, II. 451. & *ſeq.* An Indulgentiæ omnes defunctis nunc applicari poſſint, II. 452. An qui opus præſcriptum implere prohibetur, defunctis indulgentiam procuret, *ibid.* Quid de Altaribus privilegiaris, II. 453. *Vide Altare privilegiatum.* Roſaria ſi vendantur, ab indulgentia excidunt, II. 459. Diſtributio Indulgentiarum uni conceſſa, non communicatur alii, *ibid.* Indulgentiæ *Stationum*, II. 460. *Portiunculæ*, *ibid.* Regularium, II. 462. *Vide* Regulares. Fidelium omnium, II. 465. Confraternitatum, II. 468. in articulo mortis, *ibid.* Viæ Crucis, II. 470. Qua hora incipiunt vel deſinunt indulgentiæ, *ibid.* qua conditione dantur pro peregrinis, *ibid.* Quando habendæ pro authenticis, II. 471. Abuſus qui irrepunt occaſione Indulgentiarum, *ibid.* Indulgentiæ in forma *Jubilæi* conceſſæ, non habent privilegia Jubilæi, II. 473. Indulgentiæ, an & quæ per Jubilæum ſuſpendantur, II. 527. *Vide* Suſpenſio.

Infernus: an ad veram deteſtationem peccati requiritur ut quis malit inferorum penas ſuſtinere, quam peccare lethaliter, I. 112. 223.

Inferi, ubi ſint, II 330. Chriſtus quomodo ſolutus a doloribus inferni, II. 335. Quid de prædicatione Chriſti in inferis, II. 342. An damnati ex inferis exire poſſint, II. 336.

Infirmi, an ſoli & omnes Extr. Unct. donari poſſint, II. 588. 591. 592. *Vide* Extr. Unctio.

Ingratitudo multiplex, I. 122. Quæ in relapſu reperiatur, I. 123. An in confeſſione aperienda, *ibid.*

Integritas in *confeſſione* requiritur formalis, I. 421. Ad hanc quæ requirantur, I. 422. An Sacerdos privato caſtitatis voto ligatus circumſtantiam hanc aperire teneatur, I. 423. *Vide* Confeſſio, n. 4.

Interpres: An qui confiteri nequit niſi per interpretem, immunis ſit a lege *confeſſionis* annuæ, I. 407. An etiam a præcepto divino confitendi in articulo mortis, *ibid.* An interpres teneatur lege *ſigilli*, II. 222.

Irregularitates: an poſſit ab iis diſpenſare Confeſſarius Jubilæi, II. 516. & 517.

Joannes Nepomucenus (S.) ſigilli confeſſionis martyr, II. 212.

1. *Jubilæum* unde ſic dictum, II. 472. Definitio ejus, 473. Jubilæum Romanum quid, *ibid.* Quid Compoſtellanum, *ibid.* quid extraordinarium, 474. Iſtud qui differat a Romano, *ib.* An eadem ſint utriuſque privilegia. *ib.* Jubilæum *ad inſtar*, 475. Solus Papa Jubilæum concedere poteſt, *ibid.* Quis ejus ſit inſtitutor, & quæ in eo contigerint mutationes, *ibid.* & *ſeq.*

2. Jubilæum ſolus viator, iſque rationis compos & ab excommunicatione liber, percipere poteſt, II. 476. Jubilæum anni ſancti nonniſi Romæ obtineri poteſt, *ibid.* vel in via ad Urbem, *ib.* Quid ſi eo contendere non poſſint, ut Moniales & Eremitæ, & qui hoc utroque nomine veniant, 477. Quid de incarceratis & infirmis, *ibid.* Quis Regularibus in hoc caſu opera præſcribere valeat; 478. An ii invito Superiore Romam tunc temporis adire poſſint, 479. An peregrini in loco ubi apertum eſt Jubilæum, illud conſequi valeant; *ibid.* Confectaria practica, *ib.* An Jubilæum in Diœceſi ſua lucratus, poſſit illud denuo lucrari in alia, 480. An viatores ab itinere reverſi Jubilæum percipere queant, & quandiu, 481. An ad ejus lucrum ſufficiat intentio habitualis, *ib.* An illud poſſit quis alii, ſeu vivo, ſeu defuncto applicare, 482. An ante lucrifieri poſſit, quam ab Epiſcopo fuerit promulgatum, *ib.* An Fideles illud lucrari teneantur, *ibid.* An omnes qui Jubilæi opera pie adimplent, ex æquo iſtius fiant participes, *ibid.*

3. Opera ad Jubilæum præſcripta quomodo debeant implere, II. 483. an & quibus ad hunc finem neceſſaria ſit confeſſio, 485. *Vide* Confeſſio. Quid de communione: 489. *Vide* Communio. Quid de viſitatione Eccleſiarum, 490. *Vid* Viſitatio. Quid de eleemoſyna, 493. *Vid.* Eleemoſyna. Quid de jejunio, 497. *Vide* Jejunium.

4. Jubilæi privilegia an proſit, ſi Pontifex indicto ad cauſam quæ non jam ſubſiſtit Jubilæo, moriatur, II. 499. An omnes Jubilæi gratiæ ab eodem Sacerdote conferri debeant, II. 500. Facultas eligendi Confeſſarium in quo poſita, *ibid. Vide Confeſſor*, Regulares, Moniales. Quid poſſit Confeſſor Jubilæi quantum ad cenſuras & caſus reſervatos, II. 506. *Vide* Cenſura & caſus reſervati; quid quantùm ad irregularitates, 516. Quid quantum ad criminis ſui complicem, 517. Quid quantum ad vota, *ibid.* & *ſeq. Vide* Vota. An & quæ Indulgentiæ ſuſpendantur tempore Jubilæi, 527. An Regularium facultates, 530. *Vide* Suſpenſio & Regulares.

Judæi an pecca olim diſtincte confiterentur, ut nunc Chriſtiani, I. 277. 301. & 331.

Judex, an Sacerdotes inſtituti judices eorum qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, I. 335. Triplex inter temporaneos Judices & Chriſti Miniſtros diſparitas, I. 338. An verum exerceant judicium, quando indignos arcent a Baptiſmo, I. 336. 338. *ibid.* Quid Judex in Gallia puniat fractionem *Sigilli* confeſſionis, II. 253. & 254.

Juramentum falſò præſtitum coram Judice, vel in cauſa matrimonii reſervatur, II. 84. & *ſeq. Vide* crimen falſi.

Juriſdictio duplex, II. 44. Quid ordinaria & quibus competit, *ib.* Acquiritur ratione domicilii, *ibid.* In Vagos, II. 45. Per privilegium quale habent Religioſi in commenſales, *ibid.* Per errorem communem, II. 46. Juriſdictio delegata quid, II. 47. Quomodo acquiratur, II. 48. Qualiter competat Religioſis Mendicantibus, *ibid. Vid.* Epiſcopi, Parochi, Peregrini. Quis *Epiſcopus* Juriſdictionem tribuit in pœnitentem alterius Diœceſis, II. 53. An Sacerdos Diœceſis hujus Juriſdictionem habet in ſubditos Diœceſis vicinæ, II. 54. 55. An ad Juriſdictionem ſufficit voluntas interpretativa Epiſcopi, II. 56. An ratihabitio de præſenti, *ibid.* An præſumptio renovatæ Juriſdictionis, *ibid.* Licetne uti Juriſdictione dubia vel probabili, II. 57. 58. *Vide* Approbatio, Regulares, Superior, Moniales. Juriſdictio an hodie detur abſque *approbatione*, I. 403. An in articulo mortis cuilibet Sacerdoti etiam præciſo competat, II. 155. Quid ſi quis licentiam Epiſcopi obtinere poſſit, II. 159. An miniſterium ſuum offerre debeat approbatus, qui ſcit fore ut pœnitens apud alium libentius confiteatur, II. 160.

Juſtificatio, an ſoli fidei tribuatur in Scriptura, I. 200.

Juſtitia commutativa an tota ejus ratio reperiatur in Pœnitentia, I. 52. An juſtitiam lędit qui infringit *ſigillum* Confeſſionis, II. 211.

L.

LAcrimæ an neceſſariæ ad virtutem pœnitentiæ, I. 18.

Lapſus carnis apud Regulares reſervatus quid ſit, II. 122.

Lateranenſe Concilium Confeſſionem non inſtituit, I. 364. An primum imperaverit, *ib.* Quis ſit proprius Sacerdos cui faciendam ſanxit annuam *confeſſionem*, I. 393. *Vide* Epiſcopi *ou* Parochi. An lex ab eo lata obliget omnes baptizato, I. 405. Etiam Pueros, *ibid.* An eos qui non haberent niſi peccata interna, *ib.* Aut venialia duntaxat, *ibid.* An & quæ excuſet impotentia, *ibid. Vide* Confeſſio n. 5. An ipſo facto incurratur pena quam decernit erga tranſgreſſores, I. 410. Quam penam decernit in Confeſſarios qui *ſigillum* fraigerent, II. 212.

Lenocinium, quo impudicitia crimen procuratur, eſt reſervatum, II. 98. An reſervationi ſubjacet quæ crimen fornicatione minus procurat, II. 99. Quid de famula quæ Dominæ Epiſtolas defert ad Amaſium, *ibid.* Conditiones ut peccatum hoc reſervetur, *ibid.*

Libelli

Libelli lapſis a Martyribus dati, a Cypriano redarguuntur, I. 477.

Littera approbationis, an clauſula *de conſenſu Parochi* in iis apponatur ex neceſſitate, I. 402.

Locus exemptus & locus nullius Diœceſis quomodo diſcrepant, II. 140.

Luciferiani an poſſint annumerari inter hoſtes Sacramenti Pœnitentiæ, I. 45.

Lutherani unde pœnitentiæ nomen deſumant I. 2. Alii confeſſionem abigunt, alii retinent, I. 44. 45. A Luthero recedunt circa naturam contri.ionis, I. 164. 167. Quam falſo ſoli fidei tribuunt remiſſionem peccatorum, I. 200.

Lutherus non alias agnoſcit pœnitentiæ partes quam terrores conſcientiæ, & fidem qua quis credit peccata ſibi remiſſa, I. 153. Quæ docuerit circa Contritionem, I. 164. An putaverit eam eſſe cauſam remiſſionis peccatorum, I. 200. An fatetur per contritionem Charitate initiali ſtipatam excludi voluntatem peccandi, I. 233. Ejus variationes quoad neceſſitatem & utilitatem confeſſionis, I. 44.

Lymbus Patrum erat ſub terra, II. 331. ut & Lymbus puerorum, II. 334.

M

M*Acabaeorum* Libri duo Canonici, a II. 305. ad 317. Cur libri illi deſint in Canone Judæorum, II. 308. An ſecum pugnent circa mortem & locum Antiochi Epiphanii, II. 309. 310. circa pacem cum Judæis ſancitam ab Antiocho Eupatore, *ibid.* circa mortem Judæ Machabæi, II. 310. circa purgati Templi epocham, *ibid.* An conciliari poſſint cum Hiſtoriis Græcorum, II. 311. Quid de Jeremia Arcam fœderis abſcondente ſentiendum, II. 313. Num hiſtoria hæc probis moribus repugnet, II. 315. Actor ipſius, II. 316.

Macula peccati deleta an remaneat *pena* ſubeunda, I. 108. *Vide* Pœna. Maculam producit peccatum veniale, I. 149 Neque hæc ſemper in juſtis ante mortem deletur, I. 150.

Magdalena an juſtificata priuſquam a Chriſto audierit *remittuntur*, *&c.* I. 207. An ejus juſtificatio favet iis qui initialem in attritione charitatem exigunt, *ibid.*

Magia, quæ caſus eſt reſervatus, definitur, II. 113. Hujus ſpecies maleficium & divinatio, *ibid.* An ad incurrendam reſervationem neceſſe ſit ut invocetur dæmon, vel ut effectus intentus obtineatur, II. 114. Quid ſi Bohemis manum quis exhibeat, *ibid.* Monita circa magos & ſortiarios, *ibid.*

Magiſter ſententiarum. Quæ ejus opinio circa effectum abſolutionis. I. 96. An differat ab opinione Heterodoxorum, I. 97. An Tridentini anathemate proſtrata, *ibid.* A multis ut temeraria & erronea rejicitur, *ibid.*

Malachias (S.) feminam a mortuis ſuſcitat, & oleo ſacro inungit, II. 599.

Manichei & peccatum & pœnitentiam tollunt, I. 27.

Maſſaliani, quare dicti Euchytæ, quare Saccephori, I. 43. Ad delenda peccata preces ſubſtituunt Baptiſmo & Pœnitentiæ, *ibid.*

Mater: an abſolutio huic neganda, quia tenellam prolem in eodem ſecum lecto teponit, II. ∴∵.

Materia virtutis Pœnitentiæ proxima eſt omne peccatum formale, I. 16. Remota, imperfectiones, peccata ignorantiæ vel inadvertentiæ invincibilis, I. 17. Omiſſio conſiliorum, *ibid.* Sub ea malum culpæ & malum pœnæ non eadem ratione comprehenduntur, *ibid.* Materia quorumdam Sacramentorum an Eccleſiæ diſpoſitioni permiſſa, I. 56. Materia Sacramenti *Pœnitentiæ* duplex, I. 133. Remota illud omne circa quod deſtruendum verſatur, *ibid.* Tale non eſt peccatum originale, I. 134. Eſt autem quodcumque Baptiſmum ſequitur, ſed aliter veniale vel lethale directe remiſſum, aliter lethale necdum directe remiſſum, *ibid. & ſeq.* Variæ circa materiam proximam Sacramenti *Pœnitentiæ* opiniones, I. 153. An ſit *impoſitio* manuum, I. 155. An tres actus pœnitentis, *ibid. & ſeq.*

Materia Extrem. Unctionis proxima & remota, II. 567. & 574. *Vide* Oleum & Unctio.

Matrimonii celebratio illegitima ſubjacet reſervationi, II. 99. Hanc incurrit Sacerdos etiam Regularis qui alterius Parochiæ ſponſos ſine proprii Parochi licentia conjungit, *ibid.* An & qui ſolum omittit Bannorum promulgationem, II. 100. Quid de nubentibus poſt votum Caſtitatis, *ibid.* Vel ſcienter in gradu prohibito, II. 101.

Maximus (S.) de quibuſdam loquitur qui cenſebant peccata non pœnitentia, ſed pecunia redimi, I. 37.

Melchior Canus ſolam confeſſionem habet ut materiam eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ, I. 153.

Meletiani nolebant orare cum lapſis, I. 42.

Meletius lapſis veniam negat, I. 43. Ab Epiphanio, ſed falſa hiſtoria decepto, excuſatur, *ibid.* Sacrificat idolis, & perſecutionem accendit, *ibid.*

Mendacium in confeſſione an & quale peccatum, I. 413. Qui negat a ſe factum veniale peccatum quod fecit, graviter aliquando peccat, I. 414.

Miniſter pœnitentiæ ſolus *Sacerdos*, II. 28. An Diaconus juxta Cyprianum, II. 30. Dotes Miniſtri Pœnitentiæ, II. ∴∵. *Vide* Confeſſarius.

Miniſter Extrem. Unctionis ſolus Sacerdos, & quis, II 554. & 556. *Vide* Extrema Unctio.

Miſſam celebrans ſine veſte talari incidit in caſum reſervatum, II. 101. Idem aliquando eſt de iis qui ſine Epiſcopi licentia, vel certis in locis celebrant, II. 102.

Mœchi an aliquando abſolutione penitus privati fuerint, I. 465.

Moneta falſæ crimen reſervatur, II. 83. *Vide* Crimen falſi.

Moniales per quos abſolvi poſſint a reſervatis, II. 149. An poſſit Superiorіſſa eis dare facultatem confitendi cui volent, *ibid.* Iis dandi identidem extraordinarii Confeſſores, *ibid.* Iique tunc domum ingredi poſſunt, II 150. Moniales violant Clauſuram, cum proprio motu prodeunt extra ſepta domus, II. 112. Cum ſub morbi prætextu alio tranſmigrant, *ibid.* Quibus de morbis exire poſſint, *ibid.* An ab Abbatibus obtinere poſſint licentiam exeundi, II. 113. Quid juris de ea quæ ultra tempus ſibi conceſſum foris manet, vel alio ſe transfert, *ibid.*

Moniales, an *Jubilæi* tempore quemcumque Sacerdotem in Confeſſarium eligere poſſint, I. 505. An ſaltem eligere poſſint eum qui generatim pro Monialibus approbatus ſit, 506

Montaniſtæ cur nunc Pepuſiani, nunc Cataphriges dicuntur, I. 38. An peccata, quæ ab Eccleſia remitti non poſſent, agnoverunt, I. 342. An talia eſſe cenſuerunt quæcumque mortalia, I. 38. An hæc irremiſſibilitas fuerit eis dogma fidei, an merum diſciplinæ caput, I. 39. Quomodo damnati, I. 73.

Montanus in quibus erraverit, I. 38. & *ſeq.* Quomodo vitam finiit, I. 39.

Moribundus venialium dumtaxat reus an divina confeſſionis lege teneatur, I. 392. An etiamſi non poſſit confiteri niſi per *interpretem*, I. 407. An qui ſciret peccatum ſuum alteri a Confeſſario revelandum, I. 408 An qui in genere ſolum confitetur abſolvi debet, I. 448. Item & qui abſente Miniſtro quædam exhibuit ſigna pœnitentiæ, I. 449. Etiam coram unico teſte & dubia, I. 451. Quid ſi catholice quidem vixerit, ſed nulla exhibuerit doloris ſpecimina, I. 453. Notabile ea de re exemplum, I. 456. Quid de cenſura Facultatis Pariſienſis, I. 457. & *ſeq.* An poteſt abſolvi conditionate qui apud Catholicos inventus nulla edidit Pœnitentiæ ſigna, I. 458. Moribundus a quolibet Sacerdote abſolvi poteſt, II. 155. *Vide* Approbatio.

N

NAufragi boni deprædatio caſus eſt reſervatus, II. 86. *Vide* deprædatio.

Nectarius: an fabula ſit quæ de eo narrant Socrates & Sozomenus, I. 369. An ſecretam confeſſionem abrogavit, I. 371. An publicam, I. 369. 370. publicam tantum peccatorum occultorum, *ibid.* An ſolum *Pœnitentiarum*, I. 370. & *ſeq.*

Novatiani in quibus erraverint, I. 39. & *ſeq.* Varii hujus hæreſeos gradus exponuntur, *ibid.* Critice diſcutiuntur, *ibid.* & *ſeq.* Eo deveniunt ut nonniſi levioribus peccatis indulgentiam donent, I. 42. Miteſcunt deinde, ſaltem aliqui, *ibid.* Dum indulgentiam negant, nec a pœnitentiæ actibus eximunt, nec vetant veniam a Deo ſperari; I. 42. 71. Duplex Novatianorum error, alter quod omnia baptizatorum peccata putarent eſſe blaſphemiam in Spiritum ſanctum, alter quod blaſphemiam in Spiritum ſanctum crederent virtute Clavium irremiſſibilem, I. 88. 90. An confeſſionem omnino abrogaverint, I. 345.

Novatianus Antipapa Novati ſocius & Novatianorum parens, I. 39. Ab initio ſolis Libellaticis veniam denegat, 40. 41. Longius progreditur, I. 40. 42.

Novatus Novatiani in ſchiſmate & errore ſocius, I. 39. cum eo pluries confunditur, I. 40. & *ſeq.*

Novitii an a caſibus Epiſcopo reſervatis per Magiſtros ſuos abſolvi poſſunt, II. 148.

Nutrix an *abſolutione* privanda, quia cum lactente ſuo cubet, II. ...

O

OBjectum formale *pœnitentiæ* quid ſit, I. 7. & *ſeq.* An diverſum ab objecto formali aliarum virtutum, *ibid.* *Vide* Pœnitentia num. 1.

Oblivio excuſat ab *integritate confeſſionis*, I. 437. An periculum oblivionis obliget quamprimum confiteri, I. 391. & *ſeq.*

Oleum, quale, & an ſimplex ſit materia Extr. Unctionis, II. 567. an debeat eſſe benedictum ab Epiſcopo, 568. & *ſeq.* An in caſu neceſſitatis liceat uti oleo communi, vel ſaltem Catechumenorum, 572. Cautio adhibenda, *ibid.* Quid fieri oporteat cum deficere incipit oleum benedictum, 573. An neceſſe ſit ut oleum eodem anno benedictum fuerit, *ibid.* An ei aqua poſſit immiſceri, *ibid.*

Opinio: pœnitens an cogendus ad amplectendam *confeſſarii* opinionem, I. 431.

Oppreſſio tenellæ prolis obnoxia reſervationi, II. 102. *Vide* Mater. An neganda abſolutio ei quæ infantem in eodem ſecum lecto reponit, II. 103. Quando ex oppreſſione prolis incurritur reſervatio, *ibid.* Quid ſi inops mater exponat infantem qui propterea moritur, *ibid.*

Opus: Quotuplex diſtinguitur operum genus, I. 124. Opus mortuum an & qua mercede donetur, *ibid.* Peccato mortificatum an pœnitentia reviviſcat, *ibid.* & *ſeq.* An in ipſo juſtificationis inſtanti, I. 128. An ſecundum omnem meriti gradum, per Pœnitentiam remiſſam, I. 130. & *ſeq.*

Oratio vocalis, an neceſſaria ad lucrum *Jubilæi.*

bilæi, II 491. An ſufficiat breviſſima, 492.

Ordines illegitime ſuſcipiens quis, & quando reſervationi obnoxius, II. 103. Quid de iis qui *titulum* exhibent, vel obtentum Simoniace, vel ut ab omni onere liberum, qui talis non ſit, II. 104. *Vide* Titulus.

Origenes an putavit omne peccatum baptizatorum eſſe blaſphemiam in Spiritum ſanctum, I. 78. An juxta Athanaſium quæcumque regeneratorum peccata remitti poſſe negaverit; I. 84. *& ſeq.* An Homilia in Pſalmum 37. ipſi tribui non poſſit, I. 343. An ex ipſa erui poſſit neceſſitas confeſſionis ſacramentalis, *ibid.*

P

PAllavicinus refert paratum fuiſſe a Patribus Tridentinis Canonem adverſus eos qui negarent contritionem perfectam ſemper juſtificare ante Sacramentum, I. 206. refert pariter reformatum modum quo ſtatim adornatus fuerat Canon circa materiam attritionis, I. 257. An ejus Hiſtoria fidem mereatur, I. 262. *& ſeq.*

1. *Parochus* an ſit proprius Sacerdos de quo Lateranenſe, I. 394. An ita ut excludantur *Epiſcopi* & ſummus Pontifex, I. 395. Quid ipſi agendum tempore paſchali ut ſuis omnem anxietatem tollat, I. 404. An facile indulgere debeat licentiam extra fines Parochiæ confitendi, *ibid.* Ipſi habenda ratio & Parochiani, & Sacerdotis cui is confiteri decrevit, *ib.* An peccent Parochi qui ſimul plures audiunt pueros, II. 215. An inter Parochos conveniri poſſit, ut iis ſolum detur *confeſſionis ſchedula*, quibus impenſa fuit *abſolutio*, II. 235. An ad ſacram Synaxim admittere debeat Parochus publicum peccatorem, quem in confeſſione audivit, II. 235.

2. Parochus an confiteri poſſit apud Sacerdotem non approbatum, II. 51. An ſaltem apud quemcumque approbatum, II. 177. An ſervanda conſuetudo quæ generalem hanc Parochis licentiam tribuit, II. 52. Annon poſſit abſolute conſuetudo hæc ab Epiſcopis revocari, *ibid.* An alterius Diœceſis incolas audire valeant ſine Epiſcopi licentia, II. 54. Quid ſi Epiſcopus contradicat, *ibid.* An prohibere poſſint ne Parochiani ſui apud vicinum Paſtorem confiteantur, II. 55.

3. Parochus qui beneficio cedit, an nova indiget approbatione, II. 60. Qui Parochum habet imperitum, non poteſt pro nutu ad alium recurrere, II. 61. Quid conſulendum Parocho, qui cum propria ove deliquit, II. 98.

Parochi an Indulgentias dare poſſint, II. 408. An in Confeſſarios Jubilares a Monialibus, vel aliis eligi, II. 506. An ab iis inungi debeant cœci nati, 578. Quid ab iis ſervandum, quando duplex ejuſdem ſenſus organum liniunt, II. 579. Quam invigilare debeant ne ſuorum quis minime unctus decedat, II. 599. *& ſeq* Parochus an ut Extr. Unctionem conferat, debeat eſſe in ſtatu gratiæ, & liber a cenſuris, II. 561. an eam adminiſtrare teneatur ſub gravi, II. 562. an tempore peſtis vel contagii, II. 562. *& ſeq.* an moribundis ſenſu deſtitutis, *ibid.* quæ ſervanda, docenda, vel dedocenda circa hoc Sacramentum, II. 566. 601. & 616. quo in habitu adminiſtrandum, *ibid.*

Pariſienſis facultas quare propoſitiones a Seguenoto traditas damnaverit, I. 282. An exinde concludi poſſit ipſam tueri ſufficientiam attritionis ſervilis in Sacramento, *ibid.* Quid de cenſura ejus circa abſolutionem datam moribundo, I. 457. *& ſeq.*

Paſchale tempus, an per illud *Angelus* flexo genu dici debeat ad lucrum Indulgentiæ, II. 466. an eo tempore jejunium pro Jubilæo præſcriptum commutare poſſit Epiſcopus II. 497. *Vide Angelus.*

Paulus II. Jubileum poſt annos 25. celebrare ſanxit, II. 475.

Peccator an vivere debeat ut ſolvatur per Sacerdotes, I. 103. *& ſeq.* An tenetur peccatum cujus veniam poſcit, ſuper omnia alia peccata deteſtari, I. 176. Temere expendit an mallet talem in ſpecie pœnam ſuſtinere, quam redire ad vomitum, *ibid.*

Peccator confiteri non valens, an Extr. Unctione donandus, II. 594.

1. *Peccatum* qua ratione attingitur a *pœnitentia*; I. 8. *& ſeq.* Quodcumque ſit, eſt materia virtutis *Pœnitentiæ*, I. 15. Quomodo alienum, 16. Quomodo originale, *ibid.* An commiſſum poſt Baptiſma deleri poteſt aliquo remedio exteriori, I. 46. Quod ſit verum Sacramentum, I. 50.

2. Peccata mortalia & venialia non eadem ratione comprehenduntur his verbis: *quorum remiſeritis*, I. 69. An ſit aliquod tam grave, quod per Eccleſiæ claves dimitti nequeat, I. 71. *& ſeq.* An aliquod fuerit in antiqua Lege, quod pœnitentia diluere non poſſet, I. 75. *& ſeq.* Quid ſit peccatum ad mortem de quo Ep. Joan. c. 5. I. 77. *& ſeq.* Quod genus peccati intelligi debeat per *Blaſphemiam* in Spiritum ſanctum, de qua Matth. 12. I. 78. *Vide* Blaſphemia. An unum peccatum mortale poſſit remitti ſine alio, I. 94. An dimittantur ſine infuſione gratiæ, I. 95. 109. Num eadem ratio peccati mortalis & venialis quoad remiſſionem, I. 96. An peccata vere dimittantur per *abſolutionem*, *ibid. & ſeq.* An eodem modo per Claves & per Baptiſmum, I. 99. An ſemel remiſſa reviviſcunt, I. 117. *& ſeq.* reviviſcere poſſunt ſecundum genus & ſpeciem, *ibid.* non quoad actum, *ibid.* nec etiam quoad eandem numero malitiam,

litiam,

litiam, *ibid.* Nullum ſimpliciter & abſolute reviviſcit, *ibid.* & *ſeq.* reviviſcunt tamen virtualiter & ſecundum quid, I. 123. *Vide* Reviviſcentia.

3. An peccatum originale ſit *materia* Sacramenti Pœnitentiæ remota, I. 134. An omne quod Baptiſmum ſequitur, *ibid.* & *ſeq.* Quod nam inter mortale & veniale, mortale remiſſum & non remiſſum, diſcrimen, *ibid.* *Vide* Materia. Quomodo poſſit haberi *propoſitum* vitandi omnia venialia, I. 136. An hæc delentur ſine ulla pœnitentia, I. 137. & *ſeq.* An quovis opere meritorio, I. 141. & *ſeq.* An per actum contrarium ſolis naturæ viribus elicitum, I. 142. & *ſeq.* An ei qui mortalium reus eſt, I. 143. 144. Incertum an eorum remiſſio adjunctam habeat novam gratiæ infuſionem, *ibid.*

4. Peccatum veniale per accidens puniri poteſt pœna æterna, I. 144. Primum hominis non regenerati peccatum an poſſit eſſe veniale, *ibid.* Peccatum veniale remittitur per ſacramenta & Sacramentalia, I. 145. 146 & *ſeq.* Remittitur etiam quoad culpam in altera vita, I. 149. & quomodo, I. 151. & *ſeq.* An venialia confiteri ſit ſuperfluum, I 148. An poſſint in confeſſione aperiri ſine ordine ad abſolutionem, I. 178. An Sacerdoti non approbato, II. 57. An qui veniale confitetur, venialium qui non aperit, obtineat remiſſionem, I 147. 148. An peccet mortaliter, qui non dolet de omnibus, quæ confitetur, I. 182. & *ſeq.* 323. Quid ſi de nullo, I. 324. An differri poteſt abſolutio venialiter peccanti ex habitu, II. 189. An & quando confiteri tenetur qui lethalia admiſit I. 390. & *ſeq.* *Vide* Confeſſio, n. 5.

5. Peccata dubia aperiri debent in confeſſione, I 432. Quomodo abſolvenda, I. 434. An omne dubium ad id ſufficiat, I 435. An qui ut dubium confeſſus eſt quod poſtea deprehendit certum, id debeat confiteri, *ibid.* Quid ſi quis *confeſſus* ſit peccatum, cujus tam ipſe quam Confeſſor gravitatem tunc ignorabat, I. 436.

Peccata, quæ *canonica*, & Pœnitentiæ publicæ obnoxia, I. 575.

Percuſſio parentum quæ & quorum ſit reſervata, II. 105. Quid ſi levis ſit & cum moderamine juſtæ tutelæ, II. 106. Percuſſio Clericorum, *ibid.* remiſſive.

Peregrini, an in alia Diœceſi peccata deponere poſſint, II. 53. Quando malæ fidei cenſeantur, *ibid.*

Peſtis: an ejus tempore integra eſſe vel audiri debeat confeſſio, I. 441.

Pœna æterna numquam ſubeunda ſublata culpa, I. 108. temporalis quædam nulla pœnitentia expungitur, I. 109. Alia interdum tollitur, ſæpius remanet, *ibid.* & *ſeq.* I. 499. *Vide* Reatus.

Pœnitens: triplex pœnitentium genus, quorum habitualis ſtatus diverſitas diverſa exhibet aut exigit contritionis ſigna, I. 328. & *ſeq.* Quando his debet differri abſolutio, *Vide* Confeſſarius, num. 1. & 2. An pœnitens *ſatisfactionem* acceptare debet, I. 547. An exequi tempore præfixo, I. 550. An proprio motu commutare in melius, *ibid.* An mitiori donatus graviorem ſibi imponere, I. 556 An ſi hæc in officii lectione conſiſtat, officium hoc cum alio recitare, *ibid.* An ei, ſi flagitioſus ſit, injungi poſſit ingreſſus in religionem, I. 557. *Vide* ſatisfactio. An peccet ſi molliorem Confeſſarium quærat de induſtria, *ibid.* Quando avertendus a generali *confeſſione*, II. 200. Quando ad eam cogendus, II. 201. Quid ſi paulo poſt abſolutionem relapſus ſit, II. 202. An aliquando non aperienda pœnitenti ſua ad generalem *confeſſionem* obligatio, II. 203. An ſi hanc inſtituat apud Confeſſorem ſolitum omnia peccata ſua aperire teneatur, II. 204. An expediat ut mutet Confeſſarium, *ib.* An ſatius ſit ut confeſſionem generalem faciat apud ordinarium Confeſſorem, *ibid.* An relaxet præceptum divinum quando peccata ſua revelare permittit, II. 228. An ut id permittat peccata repetere teneatur quaſi Confeſſarius ea non audiſſet, II. 229. An ipſe *ſigillo* tenetur, *ibid* An excuſandus qui Confeſſarii praxim & monita levius aperit, *ibid.* An tenetur Confeſſarium confeſſione abutentem denuntiare, II. 230.

1. *Pœnitentia* vel virtus vel Sacramentum, I. 1. Unde nomen ejus deſumatur ab Iſidoro? Unde a *Luthero*? Unde a Catholicis? I. 2. Non importat ſolam conſilii mutationem, *ibid.* & *ſeq.* Ejus habitus, eſt virtus proprie dicta, I. 4. Expetitur propter finem proprium, I. 5. ſequitur, *ibid.* de actu ſuo lætatur, non tamen ea delectatione, quæ pœnam omnem abigat, I. 6. Eſt virtus ſpecialis, I. 7. Male ab Alenſi exhibetur ut collectio virtutum, *ibid.* Male a Cajetano cum religione & a Durando cum juſtitia commutativa confunditur, I. 12. 13. & *ſeq.* Poteſt tamen inter potentiales iſtius partes annumerari, I. 8. & 12 Habet *objectum* formale proprium, I. 7. Omnia peccata impugnat efficienter, non formaliter, I. 9 Diſtinguitur a charitate, I. 11. & *ſeq.* Aliquid de juſtitia vindicativa executrice participat, I. 14. In præſenti ſtatu eſt ſupernaturalis quoad actum ſimul & habitu, I. 14. 15. Quomodo infuſa, an per ſe an per accidens, I. 15.

2. Virtutis pœnitentiæ cauſa efficiens, I. 26. Cauſa finalis remota & proxima, *ibid.* Actus imperati, *ibid.* Et illiciti, I. 7. Ejus *materia* an quodcumque peccatum actuale, I. 16. An habituale & jam dimiſſum, *ibid.* An alienum, *ibid.* An, & quomodo, originale,

nale, *ibid.* An imperfectiones, I. 17. An omiſſio conſiliorum, *ibid.* Pœnitentia an comprehendat malum pœnæ ſicut & culpæ, *ibid.* Subjectum pœnitentiæ duplex, I. 18. Circa ſubjectum proximum, duplex error, *ibid.* Subjectum remotum quid, *ibid.* Pœnitentia an reperiatur quoad actum vel quoad habitum in damnatis, I. 19. Quoad habitum an ſit in viatoribus mortali infectis, *ibid.* An fuerit in bonis Angelis viatoribus, I. 20. An in Protoparentibus ante peccatum, *ibid.* An in B. Virgine ante mortem, *ibid.* An manet in Sanctis, I. 21. Quo ſenſu fuit in Chriſto, *ibid.* Pœnitentiæ quæ dignitas, I. 22. An multiplex principium, *ibid.* An actus abſolute neceſſarius, I. 23. Pœnitentia *Samſonis*, I. 24 *& ſeq. Vide* Samſon, *Heli*, I. 26. *& ſeq. Vide* Heli, *Salomonis*, I. 29. *& ſeq. Vide* Salomon.

3. *Pœnitentia* vera non eſt de uno mortali quæ non ſit de omnibus, I. 95. Quoties tollit *reatum* culpæ, tollit etiam reatum pœnæ æternæ, I. 108. raro aufert reatum totius *Pœnæ* temporalis, I. 109. *& ſeq. Vide* Pœna. Opera mortua & a fortiori mortifera, vita donare nequit, I. 124. Merita per peccatum mortificata redintegrat, *ibid. & ſeq.* Quo gradu I. 128. *& ſeq.* An, & quæ pœnitentia requiritur ad diluenda venialia, I. 138. Quandonam Pœnitentia virtualis involvitur in actibus meritoriis, I. 141. *& ſeq*

4. Varia Sacramenti Pœnitentiæ nomina, I. 36. *& ſeq.* Varii hoſtes, I. 36. *& ſeq.* An pœnitentia ſit verum novæ Legis Sacramentum. I. 50. An eadem ſit in nova quam in veteri lege, I. 54. *& ſeq.* An e veteri Teſtamento Tridentinum probaverit Sacramentum pœnitentiæ, I. 57. Iſtud an diſtinguitur a *Baptiſmo*, I. 59. An conſiſtit in *Baptiſmi* memoria, *ibid.* contrarium probatur conſenſu totius antiquitatis, ſive Catholicæ, ſive Hæreticæ, I. 60. *& ſeq.* An in Evangelii prædicatione conſiſtat, I. 61. An in ſolo miniſterio exteriori, *ibid. & ſeq.* Quando a Chriſto inſtitutum, I. 66. An & qua neceſſitate lapſis neceſſarium, I. 57. *& ſeq.* 67. *& ſeq.*

5. Sacramenti pœnitentiæ materia remota non eſt *peccatum* originale, I. 134. Eſt autem quodcumque licet diverſo modo *peccatum* quod *Baptiſmum* ſequitur, *ibid. & ſeq.* Vide Peccatum n. 3. Ejus partes intrinſecæ non ſunt terrores, aut fides Lutheri, I. 153. Nec Calviniana mortificatio & vivificatio, *ibid. &* I. 154. Ejus *materia* proxima an *manuum impoſitio*, I. 155. an tres actus pœnitentis, *ibid.* Quomodo ſatisfactio, *ibid. Vide* Satisfactio. An Sacramentum Pœnitentiæ poſſit eſſe ſimul validum & informe, I. 171. *& ſeq. Vide* Confeſſio. An & quo ſenſu fieri poſſit ut ejus defectu homo in æternum pereat, I. 312. Quæ in eo requiritur *Contritio*? Quæ ſufficit? *Vide* Attritio. Contritio n. 2. Quæ ſit ejus forma, II. 4. *Vide* abſolutio, n. 1. Quis *miniſter*, II. 28. *Vide* Miniſter.

6. *Pœnitentia* alia privata, alia publica, I. 560. Pœnitentia mitior uſque ad tempus Montani, I. 561. Paululum induruit poſt tempus Montani, I. 562. Fuit longe gravior poſt Novatianum Schiſma, I. 563. Quando & ubi primum refriguit, I. 564. Quis ejuſdem ritus ex parte pœnitentium, I. 566. Quatuor ejus gradus ſeu ſtationes, I. 567. Fletus, I. 568. Auditio, I. 569. Subſtractio, I. 571. Conſiſtentia, I. 572. A quo imponebatur Pœnitentia publica, *ibid.* Quo tempore, I. 573. Pœnitentes publici non uni penæ ſubjacebant, *ibid.* Pœnitentiæ publicæ ritus ex parte Miniſtrorum, I. 574. Quæ peccata eidem fuerint obnoxia, I. 575. An omnia letalia ſaltem notoria, I. 576. *& ſeq.* An Canonica etiam ſecreta I. 591. An publica majorum Clericorum, I. 603. An ſaltem Clericorum minorum, I. 608. Quid de hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus, I. 609. Non iterabatur pœnitentia ſolemnis, I. 610. Nec tamen negabatur pœnitentia omnis iis qui relapſi eſſent, I. 617. An ante emenſam pœnitentiam omnem reconciliarentur Pœnitentes publici, I. 618.

Pœnitentiarius quo tempore & qua de cauſa inſtitutus, I. 367. 370. An ſolus confeſſiones exciperet, *ib.* An eorum tantum qui in certo genere deliquerant, *ibid.* Qua occaſione ſublatus, *ibid.* An tolli potuerit quin tolleretur confeſſio ſecreta, I. 371. An & qua ratione ejus abolitio gravem intulit plagam diſciplinæ Eccleſiaſticæ, *ibid.* An ipſo ſublato ſublatum fuerit quidquid ipſe præſtabat, I. 372. Quo ſenſu ejus abrogatio liberiorem fecit acceſſum ad Sacramenta, I. 373.

Pœnitentiarii, quid poſſint in negotio Indulgentiarum, II. 407.

Peſtis, an ea infectis Extrema-Unctio conferri debeat, II. 563. 593.

Pollutio: an Malitia ejus invincibiliter ignoretur, II. 439.

Popinæ frequentatio Clericis prohibetur ſub cenſura II. 120. per popinam haud intelliguntur Caffæa, *ibid.*

Portiuncula Indulgentia a quo primum conceſſa, II. 960. Ubi percipi poſſit, *ibid.* an pluries una die comparari valeat, *ibid.* Non ſuſpenditur tempore Jubilæi, II. 461. Indevotis ludibrio, piis pretioſa, *ibid.*

Poſtulantes. per quos & a quibus reſervatis abſolvi poſſint, II. 142. *&* 148.

Poteſtas in Sacerdote Ordinis alia, alia *Juriſdictionis*, II. 39.

Prælati minores habent jus eligendi ſibi Confeſſarium, II. 49. An eo nomine veniant *Parochi*. *Vide* Parochi.

litiam, *ibid.* Nullum ſimpliciter & abſolute reviviſcit, *ibid.* & *ſeq.* reviviſcunt tamen virtualiter & ſecundum quid, I. 123. *Vide* Reviviſcentia.

3. An peccatum originale ſit *materia* Sacramenti Pœnitentiæ remota, I. 134. An omne quod Baptiſmum ſequitur, *ibid.* & *ſeq.* Quod nam inter mortale & veniale, mortale remiſſum & non remiſſum, diſcrimen, *ibid.* *Vide* Materia. Quomodo poſſit haberi *propoſitum* vitandi omnia venialia, I. 136. An hæc delentur ſine ulla pœnitentia, I. 137. & *ſeq.* An quovis opere meritorio, I. 141. & *ſeq.* An per actum contrarium ſolis naturæ viribus elicitum, I. 142. & *ſeq.* An ei qui mortalium reus eſt, I. 143. 144. Incertum an eorum remiſſio adjunctam habeat novam gratiæ infuſionem, *ibid.*

4 Peccatum veniale per accidens puniri poteſt pœna æterna, I. 144 Primum hominis non regenerati peccatum an poſſit eſſe veniale, *ibid.* Peccatum veniale remittitur per ſacramenta & Sacramentalia, I. 145. 146 & *ſeq.* Remittitur etiam quoad culpam in altera vita, I. 149. & quomodo, I. 151. & *ſeq.* An venialia confiteri ſit ſuperfluum, I 148. An poſſint in confeſſione aperiri ſine ordine ad abſolutionem, I. 178. An Sacerdoti non approbato, II. 57. An qui veniale confitetur, venialium qui non aperit, obtineat remiſſionem, I 147. 148. An peccet mortaliter, qui non dolet de omnibus, quæ confitetur, I. 182. & *ſeq.* 323. Quid ſi de nullo, I. 324. An differri poteſt abſolutio venialiter peccanti ex habitu, II. 189. An & quando confiteri tenetur qui lethalia admiſit I. 390. & *ſeq.* *Vide* Confeſſio, n. 5.

5. Peccata dubia aperiri debent in confeſſione, I 432. Quomodo abſolvenda, I. 434. An omne dubium ad id ſufficiat, I 435. An qui ut dubium confeſſus eſt quod poſtea deprehendit certum, id debeat confiteri, *ibid.* Quid ſi quis *confeſſus* ſit peccatum, cujus tam ipſe quam Confeſſor gravitatem tunc ignorabat, I. 436.

Peccata, quæ *canonica*, & Pœnitentiæ publicæ obnoxia, I. 575.

Percuſſio parentum quæ & quorum ſit reſervata, II. 105. Quid ſi levis ſit & cum moderamine juſtæ tutelæ, II. 106. Percuſſio Clericorum, *ibid.* remiſſive.

Peregrini, an in alia Diœceſi peccata deponere poſſint, II. 53. Quando malæ fidei cenſeantur, *ibid.*

Peſtis: an ejus tempore integra eſſe vel audiri debeat confeſſio, I. 441.

Pœna æterna numquam ſubeunda ſublata culpa, I. 108. temporalis quædam nulla pœnitentia expungitur, I. 109. Alia interdum tollitur, ſæpius remanet, *ibid.* & *ſeq.* I. 499. *Vide* Reatus.

Pœnitens: triplex pœnitentium genus, quorum habitualis ſtatus diverſitas diverſa exhibet aut exigit contritionis ſigna, I. 328. & *ſeq.* Quando his debet differri abſolutio, *Vide* Confeſſarius, num. 1. & 2. An pœnitens *ſatisfactionem* acceptare debet, I. 547. An exequi tempore præfixo, I. 550. An proprio motu commutare in melius, *ibid.* An mitiori donatus graviorem ſibi imponere, I. 556 An ſi hæc in officii lectione conſiſtat, officium hoc cum alio recitare, *ibid.* An ei, ſi flagitioſus ſit, injungi poſſit ingreſſus in religionem, I. 557. *Vide* ſatisfactio. An peccet ſi molliorem Confeſſarium quærat de induſtria, *ibid.* Quando avertendus a generali *confeſſione*, II. 200. Quando ad eam cogendus, II. 201. Quid ſi paulo poſt abſolutionem relapſus ſit, II. 201. An aliquando non aperienda pœnitenti ſua ad generalem *confeſſionem* obligatio, II. 203. An ſi hanc inſtituat apud Confeſſorem ſolitum omnia peccata ſua aperire teneatur, II. 204. An expediat ut mutet Confeſſarium, *ib.* An ſatius ſit ut confeſſionem generalem faciat apud ordinarium Confeſſorem, *ibid.* An relaxet præceptum divinum quando peccata ſua revelare permittit, II. 228. An ut id permittat peccata repetere teneatur quaſi Confeſſarius ea non audiſſet, II. 229. An ipſe *ſigillo* tenetur, *ibid* An excuſandus qui Confeſſarii praxim & monita levius aperit, *ibid.* An tenetur Confeſſarium confeſſione abutentem denuntiare, II. 230.

1. *Pœnitentia* vel virtus vel Sacramentum, I. 1. Unde nomen ejus deſumatur ab Iſidoro? Unde a *Luthero*? Unde a Catholicis? I. 2. Non importat ſolam conſilii mutationem, *ibid.* & *ſeq.* Ejus habitus, eſt virtus proprie dicta, I. 4. Expetitur propter finem proprium, I. 5. ſequitur, *ibid.* de actu ſuo lætatur, non tamen ea delectatione, quæ pœnam omnem abigat, I. 6. Eſt virtus ſpecialis, I. 7. Male ab Alenſi exhibetur ut collectio virtutum, *ibid.* Male a Cajetano cum religione & a Durando cum juſtitia commutativa confunditur, I. 12. 13. & *ſeq.* Poteſt tamen inter potentiales iſtius partes annumerari, I. 8. & 12 Habet *objectum* formale proprium, I. 7. Omnia peccata impugnat efficienter, non formaliter, I. 9 Diſtinguitur a charitate, I. 11. & *ſeq.* Aliquid de juſtitia vindicativa executrice participat, I. 14. In præſenti ſtatu eſt ſupernaturalis quoad actum ſimul & habitu, I. 14. 15. Quomodo infuſa, an per ſe an per accidens, I. 15.

2. Virtutis pœnitentiæ cauſa efficiens, I. 26. Cauſa finalis remota & proxima, *ibid.* Actus imperati, *ibid.* Et illiciti, I. 7. Ejus *materia* an quodcumque peccatum actuale, I. 16. An habituale & jam dimiſſum, *ibid.* An alienum, *ibid.* An, & quomodo, originale,

nale, *ibid.* An imperfectiones, I. 17. An omiſſio conſiliorum, *ibid.* Pœnitentia an comprehendat malum pœnæ ſicut & culpæ, *ibid.* Subjectum pœnitentiæ duplex, I. 18. Circa ſubjectum proximum, duplex error, *ibid.* Subjectum remotum quid, *ibid.* Pœnitentia an reperiatur quoad actum vel quoad habitum in damnatis, I. 19. Quoad habitum an ſit in viatoribus mortali infectis, *ibid.* An fuerit in bonis Angelis viatoribus, I. 20. An in Protoparentibus ante peccatum, *ibid.* An in B. Virgine ante mortem, *ibid.* An manet in Sanctis, I. 21. Quo ſenſu fuit in Chriſto, *ibid.* Pœnitentiæ quæ dignitas, I. 22. An multiplex principium, *ibid.* An actus abſolute neceſſarius, I. 23. Pœnitentia *Samſonis*, I. 24 *& ſeq. Vide* Samſon, *Heli*, I. 26. *& ſeq. Vide* Heli, *Salomonis*, I. 29. *& ſeq. Vide* Salomon.

3. *Pœnitentia* vera non eſt de uno mortali quæ non ſit de omnibus, I. 95. Quoties tollit *reatum* culpæ, tollit etiam reatum pœnæ æternæ, I. 108. raro aufert reatum totius *Pœnæ* temporalis, I. 109. *& ſeq. Vide* Pœna. Opera mortua & a fortiori mortifera, vita donare nequit, I. 124. Merita per peccatum mortificata redintegrat, *ibid. & ſeq.* Quo gradu I. 128. *& ſeq.* An, & quæ pœnitentia requiritur ad diluenda venialia, I. 138. Quandonam Pœnitentia virtualis involvitur in actibus meritoriis, I. 141. *& ſeq*

4. Varia Sacramenti Pœnitentiæ nomina, I. 36. *& ſeq.* Varii hoſtes, I. 36. *& ſeq.* An pœnitentia ſit verum novæ Legis Sacramentum. I. 50. An eadem ſit in nova quam in veteri lege, I. 54. *& ſeq.* An e veteri Teſtamento Tridentinum probaverit Sacramentum pœnitentiæ, I. 57. Iſtud an diſtinguitur a *Baptiſmo*, I. 59. An conſiſtit in *Baptiſmi* memoria, *ibid.* contrarium probatur conſenſu totius antiquitatis, ſive Catholicæ, ſive Hæreticæ, I. 60. *& ſeq.* An in Evangelii prædicatione conſiſtat, I. 61. An in ſolo miniſterio exteriori, *ibid. & ſeq.* Quando a Chriſto inſtitutum, I. 66. An & qua neceſſitate lapſis neceſſarium, I. 57. *& ſeq.* 67. *& ſeq.*

5. Sacramenti pœnitentiæ materia remota non eſt *peccatum* originale, I. 134. Eſt autem quodcumque licet diverſo modo *peccatum* quod *Baptiſmum* ſequitur, *ibid. & ſeq.* Vide Peccatum n. 3. Ejus partes intrinſecæ non ſunt terrores, aut fides Lutheri, I. 153. Nec Calviniana mortificatio & vivificatio, *ibid. &* I. 154. Ejus *materia* proxima an *manuum impoſitio*, I. 155. an tres actus pœnitentis, *ibid.* Quomodo ſatisfactio, *ibid. Vide* Satisfactio. An Sacramentum Pœnitentiæ poſſit eſſe ſimul validum & informe, I. 171. *& ſeq. Vide* Confeſſio. An & quo ſenſu fieri poſſit ut ejus defectu homo in æternum pereat, I. 312. Quæ in eo requiritur *Contritio*? Quæ ſufficit? *Vide* Attritio. Contritio n. 2. Quæ ſit ejus forma, II. 4. *Vide* abſolutio, n. 1. Quis *miniſter*, II. 28. *Vide* Miniſter.

6. *Pœnitentia* alia privata, alia publica, I. 560. Pœnitentia mitior uſque ad tempus Montani, I. 561. Paululum induruit poſt tempus Montani, I. 562. Fuit longe gravior poſt Novatianum Schiſma, I. 563. Quando & ubi primum refriguit, I. 564. Quis ejuſdem ritus ex parte pœnitentium, I. 566. Quatuor ejus gradus ſeu ſtationes, I. 567. Fletus, I. 568. Auditio, I. 569. Subſtractio, I. 571. Conſiſtentia, I. 572. A quo imponebatur Pœnitentia publica, *ibid.* Quo tempore, I. 573. Pœnitentes publici non uni pœnæ ſubjacebant, *ibid.* Pœnitentiæ publicæ ritus ex parte Miniſtrorum, I. 574. Quæ peccata eidem fuerint obnoxia, I. 575. An omnia letalia ſaltem notoria, I. 576. *& ſeq.* An Canonica etiam ſecreta I. 591. An publica majorum Clericorum, I. 603. An ſaltem Clericorum minorum, I. 608. Quid de hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus, I. 609. Non iterabatur pœnitentia ſolemnis, I. 610. Nec tamen negabatur pœnitentia omnis iis qui relapſi eſſent, I. 617. An ante emenſam pœnitentiam omnem reconciliarentur Pœnitentes publici, I. 618.

Pœnitentiarius quo tempore & qua de cauſa inſtitutus, I. 367. 370. An ſolus confeſſiones exciperet, *ib.* An eorum tantum qui in certo genere deliquerant, *ibid.* Qua occaſione ſublatus, *ibid.* An tolli potuerit quin tolleretur confeſſio ſecreta, I. 371. An & qua ratione ejus abolitio gravem intulit plagam diſciplinæ Eccleſiaſticæ, *ibid.* An ipſo ſublato ſublatum fuerit quidquid ipſe præſtabat, I. 372. Quo ſenſu ejus abrogatio liberiorem fecit acceſſum ad Sacramenta, I. 373.

Pœnitentiarii, quid poſſint in negotio Indulgentiarum, II. 407.

Peſtis, an ea infectis Extrema-Unctio conferri debeat, II. 563. 593.

Pollutio: an Malitia ejus invincibiliter ignoretur, II. 439.

Popinæ frequentatio Clericis prohibetur ſub cenſura II. 120. per popinam haud intelliguntur Caffæa, *ibid.*

Portiunculæ Indulgentia a quo primum conceſſa, II. 960. Ubi percipi poſſit, *ibid.* an pluries una die comparari valeat, *ibid.* Non ſuſpenditur tempore Jubilæi, II. 461. Indevotis ludibrio, piis pretioſa, *ibid.*

Poſtulantes per quos & a quibus reſervatis abſolvi poſſint, II. 142. *&* 148.

Poteſtas in Sacerdote Ordinis alia, alia *Juriſdictionis*, II. 39.

Prelati minores habent jus eligendi ſibi Confeſſarium, II. 49. An eo nomine veniant *Parochi*. *Vide* Parochi.

litiam, *ibid.* Nullum ſimpliciter & abſolute reviviſcit, *ibid. & ſeq.* reviviſcunt tamen virtualiter & ſecundum quid, I. 123. *Vide* Reviviſcentia.

3. An peccatum originale ſit *materia* Sacramenti Pœnitentiæ remota, I. 134. An omne quod Baptiſmum ſequitur, *ibid. & ſeq.* Quodnam inter mortale & veniale, mortale remiſſum & non remiſſum, diſcrimen, *ibid.* *Vide* Materia. Quomodo poſſit haberi *propoſitum* vitandi omnia venialia, I. 136. An hæc delentur ſine ulla pœnitentia, I. 137. *& ſeq.* An quovis opere meritorio, I. 141. *& ſeq.* An per actum contrarium ſolis naturæ viribus elicitum, I. 142. *& ſeq.* An ei qui mortalium reus eſt, I. 143. 144. Incertum an eorum remiſſio adjunctam habeat novam gratiæ infuſionem, *ibid.*

4 Peccatum veniale per accidens puniri poteſt pœna æterna, I. 144 Primum hominis non regenerati peccatum an poſſit eſſe veniale, *ibid.* Peccatum veniale remittitur per ſacramenta & Sacramentalia, I. 145. 146 *& ſeq.* Remittitur etiam quoad culpam in altera vita, I. 149. & quomodo, I. 151. *& ſeq.* An venialia confiteri ſit ſuperfluum, I 148. An poſſint in confeſſione aperiri ſine ordine ad abſolutionem, I. 178. An Sacerdoti non approbato, II. 57. An qui veniale confitetur, venialium qui non aperit, obtineat remiſſionem, I 147. 148. An peccet mortaliter, qui non dolet de omnibus, quæ confitetur, I. 182. *& ſeq.* 323. Quid ſi de nullo, I. 324. An differri poteſt abſolutio venialiter peccanti ex habitu, II. 189. An & quando confiteri tenetur qui lethalia admiſit I. 390. *& ſeq. Vide* Confeſſio, n. 5.

5. Peccata dubia aperiri debent in confeſſione, I 432. Quomodo abſolvenda, I. 434. An omne dubium ad id ſufficiat, I 435. An qui ut dubium confeſſus eſt quod poſtea deprehendit certum, id debeat confiteri, *ibid.* Quid ſi quis *confeſſus* ſit peccatum, cujus tam ipſe quam Confeſſor gravitatem tunc ignorabat, I. 436.

Peccata, quæ *canonica*, & Pœnitentiæ publicæ obnoxia, I. 575.

Percuſſio parentum quæ & quorum ſit reſervata, II. 105. Quid ſi levis ſit & cum moderamine juſtæ tutelæ, II. 106. Percuſſio Clericorum, *ibid.* remiſſive.

Peregrini, an in alia Diœceſi peccata deponere poſſint, II. 53. Quando malæ fidei cenſeantur, *ibid.*

Peſtis: an ejus tempore integra eſſe vel audiri debeat confeſſio, I. 441.

Pœna æterna numquam ſubeunda ſublata culpa, I. 108. temporalis quædam nulla pœnitentia expungitur, I. 109. Alia interdum tollitur, ſæpius remanet, *ibid. & ſeq.* I. 499. *Vide* Reatus.

Pœnitens: triplex pœnitentium genus, quorum habitualis ſtatus diverſitas diverſa exhibet aut exigit contritionis ſigna, I. 328. *& ſeq.* Quando his debet differri abſolutio, *Vide* Confeſſarius, num. 1. & 2. An pœnitens *ſatisfactionem* acceptare debet, I. 547. An exequi tempore præfixo, I. 550. An proprio motu commutare in melius, *ibid.* An mitiori donatus graviorem ſibi imponere, I. 556 An ſi hæc in officii lectione conſiſtat, officium hoc cum alio recitare, *ibid.* An ei, ſi flagitioſus ſit, injungi poſſit ingreſſus in religionem, I. 557. *Vide* ſatisfactio. An peccet ſi molliorem Confeſſarium quærat de induſtria, *ibid.* Quando avertendus a generali *confeſſione*, II. 200. Quando ad eam cogendus, II. 201. Quid ſi paulo poſt abſolutionem relapſus ſit, II. 201. An aliquando non aperienda pœnitenti ſua ad generalem *confeſſionem* obligatio, II. 203. An ſi hanc inſtituat apud Confeſſorem ſolitum omnia peccata ſua aperire teneatur, II. 204. An expediat ut mutet Confeſſarium, *ib.* An ſatius ſit ut confeſſionem generalem faciat apud ordinarium Confeſſorem, *ibid.* An relaxet præceptum divinum quando peccata ſua revelare permittit, II. 228. An ut id permittat peccata repetere teneatur quaſi Confeſſarius ea non audiſſet, II. 229. An ipſe *ſigillo* tenetur, *ibid* An excuſandus qui Confeſſarii praxim & monita levius aperit, *ibid.* An tenetur Confeſſarium confeſſione abutentem denuntiare, II. 230.

1. *Pœnitentia* vel virtus vel Sacramentum, I. 1. Unde nomen ejus deſumatur ab Iſidoro? Unde a *Luthero*? Unde a Catholicis? I. 2. Non importat ſolam conſilii mutationem, *ibid. & ſeq.* Ejus habitus, eſt virtus proprie dicta, I. 4. Expetitur propter finem proprium, I. 5. ſequitur, *ibid.* de actu ſuo lætatur, non tamen ea delectatione, quæ pœnam omnem abigat, I. 6. Eſt virtus ſpecialis, I. 7. Male ab Alenſi exhibetur ut collectio virtutum, *ibid.* Male a Cajetano cum religione & a Durando cum juſtitia commutativa confunditur, I. 12. 13. *& ſeq.* Poteſt tamen inter potentiales iſtius partes annumerari, I. 8. & 12 Habet *objectum* formale proprium, I. 7. Omnia peccata impugnat efficienter, non formaliter, I. 9 Diſtinguitur a charitate, I. 11. *& ſeq.* Aliquid de juſtitia vindicativa executrice participat, I. 14. In præſenti ſtatu eſt ſupernaturalis quoad actum ſimul & habitu, I. 14. 15. Quomodo infuſa, an per ſe an per accidens, I. 15.

2. Virtutis pœnitentiæ cauſa efficiens, I. 26. Cauſa finalis remota & proxima, *ibid.* Actus imperati, *ibid.* Et illiciti, I. 7. Ejus *materia* an quodcumque peccatum actuale, I. 16. An habituale & jam dimiſſum, *ibid.* An alienum, *ibid.* An, & quomodo, originale,

nale, *ibid.* An imperfectiones, I. 17. An omiſſio conſiliorum, *ibid.* Pœnitentia an comprehendat malum pœnæ ſicut & culpæ, *ibid.* Subjectum pœnitentiæ duplex, I. 18. Circa ſubjectum proximum, duplex error, *ibid.* Subjectum remotum quid, *ibid.* Pœnitentia an reperiatur quoad actum vel quoad habitum in damnatis, I. 19. Quoad habitum an ſit in viatoribus mortali infectis, *ibid.* An fuerit in bonis Angelis viatoribus, I. 20. An in Protoparentibus ante peccatum, *ibid.* An in B. Virgine ante mortem, *ibid.* An manet in Sanctis, I. 21. Quo ſenſu fuit in Chriſto, *ibid.* Pœnitentiæ quæ dignitas, I. 22. An multiplex principium, *ibid.* An actus abſolute neceſſarius, I. 23. Pœnitentia *Samſonis*, I. 24 *& ſeq. Vide* Samſon, *Heli*, I. 26. *& ſeq. Vide* Heli, *Salomonis*, I. 29. *& ſeq. Vide* Salomon.

3. *Pœnitentia* vera non eſt de uno mortali quæ non ſit de omnibus, I. 95. Quoties tollit *reatum* culpæ, tollit etiam reatum pœnæ æternæ, I. 108. raro auſert reatum totius *Pœnæ* temporalis, I. 109. *& ſeq. Vide* Pœna. Opera mortua & a fortiori mortifera, vita donare nequit, I. 124. Merita per peccatum mortificata redintegrat, *ibid. & ſeq.* Quo gradu I. 128. *& ſeq.* An, & quæ pœnitentia requiritur ad diluenda venialia, I. 138. Quandonam Pœnitentia virtualis involvitur in actibus meritoriis, I. 141. *& ſeq*

4. Varia Sacramenti Pœnitentiæ nomina, I. 36. *& ſeq.* Varii hoſtes, I. 36. *& ſeq.* An pœnitentia ſit verum novæ Legis Sacramentum. I. 50. An eadem ſit in nova quam in veteri lege, I. 54. *& ſeq.* An e veteri Teſtamento Tridentinum probaverit Sacramentum pœnitentiæ, I. 57. Iſtud an diſtinguitur a *Baptiſmo*, I. 59. An conſiſtit in *Baptiſmi* memoria, *ibid.* contrarium probatur conſenſu totius antiquitatis, ſive Catholicæ, ſive Hæreticæ, I. 60. *& ſeq.* An in Evangelii prædicatione conſiſtat, I. 61. An in ſolo miniſterio exteriori, *ibid. & ſeq.* Quando a Chriſto inſtitutum, I. 66. An & qua neceſſitate lapſis neceſſarium, I. 57. *& ſeq.* 67. *& ſeq.*

5. Sacramenti pœnitentiæ materia remota non eſt *peccatum* originale, I. 134. Eſt autem quodcumque licet diverſo modo *peccatum* quod *Baptiſmum* ſequitur, *ibid. & ſeq.* Vide Peccatum n. 3. Ejus partes intrinſecæ non ſunt terrores, aut fides Lutheri, I. 153. Nec Calviniana mortificatio & vivificatio, *ibid. &* I. 154. Ejus *materia* proxima an *manuum impoſitio*, I. 155. an tres actus pœnitentis, *ibid.* Quomodo ſatisfactio, *ibid. Vide* Satisfactio. An Sacramentum Pœnitentiæ poſſit eſſe ſimul validum & informe, I. 171. *& ſeq. Vide* Confeſſio. An & quo ſenſu fieri poſſit ut ejus defectu homo in æternum pereat, I. 312. Quæ in eo requiritur *Contritio*? Quæ ſufficit? *Vide* Attritio. Contritio n. 2. Quæ ſit ejus forma, II. 4. *Vide* abſolutio, n. 1. Quis *miniſter*, II. 28. *Vide* Miniſter.

6. *Pœnitentia* alia privata, alia publica, I. 560. Pœnitentia mitior uſque ad tempus Montani, I. 561. Paululum induruit poſt tempus Montani, I. 562. Fuit longe gravior poſt Novatianum Schiſma, I. 563. Quando & ubi primum refriguit, I. 564. Quis ejuſdem ritus ex parte pœnitentium, I. 566. Quatuor ejus gradus ſeu ſtationes, I. 567. Fletus, I. 568. Auditio, I. 569. Subſtractio, I. 571. Conſiſtentia, I. 572. A quo imponebatur Pœnitentia publica, *ibid.* Quo tempore, I. 573. Pœnitentes publici non uni penæ ſubjacebant, *ibid.* Pœnitentiæ publicæ ritus ex parte Miniſtrorum, I. 574. Quæ peccata eidem fuerint obnoxia, I. 575. An omnia lethalia ſaltem nototia, I. 576. *& ſeq.* An Canonica etiam ſecreta I. 591. An publica majorum Clericorum, I. 603. An ſaltem Clericorum minotum, I. 608. Quid de hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus, I. 609. Non iterabatur pœnitentia ſolemnis, I. 610. Nec tamen negabatur pœnitentia omnis iis qui relapſi eſſent, I. 617. An ante emenſam pœnitentiam omnem reconciliarentur Pœnitentes publici, I. 618.

Pœnitentiarius quo tempore & qua de cauſa inſtitutus, I. 367. 370. An ſolus confeſſiones exciperet, *ib.* An eorum tantum qui in certo genere deliquerant, *ibid.* Qua occaſione ſublatus, *ibid.* An tolli potuerit quin tolleretur confeſſio ſecreta, I. 371. An & qua ratione ejus abolitio gravem intulit plagam diſciplinæ Eccleſiaſticæ, *ibid.* An ipſo ſublato ſublatum fuerit quidquid ipſe præſtabat, I. 372. Quo ſenſu ejus abrogatio liberiorem fecit acceſſum ad Sacramenta, I. 373.

Pœnitentiarii, quid poſſint in negotio Indulgentiarum, II. 407.

Peſtis, an ea infectis Extrema-Unctio conferri debeat, II. 563. 593.

Pollutio: an Malitia ejus invincibiliter ignoretur, II. 439.

Popinæ frequentatio Clericis prohibetur ſub cenſura II. 120. per popinam haud intelliguntur Caffæa, *ibid.*

Portiuncula Indulgentia a quo primum conceſſa, II. 960. Ubi percipi poſſit, *ibid.* an pluries una die comparari valeat, *ibid.* Non ſuſpenditur tempore Jubilæi, II. 461. Indevotis ludibrio, piis pretioſa, *ibid.*

Poſtulantes per quos & a quibus reſervatis abſolvi poſſint, II. 142. *&* 148.

Poteſtas in Sacerdote Ordinis alia, alia *Juriſdictionis*, II. 39.

Prælati minores habent jus eligendi ſibi Confeſſarium, II. 49. An eo nomine veniant *Parochi*. *Vide* Parochi.

Priſcillianiſtæ Gnoſticorum errores renovant, I. 37.

Privilegium. *Vide* Communicatio & Altare.

Propoſitum non peccandi quotuplex, I. 183 An fide conſtet, propoſitum non peccandi letaliter includi debere in contritione, *ibid.* & *ſeq.* An propoſitum illud debet eſſe formale, I. 184. An lex propoſiti formalis urgeat in ultima vitæ periodo, I. 185. An propoſitum debet eſſe affectiye efficax, I. 186 & *ſeq.* An abſolutum quoad omnia letalia I. 186. An quoad venialia quædam, ſi hæc dumtaxat clavibus ſubjiciantur, I. 187. Propoſitum vitandi omnia venialia an poſſit haberi I. 158. 322. Propoſitum confitendi quomodo includitur in contritione, I. 187.

Proprietas in Religioſo ſcelus reſervatum, II. 122. Quæ ad id requiratur quantitas, *ibid.*

Pſeudo Spirituales Libertini appellantur, I. 37. Quietiſtis præeunt, *ibid.* Sacramentum Pœnitentiæ e medio tollebant, *ibid.*

Puella: an moribunda abſolvi debeat, ſi ſe gravidam declarare nolit, nec Confeſſario permittere ut poſt mortem declaretur, II. 218.

Pueri, an teneantur lege Confeſſionis annuæ, I. 405. An qui ei deſunt ſubjaceant pęnis quas minatur Lateranenſe Concilium, *ibid.*

Pueri an Extrem. Unctione donandi, II. 593.

Purgatorium: unde ſic dictum, I. 149. Purgat maculas peccati venialis, I. 150. Non tamen per condignam pœnæ ſolutionem, I. 151. Sed per actus caritatis, quos eliciunt animæ quæ in eo detinentur, I. 152.

Purgatorium quid ſit, II. 271. Dubii ejus vel certi hoſtes, *ibid.* & *ſeq.* Exiſtentia ejus probatur, II. 273. Vindicatur a cavillis, II 290. Qui Purgatorio plectendi, II. 317. An in eo locus ſit merito vel demerito, II. 320. & 325. An purgantes animæ de ſalute ſua certæ ſint, II. 326. Ubi ſit Purgatorium, II. 330. 334. & *ſeq* An inde exiri poſſit, II. 336. Diuturnitas pœnarum hujus loci, II. 344. An ignis purgans ſit corporeus, II. 346. an in eo torqueantur animæ a dæmonibus, II. 347. An & quæ pęna iſtic graviſſima ſit, II. 348. Quid debeat Eccleſiæ patienti Eccleſia militans, II. 350. An illi proſint viventium ſuffragia, II. 353. 360. & fuſe 449. An reſtitutiones a defunctis omiſſæ, II. 359. An candelarum & olei oblatio, II. 360. An Catechumeni ſuffragiorum capaces ſint, II. 361. An *Indulgentia* vere dimittant pęnam Purgatorii, II. 377.

Q

Queſnellus, an doceat timorem ſine caritate initiali nec ſupernaturalem eſſe, nec ſine peccato elici, I. 221. & *ſeq.*

R

Raptus quid ſit & quotuplex, II. 107. An ſubjacet reſervationi, *ibid.* Quid ſi ſi rapta ſit quæ perperam credebatur Virgo, *ibid* Aut quæ olim corrupta, nunc honeſte vivit, *ibid.* Aut rapiens rapta minime abuſus ſit, *ibid.*

Reatus culpæ alter, alter pœnæ, I. 496. Dimiſſo culpæ reatu manet ſæpe debitum luendæ pœnæ, I. 499. Debitum illud bonis operibus aliquando redimi poteſt, I. 501. non ſemper, I. 503. *Vide* Satisfactio.

Reatus culpæ, an diſcrepet a reatu pęnæ, inanis quæſtio, II. 304.

Regulares an jure ſint proprii populorum Sacerdotes, I. 393. Tridentinum revocavit privilegia ipſis ab Alexandro conceſſa, I. 400. Quæ ipſum conceſſit, an in Gallia vim habent, *ibid.* An ab Epiſcopo approbati poſſint ordinarie confeſſiones excipere tempore paſchali ſine conſenſu parochi, I. 399. An Mendicantes Juriſdictionem habent a jure, II. 48. An ſemel approbati facultatibus ſuis ab Epiſcopo privari poſſint, II. 60. Quid ſi Epiſcopus iis juriſdictionem injuſte neget, II. 59. An poſſit vocari ad novum examen, I. 401 II. 60. Quibus in caſibus reſervationem incurrunt, II. 122. & *ſeq.* An quoties renuunt mandato obedire, II. 125. Quid poſſint in confeſſione quantum ad reſervata, *Vide* Superior Regularis. Quid quantum ad ſeculares, II. 150 Quo loco & tempore Fidelium confeſſionis excipere valeant, II. 153. Num in articulo mortis abſolvere poſſunt ſine licentia ſuperioris, II. 159.

Regulares: his conceſſæ Indulgentiæ, revocatæ a Paulo V. II. 462. qui certiores conceſſit, II. 463. Harum enumeratio, *ibid.* & *ſeq.* Per communicationem participantur, II. 462. Non tamen omnes, *ibid.* An ad Jubilæi lucrum invitis Superioribus contendere poſſint, II. 478. An & ipſi tunc temporis ad eleemoſynam teneantur, II 494. An renuente Prælato aliquid clanculum ad id ſubripere poſſint, *ibid.* An approbati ab Epiſcopis confeſſiones, renitente Prælato ſuo, excipere valeant, II. 503. An tempore Jubilæi ſuſpendantur facultates Regularibus conceſſæ ad abſolvendum a caſibus reſervatis, II. 530. An ſi alibi, etiam Romæ, II. 532.

Religio a Pœnitentia diſtinguitur, I. 11. Ejus actus non eodem fine exercentur, *ibid.* nec ſpectat jus Dei læſum prout reparabile per ſatisfactionem, I. 12.

Reli-

Digitized by Google

Religionis votum, an & quando in Jubilæis commutantur, II. 518. *Vide* Vota.

Renovatio ad Pœnitentiam quo ſenſu dicatur ab Apoſtolo impoſſibilis, I. 48.

Reſervatio quid ſit, II. 62. Eſt in Eccleſia poteſtas reſervandi quædam *peccata*, *ibid.* Poteſtas hæc competit Epiſcopis etiam quoad Parochos, II. 64. 65 An Parochis, *ibid.* Ut reſervetur peccatum debet eſſe mortale ſaltem ex circumſtantiis, II. 65. *& ſeq.* Externum, II. 66. Quid ſi exterius leve ſit, & affectu grave, II. 67. Completum in genere ſuo, *ibid.* An debeat eſſe certum facti vel juris, *ibid.* Varia hac de re Diæceſeon diſciplina, II. 69. reſervatione immunis ſit, qui ut dubium confeſſus eſt peccatum quod ſubinde reſcit eſſe reſervatum II. 70. Impuberis ſcelus an reſervatum II. 71. Quæ peccata Papæ reſervata, II. 72. Eadem non raro ad Epiſcopos redeunt II 74. Caſus Epiſcopis reſervati recenſentur II. 75. ad 124. Caſus in Synodo reſervari expedit, II. 121. Nec multos reſervari decet, *ibid.* Reſervatio an ceſſet per mortem vel ceſſum Epiſcopi, *ibid.* Monita ad reſervantes, II. 135 *Regulares* poſſunt ſibi reſervare caſus quoad ſuos, II. 122. Non plures quam undecim qui recenſentur, *ibid.* *Vide* Superior regularis. Moniales. Abſolutus a reſervatis in articulo mortis, ſi convaleſcit, an denuo abſolvendus, II. 160.

Reviviſcentia peccatorum quotuplex diſtinguitur, I. 117. An ſimplex & abſoluta admitti poteſt, I. 118. *& ſeq.* An ſaltem virtualis, I. 123. *& ſeq.* *Vide* Peccatum, n. 2. Reviviſcentia meritorum an ſine temeritate negari poſſit, I. 124. *& ſeq.* Probabiliter locum habet in ipſo juſtificationis inſtanti, I. 128. An ſalvatur in opinione Banneſis, *ibid.* An reſtringitur ſecundum menſuram diſpoſitionum, I. 129. Quid in hac parte ſentiat D. Thomas, I. 130.

Roſaria, ſi vendantur, excidunt ab Indulgentia, II. 459.

S.

1. *Sacerdos* ſolus Pœnitentiæ Miniſter, II 28. In eo poteſtas Ordinis & Juriſdictionis, II. 39. Ei non ſufficit poteſtas Ordinis ad abſolvendum, *ibid.* Quotuplex ſit juriſdictio, II. 44. In quibus conveniat ſolutio quæ fit a Sacerdotibus novæ Legis cum ſolutione Lazari facta a Diſcipulis I. 103 In quibus diſcrepet, *ibid* *& ſeq.* Comparatur eorumdem poteſtas cum poteſtate Sacerdotum Leviticorum circa leproſos, I. 105. Varia inter utramque diſcrimina, *ibid.* An a ſe ipſis judices creati, I. 335. An ea quam acceperunt ſolvendi & ligandi poteſtas exerceatur per Baptiſmum & Prædicationem, I. 336.

2. *Sacerdos* proprius, cujus meminit Lateranenſe quis ſit, I. 393. Quinam ii quibus opponitur proprius Sacerdos, I. 397. An ipſi ſacerdotes comprehendantur voce *omnis fidelis*, I. 405.

3. *Sacerdos* ſimplex an poteſt apud alium quemcunque ex approbatis confiteri, II. 53. In una diœceſi approbatus non ideo in alia approbatus eſt, II. 55 Non poteſt qui approbatus non eſt excipere confeſſionem venialium, II. 57. Poteſt vero a mortalibus etiam reſervatis abſolvere *moribundum*, II. 555. *Vide* Approbatio. Moribundus.

4. *Sacerdos* fictus an teneatur *Sigillo* confeſſionis, II 219. An verus qui e Tribunali fugiens peccatum aliquod audit invitus, *ibid.* *Vide* Sigillum, n. 2.

Sacramentalia an valeant ad venialium remiſſionem, I. 139. 147. An eorum vis impediatur diſpoſitionibus ſubjecti, *ibid.* An ſit ex opere operantis, I. 198.

Sacramentum nullum a Vviclefo & Joanne Hus negatur, I. 44. Triplex primum a Luthero, mox duplex tantum agnoſcitur, *ibid.* Quotuplex nunc a Lutheranis, incertum, *ibid.* A pluribus hæreticis quartum rejicitur, I. 36. ad 45. Omnia Sacramenta remittunt venialia, I. 146. *& ſeq.* Et quidem ex opere operato, I. 148. An Sacramentum *Pœnitentiæ* inſtitutum ſit ſimpliciter per modum judicii, I. 160. An poſſit eſſe ſimul validum & informe, I. 172. *Vide* Pœnitentia, An in ejus favorem primario inſtitutum ſit *Sigillum*, II. 228. *Vide* Sigillum.

Sacrilegium ſubjacet reſervationi. II. 108. Committitur per Euchariſtiæ profanationem, & quam *ibid.* per conjugium Gominianum, *ibid* Per furtum in loco ſacro, *ibid.* Res ſacra quid ſit, I. 108. Locus ſacer exponitur, *ibid.* Quantitas ad furtum rei ſacræ requiſita, II. 109. Sacrilegium in perſonas ſacras, *ibid.* *Vide* Inceſtus. Sacrilegium in loca ſacra committit qui atrociter percutit, vel fornicatur in Eccleſia, *ibid.* qui hanc comburit, II. 109. qui violat *Clauſuram regularem*, II. 110.

Salomon triplex de ipſius penitentia opinio, I. 29. Incerta eſt reſpectu noſtri I. 30. In eam tamen propendere ſuadet Eccleſiaſtis liber, I. 34. *& ſeq.*

Salomon, cur ob polygamiam reprehenſus, II. 550.

Samuel, an vere apparuerit Sauli, II. 459. *& ſeq.*

Samſonis peccatum multiplex, I. 23. An & quomodo deletum, *ibid.* Quo animo ſibi mortem intulit, I. 24. An excuſandus, ſi abſque ſpeciali mandato, aut ſaltem inſpiratione egiſſet, I. 25.

1. *Satisfactio* quid ſit, I. 497. An a merito diſcrepet, *ibid.* Ejus diviſiones, *ibid.*

Noſtra non derogat ſatisfactioni Chriſti, I. 522. *& ſeq.* Supponie rem jam ſolutam, *ib.* Multiplici titulo eſt imperfecta, I. 524. Quo mode nobis applicat virtutem paſſionis Chriſti, I. 116. An pro culpa mortali poſſi: fieri de condigno, I. 498. Opera quibus peccata ſu: redimunt juſti, vera ſunt ſatisfactio, & quo ſenſu, I. 504. *& ſeq.* Prodeſt ſatisfactio vel ſponte aſſumpta, vel a Sacerdote impoſita, I. 505.

2. *Satisfactionis* conditiones, I. 508. Debet eſſe pœnalis, *ibid.* Debet fieri in gratia, I. 143. *&* 511. Valetne ſatisfactio in ſtatu peccati adimpleta, I. 143. 515. An poſſi: quis pro uno peccato ſatisfacere non pro alio, I. 516. Ad ſatisfactionem opus eſt acceptatione Dei, *ibid.*

3. *Satisfactio* an ſit Sacramenti Pœnitentiæ materia proxima, I. 155. Quo ſenſu, I. 156 163. Injungi debet a Sacerdote ei quem abſolvit, I. 516. 517. Exceptiones, I. 518. An peccet qui pro venialibus, vel jam confeſſis ſatisfactionem non injungit, *ibid.* Satisfactio imponenda præceptive, I. 520. Eaque par crimini, prudenter tamen, I. 521. Hic cavenda laxitudo, & multa caute penſanda, I. 523, *& ſeq.* Monita ad Confeſſarios, I. 526. Quæ ſatisfactio imponenda artificibus, I. 528. Num opera aliunde præcepta injungi poſſint, I 530. Num orationes pro defunctis, I. 531. Quid præſumendum in dubio an opus alias debitum injunxerit Confeſſor, *ibid.* An ſatisfactio ante abſolutionem præſtanda, I. 533. & 536. An ſi praxim hanc vetus Eccleſia ſervavit, ideo neceſſario ſervanda, I. 536. Satisfactio an a Confeſſario determinanda quoad ſpeciem & tempus, I 542. An ante abſolutionem injungenda, *ibid.* Canones Pœnitentiales, I. 543.

4. *Satisfactio* an a Pœnitente acceptanda, I. 547. Quid ſi alium Confeſſorem adire vult, I. 548. Debet pœnitens injunctam Pœnitentiam exequi, *ibid.* Quid ſi levem negligat, I. 549. An eam præfixo ſibi tempore implere tenetur, *ibid.* Annon eam in melius quid commutare poteſt, I. 551. Annon ſaltem id poteſt Confeſſarius alter & qua lege *ibid.* 522. An ad id neceſſum eſt ut audiatur Confeſſio tota pœnitentis, I. 554. An qui juſſus eſt nummum dare, dare queat poſito in extremis, I. 552. An per alium pœnitentiam implere ſufficiat, I. 554. An intentionem habere eandem implendi, I. 555. An eam implere per tempus Miſſæ, I. 556. Quid ſi invalide confeſſus eſt, *ibid.* Vel mitiori donatus ſatisfactione, *ibid.* *Vide* Pœnitens.

5. *Satisfactionis* effectus, I. 557. Pœnam temporalem remittit & quo ſenſu, I. 558. Curanda a Confeſſariis, I. 559. An conferat gratiam in opere exercito, *ibid.* *Vide* Pœnitentia.

Satisfactio differt ab impetratione, II 363; An ſatisfactiones Sanctorum ad Indulgentias ſolum concurrant per viam impetrationis, II. 421.

Saul. *Vide* Samuel.

Schedulæ: an peccat mortaliter qui legit ſchedulam, cujus priora verba confeſſionem ſcriptam indicant, II. 223. An teneatur *ſigillo*, *ibidem*. Schedula confeſſionis an negari poſſit pœnitenti non abſoluto, II. 235. Ejus forma, *ibid.*

Scotiſtæ totam Sacramenti pœnitentiæ rationem ponunt in abſolutione, I. 153. An vera ſit hæc eorum opinio, I. 155. An Florentino & Tridentino damnata, *ibid.* An aliquid mereatur cenſuræ, I. 162.

Scrupuloſi an dubia peccata confiteri debent, I. 436. Regulæ circa ipſos a Confeſſariis ſervandæ, *ibid.* Mali quomodo regendi, I. 437. An integre audiendi, I. 442.

Secretum naturale an & qua de cauſa revelandum, II. 214. An ejus obligatio naſcatur ex confeſſione non ſacramentali, II. 221.

Sedes Epiſcopi loco ſuo cedentis an vacet quando Succeſſor ejuſdem præconiſatur, II. 121.

Serapionis in exitu Euchariſtia ſe ipſum reficientis hiſtoria expenditur, II. 36.

Sigillum confeſſionis quid & quomodo definitur, II. 211. Quo jure præceptum, *ibid.* Quanta dignum reverentia, II. 212. Vix unquam fractum, II. 213. An Lex ſigilli obliget ſub mortali in quacumque materia, II. 214. An ejus materia ſine ea quæ ſtatim ab abſolutione dicuntur, II. 215. An tentationes quas pœnitens patitur invitus, *ibid.* An circumſtantiæ peccatum minuentes, II. 216. An peccatorum objecta, *ibid.* Quid de iis quæ ad peccati explicationem commemorantur, *ibid.* Vel quæ ex confeſſionis modo innoteſcunt, *ibid.* An ea omnia quæ pœnitentem etiam immerito infamarint, II. 217. An ea quæ infamarent alium a pœnitente, *ibid.* Etiam indirecte tantum, *ibid.* Sigillum an Confeſſarium liget etiam quoad mortuos, II. 218. An frangi poteſt ut infantis ſaluti provideatur, *ibid.* Saltem ex *puella* gravidæ præſumpta *licentia*, *ibid.*

2. *Sigilli* vinculum. An oriatur ex confeſſione facta non Sacerdoti, II. 219. An ex confeſſione facta Sacerdoti exiſtimato, *ibid.* *&* 222. An ex confeſſione ad illudendum vel ſubornandum Confeſſorem facta, II. 238. *&* 239. An lege ſigilli obligetur *Sacerdos*, qui nolens aliquod peccatum audit, II 222. An Superior etiam fictus, ad quem pro caſu reſervato confugit pœnitens aut Confeſſor, *ib.* An qui confeſſionem audivit, vel ex geſtibus Confeſſarii intellexit *ibid.* An *interpres*, II. 223. An internuncius, aut amicus amici confeſſionem ſcribens, *ibid.* An qui factam vel faciendam confeſſionem ſcriptam legit, *ibid.*

Digitized by Google

ibid. Vide Schedula. An qui pœnitentem audierit in examine peccata proferentem, *ibid.* An ii coram quibus ex neceſſitate fit confeſſio ſacramentalis, *ibid.* Quid de iis coram quibus fieret humiliationis cauſa, *ibid.* An is quem conſulit Confeſſarius, II. An is quem conſulit ipſe pœnitens, *ibid.*

3. *Sigillum* in cujus favorem primario inſtitutum, II. 227. *& ſeq.* An poſſit ejus obligatio relaxari a pœnitente, II. 228. An ut ſervetur, reticeri poſſit in *confeſſione* proprium peccatum, II. 229. An obliget *pœnitentem*, ibid *Vide* Pœnitens. An ſigillum frangit, qui publicum crimen ſibi vel confeſſum vel non confeſſum fuiſſe declarat, II. 230. An qui e Tribunali exiens formulam pręcipit apponi ad communionem perſonæ auditæ, *ib.* An qui in concione, vel alibi, ea profert ex quibus peccati ſuſpicio inducitur, II. 226. An qui paucos audiens aliquod in ſpecie peccatum ſe audiiſſe declarat, II. 230. An qui religioſi crimen referens, ordinem ejus nominaret, *ib* An qui in anguſto loco certa peccata vigere ait, *ib.* An qui pœnitentem ſolito acerbius poſt confeſſionem excipit, II. 231. Vel in Tribunali tanto eum æſtu arguit, ut aliquid ſuſpicari poſſint adſtantes, *ibid.* Vel eum ad tale tempus diſtuliſſe, vel tali donaſſe pœnitentia diceret, *ibid.* An qui e pœnitentibus unum impenſe celebrat: *ibid.* An nullus ſit caſus in quo ſigillum frangi poſſit, II. 236. *Vide* Confeſſarius. Hæreticus. Impedimentum Princeps. Parochus.

4. *Sigillum* frangens an cenſuræ vel irregularitati obnoxius, II. 253. A quo Judice puniendus, II. 254. Quomodo in quirendum ejus delictum, ut puniatur, II. 254. Quid ſi Confeſſarius dicat ſe vel licentiam habuiſſe, vel rem aliunde didiciſſe, *ib.*

Simonia mentalis non eſt reſervata, II. 67. Nec ſemirealis. II. 115. Reſervatur realis ad quam ſufficit munus a manu, vel a lingua, *ibid.* An ea quæ fit in Religionis ingreſſu, *ib.* Reſervatur quæ Eccleſiaſtico ſolum juri adverſatur, *ib.* Quid de Simoniacis bonæ fidei, *ibid.*

Socrates: num deceptus in his in quibus a Sozomeno circa Nectarii factum diſſentit, I. 373.

Sodomia crimen reſervatum, II. 115. An completum eſſe debeat, *ibid.* Quid de Sodomia imperfecta, II. 116 Hæc in marito gravior cum conjuge, quam cum alia, *ibid.*

Sollicitantes ad turpia in confeſſione caſtigati Decreto Benedicti XIV. II 256. Quid ſi ad crimen a venereo diverſum ſollicitent, II. 260. Quid ſi aliquem ſexus ſui, II. 261 vel non in gratiam ſui, ſed alterius, II. 261. & an mandans iſte pœnis ſubjaceat, *ibid.* An ſollicitatio in ipſo confeſſionis decurſu debeat fieri, ut pœnas incurrat, *ibid.* Quid de tribuente cartam amoris in Tribunali, II. 262. Explicantur variæ Decretorum clauſulæ, II. 263. An denuntiandi qui inhoneſtos cum pœnitente ſermones habent ſine animo ſollicitandi *ibid.* An denuntiare teneatur quæ ſollicitationis ſenſum nonniſi deinceps intellexit, II. 264. An fieri debeat denuntiatio, cum ſollicitatio mutua fuit, *ibid.* Qui ad denuntionem teneantur, II. 265. & 266. An qui ex ea diſcrimen ſibi grave timent, II. 266. an qui rem didicere ſub ſecreto, *ib.* An mater filium, II. 267. An denuntiandus Clericus, qui pro Sacerdote ſe gerens ſollicitavit, *ibid.* An denuntiationi præmittenda correctio fraterna, II. 268. An denuntianda mulier quæ ſollicitat, II. 269. Denuntiatio cui facienda, *ibid.* quo tempore, *ibid.* An quæ ſero denuntiavit a cenſura per quemlibet abſolvi valeat, II. 270. An peccet qui non monet pœnitentem de facienda denuntiatione, *ibid.*

Sortiarii: his caute credendum, cum ſe interfuiſſe ſabbato dicunt, II. 114.

Spes an dici poteſt *amor*, I. 202. An includit aliquid *amoris*, *ibid.* An *amor* ille ſit amore *concupiſcentiæ* nobilior & difficilior, *ibid.* An ſufficiat ad juſtificationem in Sacramento obtinendam, I. 285. *& ſeq. Vide* Concupiſcentia.

Stationes pœnitentiæ ſolemnis, II. 567. *Vide* Pœnitentia, n. 6.

Stationes quid, & quæ Indulgentiæ iis conceſſæ, II. 455. Qui eas lucrentur, II. 460. An Stationes quatuor a Papa ad *Jubilæi* lucrum præſcriptas ad unam reducere poſſit Epiſcopus vel Confeſſarius, II. 493.

Stuprum quid, II. 118. Reſervatur, *ibid.* Quid ſi dolo conſenſum extorques, II. 119. An ſubjacet reſervationi is etiam qui meretricem opprimit, *ib* Quid ſi verberum aut mortis metu coitum obtinet, *ibid.* Quid ſi mulier parum reſiſtit, *ibid.* Quid ſi crimen non conſummetur, *ibid* Quid de complicibus, *ibid.* Pœnæ oppreſſoris, *ibid.* Non incurrit reſervationem abuſus ea quæ ceſſit lucri intuitu, quæve prior ad amorem flectere enixa eſt, &c. *ibid.*

Subiectum Pœnitentiæ duplex, remotum aliud, aliud proximum, I. 17. Error vulgari circa proximum, I. 18. Circa idem error Pſeudoreformationem, *ibid.* Quodnam ſit, *ibid. & ſeq.* Quodnam remotum, *ibid.* An reprobi, *ibid.* An viatores peccato mortali inquinati, I. 19. An fuerint Angeli boni, B. Virgo, Chriſtus, I. 20. *& ſeq. Vide* Pœnitentia, n. 2.

Subjectum Extrem. Unctionis infirmus, & quis, II 588.

Suecii an retinent confeſſionem, I. 44.

Suffragia Eccleſiæ an proſint defunctis, II. 353. Quas conditiones habere debeant ex parte tam ſubiecti, quam principii, II. 361.

Superior verus vel exiſtimatus, ad quem extra confeſſionem confugit pro caſu reſervato pœnitens aut Confeſſarius, an tenetur *ſigillo*,

gillo, II. 222. An debet punire delictum quod ex fractione ſigilli innotuiſſe videt, *ibid.* An præcipere inferiori ut quæ in confeſſione aperuit, vel ipſe declaret, vel a Confeſſario declarari permittat, II. 229. Permiſſio hæc an ſufficeret Confeſſori, *ibid.* An pœnitenti crimen Directoris denuntianti ſtatim credere debet Superior, II. 230. Quid in hoc caſu ſuadet prudentia, II. 234. Caſus in quo peccare poſſet dicendo ſe N. audiviſſe, II. 240. An attentius vigilare, ut peccatis per confeſſionem cognitis locum præcludat, II 242. & 243. An pœnitenti, qui per confeſſionem cognoſcitur indignus, quod ei mente deſtinaverat officium non conferre, *ibid & ſeq.* An a miniſterio arcere quem eadem via ſcit non eſſe Sacerdotem, II. 244. *& ſeq.* Quid ſentiendum de reſponſo quod in pari caſu ab Innocentio. III. datum refert Cæſarius, II. 220.

2. *Superior* regularis an ſuorum confeſſiones audire poſſit, II. 124. An quibuſdam caſibus ultra novem a Clemente VIII. expreſſos cenſuram reſervatam annectere, II. 125. Quid poſſit circa caſus reſervatos quantum ad familiam ſuam, II. 145. An eadem omnium quæ Mendicantium poteſtas, II. 146. Facultates eorum in quibuſdam reſtrictæ, II 147. An Novitios ſuos a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere valeant, II. 148. Quid de Poſtulantibus, *ibid.* Quid de Secularibus, & qui horum vere ſint de familia, *ibid* eorum poteſtas circa irregularitates, II. 149. Circa Moniales ſibi ſubjectas, *ibid.* An qui præficitur a Superiore Monialibus, poſſit eas a reſervatis abſolvere, *ibid.* Quid poſſint Regulares in Profeſſos Ordinis alterius, II. 149. Quid erga Seculares, II. 150. *& ſeq. Vide* Regularis.

Suſpenſio Indulgentiarum tempore Jubilæi, II. 526. Non ſpectat Indulgentias Cruciatæ, II. 527. & defunctorum, *ibid.* ſed alias plenarias, non tamen omnes, *ibid.* Quid de partialibus, II. 528. *&* 529. Quid de conceſſis ad definitum tempus, II. 530. An lucretur Indulgentiam qui ſuſpenſionem ejus ignorat, *ibid.* Qua pœna plectantur qui ſuſpenſas Indulgentias promulgant, *ibid.* An tempore Jubilæi ſuſpendantur facultates Regularibus conceſſæ ad abſolvendum a caſibus reſervatis, *ibid.* Quandò incipiat aut deſinat illud ſuſpenſionis genus, II. 533.

T

T*Abula* poſt naufragium vocatur a Tridentino Pœnitentiæ Sacramentum, I. 36. Tridentino præivit tota Traditio, I. 57.

Tactus impudici nomine inter pœnitentem & Confeſſarium quid intelligatur, II. 97.

Tertullianus non ſatis aperte Montaniſtarum placita enuntiat, I. 39. Quos ſcripſerit libros poſt lapſum, I. 83. An in iis quos ante lapſum ſcripſerat, nihil occurrat reprehenſibile, *ibid.* An docuit negatam fuiſſe mœchis abſolutionem, I. 465.

Teſtamenti ſuppreſſio multis in locis reſervata, II. 516. Quid de ſuppreſſione ſolius Codicilli, *ibid.* An reſervationi ſubjacet qui teſtamentum celat ad tempus, *ibid.* Vel illud celat quidem, ſed plene exequitur, II. 117 Quid ſi teſtamentum reipſa invalidum ſupprimat, *ibid.*

Thereſia (S.) infidelium tenebras perpetuis lacrymis deflebat, I. 166.

Theſaurus fons *Indulgentiarum* quid ſit, II. 413. An conſtet ex Chriſti meritis, II. 414. an etiam ex ſatisfactionibus Beatorum, II 415. an ex meritis juſtorum qui aliquando repobandi ſunt, II. 420. an per Indulgentias ſolas diſpenſetur, *ibid.* An ſatisfactiones Sanctorum ad Indulgentiam concurrant per modum veræ ſolutionis, II. 425.

Thomas Apoſtolus quomodo poteſtatem remittendi peccata accepit, I. 67.

Thomas (S.) verecundiam e virtutum albo expungit, I. 5. in pœnitentia quamdam agnoſcit commutationem, I. 8. Falſo D. Auguſtino Librum de vera & falſa pœnitentia affingit, I. 95. Quid ſentiat circa gradum reviviſcentiæ meritorum, I. 130. Ejus opinio anteponenda, I. 232. Ad venialium remiſſionem novam infuſionem gratiæ non requirit, I. 144. 145. Negat primum non regenerati peccatum poſſe eſſe veniale, I. 144. An & quo ſenſu docet Sacramentum pœnitentiæ poſſe eſſe validum & informe, I. 172. *&* 588. An putavit præceptum contritionis non obligare ſtatim poſt admiſſum lethale, I. 187. 199. *& ſeq.* Docet Deum ſupplere defectum diſpoſitionis in eo qui ad Sacramenta Confirmationis & Euchariſtiæ bona fide accedit, I 311. An licitum putavit confeſſionem differre uſque ad Paſcha, I. 390. An negavit præceptum eſſe confiteri per interpretem, I. 408.

Timor in genere quid ſit, I. 220. Quid mundanus, *ib.* Quid ſervilis & ſerviliter ſervilis, *ib.* Quid filialis, *ib.* Quid initialis, *ib.* An ſimpliciter ſervilis bonus eſt & utilis, ſi non habet adjunctam caritatem initialem, I. 225. *& ſeq.* An ex ſe ſolo excludit voluntatem peccandi, I. 233. *& ſeq.* 242. *& ſeq.* An aliquid ultra requiratur ad juſtificationem in Sacramento, I. 283.

Titulus clericalis: hinc qui falſum exhibent, ſubjacent reſervationi, II. 103. Falſus eſt qui ſimoniace obtinetur, II. 104. qui exhibetur ut liber ab omni onere, cum non ſit, *ibid.* Quid ſi Chirographariis debitis gravetur, *ibid.* Vel fratribus ex parte reſtituendus ſit, II. 105. Vel promiſerit clericus ſe

ex co-

Digitized by Google

ex eo nihil exacturum, *ibid.* Titulus an poſſit alienari, *ibid.* Quid ſi pater alienet, nec filius contradicere auſit. *ibid.* Aut is ſat aliunde habeat boni, *ibid.*

Titulus coloratus an requiritur cum errore ad juriſdictionem, II. 47.

Tournelyus quoſdam hæreticos inter Sacramenti Pœnitentiæ hoſtes non ſatis accurrate annumerat, I. 37. 38. Ejus opinio circa Montaniſtarum placita non ſatis probatur, I. 38. Se ipſum refellit quoad Luciferianos, I. 43. modo probat ſufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ amorem ſpei, I. 286 An ejus probatio omnes ipſius adverſarios impetat, I. 288. An extra dubium relinquit minimam caritatem juſtificare extra Sacramentum, I. 289.

Traditio circa exiſtentiam Sacramenti Pœnitentiæ vindicatur, I. 51. *& ſeq.* In multis ſupplet Scripturæ ſilentium, I. 56. Pœnitentiam a Baptiſmo, Baptiſmive memoria unanimiter diſtinguit, I. 60. *& ſeq.* Neceſſitatem & uſum confeſſionis adſtruit, I. 339. *& ſeq.*

Tridentinum an damnavit opinionem Lombardi circa effectum abſolutionis, I. 97. 98 Supponit contritionem perfectam, non eſſe neceſſariam ad Sacramentum, I. 100. An definierit ipſam ſemper juſtificare ſine Sacramento actu recepto, I. 206. An ſtatuit attritionem per ſe ſolam excludere voluntatem peccandi, I. 233. Vel ſufficere in Sacramento, I. 254.

Turpia. *Vide* Sollicitantes.

V

V*agi*, ubi eorum Banna publicari debeant, II. 417.

Vualdenſes nil circa Sacramenti Pœnitentiæ ſubſtantiam innovarunt, I. 43. erraverunt circa Miniſtrum, I. 333.

Vualdenſes, an Extr. Unctionem negaverint eſſe Sacramentum, II. 534. *& ſeq.*

Venatio Clericis interdicta ſub pœna reſervationis, II. 120. Quid de venatione quieta, *ibid.*

Veneficium II. 113. *Vide* Magia.

Veritas an lædatur per infractionem ſigilli confeſſionis, II. 211.

Veſtis Talaris omiſſio in celebratione Sacri reſervata eſt, II. 101. *Vide* Miſſa.

Viaticum, an ejus receptio præceſſerit olim receptionem Extr. Unctionis, II. 596. Quid in praxi de utriuſque Sacramenti ordine tenendum, II. 597.

Vicarii generales an *Indulgentias* concedant, II. 407.

Vviclefus an agnovit confeſſionis neceſſitatem, I. 453. An Purgatorium, ſeptem Sacramenta, & invocationem Sanctorum, *ib.* Ipſe uſque ad mortem confeſſiones probabiliter excepit, *ibid.*

Vvicleſita, an male ſenſerint de Extrem. Unctione, II. 536 *& ſeq.*

Violatio abſtinentiæ, vel jejunii, caſus reſervatus, II. 117.

Violatio clauſuræ regularis. *Vide* Clauſura.

Violatio fœminæ cujuslibet reſervatur, II. 118. *Vide* Stuprum.

Violatio Statutorum Eccleſiaſticorum per ludos *alea*, per *venationem*, per frequentationem *popina*, per omiſſionem *veſtis talaris* in celebratione Sacri reſervatur, II. 120.

Virgo (B.) an capax fuerit Unctionis Extremæ, II. 595.

Virtus pœnitentiæ quid ſit, I. 1. *& ſeq. Vide* Pœnitentia, n. 5.

Viſitatio Eccleſiarum quoties iteranda ad lucrum *Jubilæi*, II. 490. An deſit Jubilæo qui uni ſolum viſitationi deeſt, II. 491. An dividi poſſit Eccleſiarum viſitatio, *ibid.* An pie hæc facienda, *ibid.* An coram foribus facta valeat, *ibid.* An in ea requiratur oratio vocalis, *ibid.* & quanta, II. 492. Quid ſi Eccleſia viſitanda interim corruat, *ibid.* An *Stationes* quatuor ad unam reducere poſſit Epiſcopus, vel Confeſſarius ex ejus conceſſione, *ibid.*

Unctio. *Vide* Extr. Unctio, Oleum, Materia. Unctio ubi fieri ſolita. II. 574. An neceſſario per modum crucis, *ibid.* an neceſſaria ſit unctio multiplex, II. 575. *&* 577. An fieri debeat in oculis cœci nati, II. 578. An proſequendæ unctiones, ſi æger interim decedat, II. 579. Quid cavendum Parocho dum duplex ejuſdem ſenſus organum inungit, II. 580. Unctiones quo a ſenſu incipiendæ, *ib.* & quomodo faciendæ, *ibid.* An una olei gutta perfici queant, *ibid.*

Voluntas an poſſit ita manere ſuſpenſa, ut peccatum admiſſum, de quo cogitat, nec approbet, nec improbet, I. 198. 200.

Vota: an in Jubilæis omnibus detur facultas ea commutandi, II. 518. An omnia tunc temporis commutari valeant, *ibid.* An caſtitatis & Religionis vota ſemper commutari alienando poſſint, & quibus in caſibus, *ibid.* An commutari poſſint ea etiam quæ juramento ſunt confirmata, *ibid.* An quæ cadunt in utilitatem proximi, II. 518. 519. an quorum quis vovit ſe commutationem non eſſe petiturum, *ibid.* An commutatio ea aliquid minus & lenius facienda ſit, *ibid.* Quæ ad commutationem in Jubilæis requiratur cauſa, II. 520. An Confeſſor commutationem hanc petenti indulgere teneatur, *ibid.* An commutatio ſolum in Tribunali facienda, *ibid.* An intra tempus Jubilæi, II. 522. An ſubſiſtat voti prioris obli-

gillo, II. 222. An debet punire delictum quod ex fractione ſigilli innotuiſſe videt, *ibid.* An præcipere inferiori ut quæ in confeſſione aperuit, vel ipſe declaret, vel a Confeſſario declarari permittat, II. 229. Permiſſio hæc an ſufficeret Confeſſori, *ibid.* An pœnitenti crimen Directoris denuntianti ſtatim credere debet Superior, II. 230. Quid in hoc caſu ſuadet prudentia, II. 234. Caſus in quo peccare poſſet dicendo ſe N. audiviſſe, II. 240. An attentius vigilare, ut peccatis per confeſſionem cognitis locum præcludat, II 242. & 243. An pœnitenti, qui per confeſſionem cognoſcitur indignus, quod ei mente deſtinaverat officium non conferre, *ibid* *& ſeq.* An a miniſterio arcere quem eadem via ſcit non eſſe Sacerdotem, II. 244. *& ſeq.* Quid ſentiendum de reſponſo quod in pari caſu ab Innocentio III. datum refert Cæſarius, II. 220.

2. *Superior* regularis an ſuorum confeſſiones audire poſſit, II. 124. An quibuſdam caſibus ultra novem a Clemente VIII. expreſſos cenſuram reſervatam annectere, II. 125. Quid poſſit circa caſus reſervatos quantum ad familiam ſuam, II. 145. An eadem omnium quæ Mendicantium poteſtas, II. 146. Facultates eorum in quibuſdam reſtrictæ, II 147. An Novitios ſuos a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere valeant, II. 148. Quid de Poſtulantibus, *ibid.* Quid de Secularibus, & qui horum vere ſint de familia, *ibid* eorum poteſtas circa irregularitates, II. 149. Circa Moniales ſibi ſubjectas, *ibid.* An qui præficitur a Superiore Monialibus, poſſit eas a reſervatis abſolvere, *ibid.* Quid poſſint Regulares in Profeſſos Ordinis alterius, II. 149. Quid erga Seculares, II. 150. *& ſeq. Vide* Regularis.

Suſpenſio Indulgentiarum tempore Jubilæi, II. 526. Non ſpectat Indulgentias Cruciatæ, II. 527. & defunctorum, *ibid.* ſed alias plenarias, non tamen omnes, *ibid.* Quid de partialibus, II. 528. & 529. Quid de conceſſis ad definitum tempus, II. 530. An lucretur Indulgentiam qui ſuſpenſionem ejus ignorat, *ibid.* Qua pœna plectantur qui ſuſpenſas Indulgentias promulgant, *ibid.* An tempore Jubilæi ſuſpendantur facultates Regularibus conceſſæ ad abſolvendum a caſibus reſervatis, *ibid.* Quando incipiat aut deſinat illud ſuſpenſionis genus, II. 533.

T

TAbula poſt naufragium vocatur a Tridentino Pœnitentiæ Sacramentum, I. 36. Tridentino prævivit tota Traditio, I. 57.

Tactus impudici nomine inter pœnitentem & Confeſſarium quid intelligatur, II. 97.

Tertullianus non ſatis aperte Montaniſtarum placita enuntiat, I. 39. Quos ſcripſerit libros poſt lapſum, I. 83. An in iis quos ante lapſum ſcripſerat, nihil occurrat reprehenſibile, *ibid.* An docuit negatam fuiſſe mœchis abſolutionem, I. 465.

Teſtamenti ſuppreſſio multis in locis reſervata, II. 116. Quid de ſuppreſſione ſolius Codicilli, *ibid.* An reſervationi ſubjacet qui teſtamentum celat ad tempus, *ibid.* Vel illud celat quidem, ſed plene exequitur, II. 117 Quid ſi teſtamentum reipſa invalidum ſupprimat, *ibid.*

Theresia (S.) infidelium tenebras perpetuis lacrymis deflebat, I. 166.

Theſaurus fons *Indulgentiarum* quid ſit, II. 413. An conſtet ex Chriſti meritis, II. 414. an etiam ex ſatisfactionibus Beatorum, II 415. an ex meritis juſtorum qui aliquando repobandi ſunt, II. 420. an per Indulgentias ſolas diſpenſetur, *ibid.* An ſatisfactiones Sanctorum ad Indulgentiam concurrant per modum veræ ſolutionis, II. 421.

Thomas Apoſtolus quomodo poteſtatem remittendi peccata accepit, I. 67.

Thomas (S.) verecundiam e virtutum albo expungit, I. 5. in pœnitentia quamdam agnoſcit commutationem, I. 8. Falſo D. Auguſtino Librum de vera & falſa pœnitentia affingit, I. 95. Quid ſentiat circa gradum reviviſcentiæ meritorum, I. 130. Ejus opinio anteponenda, I. 232. Ad venialium remiſſionem novam infuſionem gratiæ non requirit, I. 144. 145. Negat primum non regenerati peccatum poſſe eſſe veniale, I. 144. An & quo ſenſu docet Sacramentum pœnitentiæ poſſe eſſe validum & informe, I. 172. *&* 588. An putavit præceptum contritionis non obligare ſtatim poſt admiſſum lethale, I. 187. 199. *& ſeq.* Docet Deum ſupplere defectum diſpoſitionis in eo qui ad Sacramenta Confirmationis & Euchariſtiæ bona fide accedit, I 311. An licitum putavit confeſſionem differre uſque ad Paſcha, I. 390. An negavit præceptum eſſe confiteri per interpretem, I. 408.

Timor in genere quid ſit, I. 220. Quid mundanus, *ib.* Quid ſervilis & ſerviliter ſervilis, *ib.* Quid filialis, *ib.* Quid initialis, *ib.* An ſimpliciter ſervilis bonus eſt & utilis, ſi non habet adjunctam caritatem initialem, I. 225. *& ſeq.* An ex ſe ſolo excludit voluntatem peccandi, I. 233. *& ſeq.* 242. *& ſeq.* An aliquid ultra requiratur ad juſtificationem in Sacramento, I. 283.

Titulus clericalis: hinc qui falſum exhibent, ſubjacent reſervationi, II. 103. Falſus eſt qui ſimoniace obtinetur, II. 104. qui exhibetur ut liber ab omni onere, cum non ſit, *ibid.* Quid ſi Chirographariis debitis gravetur, *ibid.* Vel fratribus ex parte reſtituendus ſit, II. 105. Vel promiſerit clericus ſe

Google

ex eo nihil exactum, *ibid.* Titulus an poſſit alienari, *ibid.* Quid ſi pater alienet, nec filius contradicere auſit. *ibid.* Aut is ſat aliunde habeat boni, *ibid.*

Titulus coloratus an requiritur cum errore ad juriſdictionem, II. 47.

Tournelyus quoſdam hæreticos inter Sacramenti Pœnitentiæ hoſtes non ſatis accurate annumerat, I. 37. 38. Ejus opinio circa Montaniſtarum placita non ſatis probatur, I. 38. Se ipſum refellit quoad Luciferianos, I. 43. modo probat ſufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ amorem ſpei, I. 286 An ejus probatio omnes ipſius adverſarios impetat, I. 288. An extra dubium relinquit minimam caritatem juſtificare extra Sacramentum, I. 289.

Traditio circa exiſtentiam Sacramenti Pœnitentiæ vindicatur, I. 51. & *ſeq.* In multis ſupplet Scripturæ ſilentium, I. 56. Pœnitentiam a Baptiſmo, Baptiſmive memoria unanimiter diſtinguit, I. 60. & *ſeq.* Neceſſitatem & uſum confeſſionis adſtruit, I. 339. & *ſeq.*

Tridentinum an damnavit opinionem Lombardi circa effectum abſolutionis, I. 97. 98. Supponit contritionem perfectam, non eſſe neceſſariam ad Sacramentum, I. 100. An definierit ipſam ſemper juſtificare ſine Sacramento actu recepto, I. 206. An ſtatuit attritionem per ſe ſolam excludere voluntatem peccandi, I. 233. Vel ſufficere in Sacramento, I. 254.

Turpia. *Vide* Sollicitantes.

V

VAgi, ubi eorum Banna publicari debeant, II. 417.

Vualdenſes nil circa Sacramenti Pœnitentiæ ſubſtantiam innovarunt, I. 43. erraverunt circa Miniſtrum, I. 333.

Vualdenſes, an Extr. Unctionem negaverint eſſe Sacramentum, II. 534. & *ſeq.*

Venatio Clericis interdicta ſub pœna reſervationis, II. 120. Quid de venatione quieta, *ibid.*

Veneficium II. 113. *Vide* Magia.

Veritas an lædatur per infractionem ſigilli confeſſionis, II. 211.

Veſtis Talaris omiſſio in celebratione Sacri reſervata eſt, II. 101. *Vide* Miſſa.

Viaticum, an ejus receptio præceſſerit olim receptionem Extr. Unctionis, II. 596. Quid in praxi de utriuſque Sacramenti ordine tenendum, II. 597.

Vicarii generales an *Indulgentias* concedant, II. 407.

Vviclefus an agnovit confeſſionis neceſſitatem, I. 453. An Purgatorium, ſeptem Sacramenta, & invocationem Sanctorum, *ib.* Ipſe uſque ad mortem confeſſiones probabiliter excepit, *ibid.*

Vviclefitæ, an male ſenſerint de Extrem. Unctione, II. 536. & *ſeq.*

Violatio abſtinentiæ, vel jejunii, caſus reſervatus, II. 117.

Violatio clauſuræ regularis. *Vide* Clauſura.

Violatio fœminæ cujuslibet reſervatur, II. 118. *Vide* Stuprum.

Violatio Statutorum Eccleſiaſticorum per ludos *aleæ*, per *venationem*, per frequentationem *popinæ*, per omiſſionem *veſtis talaris* in celebratione Sacri reſervatur, II. 120.

Virgo (B.) an capax fuerit Unctionis Extremæ, II. 595.

Virtus pœnitentiæ quid ſit, I. 1. & *ſeq. Vide* Pœnitentia, n. 1.

Viſitatio Eccleſiarum quoties iteranda ad lucrum *Jubilæi*, II. 490. An deſit Jubilæo qui uni ſolum viſitationi deeſt, II. 491. An dividi poſſit Eccleſiarum viſitatio, *ibid.* An pie hæc facienda, *ibid.* An coram foribus facta valeat, *ibid.* An in ea requiratur oratio vocalis, *ibid.* & quanta, II. 492. Quid ſi Eccleſia viſitanda interim corruat, *ibid.* An *Stationes* quatuor ad unam reducere poſſit Epiſcopus, vel Confeſſarius ex ejus conceſſione, *ibid.*

Unctio. *Vide* Extr. Unctio, Oleum, Materia. Unctio ubi fieri ſolita. II. 574. An neceſſario per modum crucis, *ibid.* an neceſſaria ſit unctio multiplex, II. 575. & 577. An fieri debeat in oculis cœci nati, II. 578. An proſequendæ unctiones, ſi æger interim decedat, II. 579. Quid cavendum Parocho dum duplex ejuſdem ſenſus organum inungit, II. 580. Unctiones quo a ſenſu incipiendæ, *ib.* & quomodo faciendæ, *ibid.* An una olei gutta perfici queant, *ibid.*

Voluntas an poſſit ita manere ſuſpenſa, ut peccatum admiſſum, de quo cogitat, nec approbet, nec improbet, I. 198. 200.

Vota: an in Jubilæis omnibus detur facultas ea commutandi, II. 518. An omnia tunc temporis commutari valeant, *ibid.* An caſtitatis & Religionis vota ſemper commutari alienando poſſint, & quibus in caſibus, *ibid.* An commutari poſſint ea etiam quæ juramento ſunt confirmata, *ibid.* An quæ cadunt in utilitatem proximi, II. 518. 519. an quorum quis vovit ſe commutationem non eſſe petiturum, *ibid.* An commutatio ea aliquid minus & lenius facienda ſit, *ibid.* Quæ ad commutationem in Jubilæis requiratur cauſa, II. 520. An Confeſſor commutationem hanc petenti indulgere teneatur, *ibid.* An commutatio ſolum in Tribunali facienda, *ibid.* An intra tempus Jubilæi, II. 522. An ſubſiſtat voti prioris obli-

Digitized by Google

obligatio, donec aliud opus fuerit a Confeſſore ſubſtitutum, *ibid.* Quid de votis tempore Jubilæi oblitis, II. 522. An commutationem ſecundam obtinere poſſit, qui primam obtinuerat, II. 525. & 526. An valeat commutatio ei facta qui poſtmodum Jubilæum non lucratus eſt, II. 525. & 526.

Votum contritionis an includatur in caritate, I. 189. An aliquando ſufficiat, I. 192. An ſufficiat in Pœnitentia & Baptiſmo, *ibid.* An ſufficiat votum fidei, *ibid.* Votum Sacramenti Pœnitentiæ an requiratur ad contritionem perfectam, I. 217. An debeat eſſe formale, I. 218. & *ſeq.*

FINIS INDICIS.

Digitized by Google